
Sala
Chym









ANGELI SALÆ VICENTINI CHYMIATRI Candidissimi et Archiatri Megapolitani.

Opera Medico-Chymica, quæ extant omnia.

Editio Postrema

FRANCOFURTI.
Apud HERMANNUM à SANDE
M.DCLXXXII.

ANGELI SALÆ, VICENTINI,
CHYMIATRI CANDIDISSIMI ET ARCHIATRI MEGAPOLITANI,

OPERA OMNIA
MEDICO-CHYMICA

HACTENUS SEPARATIM DIVERSISQUE LINGUIS EXCUSA, NUNC UNO VOLUMINE, LATINOQUE IDIOMATE EDITA;

Et novissima hac Editione non solùm à mendis quamplurimis correcta, sed etiam juxta Originalia,

Ut & Exemplar Clarissimi Domini

D. JOHANNIS SCHRÖDERI,
Physici olim Francofurtensis Ordinarii, revisa & emendata.

Addito Indice rerum & verborum locupletissimo.

FRANCOFURTI,
Apud HERMANNUM à SANDE.

Typis JOHANNIS ANDREÆ.
ANNO M. DC. LXXXII.

REVERENDISSIMO ET
GENEROSA NOBILITATE PERILLVSTRI
DOMINO, DOMINO
HENRICO MELCHIORI A NULAND,
ADMINISTRATORI SIGBURGENSI,
DOMINO MEO GRATIOSO.

STudium Medicum, Reverendissime Domine, maximâ jucunditate refertum esse, Medicis solis id affirmantibus (utpote domesticis testibus,) non crederemus, nisi & res ipsa loqueretur, & quotidiana exempla eorum, qui extra Artis hujus nobilissimæ professionem degunt, illud luculento testimonio comprobarent. Ecquid enim jucun-

jucundius, quàm ſcrutari ea, quæ fœcundiſſima rerum Mater Natura triplici ſuo Regno complectitur, curiosè nempe inquirere in Hiſtoriam Lapidum, Metallorum, Plantarum, Animalium, cæterorumque hujuſmodi, quorum mirabilis varietas vel ſola cognitu jucunda eſt. Certè horum omnium originem, cauſas ac virtutes noſſe, menti gratiſſimum ſuppeditat pabulum; contemplatione hac homo non poteſt non incredibili ſuavitate refocillari, quâ etiam ſupra naturam brutalem evehitur; cùm qui Naturalia non rimetur, vaccæ ædificia adſpicienti, quid verò intus ſit, quem in finem & à quo extructa ſint, neſcienti, non ſit abſimilis. Clavis verò, quâ hæcce Naturæ penetralia reſerantur, Chymia eſt, nunquam ſatis laudanda, hæc enim inviſibile Naturæ centrum perluſtrandum pandit, hæc abſtruſiſſimis arcanis indubitatum ſplendorem affert, hæc ipſam rerum medullam ac nucleum deguſtandum præbet, ut proinde non immeritò totius Medicinæ regia audiat corona. Quapropter & jucundæ hæ delitiæ Magnates nullo non tempore allectant & delectant, ita ut non ſolùm olim, teſtibus Æliano & Pindaro, Medicina tantùm à ſummis Imperatoribus, Regibus & Principibus culta ſit, nec ab aliis coli permiſſum fuerit, verùm & hodie ab iisdem magnifiat, colatur & largiſſima Munificentia promoveatur. Taceo exempla, quæ magno numero adduci poſſent, ſi extra propoſitum vagari vellem: unicum tamen Germanus germano pectore

re



VERA EFFIGIES
ANGELI SALÆ
VICENTINI
CHYMIATRI CANDIDISSIMI
ET
ARCHIATRI MEGAPOLITANI.

re quin deprædicem, non possum, Summum nempe Affectum, quo AUGUSTISSIMUS CÆSAR LEOPOLDUS Collegium Naturæ Curiosorum fovet & tuetur. O studium verè jucundum, quod TANTO NUMINE gaudet!

Hic ipse Affectus, quo & Tu, Domine gratiose, Doctos amplecteris, in causa exstitit, quòd ausus fuerim, Reverendissimum & Generosum Nomen Tuum Operibus hisce Medico-Chymicis præfigere; ex singulari etenim Gratia, quâ me per annos benè multos commercio epistolico dignatus es, innotuit mihi excellens Tua in nobilioribus disciplinis, artibus, scientiis & linguis peritia, atque hinc emanans amor erga bonos in quovis scibili libros, quos absque dubio à curis gravioribus liber pro desideratissimis animi delitiis habes. Cùm itaque inscriptione libro huic Medico authoritatem & gratiam conciliare voluerim, à quo firmius hæc exspectem, alium eligere non potui, quàm Te, qui Eminentiori Dignitate non solùm conspicuus es, sed & rei Medicæ singulariter faves, & curiosa Medicorum Scripta impensè æstimas.

Suscipe igitur, Reverendissime Domine, Chymiatrum hunc candidissimum, & candidum offerentis animum potiùs, quàm pretium operis gratiosè respice. Vive salvus & incolumis ad seros usque annos, ita ut

per omne vitæ tempus Medicorum Scripta Te delectent, Eorum autem opere minimè indigeas: quod toto pectore vovet

Reverendissimæ Tuæ Gratiæ

Dabam Francofurti ad Mœnum 16. April, anno reparatæ salutis M. DC. LXXXII.

humillimus & devotissimus

Hermannus à Sande.

Benevolo Lectori.

ANGELUS SALA, *Chymiater candidissimus, patriâ Vicentinus Italus, famâ per universum orbem Medicum notissimus, denuò Tibi, Amice Lector, offertur. Personam & Opera ejus recommendare velle, nil aliud esset, quàm Soli lumen inferre; unicum tamen Nobilissimi Domini D. Sebastiani Schefferi testimonium, quod in Ejus Introductione in universam Artem Medicam cap. 11. §. 6. habetur, apponere lubet.* Præter reliquos Chymicos, *inquit*, omninò commendandus est Angelus Sala, qui omnium optimè de re Chymica variis libris disseruit, atque præ aliis candidè & sine fuco exposuit ea, quæ ad experientiam Chymicam spectant. Quanquam enim primi ejus libri, quos sub adventum suum in Germaniam conscripsit, multum jactantiæ habeant, posteriores tamen lectu sunt longè dignissimi. Ut quod de Maimonide inter Judæos Josephus Scaliger dicebat, idem de Sala asseverare liceat: primum eum inter Chymicos nugari desiisse. *Ea de causa etiam Scripta illius ita avidè fuerunt arrepta, ut pauco semper tempore distracta, aliquoties iteratò ea imprimi necessum fuerit. Quando itaq; & nunc per aliquot annos desiderata, & singulis Nundinis inquisita fuerunt, operæ pretium duxi Opus utilissimum denuò sumptibus meis luci publicæ exponere, eamq; in rem è Bibliotheca Famigeratissimi Chymiatri Dn. D. Iohannis Schrōderi, Physici olim Francofurtensis Ordinarii, Exemplar magnâ diligentiâ revisum & correctum mihi comparavi, juxtaq; illud præsentem Editionem imprimi curavi; collata tamen simul fuêre primæ editionis exemplaria tam Germanica quàm Latina, & Index priori multò auctior in fine additus, quò Opera hæc Chymiatrica eò perfectiora prodirent.*

AD LECTOREM.

Quapropter non diffido, Benevole Lector, me gratum opus hac vice expensis meis Tibi præstitisse, quod & antehac semper conatus sum, veluti Catalogus Librorum Medico Chymicorum, sumptibus propriis excusorum, hic annexus testatur. Si & hos benevolo animo susceperis, nunquam deero, quò imposterùm quoq; studiis tuis inservire queam. Vale.

Hermannus à Sande.

Prosper Alpinus de Præsag. vita & morte Ægrotantium. 8.
Anthonii Guntheri Billichii Thessalus in Chym. Redivivus. 8.
Jacobi Böhm de Signatura Rerum gallicè. 8.
Liberii Benedicti Nucleus Sophicus. 8.
Joachimi Becheri Oedipus Chymicus. 12.
Laurentius Catelanus vom Einhorn mit Kupffern. 8.
vom Bezoar-Stein. 8.
Ludov. de Comitibus de Alchaest. 12.
Petrus Castellus de Hyæna Odorifera. 12. fig.
Dyas Chymica tripartita. 4. fig.
Antonii Fueldez Bericht von den Urschlechten. 4.
Roberti Fluddi Clavis Philosophiæ & Alchymiæ. fol.
Gabriel. Fallopi Kunst-Buch. 8.
Joh. Bapt. Groschedels Hermetisch Klee-Blat. 8.
Ludovici Gansii Historia Corallorum. 12.
Joh. Georg. Greulichii Methodus curandi Hydropis. 8.
Ludov. von Hornigks Würg-Engel von der Pest. 4.
Joh. Helfric. Juncken Chymia Curiosa. 8.
Henrici Kunrathi Amphitheatrum Sapientiæ Æternæ. fol. fig.
Andreæ Laurentii Historia Anatomica. 8.
Levinus Lemnius de Miraculis Occultis Naturæ. 16.
Similitudines. 16.
Michael. Majeri Verum Inventum. 8.
Joh. Dan. Mylii Opus Medico-Chymicum. 4. fig.
Musæum Hermeticum. 4.
Ambrosii Paræi Wund-Artzney. fol.
Joh. Bapt. Portæ Phytognomonia. 8.
Physionomia Humana. 8.
Prodromo di Alcuni Inventioni della Naturale Filosofia. fol. fig.
Caroli Ruini Pferds-Anatomia und Artzney. fol.
Henricus Ranzovius de Conservanda Valetudine. 16.

Caſpar. Reyes Elyſius Jucundar. Quæſtionum Campus. 4.
Marci Aur. Severini & aliorum Opuſcula Anatomica. 4. fig.
Franc. de le Boys Sylvii Praxis Medica. 8.
Ludovicus Septalius in Hippocrat. de Aeribus. fol.
Angeli Salæ Opera Med. Chymica. 4.
Thomæ Thomai Hortulus Mundi. 8.
A. P. Theophraſtus von der Peſt. 4.
Franciſci Valeſii Commentarius in Galenum. fol.
Waſſer-Stein der Weiſen. 8.
Marſilii Weigel vom Emſer-Bad. 8.
Johann. Zechii Conſultationes Medicinales. 8.

ELEN-

ELENCHUS

Tractatuum in hoc Opere contentorum.

17. Pul-

ANA-

ANATOME ESSENTIARUM VEGETABILIUM,

CONTINENS VIRTUTES, USUS, NEC NON modum extrahendi Essentias ex herbis, floribus, fructibus, radicibus, corticibus, lignis, ac reliquas ad rem pertinentes observationes.

ESSENTIARUM VEGETABILIUM ANATOMES,

SECTIO I.

De Nomine, & antiqua Essentiarum inventione, earumque additione à Chemicis facta; Item usu, utilitate, & simplicium ad talem præparationem aptitudine.

SECTIO II.

De modo extrahendi & conservandi Essentias ex variis simplicibus.

SECTIO III.

De exsiccatione herbarum, florum, radicum, & qua ratione per illam utilitatem, aut damnum capiant.

SECTIO IV.

De Essentiarum purgantium extractione, earumque virium auctione.

SECTIO V.

De processu extrahendi cathartica vehementiora & calidiora.

SECTIO VI.

De separanda variorum simplicium maxime exoticorum, & gummatum ferulaceorum impuritate.

APPENDIX.

De usu, dosi, necessitate, & utilitate Essentiarum; adjunctis variis experimentis, annotationibus, & manuali operandi modo.

ESSENTIARUM VEGETABILIUM ANATOMES,

SECTIO I.

CAPUT I.

De Nomine Essentiæ.

VAria est apud Chemicos hujus Nominis acceptio; Primo enim hoc vocabulo quidam Olea intelligunt; Secundo, Spiritus vel aquas vitæ ex simplicibus productas. Tertio, Spiritus acidos minerales Vitrioli, Salis, Sulphuris, Salis nitri. Quarto, Magisteria metallorum, Marcasitæ, lapidum pretiosorum, Corallorum, Perlarum, quorum libris Chemicis passim obvia sunt exempla.

Quæ cuncta sub hoc nomine, hoc in tractatu, complecti animus non est; sed illos tantum succos, vel infusa, aut decocta, mediante evaporatione inspissata, quæ vulgo à Medicis dogmaticis succi condensati, nonnunquam Sapa, à Chemicis vero Extracta nominantur.

Non tamen hic eas tanquam prima entia, & Principia, secundum Philosophorum considerandi modum accipio; non ignarus eas adhuc ex diversis, nec ipsis simplicissimis Elementis constare. Subjecta nempe intelligo, in quibus simplicium potissima virtus essentialiter radicata est, qualis frumenti in purissimo polline, uvarum in vino defæcato, essentialis, & potior pars consistit.

CAP. II.

De prima Essentiarum inventione, & processibus antiquitati usitatis.

PRimum authorem hujus inventionis non novi, contentus probabili ratione, eam cum primitivo Medicinæ usu, & invento in apertum venisse: siquidem in antiquissimorum Medicorum scriptis, succorum expressorum, decoctorum, infusorum frequens fit mentio, non alia procul dubio de causa, quam quod præcipuas vires, partibus quasi excrementosis separatis, in succis, vel infusis, & decoctis contineri animadverterent.

Quæ intentio laudabilis, nec contemnenda utilitas decoctorum, infusionum, & succorum sedulo ad artis præscriptum paratorum, quæ à tota mixti substantia, expectati nequit, si hoc ipsum antiquissimos latuisse extra dubium ponimus: nec illud inficias ire possumus, substantiam istam extractam, & demum per exhalationem beneficio caloris elementaris aquosa parte liberatam, specificæ, quæ in vegetabilibus ex-

expetitur, virtutis subjectum, recte statuendum esse. Quod ipsum abunde testantur Scripta Pedani Dioscoridis Anazarbei, imperante Augusto Cæsare, apud Ægyptios sub Antonio & Cleopatra Medici famosissimi, testibus Galeno, Oribasio, & Plinio, in quibus ille præter variæ, de simplicibus doctrinæ traditionem, formularum Essentias extrahendi, quamvis diverso nomine inscriptarum, minime oblitus fuit; ut videre est in capitibus de Acacia, Aloë, Apio, Britannica, Centaurio minore, Chelidonia, Cyclamine, Clymeno, Euphorbio, Gentiana, Halicacabo, Hypociſtide, Lentisco, Malo punica, Mandragora, Papavere, Peucedano, Rosis, Scammonio, & aliis hujuscemodi simplicibus, quæ evidenter arguunt, tyrocinium harum præparationum non à Chemicis, sed antiquissimis Medicæ facultatis Proceribus promanasse.

Receperunt vero herbas & radices succulentas, vel aridiores quidem sed aliquot diebus prius aqua maceratas, ac ex hisce liquorem expressum, Sole, umbra, aut ignis mediocri calore, ad sapæ consistentiam aut majorem inspissationem, ac porro in pastillos aut trochiscos redactum sedulo in usum asservarunt, qui etiamnum à dogmaticis quamvis rarius ac illo ævo, quo nondum siruporum usus introductus fuit, paucis exceptis, exoticis nimirum succis condensatis, ut Aloe, Opio, Scamonio, Euphorbio, Hypociſtidis, Acaciæ, & Glycyrthizę succo, crebrius vero nunc illę Essentiæ è vegetabilium familia, Extractorum spagyricorum nomine insignitæ, bono, & rei medicæ profectu, in compositiones medicamentorum accersuntur.

CAP. III.

De modo præparandi Essentias, earumque augmento, & correctione à Chemicis inventa.

POstquam harum usum utilem in praxi medica Chemici cognoverunt, non modo eas ab oblivione vindicare, sed etiam accurratiorem modum ejusmodi præparationum tradere sunt conati.

Antequam enim succos, infusa, vel decocta in consistentiam coagularunt, studiose prius ab impuritate feculenta (quod à veteribus neglectum fuit, uti liquet ex Dioscoridis operibus,) clarificatione, aut colatura, & digestione depuravere, de quo pluribus ultima sectione hujus tractatus. Quin etiam quæ priscos latuit, usu spiritus vini rectificati, Essentias resinosas, & balsamicas extrahendi inventionem addiderũt.

Insuper cum hisce, ut in illis orientalibus plagis, quas Medici isti utplurimum inhabitarunt, Solis calor remissior sit, instrumenta quibus quovis anni tempore, gradus ignis ad harum præstantiorem præparationem secure servari possint, excogitarunt.

Nec tandem etiam hic acquiescere iis visum fuit, explorandi nimirum avidis, ex quibusnam Mixti partibus, Essentiæ potissimum constarent; Vulcanum igitur in partem operis adsciverunt, cujus ope spiritus, aquas, olea, tincturas balsamicas, resinas, Sales, & diversa tartara segregarunt, quorum plurima, ut antiquis dogmaticis nondum cognita fuerint, à nullo tamen sanæ mentis compote vituperari possunt.

CAP. IV.

De mirifico Essentiarum usu in Medicina.

HÆ sane justo modo præparatæ levis momenti non æstimandæ sunt in Medicina.

Primo, cum ex divina benedictione uno verbo Fiat, simplicibus ab initio quædam virtus indita fuerit, quæ non æqualiter per omnes mixti partes diffusa existit, sed perculiaribus quibusdam ei virtuti recipiendæ, tanquam propriis subjectis magis aptis, inhæret, fit ut mixtum partibus recrementitiis liberatum, nobiliorem naturam sortiatur.

Secundo, simplicia hoc extrahendi labore majorem digestionem subeunt, qua mediante cruditatem, quæ integris adhuc inhæret, amittunt, ac consequenter corporibus humanis curandis aptiora redduntur.

Tertio, vi propria balsamica (quamvis haud cuncta ex æquo & similiter,) longioris durationis evadunt, ut sine sacchari, aut mellis additione ad plures annos servari possint.

Quarto, ratione quantitatis in dosi, tum ad curationem morborum, tum mixturas medicinales, majore facilitate sumuntur.

Cum enim propositum fuerit apozema aliquod emolliens, digerens, aperiens, attenuans, aut incrassans, seu cujuslibet facultatis parare, nullo labore has essentias in aqua destillata, vel appropriato quovis liquore dissolvere, & tantillo sacchato condire licet.

2. In confortantes etiam mixturas seu solidas seu liquidas apposite recipiuntur.

3. Ad Alexipharmacorum, in formâ Theriacæ vel Mithridatii, structuram, simplicibus vulgari modo in pulverem contritis præferendæ sunt.

4. Ad Tabulata seu morsellos, capiti, pectori, stomacho, hepati, lieni, renibus, convenientes, vicem suorum simplicium commode subeunt.

5. Ad purgantes potiunculas, seu confectiones quæ specifica vi medicamentum ad partes expurgandas ducant, ejusq; malignas qualitates infringant, viscera deobstruant, humores alterent, & ad exitum disponant, hocque peracto interiora roborent, sanguinem purificent, hisce Essentiis nil præsentius, aut utilius, quæ ejuscemodi operationum ergo, massis pilularum convenienter misceri possunt.

CAP. V.

De quibusnam simplicibus Essentiæ extrahantur.

QUamvis omnibus in universum simplicibus insint perculiares quædam, & nobiliores partes, in quibus potissima medendi facultas consistat, non tamen omnes huic operationi ex æquo, sine discrimine subjiciuntur, sed singularem aptitudinem ad hanc requirunt, quales sunt omnis generis summitates, corymbi, frondes, flores, folia, fructus, grana, radices, cortices, ligna, involucra fructuum, & omnis generis lignorum viridium siccatorumve solidæ substantiæ, frigida vero, humida, viscida parum salis & sulphuris continentia, ad hoc opus utpote cito corruptibilia minime apta sunt; Cujus classis sunt Amygdalæ, pistacia, pignolæ, triticum, & similis farinæ fructus, vel semina, quæ nisi primum fluidum & corru-

corruptibile temperamentum, vulcani ope cum solidiore & sicco mutatint, nihil ex iis titulo Essentiæ dignum elici potest, quod observatu dignum.

CAP. VI.

De menstruis ad extractionem Essentiarum requisitis, eorumque usu, & differentia.

QUemadmodum in pluribus vix tantum liquoris reperire est, quo tanquam appropriato Essentiam rerum maximè arefactorum extrahere detur, duo præcipue liquores in usu sunt, Aqua sc. fontana & spiritus vini: illa ad omnes substantias, quæ facile solvi possunt accommodabilis, hic vero extractioni partium resinosarum, quales in Junipero, Cypresso, Guajaco, & variis radicibus, ac herbis manifestæ sunt, magis competit.

Nec tamen, ut multi imperiti opinantur, spiritum vini generalis menstrui loco habendum esse judico. Etenim illius opera nihil potest in substantiis, aqua simplici tantum evocari aptis, hujus Essentiæ obtineri; idque duplici ratione: Prima est, quod temperatorum simplicium qualitas hujus usu immutetur, vel potius corrumpatur: Secunda, quod subtiliores & volatiles partes spiritui vini unitæ, evaporando effugiant; & contra quæ spiritum vini sequuntur, aquæ simplici non obediunt; licet improbare non ausim, aquas destillatas ad suorum simplicium essentias extrahendas adhiberi. Cæterum sicubi pura fontana sufficit; minus tamen pura, & clara ad manus sit, destillatione à terrestri feculentia liberanda est. Ad quod opus licet etiam vinum, mulsa, cerevisia, & acetum quodammodo apta sint; tamen ob tartarum aut viscidum quid substantiis eorundem commixtum, nisi, hoc aliquis ipsis extractis, singulari intentione, conjunctum exoptet, repudianda sunt. Quidam etiam aquas ad extractionem eligendas spiritu Vitrioli, Salis, Sulphuris, Tartari, aut alio quopiam, è vegetabilib⁹ sale acuūt; de quo deinceps.

ESSENTIARVM VEGETABILium Anatomes

SECTIO II.

Præmissa in præcedente Sectione, rudi quadam, & universali manuductione, rem ipsam aggredi ordinis ratio postulat: Quomodo nimirum Essentia ex floribus recentibus, herbis, fructibus, radicibus, corticibus, lignis, arte chemica elicienda sint. Licet vero etiam quorundam aridorum hac sectione negotium suscipiatur, id tamen, ubi eandem, quam recentes præparationem exigant, salva methodo fieri, existimandum est.

CAP. I.

De Essentias, ex recentibus floribus, utpote Borraginis, Iaceæ, & aliorum succulentorum, extrahendi modo.

IMplere decet cucurbitam, floribus Borraginis, quantum fieri potest, arctè compressis, alembico cœco, qui exactè claudat, imposito, simul & commissuris accuratè occlusis, ne vel minimum transpirare possit; quod commode loris, ex intestinis, vel vesicis bubulis paratis perfici potest: hæc enim aqua emollita, applicata, & indurata, firmiter instar glutinis adhærent. Cucurbitam, ad mediam altitudinis partem, in

Balneum demergere convenit aucto paulatim igne, eo tamen caloris gradu, ut aqua non bulliat; donec flores, colore proprio spoliati, instar pulmenti collabascant. Ex refrigerata porro massa, linteo firmo, succus in vas vitreatum exprimatur.

Hic succus recentibus floribus, secunda vice, juxta præscriptum modum procedendo, denuo affundatur; qui demum albumine ovi, usitato depurandi more, commixtus, & cucurbitæ redditus, Balnei calore, per mediam horæ quadrantem, ebullire permittatur; donec fecibus crassioribus supernatantibus, succus per manicam colatus, purus evadat. Hic modus, ei, qui per longam in Balneo digestionem, à Chemicis alias receptus, præferri debet; quo sæpe succi clari aut turbidi emergunt, aut partium lenientium, vel tartari sui utilis jacturam faciunt; quem Essentiis conjunctum esse præstat; ut pluribus, in Tartarologia nostra, deinceps docebo. Ultimo aquositas succi transcolati, lento Balnei vapore, per evaporationem auferatur, ad mellis consistentiam, picis instar splendentem, persistente odore, & sapore integro. Hæc Essentia refrigerata, in vale vitreo, tela emplastica, & duplici charta aut molli corio duplicato, occlusa affervatur.

In defectu florum plurium, & ubi pauca hujus Essentiæ quantitas expetitur, prima, & unica expressio sufficere potest.

Essentia hæc cor confortat, vitales spiritus recreat, sanguinem purificat, tetras ab atra bile fuligines, & insomnia terrifica coercet.

Dosis ejus à ℈j. ad ʒj. in vino vel jusculo, decocto, aut liquore stillatitio.

CAP. II.

De Essentia florum Tunicæ rubeorum.

EX floribus hisce, saturato rubore, odore vegeto, ac multiplici folio conspicuis, nobilis Essentia paratur: Et quidem ad priorem plane modum, nisi quod florum non, ita pridem apertorum, quo tempore vivaciores sunt, & tempore sereno collectorum, resectis particulis albis, ℔. uni aquæ fontanæ tantundem affundatur, in mortario lapideo contundatur, donec pulmenti consistentiam acquirat. Cæterum observato præcedenti, de Borragine, ordine Essentiam obtinebis, colore, & odore delectabilem, 3. circiter annos vires suas conservantem. Animadversione dignum est, ne ferreis instrumentis, maxime, antequam in consistentiam redacta sit, tractetur; hac quippe ratione colorem amittit. Ad hanc normam, Essentiæ, ex floribus Rosarum, nondum plane apertis, ex floribus Calendulæ, Cheiri, &c. qui tinctura, absque superflua humiditate abundant, elaborantur.

Potis est hæc Essentia confortare caput & sensus omnes ac ipsum hepar; contra vertiginem, syncopen, pestilentes, & malignas febres, medicamentum nobile est. Dosis ejus à ℈j. ad ʒß.

CAP. III.

De Essentia florum Violarum.

QUamvis hujus Essentiæ præparatio, sub priore, de floribus Borraginis processu contineatur: Operæ tamen pretium esse arbitratus sum, faciliorem ejusdem parandi modum exhibere: Floribus nimirum sereno tempore collectis, integris cum foliis viridibus, rejectis tantummodo

modo petiolis, s. q. aquæ in cucurbita affundatur, inque Balneo Mariæ, donec tincturam fundant, coquantur, cujus expressio, ut de Borraginis floribus habes, recentibus floribus denuo affundatur, inque Balneo Mariæ ebulliat, & tandem ad aqueæ substantiæ exhalationem, leni igne coaguletur. Cærulei coloris est, ut vitro aut cochleari argenteo affricata, Saphyri tincturam inducat. Nec quicquam folia viridia hic officiunt, cum aqua magis in violaceas partes agat; ut nec ipsa semina conjuncta; utpote quæ humectandi, & refrigerandi virtute pollentia, medicamenti bonitati nihil detrahant: Quod etiam sirupus ex integris floribus, illi ex solis florum foliis decerptis parato, medendi dote par, si non superior convincit. Quod admonuisse sufficit, pro illis qui turbam famulitii, aut integras herbarum sarcinas non possident, ut hoc compendio non inutili utantur. Hic Sirupus, modo frigido loco reponatur, colorem, & saporem genuinum, biennio conservat. Ad ipsum modum, infusio rosarum incarnatarum fieri solet.

Color vero hujus Essentiæ, facultatibus cæteris salvis, vix dimidii anni spatio durat, ut & aliorum medicamentorum ex violis confectorum, colore fugiente, vires nihilominus integræ perennant.

Efficax est hæc Essentia, in calidis pulmonum & pectoris affectibus, faucium raucedine, & dolore; tussi sicca, hepatis, & renum inflammatione, in lenienda humorum actimonia per ureteres diffusa, nec non mitiganda bile utraque, ejusque eductione commendabilis.

CAP. IV.
De Essentia Hyperici.

HErba Hypericonis vulgo nota est, eoque apud Medicos triviales, qui exoticis, & peregrinis, quam domi nascentibus cupidius inhiant, propemodum vilescit: Idcirco tamen reapse, virtuti ejus ne hilum quidem decedit, qua vulnera, luxationes, ossium fracturas, & rupturas sanandi pollet: Interne vero adhibita, contra renum calculum, dysuriam, nervorum & articulorum affectus, verminationes ex ciborum corruptione ortas, ac venena insignis est; nec infimum in potionibus vulnerariis locum obtinet. Præterea insignem facultatẽ, imaginationes falsas, terrores, melancholiam, & intellectus depravationem corrigendi sortita est; quæ accidentia etiam, homines proba temperie præditos, & in quibus nullus manifestus excessus, humoris melancholici, quandoque subito instar fulminis die vel nocte corripiunt.

Nec si uspiam simplex aliquod reperire detur, quod ad veneficia abolenda valeat, ullo merito huic præferri potest; teste Theophrasto Paracelso, libro primo, de rebus naturalibus, capite quinto, de Perforata. Quod mihi ansam primo in similibus morbis, sane, non sine stupendo effectu, ejus periculum faciendi dedit; qui alias ad integri Pharmacopolii aut pretiosissimorum, ex auro, argento, cora iis, margaritis, lapidibus pretiosis & Bezoardicis Magisteriorum, ac vix in aliis accidentibus præstantissimorum usum, forte secutus non fuisset: Quod ab inexpertis non tantum difficile creditu, sed etiam explosione dignum haberi posset.

Acce-

Accedo ad præparationem hujus simplicis, in quo duas natura differentes partes reperio: Unam in aqua solubilem: Alteram dissimilem resinosam, & balsamicam. Qui itaque ambas expetit, sequentem processum imitetur:

℞. Gemmarum, id est, florum hyperici nondum apertorum, cum ipsis foliis tenerioribus incisorum; his affundatur in cucurbita vitrea Spiritus vini, à summitatibus ejusdem herbæ siccis abstracti q. s. ad irrigationem, pistillo comprimendis; iique alembico cœco capaci imposito, & commissuris probe obturatis, 2. integros dies miti B. calore, cujus contactum manus temperata facile perferat, macerentur. Exin ex materia refrigerata liquor expressus, ad colorem fuscum declinans, ut clarior evadat, per manicam coletur, seu per residentiam depuretur, & convenienti porro B. calore Spiritus vini abstrahatur, ad consistentiam essentiæ competentem.

Nota, quod nec hoc, nec quodvis aliud infusum resinosæ substantiæ particeps albumine ovi clarificare conveniat, hac n. via si non turbidius redditur, potiori saltem resinosæ substantiæ parte privatur.

Virtutes ejus abunde supra enumeratæ sunt: Adde quod nullius alterius gummi aut resinæ, utpote quæ tota balsamica est, additione indigeat: In rupturis vero, & luxationibus, admixtione aliarum rerum, ut in emplastri formam redigi possit, opus habet: Contra dysuriam, calculum, lumbricos, venena, & mentis aberrationem, in vino vel jusculo dissoluta, bis in die, scilicet mane ante Solis ortum, & vesperi ante somnum exhibenda.

At si æger hanc, tanquam resinosam, & potiones turbantem fastidiat, sequenti forma liquoris, rubini instar pellucidi, uti liberum erit: ℞. Aquæ stillat. Hyperici ℔j. Essentiæ hujus in ea dissolvendæ ℥ij: Sacchari ℥ij. toties per linteum coletur, donec clarescat, ejusque 3. vel 4. cochlearia mane, & sero exhibeantur.

In hac præparatione, resinosa quidem substantia, inter colandum, linteo adhærescit; ea tamen pars, quæ in aqua solubilis, & cujus vires, ad plures morbos satis efficaces deprehendi, hac ratione obtinetur. Cæterum Essentia hæc ipsis floribus, aut oculis Hyperici siccatis, ad Antidota magna multo convenientior est; ut etiam illa, quæ paratur ex centaurio minore, rosis, scordio, & cæteris quæ viridia passim, nobis occurrunt; hoc modo n. ipsa composita, altiorem virtutis gradum consequerentur; nisi obstaret nescio quæ stoliditas, ac vana religio eorum, quæ veterum inventis addere criminis loco haberent; quod alioquin salva antiquorum authoritate, incrementum rei medicæ illustre adferre posset. Hi vero nullo modo, nisi ignavia, & fuga laboris meliora inquirendi, excusari possunt. Dosis hujus essentiæ, in quavis medicamenti formula, à 10. usque ad 30. grana offertur.

CAP. V.

De modo extrahendi Essentias, ex herbis viridibus, & inprimis ex Plantagine.

EST & ipsa Plantago nobilium herbarum, quæ ideo quod passim obviæ sint,

sint, vilipenduntur, haud postrema. Essentia ejus vulgari isthoc modo paratur. Succus expressus ex foliis Plantaginis latifolii, electis, & viridibus, ovi albumine depuratus per pannum colatur, ac porro ad mellis consistentiam inspissatur. Hac methodo ex cichorio, fumaria, acetosa, & quibusvis aliis herbis succulentis, Essentiæ educuntur. In prædicta Essentia notatu dignus, animalium hepati prope similis, & in aliis extractis nondum conspectus color, occurrit; qui Essentia in aqua soluta & paucis Spiritus Vitrioli guttis instillatis in rubescentem, & fere incarnatum colorem mutatur.

Usus ejus ad eosdem affectus, ad quos à Botanicis herba ipsa commendatur. Cæterum ad inflammationes hepatis, & sanguinis, prodeuntibus urinis luteis & rubente colore tinctis, subsistente ad fundum, materia spissa bolari, ad ardores item, & ulcera renum, sphyncteris, vesicæ, gonorrhœam purulentam, & putidum mulierum cum exulceratione fluorem, hydropem, & vitia alterati hepatis, ex nimia vini ingurgitatione, urina quodammodo subsistente, & prædicto colore affecta: hujus simplicis, quavis forma, præcipue vero Essentiæ ejus, admirandas & plurium aliorum, quæ ex operosa hepaticorum congerie, concinnantur, medicamentorum, præstantiores vires esse, ipsa experientia Magistra cognovi. Ejus usum 3. vel 4. dies continuatum, urinæ non modo in colore, sed & quantitate mutatio consequitur, & simul immoderata sitis compescitur: Quod unice omnibus hydropicis in votis habetur. Existimo equidem, si ab ullo simplici, in hepatis substantia læsa, ab hoc præcipue, præ omnibus aliis, auxilium exspectandum esse. Quantum vero in chirurgia valeat, neminem artis hujus peritum latere potest.

Dosis est à ℨß. ad ℥j. & amplius, pro natura agrotantis, in propria aqua stillatitia, aut hordei, vel brodio. Additione raro opus est; ni placeat aliquot guttas Spiritus vitrioli, cum portiuncula sacchari jungere. Chirurgi hanc ad potiones vulnerarias, in sauciato hepate, & renibus læsis expetunt.

CAP. VI.

De Essentia Centaurei minoris.

Sunt quidam, qui Galenum, Medicorum dogmaticorum Principem, de Centaurei minoris facultatibus, integrum libellum scripsisse autumant. Ejus vero Essentiæ parandæ modum, Dioscorides tradidit: Et talem quidem ipse sequor.

℞. Hujus folia cum floribus, dum maxime turgent, decerpta contusa & s.q. aqua madefacta, in cucurbita, alembico cœco munita, per 24. horas B. calori maceranda impono; ex iis porro succum expressum, & albumine ovi clarificatum, ad consistentiam, ut de aliis dictum, evaporatione redigo. Hoc modo, ex Veronica, Verbena, Pilosella, Agrimonia, & cæteris herbis minus succulentis, Essentiæ extrahuntur: Quarum majorem si quis copiam desiderat, ei infusiones aliquoties repetere, vel una vice, aliquot cucurbitas replere licet.

Potens est in hepatis, & lienis obstructionibus, ictero, sanguine corrupto, hydrope, mensium suppressione, venenis frigidis, & lumbricis; præcipue contra prolixas & implicatas, à bile, & viscida pituita febres, harum materiam prompte educendo efficax est; eoque amplius laudatur, quod viscerum oppilationes tollere, putredini resistere, & membra corroborare potis sit; quibus scopis, ejusmodi cura fere completur. Dosis ejus à 10. ad 30. grana, in massa pilularum, vel liquoribus appropriatis.

CAP. VII.

De Essentiis in genere ex fructibus.

SUcci ex fructibus, scilicet uvis, cerasis, pomis, sambuci baccis recens expressi, & decocti à Medicis Sapæ vocantur: quarum parandi modus, non modo Pharmacopæis cognitus, sed etiam lippis & tonsoribus usu innotuerunt, easque tum in cibum, tum ægritudinum curationes adhibere edocti sunt. Has tamen ex classe Essentiarum relegandas esse non judico; ideo quod potiorem suorum simplicium substantiam contineant. Vulgarem tamen modum minime probo; cujus error tum in clarificatione, tum coctione, manifestus est; quoniam nihil de feculenta substantia, expressione collecta separatur; unde hæ sapæ crassæ, & tenaces existunt. Secundo in vasis cupreis, quorum virorem aliqui succi facile imbibunt, valido igne percoquunt: Contra ac Chemici faciunt, qui hos probe clarificatos, leniore igne inspissare solent.

CAP. VIII.

De Essentia Tamarindorum.

FRuctus Tamarindorum, à peregrinis regionibus ad nos delatus, plurimo usui in re medica destinatur, & vulgo cognitus est: Cujus Essentia sequenti modo paratur:

℞. Fructus Tamarindorum ℔ 3, vel quatuor, recentioris nimirum, (qui colore fusco & splendente, sapore vero instar pomorum Citri acidulo, intermixtis filamentis, & ex granis durioribus arridet; his n. notis non præsentibus, fraudis, & alienæ mixturæ suspicione carere nequit:) huic in patina vitrea, tantum aquæ calentis affundatur, ut pulmenti instar, liquidum evadat, ac cochleari ligneo agitetur, donec villis, & granis subsidentibus, caro acida, aquæ penitus commixta separari, ac demum percolata, & adjectis aliquot albuminibus ovorum, in cucurbita, alembico cœco munita, 3. vel 4 horas, bullientis aquæ fervore macerari possit; & hoc peracto, iterum per pannum, levi aliqua expressione percolata, leni denique calore, in patinis vitreis, ad mellis consistentiam evaporet.

Vires: Ad febres ardentes, malignas, ac etiam biliosas intermittentes, quarum fervorum mitigat, nec non effervescentias, ac sanguinis ebullitiones comprimit, eumque fuligine adustorum humorum liberat, putredinem corrigit, sitim sedat, facultates natu-

naturales fulcit, & ſpiritus vitales recreat, bilioſam congeriem per alvum, & urinam ſubducit, prodeſt in affectu ſcorbutico, & omni fœditate cutis, à bilioſis, aduſtis, & ſalſis humoribus; utpote, ſcabie, prurigine, impetigine, puſtulis curandis excellit.

Potus admodum ſalutaris, in gratiam ægrotantium, ut ſequitur, paratur:

℞. Nimirum menſura una cum dimidia lactis caprini, cui in aqua bulliente ℥j. hujus Eſſentiæ in aqua cichorei diſſoluta, ad ſeparationem caſeoſæ ſubſtantiæ infunditur, eaque demum colata, & albumine ovi depurata, particula ſacchari temperati, & corticibus citri temperatur: Varie autem cum variis, pro ſolertis Medici judicio medicamentis, miſceri poteſt. Doſis à ℨß. ad ℨj. aut ℨiß.

CAP. IX.

De Eſſentia fructus rubi Idæi.

Levi opera, hujus ſuccus probe clarificatus, ut rubinum colore referat, ad ſæpius repetitam conſiſtentiam coagulatur, eodem modo, quo fragorum, mororum, granorum Sambuci, ebuli, & aliorum fructuum ſucculentorum inſpiſſatio peragitur. Colore, odore, & ſapore commendabilis eſt, in morbis calidis Julapiis mixta.

CAP. X.

De Eſſentia granorum Alkekengi.

Coquantur grana Halicacabi, in ſ.q. aquæ, eorumq; decoctum expreſſum, clarificatum, eodem modo, quo Dactylorum jujubum, ſebeſten, & paſſularum minorum inſpiſſetur.

Specifica eſt in calculo pellendo. Exhibetur à ℨß, ad ℨij. in juſculo carnis, aut alio decocto conveniente.

CAP. XI.

De Eſſentia Myrobalanorum.

Myrobalanorum fructus, quorum quinque ſunt genera; colore, & magnitudine differentia, prunis propemodum ſimilia, ſuis quoque nominibus diſtincta, nobis India ſuppeditat. Ad purgandum ſanguinem, & corporis habitum vitioſo humore refertum, magnopere valent; diverſi diverſos tamen humores ciendo: Nimirum aliqui phlegma, alii flavam, vel atram, pituitam ſalſam, aut mixtos humores: denique partes nobiles, cum earundem facultatibus conſervant. Hinc etiam antiquitus, à Medicis in pretio habiti fuere, & ad præcipuas confectiones, ac pilularum maſſas contra fixas morborum radices, ac ſanguinis corruptionem inventas, præ aliis fere, requiſiti ſunt. Plurimi Medici ea in ſententia verſantur, hos antequam ad nos perveniant, indurati, & exſiccati, purgandi facultate, ſi non ex toto, majore ſaltem ex parte exutos eſſe; ac vim adſtringendi potius, quam laxandi in iis dominari; ut ejus ſapor acerbus, & ſtipticus teſtatur, præſertim citrinorum; quibus vix aliud genus hujuſce qualitatis reſpectu præferendum. Hinc raro illis ſolis, ſed aliis mixtis catharſis inſtituitur. Utut ſe res habeat;

iique purgandi vi parum valeant; experientia certe constat, hosce materiam peccantem alterandi virtute pollere, & purgantia ad certos humores dirigere, ac moderari posse. Sequitur processus talis: Myrobalanis confractis & grosso modo pulverisatis, demptis, ac rejectis nucleis, in cucurbita, aqua fontana, vel quævis alia ex destillatis conveniens q. s. ad extrahendam eorum substantiam affundatur, & leni B. calore alembico cœco imposito f. dies digerantur: Succus expressus, colatus, clarificatus, in concha vitrea, ad consistentiam lente inspissetur, cavendo interim eum ferrea spatula tangere. Hujus Essentiæ virtutes, cui placuerit, ex ipsius fructu, apud diversos authores descripto, colligere licet.

Usus: Potest essentia hæc, quibuslibet compositis; utpote Electuariis, Pilulis, Morsellis misceri. Unum hoc notandum; præstare hanc, cum præter stipticam facultatem, insigni acrimonia excellat, semper emollientibus mixtam exhibere. Turpiter vero hallucinantur ii qui has Essentias, correctionis gratia, sero lactis extrahunt, ob crassam, lentam, & caseosam substantiam, illi conjunctam, quæ temporis progressu olidas ac rancidas reddit; unde illis plus detrimenti, quam commodi accedit. Nec illi errore eximuntur, qui succum pomorum dulcium, in hunc usum exigunt; siquidem eo modo compositum fit; & pars, quæ de succo pomorum inspissatur illam de Myrobalanis, longe excedit. Consultum ergo potius, illam simplici forma elaboratam, sub ipsum usum additione aliarum rerum corrigere. Dosis ejus à ℈j ad ʒß.

CAP. XII.

De Essentia Pomorum dulcium.

Etiam hic fructus, in foro medico, ob virtutes suas, locum obtinet, quandoquidem ad affectus melancholicos celebris est; quorum causa etiam, Sirupus ille Regis Sabor inventus est: cui ob lenientem, & suavem temperamenti qualitatem Essentiam hanc præferendam judico.

℞. Succi pomorum dulcium, redolentium, loco aprico natorum, & aut residentia, aut colatura, seu per aliquot horas, Balneo Mariæ bulliente depurati; cujus beneficio, crassum à claro, & subtili sequestratur, ut facile filtratione separari possit: Qui porro ad modum aliarum Essentiarum, lento igne inspissatur. Hæc Essentia colore pellucido, subfusco, & sapore admodum grato adblanditur & qualitas flatulenta, quæ omnibus fructibus horariis inest, hoc modo consumitur.

Ad cujus exempli imitationem, ex omnibus fructibus succulentis, Essentiæ extrahuntur; exceptis illis succis acidis Berberum, Malorum Citri, Limonum, Granatorum, quos quantumvis moderato calore coagulare quis tentet, aut coloris jacturam, aut saporis grati, in amarum, mutationem faciat, necessum est: Quocirca ad sirupos, aut gelatinas conficiendas aptiores sunt.

CAP. XIII.

De Essentia Scorzoneræ.

Radix hæc ob nobiles suas qualitates magnifit: subamara, & adstringens

gens masticando percipitur: calidis æque, ac frigidis morbis commoda: Cordis imbecillitati, contra venena, & pestiferos insultus opitulatur: Obstructiones partium principum evincit, simul putredinem humorum coërcendo, ac superfluam ex massa sanguinis impuritatem, partim per urinæ ductus, partim per sudorem, aut insensilem transpirationem evcauando, Sequitur nunc Essentiæ præparatio.

℞. Radicis Scorzoneræ, nec nimis siccæ, nec nimis recentis, & crudæ, in taleolos concisæ ℔j. quæ, aquæ fontanæ ℔vj. affusis in Balneo Mariæ fervente 8. horis maceratur: Exin ejus decoctum, expressum, ovorum albumine clarificatum, per pannum colatum, (quod ad nauseam fere, in aliarum præparatione, sæpe inculcatum est,) tandem coagulatur. Ipsum colatum in vitro, aureum colorem repræsentat.

Dosis ejus à ℈j. ad ʒj. per se, vel aquis destillatis, liquori, aut mixturæ alicui juncta. Cæterum ad mensuram unam potus ordinarii ægrotantium, ʒj. sufficit. Magnis viribus prædita est ad venenatam, & contagiosam luem, febres tertianas, & quartanas ex humorum putrefactione resultantes, cachexiam, hydropem, morbum gallicum, aliosq; affectus corrigendos. Ad præscriptam normam, Essentiæ radicis Tormentillæ, Ononidis, Cichorei, Petroselini, Sarzaparillæ, Chinæ parandæ veniunt.

CAP. XIV.

De Essentia Glycyrrhizæ.

HÆc radix familiare, & cum hominis temperamento maxime conveniens medicamentum est: præter insignem dulcedinem, humectandi, mollificandi, & blande abstergendi facultate, raucedinem, asperitatem, & erosionem faucium, pulmonum, pectoris, stomachi, intestinorum, renum, ureterum, sphyncteris vesicæ, membri virilis, omniumque cavitatum corporis humani, ab acrium, & salsorum humorum decubitu (modo eatenus penetrare possit,) vindicare, belléq; demulcere assolet: Variis inde symptomatibus exortis, tussi nempe, suspiriis, asthmati urinæ suppressioni à calculo, gonorrhϾ, & renum impuritati oppido auxiliatur: Hinc varia, solida, & liquida forma, per se, aut aliis mixta, in usum venit: Cum vero aliquibus suspecta sit, quod ventriculi vim retentricem exsolvat; Medici prudentis & circumspecti est, usum, & dosin moderari, adhibita consideratione temporis, & habitus patientis. Sequitur Essentia.

Radicis Glycyrrhizæ recentis rasæ & in taleolas minutas concisæ ℔j, affusa mensura una & semis aquæ fontanæ mediocri B. calore, per 24. horas maceretur. Si nobilius medicamentum quis expetit, infusum hoc, sine expressione decantatum, alteri ℔. recentis Glycyrrhizæ, in omnibus ut prius procedendo affundat, & ut sæpius hactenus docui, ad talem massam redigat ut pilulæ propemodum ex ea formari possint. Nota, hoc infusum clarificatione, per ovorum albumina, non indigere. Omnibus in universum affectibus, quibus alias succus Glycyrrhizæ competit, hæc Essentia tutior est, & commodior.

CAP. XV.

De duplici Essentia ex ligno Quajaco parabili.

OB utilitatem quidem in usu medico, hoc lignum, sanctum vocari meruit; nihilominus sine ratione, & methodo usurpatum, propter exsuperantem, siccam, calidam & acrem qualitatem, damnum afferre potest. Et ut exterior ligni facies, alba, lævis, & arida, interior vero subnigricans, gravis, pinguis, & crassa conspicitur, ita duplices reapse differentes substantiæ, prima aqua, altera instar resinæ, oleo solubilis, sequenti modo extrahuntur:

Rasuræ ligni totius ℔iij. in vesica stanno obducta, aquæ fontanæ sex mensuræ affundantur, & alembico cum refrigeratorio apposito, destillatio per 24. horas continuetur; aqua quæ promanavit sæpe iterum per canalem vesicæ infusa, aut rasura hæc, si laboris non pigeat, in cucurbita forti B. fervore per 3. dies macerari potest: Hinc infusum albumine ovi clarificatum, in Essentiam condensetur. Est ejusdem cum decocto communi usus, in potu ordinario, brodio carnis, vino, seu cerevisia dissoluta, & exhibita; quam cum aliis Essentiis refrigerantibus, pro varia humorum, & corporis constitutione, ac diverso Medici scopo, miscere, & temperare convenit. Dosis pro ciendo sudore, à ʒß. ad ʒiß. eadem vero proportio, ad duas mensuras potus ordinarii convenit.

Alterius parandi modus hic est, quem in extractione florum hyperici videre est. Scilicet hujus ligni parti interiori, nigricanti, & subpingui, s.q. spiritus vini affunditur, in B. macerando, donec saturato colore tinctus, porro à parte resinosa, quæ Essentia ipsamet est, separari possit. Vehementi acrimonia, linguam ferit. Ejus usum internum nondum tentavi; nullus tamen dubito, quin is tutus sit; dummodo in forma boli, convenienti vehiculo jungatur, externe vero in emplastris & unguentis, ad ulcera venerea, tophos, & gummosos tumores quippe quos valide abstergere, siccare, & resolvere potis est, mihi admodum familiaris existit. Idem operandi modus, ex omnibus lignis Essentias extrahendi, una hac distinctione facta, quibus aqua simplex, & quibus spiritus vini conveniat, observandus est.

CAP. XVI.

De fecula Aronis extrahenda.

EX aliquot radicibus, farinacea quædam substantia separatur, quæ quod sponte more fecum, in aliis liquoribus, ad fundum secedat, hac appellatione venit; nihilominus tanquam extractum quoddam, suum in Medicina locum obtinet. Hic primo loco processum de fecula Aronis, ut sequitur, trado.

Tempore vernali, mense Martio aut Aprili, majoris, seu minoris Aronis radices, exteriore cortice liberatæ, in mortario lapideo conquassentur; dein affusa quantitate aquæ, ut pulmentum crassitie æquet, & sacculo inditæ prælo exprimantur in ollam vitreatam: Remanentiæ, ut prius iterum cum aqua contundantur: Expressum (opus hoc toties repetatur, quoad amygdali-

num lac, colore referat,) in aliam ollam probe rectam reponatur:farinacea substantia, intra biduum, in fundo collecta, aqua per inclinationem separata, vitro inducitur ad modum margaritarum, aut corallorum præparatorum, & loco congruo anemio exsiccari permittatur. Ita feculæ paratæ sunt, quæ ex prima, & secunda expressione, candidæ instar nivis, subsequentes vero, grisei coloris, fere conspiciuntur. Sic ex radice Serpentariæ, feculæ colliguntur. Ari qualitas calida, sicca, & acerrima est; quamvis primo linguæ contactu dulcedinem præferat, tandem exurentem vim, qualem vix piper Hispanicum obtinet, exserere solet; imo manibus tractatum, non minus, quam Tithymalus, aut Ranunculus, exulceratione vesicas inducit. Cæterum maligna, & virosa affectione caret: dicitur Teutonibus Zingiber germanicum, quod quidem calore æmulatur, acrimonia vero superat; qua debita præparatione liberatum, illustre medicamentum evadit, ad dissolvendum tenacem, & glutinosum humorem tartaro permixtum, & inde natos morbos, tussim videlicet, orthopnæam, obstructiones viscerum à crassa pituita, febres quotidianas, ut & tertianas spurias, ac prolixas, quarum fomes, ex bile crassa, cum viscido plegmate diutius subsistit, urinam movet, ureteres, nec non uterum à limosa frigida colluvie purgat, menses ducit, & in conjugalem amplexum segniores excitat, pestem, & malignitatem arcet, stomachum flatibus & pituita infarctum extergit. Qua ratione Quercetanus, Arum in Tragea quadam stomachali, & pluribus aliis compositionibus, ut videre est, in Pharmacopæa dogmaticorum restituta, summopere extollit. Summatim omnibus affectibus, ad quos alias ipsum Arum commendatur, ob qualitatem acriorem depositam, feculæ aptiores existunt, inprimis ad expectorationem lentæ, & pectus gravantis pituitæ: nec non purgantibus mixtæ, ad thoracem, ventriculum, mesenterium, & intestina, sine molestia mundificanda, ipso fere Agarico trochiscato præstant. Dosis ejus ℈j. plus minus pro re nata.

CAP. XVII.

De Extractione fecula ex Brionia.

Vix locus patet in Germania, in quo radix Brionia non se offerat, odore & sapore valda ingrata; bilem cum pituita & sero non sine molestia exturbat: feculæ ex hac hunc in modum fiunt; Radici Brioniæ, ut supra in Aronis præparatione, contritæ parum aquæ Melissæ affunditur in olla vitreata, liquore paucis post horis separato in fundo, fecula nivei coloris reperta, & exsiccata in usum asservatur.

Hac præparatione Brionia, qua odorem, qua saporem gratior evadit, servata facultate detergente, qualis radicis Aronis est, adeo ut etiam in morbis pectoris & aliarum partium, ex viscosa congerie productis, epilepsia item & suffocatione uteri per se vel cum dosi eadem quæ feculæ Aronis: Eadem methodo, ex omnibus radicibus v.g. liliorum alborum Pœoniæ, quæ farinacea substantia præditæ sunt, feculæ extrahi possunt ejusdem cum ipsismet radicibus virtutis, facilioris vero, & tutioris us⁹.

ESSEN-

ESSENTIARUM VEGETABILIUM Anatomes,

SECTIO III.

Agitur hac sectione, de ratione exsiccandi, & conservandi simplicia, quæ aliter in usum ducenda non sint; nec non de differentia recentium & arefactorum; demum de methodo Essentiarum parandarum, ex siccis, odoriferis, calidioribus, ac aromaticis simplicioribus.

CAP. I.

De modo exsiccandi, & conservandi simplicia.

NEcessaria est hæc inventio, quandoquidem per totius anni decursum viridium copia non detur, & putridorum usus abominandus sit; restat, ut in iis exsiccandis opera navetur, sine qua etiam nobilissimis aromatibus, quæ nobis peregrinæ Regiones suppeditant, carere cogeremur. Quanta vero Pharmacopæorum quorundam, qui vix nomen, & offam merētur (excipio artis peritos & industrios quos hæc nullo modo tangunt:) supina in hoc negligentia sit, nemini non constare arbitror; quorundam dico, qui herbas collectas, in tabulato aliquo, superioris contignationis, catis & muribus permingendas, araneis item, & muscis, ac omnibus sordibus pulverulentis conspurcandas exponunt; nihil minus curantes, utrum Sole, vel umbra, udo vel sicco aëre afficiantur, unde nativæ qualitatis magnam mutationem, ne dicam, corruptionem patiuntur: Has porro in saccos, vel scatulas rimarum plenas, per quas aër humidior subeat, recondunt, aut fasciculorum forma, in conclavi aliquo, situ & fætore pleno, suspendunt; unde effectu exoptato & Medici, & ægroti defraudantur.

Quandoquidem igitur, ad exsiccandi commoditatem hanc, Solis efficacia aut aëris puritas, septentrionalibus hisce plagis non ubique sufficiens; nihil commodius erit quam in hypocausto calido, in quo circumcirca, 6. circiter pedes, distantia sustentacula, parietibus affixa, quibus tabulata innitantur, per medium, aut linteamine crudo, aut viminibus, cribri forma intertexta sint, ac super iis, eodem caloris gradu, singulis decem horis, herbas vertendo exsiccare. Quo modo rite exsiccatæ, ut etiam intra digitos conteri possint, in ampullis vitreis aut urceolis transsylvanicis, mundis, & siccis, corio, & subere probe obturatis, reponuntur. Hac industria Rosas incarnatas, & rubras, quæ facile alioquin primam faciem mutant, per plures menses, odore, & colore integerrimas; flores item Malvæ, colore cum violis certantes conservavi. Ita nimirum omnes herbæ, cortices, radices, ex his crassiores in taleolas concisæ, viribus diu valentes, & ab aëre qui iis maxime infestus, situm, ac fere putredinem adfert, immunes redduntur. Observandum quin etiam, quandocunque farragine herbarum, exhalationibus stuffa nimis repleatur, iis per apertum ostium, aut fenestram patentem exitum deberi, nec calorem vehementiorem convenire, quo simplicia, præsertim pinguiora proprio humido quasi effervescentia, nativa qualitate, & tinctura spolientur; nec sine damno remitti

mitti, siquidem vapor, ex illius remissione, condensatus, denuo herbis incumbens, & aliena qualitate eas imbuens harum colorem corrumpit. Si cui herbarum siccatarum copia nullo usui sit, aut is hypocausto tali careat, ergastulum aliquod ex ligno constructum, suppositis in fornace carbonibus sulphureo fœtore liberatis, ad hunc usum accommodato dare poterit.

CAP. II.

Quid herbarum viribus exsiccatio detrahat, vel addat.

QUandoquidem per hanc, simplicia cuncta siccius, & calidius cum adstrictione quadam, temperamentum sortiantur; dubium an non sic quoque propriarum virium jacturam patiantur: Quod hac ratione tollitur: Nempe hæc persistentibus partibus essentialibus integris, quas in prima elementorum mixtione, ex naturæ decreto, ut in primo capite, primæ sectionis docui, consecuta sunt, nullam facultatum labefactationem pati posse; has vero omnes in rite exsiccatis, nec ætate, aut proprii humoris putredine confectis periisse, nullis argumentis quisquam probare potest; id enim humidum; quod exsiccando consumptum est, substantiale, & proprium non fuit sed superfluum, & excrementitium, utpote alimenti ex terra hausti, residuum quid, plenum adhuc flatulenta cruditate: prius vero, & nativum, cum cæteris substantiis elementaribus genuinis, & illæsis, in exsiccatis, superesse ipsius Vulcani operatione convincimus; ac consequenter eorundem vires incorruptas coexistere. Quemadmodum enim frumentum moderate siccatum, facultatem nutriendi nihilo secius servat, ita virtutes, calidorum, siccorum, maxime odoriferorum simplicium, superflua, qua obtundebantur, humiditate, tanquam compedibus liberatæ, conspicuæ magis, & evidentiores fiunt, paucis quibusdam, iisque non magni momenti exceptis, ob vim laxantem, actualem humiditatem, & refrigerandi virtutem expetitis. Cæterum, quamvis simplicia sicca fere ad compositiones requirantur, recentibus tamen in Essentiarum confectione potior locus, & pretium existit.

CAP. III.

Quid in extractione Essentiarum, ex calfacientibus, tenuis, & odoræ substantiæ vegetabilibus observandum.

SImplicia odorifera, utplurimum calida, & penetrantia, partibus aëriis, spirituosis, & sulphureis referta sunt; quæ à terrestri concretione, actione ignis per evaporationem facile separantur: adeo ut in horum extractione, decoctione, infusione, quin subtilioris, & spirituosæ partis quidpiam, in auras evolet, ac si harmonia partium substantialium immutetur, difficulter impediri possit, cujus dissolutioni sicca, quam viridia, magis obnoxia sunt. Quandoquidem in illis partes spirituosæ, & crassitie humoris liberæ magis attenuatæ, & penetrantiores existant, sequitur eas, actione ignis accedente, celeriꝰ moveri, & vola-

tilitate sua auras petere, quam in viridibus, quæ humido cuidam crasso, adhuc immersæ & alligatæ hærent; ut spiritus vini in musto, antequam fermentationis beneficio, à crasso vinculo solutus, naturæ propriæ reddatur, vix manifestus est.

Nec tamen idcirco volo Essentias ex dictis simplicibus, maxime siccatis, rejiciendas, aut potius talia in substantia tota exhibendas esse, quamvis enim ea in præparatione, aliquid de substantia spirituosa amittant, tanta tamen iisdem superest, ut ad nobiles operationes edendas, satis efficaces adhuc existant, ut quotidiana testatur experientia. Suadeo tamen, ubi recentes in promptu sint, ex iis potius quam exsiccatis, Essentias parare, & quæ aromatica non nisi sicca, ad manus nostras veniunt, ea summo studio tractare, quo tenuis, & oleosa pars, ipsis Essentiis conjuncta maneat, eæque viribus vegetiores persistant.

Nota: In comparatione Essentiarum eas in nobiliore qualitate quam quantitate obtinendi studio duci magis convenit; ideoque rebus, menstruum minima, quæ sufficere possit copia, nec iterato affundi, ne vires simplicium, in majorem, quam par est liquoris molem, quæ etiam longius, ad evaporandum in igne, temporis spatium requirat, nimis diffundantur. Diuturniore enim, super igne, evaporatione, notabilem virium jacturam faciunt, quandoque etiam fit ut largiore menstruo, ejusque repetita affusione, partes inidoneæ, terrestres, insipidæ tandem eliciantur, quæ extracto commixtæ deterius id reddunt.

Observandum quoque, longa, aliquibus Chymicis usitata, digestione, Essentiarum virtutes imbecilliores reddi, quod pluribus, tractatu de oleis destillatis demonstrabo.

Ultimò præstat, infusum in plures conchas distribuere, quo citius exhalatione ad consistentiam perveniat, quod alias unitum, majus tempus, cum extracti detrimento postulat.

CAP. IV.

De Essentia oculorum Absynthii.

Absynthii herbæ nulli ignotæ Essentia hoc modo absolvitur. ℞ oculorum Absynthii siccorum, mox in flores flavescentes erumpentium, & minutim incisorum ℔ß. quæ post affusionem aquæ Absynthii ℔iiij. in diplomate 12. horis digeratur. Infusum, expressum, colatum, & in aliquot conchas divisum, super vapore aquæ calentis, ad olei spissitudinem, ac tandem in unam concham iterum conjunctum ad pilularum consistentiam coaguletur, ex ℔ß. oculorum, ℥iß. Essentiæ obtinetur. Restat quidem in remanentiis amara qualitas Absynthii, quæ illas copiosis viribus proditas esse arguit: Ego vero prima, utpote nobiliore extractione, contentus, illam cui placet relinquo. Est etiam Essentia formæ liquidæ, spiritu vini extracta, ad vinum Absynthi ex tempore parandum in usu; quam si quis solidiorem, spiritus vini abstractione redde tentabit, prodibit is amarissimus, potissimas in se Absynthii virtutes continens, relicta massa invalida, secus ac fieri solet, aquæ affusione, quæ iterum vapore Balnei, vix sensibilis amari-

maritudinis particeps separatur, mediante qua omnia simplicia, resinosæ substantiæ expertia, extrahuntur.

Cæterum odorata calida, ut & Majorana, Melissa, Basilicum, Thymus, Rosmarinum, Salvia, Dictamnus Creticus, Origanum Creticum, Mentha moschatina, Schænanthum, Scordium, Folium Indicum, & similia, in Essentiam, eundem ad modum, elaboranda sunt, etsi consistentiam, neque æqualem, neque tam solidam, ut Absynthium consequi possunt.

Easdem quas Absynthium vires, hujus Essentia continet; præcipue in pilulis, emplastris, unguentis, roborando stomacho dicatis; contra pestem, & lumbricos plurimum valet: Quoad cætera viribus cum Aloe, propemodum convenit; in purganda bile, & pituita abstergenda, somno alliciendo quoque expediens, quamvis calida, & sicca, contra antiquorum erroneam opinionem, qui hujus potentiæ medicamenta sine discrimine frigida esse docuerunt.

CAP. V.

De Essentia Rosarum rubrarum.

Essentia hæc à Chymicis vulgo tinctura Rosarum vocatur, sed propria consto sententia, & hujuscemodi extracta, cujuscunque coloris sint, Essentias voco, nam si in his coloris ratio habenda esset, omnes Essentiæ tincturæ nomine venirent, cum plerumque aut saturatam rubedinem, aut prassinum, fuscum ex viridi flavescentem, nigricantem, aut quemvis alium colorem repræsentent. Quidam ad hanc extractionem aqua spiritu vitrioli acuata utuntur, ita eam melius perfici credentes, quod nullius est momenti; siquidem hac color tantummodo exaltatur, extractione nihilo meliore sequente, quod experiri facilis labor, communi sc. infuso, vel decocto rosarum rubrarum, aliquot guttulæ spiritus vitrioli, sulphuris, salis nitri, instillatæ similem colorem conciliabunt; quomodo ipsa conserva carmesino colore tingitur: Quod nec mulierculis ignotum est, floribus enim caryophyllorum, & rosarum arefactis, similibus salinis spiritibus colorem revocant, quin etiam charta cærulea & flores hujus coloris, eum horum aspersione, cum rubro permutare solent; nec etiam de Gallarum Essentia est, nigredo illa, quæ vitrioli additione, in ejus extractione, per aquam simplicem instituta exoritur, quales accidentales rerum mutationes admixtione aliorum, in chymicis operibus, non infrequentes occurrunt, ut in tractatu meo de septem Planetis terrestribus planum faciam. Quem tamen errorem, quo sæpissime turpiter labuntur, rudiores Spagyri sibi remonstrari ægre ferunt. Posito vero, non concesso; horum spirituum additione extractionem promoveri, restat tamen dubium, utrum hi spiritus, qui inseparabiliter cum Essentiis cohærent, earundem naturæ conveniant; sic nec Essentia Rosarum aut quævis alia vitriolata simplex nominari potest. Interest enim, has in simplicissima sua, quantum quidem per artem licet, substantia obtinere; cui vero alterius intentionis ergo, spiritum vitrioli jungere visum est, sub ipsum exhibendi tempus, commodius id facere licet. Ejus autem parandæ modus mihi usitatus talis

 est:

est: Rosarum rubrarum, resectis unguibus, seu parte flavescente, minutim concisarum ℥ij. affundatur aqua Rosarum, aut hujus defectu aqua fontana destillata, & in Balneo Mariæ, 6. horis maceratæ exprimantur, quibus rejectis, in hoc ipso liquore expresso, recentes bis vel ter denuo infundantur; colatum porro albumine ovorum clarificatum coagulatur. Hæc Essentia colore rubens, omnibus affectibus, ad quos ipsæ rosæ conveniunt, pet idonea est. Sic ex Salviæ, Rorismarini, Cheiri, Jasmini, & caryophyllorum floribus Essentiæ extrahuntur. Dosis à ℈j. ad ʒj. cum vehiculo congruo.

CAP. VI.

De Essentia Croci.

CRocus, ubique gentium, ad rem cibariam adhiberi solitus, nihilominus in classe nobilium simplicium, quæ vitali robori addere possunt, numeratur, adeo, ut haud immerito, aurum vegetabile vocetur. Essentia ejus extrahitur aqua Rosarum, aut Naphthæ, & ne muccagine, quæ infusioni tali commixta manet, eam temporis progressu rancidam reddat, ovi albumine clarificatur, & ad mellis consistentiam inspissatur. Hanc pellucida rubedine, blandientem, Essentiæ cum spiritu vini paratæ, præferendam judico: quæ intus, & extus adhibita, ipsius integri croci vice fungitur, & à gr. j. ad vj. in congruis liquoribus propinatur.

CAP. VII.

De Extractione Essentiæ, ex Caryophyllis, ac aliis aromatibus.

QUamvis Essentiæ aromatum, quam reliquorum simplicium rariores sint, quod in pulverem comminuta, & in compositis, & per se adhibita satis efficacia sint; ordinis tamen ratio has præterire non permittit. Caryophyllorum ℥ij. affusis aquæ destillatæ ℥xij. & spiritus vini ℥iiß. Balnei Mariæ colore, in cucurbita probe conclusæ, 24. horis macerantur: Infusum porro colatum expressum per residentiam depuratur, ac liquor ad tertias Balnei Mariæ abstrahitur, qui ad aliorum Caryophyllorum extractionem, ut alia quædam, siquidem sapor efficaciam superesse arguit, asservatur, & id quod restat, in concha ad consistentiam redigitur. Sic ex Cinamomo, Galanga, Zingibere, Pipere longo, & rotundo, Cardamomo, Calamo odorato, Granis Paradisi, Spica indica, Zedoaria, & cæteris aromatibus extractiones institui possunt. Causa, cur spiritus vini aquæ jungatur, hæc est, quod præter bonam partem Essentiæ in aqua solubilis, alia resinosa superfit, quæ non nisi spiritu vini (cujus quantitas pro copia ejuscemodi substantiæ augeri, vel minui debet) commode educi potest. Ad morsellos, tabulata, pillularum massas, minore quam pulveres quantitate apposite adhibentur, nec non in epithemata, ungenta, balsama, emplastra, quæ contra cordis, stomachi & uteri imbecillitatem externe imponuntur, utiliter recipiuntur.

CAP. VIII.

De Essentia corticis Citri.

FLavedo corticis Citri pulverisata, affusa aqua fontana 24. horas Balneo Mariæ bulliente maceratur, infusum colatum, & albumine ovi clarificatum inspissatur more solito, quemadmodum è corticibus Limonum, & Aurantiarum, extractiones fieri solent. Dosis à ℈ß. ad ℈j.

CAP. IX.

De Essentia radicis Angelicæ.

DOtata est hæc radix, substantia aromatica, & resinosa, quapropter ejus Essentia ad normam paulo ante Capite septimo traditam paranda; aliarum similis qualitatis, ac fere veneno repugnantium radicum modo; ut sunt, radix Imperatoriæ, Valerianæ, Carlinæ, Petasitidis, Aristolochiæ, Gentianæ; quarum Essentiæ haud difficili opera extrahuntur.

CAP. X.

De Essentia resinosa ligni Aloes.

NObile hoc lignum, inter cordialia primatum obtinet, & dolendum ejus non nisi parva segmenta, ad nos deferri. Reperiuntur imperiti Pharmacopolæ, qui speciem quandam ligni ponderosi, & nigricantis, in longa & lævia frusta dissecti, sine aromatico odore & sapore, ingrato fumo, mox igne in cinerem fatiscentis, pro vero Xyloaloe (posthabitis parvis, de genuino segmentis, quæ Essentiæ parandæ admodum conveniunt:) pharmacis miscunt; quod Materialistis sic vocatis quidem in lucrum; Pharmacopœis autem in dedecus, ægrisque in damnum redundat. Essentiæ parandæ processus talis est: Pulveris ligni Aloes optimi (NB. dum in pulverem conteritur, aqua rosarum, ne dissipetur subinde aspergitur) colore scilicet ex atro fusci, sapore amari, ponderosi, in igne pinguedinem picis instar exsudantis, & difficulter in cinerem convertibilis, odoremque gratum, & aromaticum exspirantis, ℔j. in cucurbita satis magna, & alembico cœco munita, Spiritus Vini optime rectificati ℔vj. affunduntur, ac moderato calore, sine ebullitione, ne vitrum in frusta dissiliat, aliquoties interim agitando, per dies 3. macerentur, liquor refrigeratus alia cucurbita exceptus, rejectis fecibus, & addita aquæ rosarum ℔j. per Balneum Mariæ, igne lentissimo destillatur, donec spiritus phlogistici omnes exiverint, qui ad usum corroborantem, vel aliorum extractionem servari possunt: Restibili vero in concha vitrea reposito, cum reliquo cucurbitæ adhærescente, spatula lignea abacto resina ad fundum separatur, quæ aqua Rosarum, ut odore Spiritus Vini liberetur, aliquoties elota, lenissimo igne, ad debitam consistentiam cogitur, ex qua trochisci formari possint, in vase firmo optime clauso servandi. Pulvis ligni ab extractione relictus, etiam carbonibus impositus, vi odorifera exutus deprehenditur, quantulacunque vero superest, Spiritu vini abstracto, facile extrahitur. Simili modo Essentiæ resinosæ ex ligno cupressi, & santalo albo extrahuntur.

Hæc resinosa Essentia colore Ambræ nigræ, vel Ladano similis est, sapore amari

usculo, grato tamen, cum adstrictione quadam, cujus granum unicum, carbonibus injectum, suavem, & subacidum odorem spargit, quo cerebrum, & spiritus vitales mire recreantur, delicatis personis, qui fumum aliarum rerum aversantur, aptissima; nec non ad pastillos ex Ambra, & Moscho pro Magnatum suffumigiis, maxime conveniens, interne sumpta, cerebrum, cor, ventriculum, & uterũ corroborat, sensus omnes, & fluxione labefactatos articulos restaurat; contagio pestilenti resistit; ac hæc omnia majori efficacia, quam ipsum lignum præstat; quam Medici in publicum civium commodum in magnis urbibus tale pretium ferre valentibus, merito parandam officinis injungere deberent: hæc etiam, ad compositiones illas trochiscos scil. de Gallia moschata, & confectionem Alkermes ipso ligno multo aptior existit. Dosis ejus ℈.6. usque ad 19. grana, in pollinem redacta, cum vehiculo appropriato exhibenda, vel ex drachma hujus cum ℥ij. sacchari in aqua Melissæ soluta, cum 6. vel 7. guttis olei ejusdem plantæ morsuli conficiuntur. Omnes virtutes ejus, & usum describere, prolixior, quam convenit, labor futurus esset. Quo circa Medico gnaro, & erudito, hæc sufficere arbitror.

CAP. XI.

Succincta instructio, quomodo vires, in Essentiis rerum aromaticarum, augere, & conservare conveniat.

QUoquo studio Essentiæ, ex simplicibus, quæ subtili & volatili oleo abundant, præparentur, fieri nequit, quin partium subtiliorum jactura aliqua fiat, hanc resarciendi modus hic mihi præ cæteris placet. ℞. Essentia quævis, v.g. ex corticib⁹ citri, cinamomo, caryophyllis, Roremarino, Majorana, Sassafras ad supra præscriptum modum parata; cui duodecima pars sacchari candi pulverisati, cum aliquot guttis olei ex eodem simplici destillati permixta, saccharum aliquantum humescat, additur. Aliorum vero, resinosorum simplicium, quæ destillatione nullum oleum fundunt, hac correctione non indigent. Omnes vero vitris curiose conclusæ frigido conclavi asservandæ sunt; calor enim spirituosas illarum partes evocando vires nativas plurimum extenuat.

ESSENTIARUM VEGETABILIUM Anatomes,

SECTIO IV.

De modo Essentias extrahendi ex mediocriter purgantibus simplicibus.

Purgantia vulgo in tres classes dispescuntur, quarum prima est benigniorum, ut Cassia, Manna, Rosa, Violæ, Pruna. Secunda, mediocrium, qualia Aloe, Rhabarbarum, Sena, &c. Tertia vehementiorum, ut sunt Scammonium, Colocynthis, Elleborus, ac similia. Prima hujus loci non sunt: Duo sequentia autem huc pertinent, de quibus ordine tractare, nunc propositum est.

CAP. I.

De Essentia Aloes, seu Balsamo Aloetico.

ALoe est cujusdam plantę, seu Sempervivi marini, in Asia, Arabia, & Indorũ regio-

regione, luxuriantis, succus expressus: Nunc etiam passim in Europa, industria sagacium Botanicorum colitur. Succus hic condensatus, Essentiæ rationem obtinet, quandoquidem totius simplicis, præcipuas balsamicas partes includit; quo Medici ante aliquot centenos annos usi, & in hodiernum usque diem, moderni, cum fructu utuntur. Cæterum hic purus existens, nulla alia præparatione indiget: Ob fraudem vero, & mangoniam à Turcis, Mauritanis, & Judæis, qui ejusmodi succos præparant, & distrahunt, committi solitam, hæc depuratio necessaria censetur.

Tres vulgo species Aloes cognitæ sunt: Prima & omnium præstantissima, navali commercio vigente, ex Insula Soccotora, unde nomen trahit, ad nos in Europam defertur, sicca, & friabilis est, adeo lucida, ut ejus particula solaribus radiis opposita, hyacinthum orientalem, & in pulverem contrita ipsum rhabarbarum repræsentet. Ab hac secunda hepatis modo coacta, & colore æmula, nec non insigni amarore prædita, hepatica dicta, pura est, & satis laudabilis. Postrema nigricans, & ponderosa, sordibus referta, veterinariis usu recepta, & inde caballina vocata, ad medicamentorum compositiones, quod fortasse fraudulenti aliqui Seplasiarii, lucri gratia faciunt, minime admittenda.

Complures Medici, hanc Soccotrinæ coloris gratiam, adulteratione inductam existimant. Secus sentio, acistic locorum copiosius nascentis, depurationi, & commodæ exsiccationi, quam aliqui ex Europa ibidem commerciorum causa versantes, addiscere potuerunt, potius acceptam refero: Adde, quod tanto temporis decursu ejus effectus hactenus à tot Medicis, a Pharmacopolis, toties comperti, hanc Aloe hepatica, præstare clare demonstret.

Ejus adulteratio, quæ ab exsecrandis nebulonibus per gummi Arabicum committitur, 5. notis manifesta fit: prime dilutiore colore; 2. defectu amaritudinis solitæ; 3. molliore consistentia nec adeo friabili; 4. prona solutione in loco humido; 5. viscositate in aqua solutæ Aloes, instar glutinis, digito adhærentis, notabili. Deprehenditur quoque aliquando, pro auctione ponderis, lapis inferiori nodo vesicæ aut sacculi coriacei inclusus: Qui dolus eo quo ipsa substantia corrumpitur, tolerabilior est. Frustra autem, si pura est, ejus extractioni labor impenditur. Ad ejus qualitatem porro siccam, calidam, & amaram corrigendam, sequens modus singularis est: ℔. uni Aloes in pulverem redactæ, infusi violarum ad præscriptum Essentiæ violarum in secunda sectione parati, ℔iij. affunduntur, iisque Aloe lenissimo igne solvitur panno percolanda, ut à lapillis, frustis coriaceis, & aliis sordibus repurgata, calore Balnei Vaporis, quem manus contactus facile ferat, ad consistentiam tandem evaporet: quæ Aloe violata, magno apud Medicos in pretio habetur. Extractio autem hoc modo fit:

Aloe Soccotrina, affusa s. q. aquæ rosarum albarum, Balneo Mariæ calido, sine ebullitione, per integrum diem macerando, & sæpius agitando solvitur; die subsequenti, loco modice calente, ut feces

ces ad fundum secedant, reponitur: Hic liquor clarus decantatus, leni igne coagulatur: Ita Aloës ballamus confectus est, qui per se, & aliarum pilularum massæ mixtus, utiliter exhibetur. Hujus, ut & Aloës violatæ dosis, à ℈j. ad ʒß. pro ratione subjecti, & accidentium, pulvere glycyrrhizæ conspersæ, aut ℥j. sirupi violarum mixtæ offertur. Cum Aloë primo ad bilis, secundario ad crassi, & tenacis phlegmatis eductionem, à medicinæ consultis, nec non ad correctionem frigidæ intemperiei, ventriculi, & reliquarum partium, tanquam præcipuum præservativum specificum, ægritudinum, à frigida humorum colluvie ortarum, uno consensu celebretur. Iisdem intentionibus, Aloen violatam, ac ejus balsamum absolvendis, magis convenire ratio suadet.

Nota tamen, etiam hoc modo hæc Aloetica aliquantum correcta, calidiore tamen, & sicca temperie præditis, maxime ventriculo, pulmone, hepate, splene, utero, simili affectione, sine materia labefactis, ac instante hæmorrhagiæ cujuslibet periculo, cum accurata præmeditatione, & non nisi caute administranda esse.

CAP. II.

De Essentia Rhabarbari.

NObilium ex cholagogis medicamentorum Rhabarbarum primum est, bili, & pituitæ purgandæ dicatum, idque efficaciore, magisque securo, quam ipsummet Aloë, modo; potissimum ex ventriculo ac locis circumferentibus: Pueris, & prægnantibus tutum medicamentum, à nonnullis anima hepatis dicta; quod bilis detractione, & mediante virtute adstrictoria, id roborando, dupliciter juvet: Ad profluvium ventris etiam in Principio, ad materiam peccantem, sine majori affluxus commotione exturbandam, nulli secundum: ad febres diuturnas, ex materia mixta, ictericum, morbum virgineum, pravam viscerum constitutionem, & non tantum renes, eorumque ductus, à mucilagine liberandos, sed etiam primam materiam Tartari, quæ chylo commixta restagnat, è prima Regione, subducendam, nunquam satis laudatum est: Idcirco & calculo affectis, sæpe, ac parva quantitate sumptum, præservativi loco est. Verbo dicam, ad omnes affectus innocentius pharmacum, in rerum natura, non occurrit; si febres ardentes & fervorem hepatis absque materia excipias, cujus calorem aliquantum augere & intendere solet. Quocirca in simili casu minor dosis, cum liquoribus, plurimum refrigerare, & humectare aptis exhibetur. Modum, hanc Essentiam educendi, quem quidem ut potiorem æstimo, talis est: Rhabarbari optimi, eligi autem debet, quod in albo, rubicundis filamentis intertextum est, sine carie, nodosum, & siccum, croci tincturam continens, quale ex Persia advehitur, quod enim ex Moscovia, cortice crasso, lignoso, colore obscuro, ponderosum, humidum, & corrumpi proclive, deterioris notæ est.

Prioris ergo ℥iiij. affundantur in cucurbita vitrea, ℔iij. aquæ cichorei ferventis; postquam refrixerint tela cannabina fortiori, prius Aqua cichorei madefacta, omnia ad siccitatem exprimantur: Ex-

Expressum albumine ovorum in Balneo Mariæ clarificatum, & in plures conchas divisum, ne alioquin diuturniore exhalatione, (quod in præparatione subtilium essentiarum, perpetuò observandum,) vires perdat, leni igne inspissetur, dosis ejus à ℈j ad ʒj quæ conservæ rosarum rubrarum, violarum, Borraginis, vel Syrupis, decoctis, infusis, aquis destillatis mixta, aut in morsellos recepta sumitur; vel etiam pollinę Rhabarbari, in pilularum massam redacta, cum aliquot guttis olei Nucis moschatæ, pro correctione, & pulvere glycyrrhizæ conspersa asservatur. Hoc modo potissimum, singulis septimanis aliquoties, paulo ante prandium, in 5. pilulas divisa, nephriticorum usui accommodatur. In genere vero, prolixa ægritudine implicatis, qui Rhabarbari saporem, in potionibus aversantur, superbibendo liquorem aliquem humectantem, & refrigerantem admodum convenit. Huic acuendæ 1. vel 2. grana scammonii depurati, aut essentiæ Turpethi, quandoque adduntur.

CAP. III.

De Essentia foliorum Senæ.

SEna in ordine Melanogogorum celebris est; non solum atram, sed etiam flavam bilem cum pituita, & tartarea muccagine, ex pectore, stomacho, liene, hepate, mesenterio, & cavitate lumborum exhaurire apta est, nec non morbos, à similium humorum infarctu, obstructione & putredine, luem gallicam, alphos, serpiginem, impetiginem, continuato usu sanguinem, & ipsum corporis habitum mundificando, profligare potis est; sensus alacriores reddit, juventutem prorogat; omnibus corporis constitutionibus ratione & methodo adhibita conveniens. Unico hoc culpata, quod ejus sumptione, quibusdam tormina oboriantur; id quod aliqui per accidens fieri, & non ipsi Senæ, sed resistentiæ tenacioris phlegmatis, & ferè vitrei, aut commotione acrioris humoris, per intestina devoluti, attributum volunt. At vero similius, à flatulenta, & muccilaginosa Senæ vel infusæ, vel coctæ, parte validius expressa illa contingere. Certum enim est, eam zingibere, vel semine anisi, aut fœniculi correctam; deposita hac malitia, aut nullos, aut leves admodum hujus generis dolores excitare, quod nihil ad rem faceret, si illi ad acrimoniam humorum sequerentur. Quin ante alterationem illorum, potius damnum augerent; etenim extra cōtroversiam est, acrium humorum transitu intestina corrodi, imo ut in dysenteria fit, planè excoriari, unde dolorum immanitas ingruit. Utut se res habet, etsi vulgare, hoc tamen pretiosum catharticum, proprius valor tutatur singulis unciis Senæ Alexandrinæ, ℥viij aquæ fontanæ extrahendis sufficiunt. Sunt ex Chymicis qui magnum quid se præstare autumant, superfundendo foliis Senæ aquam Tartaro calcinato aut eo per deliquium soluto acuatam; advertentes hujus opera, colore aureo aquam subito tingi; ignari, eum potius ab externa tinctura quam ipsius rei essentia proficisci, quod tamen etiam ipsis tinctoribus lanæ sericæ minimè ignotum, qui colores, additione Tartari aut salis Alkali, momento immu-

tare solent: At posito, tem ut opinantur se habere, quodnam operæ pretium, cum etiam simplici aqua fervente vis purgandi, exiguo temporis intervallo, facilè extrahatur, sine mixtione calidæ, siccæ, & acris ex Tartaro calcinato qualitatis, quæ aliquos maxime, qui internas erosiones patiuntur, amplius oblædere possit. Omnibus affectibus ad quos ipsa Sena valet, accommodatur. Dosis fere ʒj plus minus: Magno verò emolumento, sequenti forma exhibetur, ℞. hujus essentiæ ʒj. aquæ Cichorei, Syrupi violarum, (vel hujus loco Mannæ Calabrinæ,) ana ℥jß. acidi Tartari ʒj super igne soluta, solerter misceantur, & cum mixtura de corticibus Citri, nonnihil condiantur; quæ potio à jejuno, tempore matutino 4. horas ante prandium sumenda est, in defectu hujus essentiæ in decocto ʒij vel ʒiij foliorum Senæ una & altera ebullitione intercedente, parato non tantum supra dicto sed etiam diverso respectu, aut partium affectarum, aut humorũ peccantium, aliquot simplicium appropriatorũ essentiæ, una dissolvi possunt. Acidum Tartari vero, præterquam quod Senæ optimum correctivũ sit, vim etiam purgantem, sine noxa adaugendi humores terrestres, glutinosos attenuandi, & incidendi, meatus aperiendi, sitim sedandi, fervorem bilis obtundendi & stomachum roborandi intentione, commodius quam ullum aliud simplex admiscetur.

❧(o)❧

CAP. IV.

De Essentia Agarici.

Inter mitiora phlegmagoga agaricus locum tenet, ex pectore, pulmone, stomacho, epate, splene, mesaræo, intestinis & ex ipso, (licet id aliqui negent,) capite, primo pituitam, secundariò bilem utramque in morbis longis, & diuturnis, qui per epicrasin curari postulant, probè educit, uno hoc vitio notatus est, quod ob ingratum saporem ut volunt aliqui, addo ob levitatem, nauseam ciere soleat; quod vitium zingibere, caryophyllis, spica celtica corrigere student, & cum ob mucilaginosam substantiam, internas cavitates tardissimè permeet, operationem ejus additione ammoniacæ, (ad quod etiam acidum Tartari valet,) expeditiorem reddunt. Essentia hæc ob partes amaras, & quodammodò resinosas, quas aqua sola evincere nequit, ex agarico trochiscato cum Spiritu Vini extrahitur. Dosis ejus à ℈j. ad ℈ij. cum Manna, & acido Tartari, ut in capite de Sena habes, & tantillo aquæ Cinamomi aromatizata fit potio, aut cum essentia Aloës pilularum forma fingitur. Si quis illum ob nauseam quam adfert, sumere vereatur, tertia pars dosis infuso Senæ, aut ejus essentiæ juncta, contra febres quotidianas, & tertianas nothas, nec non quartanam inveteratam, commodissimè propinatur.

❧(o)❧

CAP.

CAP. V.

De Radice Mechoaca.

RAdix Mechoacannæ concisa, si saporem, & odorem, aliasque qualitates excipias, cum Brioniæ taleolis forma admodum convenit, ex Mechoacan, Indiæ occidentalis Insula adfertur, cortice exteriore cinericeo, parte interiore candicante, (ni vetustate, aut aqua marina corrupta sit,) substantiæ farinaceæ, inodoræ; & quamvis à compluribus insipida habeatur, manifestò tamen ejus quodammodo abstergens acrimonia, qualis ferè Scammonii, impari licet gradu, inter masticandum deprehenditur. Cæterum in potionibus, sumptu facilis & innocua est, qua causa, ab aliquibus Rhabarbarum album vocatur, & quamvis plerosque ferè humores educat, tamen præ cæteris, mediocris facultatis, catharticis in evacuatione seri citrini, & acris, prærogativam tenet & hydragogis adnumeratur, etiam in substantia subtilissime pulverisata, tutæ, & modestæ operationis medicamentum fit, puerulis, pectoris, & ventriculi cavitatem pituita oppressam habentibus, ferè ℈j. offertur; contra defluxiones à capite in articulos, chiragram, gonagram, podagram, ischiasin, luem veneream, cum brodio gallinæ, aut febre absente, cum vino porrecta, magno in usu est,

Essentia hujus, eundem ad modum, quo agarici extractum paratur, personis consistentis ætatis, minori dosi, quam ʒj vix exhibenda. Cum pulveris certior operatio, ac major efficacia, mihi probe cognita sit, nihil singulare, in ea deprehendere potui, nisi quod ob facilem solutionem ad potiones commodior sit, præsertim ut voto satisfaciat acido Tartari aut diagridio acuata, quam mixturam quidam pro simplici essentia obtrudunt. Tantum de mechoaca, ordinis ratione postulante.

ESSENTIARVM VEGETABIlium Anatomes

SECTIO V.

De Catharticorum vehementium essentiis.

CAP. I.

De præparatione essentiæ gummosæ ex Euphorbio.

EUphorbium quodammodo succus concretus est, vel potius peculiaris gummi species, ex planta ferulacea, in Lybia nascente ad nos delata, ut Proto, Galenus, & Ferneliusasserunt, omnia gummata, vi caustica & malignitate quadam superans, adeo ut hominem, interiora ejus inflammando, divellendo & corrodendo, in lipothymiam conjiciat, Hujus rei exemplum habui Hagæ Comitis, in quodam Anglo Musico, qui hemiplegia sinistri lateris, & linguæ correptus, cum etiam doctorum Medicorum consilio maturè restitui nequiret, Empyrici cujusdam fidei se commisit, qui extractum Euphorbii, nescio quæ miracula pollicitus, ægroto sumendum persuasit, eique unius horæ spatio supradicta symptomata, unaq; vitæ periculum accersivit, quibus temerarius Agyrta confusus, fuga sibi consuluit, ad quem tandem vocatus cum Collega meo, in cordis inflammatione, dolore, angustia, fauciumque ac

intestinorum corrosiva exulceratione, per epithemata, gargarismata, & clysmata mitiganda diu, multumque desudavimus, perseverante nihilominus priore affectu, donec integri ferè anni decursu, convenientibus mediis, eo usque restitutus, ambulare, ac obscurè loqui cœperit. Utrum vero Empyricus ille, in dosi, vel præparatione aberraverit, mihi non constat. Cæterum huic gummi facultatem, phlegma, & aquas ex ipsis articulis magna violentia trahendi, Medicorum consensus tribuit: In specie in paralysi, lethargia, epilepsia, cephalea, & gravedine capitis, ex lue gallica contracta, febre quartana, & aliarum etiam febrium horrore prævalido in pilulas formatum, celebre medicamentum existit, & præter cæteros Josephus Quercetanus in sua Pharmacopæa Dogmaticorum restituta propria inventione præparatum, contra diversas ægritudines, mirificè commendat. Ego quidem nec unica vice istoc usus sum, nec unquam utar, (salvo aliorum judicio) quamdiu, medicamentorum benigniorum copia, eorumque effectus, seu celer, seu tardus mihi favet. Tota præparatio in eo consistit, ut adurens, acris, & volatilis qualitas corrigatur, nec non, si quæ superest, permixtione lenientium infringatur. Compluresex Chymicis, menstruum ad similium, scil. Euphorbii, Tithymali, colocynthidis, &c. extractionis, spiritu Vitrioli vel Sulphuris acuatum, non tantum fortius reddi, sed etiam ipsorum malignam, & acrem qualitatem, hoc modo, auferri posse existimant; quod nec ratione, nec experientia hactenus assequi potui: Posito (quod omnes fateri coguntur) extra controversiam, spiritus vitriolatos, seu quosvis alios liquores acidos, decoctis, vel infusis, pingui, & resinosa substantia refertis, eousque, ut acescant instillatos, ea non modò turbare, sed etiam parvo momento, dictam substantiam separare, & ad fundum præcipitare: At præcipua vis purgandi, in hac resinosa parte, comprehenditur. Qui ergo poterit tale menstruum, ei maximè adversum, ipsam elicere, cum extractio similis, per simile, in hoc negotio, necessariò expedienda. Præterea in confesso est, magnam horum simplicium partem, ob siccam, calidam, & acrem qua pollent, qualitatẽ, potius lenientium, & humectantium, quam horum spirituum mineralium, magis exsiccare potentium, additione indigere, cum nec acrimoniam minuat, nec facultati purgandi adjiciat, quod lenioribus acidum Tartari, celerioris solutionis igitur, junctum præstat, nec operationem catharticam spiritus Vitrioli, vel Sulphuris, ejusdem uterque facultatis adstringentis, & exsiccantis, in laxato partium tono, à causa humida, ac profluviis inde ortis sæpius probatæ, ullo modo adjuvare potest. Restat ergò hosce, ad talium purgantium extractionem, cujus rei ipsemet periculum feci, nullius esse momenti: Sub ipsum tamen exhibendi tempus, ad effrænam catharticorum violentiam arcendam, aliquot guttas admitto.

CAP. II.

De Essentia radicis Esulæ.

Herba hæc vulgò nota, & passim luxurians, in plures species divisa,

quatuo

quarto gradu calida,& ficca, cujus fuccus inflammando, & corrodendo partibus corporis affricatus,eas in veficas attollit,ad technas lixarum, & mendicantium, qui membra hæc exulcerata, ad ftipem liberalius cogendam, prætereuntium oculis exponunt,aptiffimus, ac ipfa ulcera, feriis finitis, cerufla, aut quolibet refrigerante & ficcante linimento, iterum emendare folent: Quorum curam melius Proceres Veneti adminiftrant mittendo fimiles impoftores ad remigia.

Norunt & mulierculæ, hujus ufu maculas artificiofe extergere. Hujus fuccus, & lac, atque hoc quidem violentiffimè, bilem, & aquas exturbant. Laudatur nihilominus ab aliquot Medicis, imprimis à D. D. Martino Rulando, in cujus Obfervationibus, hujus mentio fit, & fequenti modo paratur. Vere primo, pullulantis herbæ radices colliguntur,harumque cortices, in quibus vis potior confiftit, feparati f. q. vini Rhenani, aut cujusvis alterius generofi, in curcubita, deftillationis modo, percoquuntur, donec decoctum, vim horum penitius imbiberit, quod expreffum,colatum,abfque ulteriore clarificatione infpiffatur; ejufque denuo, aqua plantaginis diffoluti, 4. dierum, Balnei Mariæ digeftione, purum ab impuro feparatur, albumine ovi clarificatur & in confiftentiam cogitur. Nec abfurda hæc eft, licet aliis alia in ufu,malignas Efulæ qualitates corrigendi ratio; quamvis etiam fic paratam, tertia falrem vice, in praxi præfcripferim, nec ubi leniora, in teneris præfertim conftitutionibus fufficiunt, hanc magnoperè laudare poffum. Hujus dofis, à gr. x. ad xx. Nota hanc herbam tractantes, cautos effe debere, ne ejus vapore, aut contactu, manus, & facies inflammationem,& tumorem contrahant, quod cuidam famulo meo in Helvetia accidit.

CAP. III.

De Effentia Hellebori.

HUjus duæ funt fpecies: Elleborus albus, & niger, hic ut tutior hoc loco tractandus venit, quamvis ejus dofis fumma vehementis eft operationis, à remotiffimis partibus validè attrahentis, quod & ruftici norunt, qui bubulis, aëris corruptione infectis, foramine in cute facto, ad humorum putredinem, & malignitatem evocandam infigunt: Cujus vim, & efficaciam in aliquot gravibus, præfertim matricis, ex menfium retentione affectibus, fum expertus: Quo cafu, fœminis cujufvis ætatis, temperamenti, & conditionis ℈j Ellebori nigri, nodulo ferico exceptum, per vices renovatum, locis muliebribus applicatum, quod neceffitas poftulavit geftare præcepi, à cujus ufu mutatio, & quædam quafi contractio, per totum corpus oborta, eatenus duravit, donec menfes, pedetentim promanere cœperint; quod admiratione non caret. Si hujus externa applicatio tantum poteft, quantum ejus (quem quidem Medici, plena dofi, raro admittunt, & ad Hippocratis fancita, de ejus laude obftupefcunt,) internus ufus præftare poffit, confiderandum. Sunt qui opinantur Hippocratem alia fpecie Ellebori ufum, aut tutiorem ex corrigentibus, illi feculo ufitatum modum tenuiffe, aut iftum pro-

propter cæli, & terræ Græcæ clementiam, absque malignitate, multo benigniorem crevisse. Apoplexiæ, epilepsiæ, arthritidi, lepræ, cancro, furori præsertim, ex atra bile, & maniæ curandæ dicatus est; unde illud Elleboro indigere, de insanis, in proverbium abiit. Diversa apud diversos, hujus extractio traditur; mihi autem hæc familiaris est. Ellebori nigerrimi extus, & intus albi, radicibus recentioribus contusis, & cucurbitæ inclusis, aquæ fontanæ ℔ iij & spiritus vini ℥iij affunduntur, ab his, in Balneo Mariæ, temperata digestione per xxxx. horas continuata infusum separatur, quod sale ex residuo concremato, addito denuo per diem in B. digestum, & quoad fieri potest clarificatum, ad pilularum consistentiam redigitur. Dosis à gr. xv. ad xx.

In ejus exhibitione corrigentia haud omittenda sunt, hæc quandoque quavis dosi sumpta, haud quaquam operantur: Rarissimè ea utor, nec nisi, cum infusione Senæ, acido Tartari, aut massa aliqua pilularum; ac potius eam per vices repetendo, quam majorem dosin exhibendo.

Perfeci hanc, aliquot ante annos, Cassellis, ex selectissimo Elleboro, quæ ad gr. vj. vel viij. pilularum forma, cum jusculo gallinæ sumpta, sine ulla molestia operabatur; ipsamque aliquoties ex illo tempore sed quoad hos effectus, minimè parem, elaboravi: cujus rei causam iis, apud quos hujus usus frequentior est, discutiendam relinquo.

CAP. IV.
De Essentia Colocynthidos.

POma Colocynthidos siccata, excorticata, ex Ægypto, & Alexandria advecta, ad præcipuas, utpote, quæ bilem, phlegma, & serum, promptè subducere queant purgantes compositiones, requiruntur. Quamvis nimia penetrandi, venas aperiendi, & intestinorum fibras corrodendi vi, ut etiam agresti amaritie, interdum oblædere possint; ejus tamen essentia ritè præparata, tutius quam præcedentis, in usum venit. Hæc duplicem substantiam, unam aqua solubilem, resinosam alteram, & utramque purgandi vi præditam, continent; quamvis harum cuilibet separatim extrahere licet, quæ conjunctæ tamen præstant. Essentia hoc modo comparatur.

Carni seu pulpæ Colocynthidos albissimæ & rejectis seminibus minutim incisæ, nec non aqua Plantaginis irrigatæ, duæ porro, & in s. q. aquæ dictæ, partes & una spiritus vini in cucurbita vitrea affunduntur, inque Balneo Mariæ macerantur. Ultimò infusum, seu per residentiam, seu colaturam clarificatum inspissatur: Hæc essentia, satis purgando efficax, & in omnibus affectibus, ad quos Colocynthis celebratur, multo utilius exhibetur, potissimum pustulis, & scabie maligna ex lue venerea pullulantibus. Dosis à 4.6. ad 10. grana, adjunctis corrigentibus, & vehiculis, cum debita observantia, minori dosi cæterisq; mitioribus mixta potius convenit.

CAP.

CAP. V.

De Essentia Turpethi.

Radix hæc tenuis, oblonga, extus cinerei, intus excavata albi coloris, ex plagis orientalibus delata, optima est, quæ subpinguis, gravis, gummosis in radicem penetrantibus fibris, & non in fraudem adglutinari foliris, referta est, ac propterea Turpethum resinosum vocatur, quamvis etiam satis laudabiles radices Turpethi, sine tali resina reperiantur. Potior purgandi vis, in parte resinosa contenta, spiritu vini elicitur.

A crasso, & tenaci phlegmate, non solum interiora, pectus, stomachum, caput, renes, sed etiam ipsum corporis habitum, & juncturas emungit, unde Arthriticorum incommoda mitiore, quam ipsius Colocynthidos essentia, modo, cum ratione tamen adhibita, sublevare apta nata est. Dosis eadem quæ Colocynthidos.

CAP. VI.

De Purificatione essentiæ Scammonii.

Scammonium, succus cujusdam radicis peregrinæ, Scammoneæ dictæ, vi purgandi validus, & ferè in catharticorum pilulis, trochiscis, pulveribus, electuariis, quorum exempla passim in dispensatoriis occurrunt, & basis loco ponitur, essentiæ etiam rationem obtinet, phlegma, bilem, & aquas, magnoperè quidem ducit, sed ob acrem, igneam, & quodammodo malignam qualitatem, quæ non solum stomachum, & hepar, sed ipsum cor, ac reliqua viscera tentat, cautè administrandus est. Cujus igitur tot præparationes & inventiones à veteribus inventæ sunt. Quidam Chymici hunc in succo Citri, Cidoniorum, vel rosarum, aut etiam spiritu vini solutum, & sordibus purgatum, eoque modo malitia dempta, mitiorem redditum, denuò condensant; quem sic præparatum, extractum Scammonii vocant. Processus quo uti soleo talis est.

Scammonii crasse pulverisati unciis duabus, in vitro spiritus vini ℥xij affunduntur, & Balneo Mariæ donec omnia dissoluta sint, aliquoties interim agitando, 2. vel 3. horas foventur, hinc per subtiliorem pannum lineum colatus liquor, affusus ℥vj aquæ Rosarum turbari, ac lactis ferè colorem, induere incipit, à quo demum, per cucurbitam destillando abstractus spiritus vini, ad alium usum servatur; residui vero in concha vitrea excepti pars Resinæ similis in fundo concrescit, supernatante aqua rosarum cum igneo lactescente Scammonii succo. Hæc resinosa substantia, sæpius aqua rosarum lavatur, & B. vapore leni exsiccatur, ut digitis instar Therebinthinæ coctæ conteri possit. Post hæc mortario, & pistillo æneo, oleo amygdalarum dulcium inunctis, levi contritione in pulverem album, mali odoris ac saporis acrioris expertem redigitur. Extractum hoc modo præparatum, in vitro obturato asservatur. Scammonium sincerum, vix ultra tertiam ponderis partem quæ ex fæcibus constat, amittit. Hæc Resina Scammonii in vicem Diagridii tutius substituitur. Dosis depurati Scammonii à vj ad viij nec non xij & quandoq; pro robustissimis xiiij gr.

quæ

quæ in gelatina, conserva Rosarum &c. cum una, & altera gutta olei Cinamoni, vel Caryophyllorum correctionis causa, ac massis pilularum commixta, cum acido Tartari blandè operantur. NB. Scammonium quantumvis correctum, calidæ, acris, & siccantis qualitatis particeps manet, idcirco lenientibus, humectantibus & refrigerantibus junctum, sicca intemperie præditos minus offendit, & faciliorem præstat operationem.

CAP. VII.

De Purificatione Gummi Guttæ.

Gummi Guttæ, resinola quædam substantia, sicca, dura instar Aloës, colore aureo, odore & sapore satis tolerabili, certa tamen quadam acrimonia, Scammonii resinam imitatur. Hoc Gummi, primò ante triginta annos, ex Indiarum regionibus ad nos deferri cæpit; de quo etiamnum, dubiæ Medicorum sententiæ extant, quorum aliqui resinam, vel cujusdam plantæ arboris, alii factitium quid, & denique quidam, terram antimonialem esse statuunt, quod tamen nec solutio, sapor, aut operatio probat: utcunque in hoc se res habeat, de virtute, & nota bonitatis quam de origine ejus accuratius cognoscenda, major hactenus cura fuit. Exempli loco Ambram griseam pono, de cujus ortu nihil certum adhuc constat, attamen apud omnes Medicos in pretio est, ob compertam, in roborando capite, & corde virtutem; ita hocce gummi, quamvis de ejus prosapia dubii sumus, ei nihilominus, inter hydragoga locum, quæ parva dosi, serosorum ichorum evacuationi dicata sunt, nobilem concedimus. Uno hoc vitio notatur, quod vehementer nauseam creet, absque calore tamen inflammante, aut intestina corrodente, hac tamē præparatione malitiam amittit, ut sine vomitus excitatione, per inferiora blandè operetur. Rasuræ ligni santalini rubri ℥ß ad extractionem tincturæ, in leni calore ℥xviij spiritus vini infunduntur, percolato spiritui vino tincto, in cucurbita Guttæ gummi pulverisati, & per 3. horas in Balneo Mariæ dissolvendi ℥ij addantur, quo intervallo, materia quædam subfusca, instar Colophonii in fundo subsideat: Quo facto liquore, à residua tenaci materia, quæ nullo spiritu vini dissolubilis est separato, & cucurbita excepto ℥vj vel viij aquæ Rosarum affunduntur, quoad in turbidum, flavescentem, & succo Chelidonii majoris similem colorem mutetur, & tandem spiritus vini, ut capite de Scammonio docui, abstrahitur, reliqua vero materia, in concha vitrea, miti calore inspissatur, quæ instar luti, Sole arefacti, in rimas dehiscere solita, tandem pulverisata, ad usum servatur. Hæc resina hocce modo præparata, nobili cathartici vicem subit, ad aquas hydropicorum ducendas, summoperè expetita, Dosis ejus à 4. usque ad 8. & 12. gr. cum acido Tartari mixta & gutta una vel altera olei Anisi, in vino, vel jure carnis exhibenda.

CAP. VII.

De Essentia Cucumeris Asinini.

Non est, quod hic de Elaterio, singulare quidpiam proferā, sed ad Pharmaceu-

maceutica dispensatoria hujus praeparationem indagantem remitto. Caeterum, vehemens, igneum, & acerrimum, ac quodammodo venenatum, (ut ex fructus gravi, & narcotico odore patet,) medicamentum est; quo nunquam usus sum, ac suo cuique pretio concesso, cautè usurpandum judico.

CAP. IX.

De Essentia Gratiolæ.

GRatiola, multis in locis trivialis, amaritudine, & sapore vementi Centaurium minus ferè æquat, rarus equidem ejus usus, cum magis secura in promptu sint, nullum tamen simplex phlegma, aquas, & bilem, quamcunque in corporis partem effusam, pari, ac perfecto modo educit, quod non ex historia seu scripta, seu oretenus facta commemoro, sed propria experientia in ictero flavo, febribus biliosis mihi notum profero. Quamvis non inficias eam, Thomam Bovium, Patricium, & Medicum Veronensem, Encomio in hanc herbam publicato, annexis plurium affectuum curationibus, quas mediante hoc simplici complevit, eam experiendi causam mihi dedisse. Foliorum ejus ℨj. per noctem vino maceratorum colatura, mane tantillo aquæ Cinamomi aromatizata exhibita, biliosam colluviem, & cujusvis generis vermes, ex stomacho & intestinis, quæ terrifica sæpè accidentia procreant, sine ullo periculo, & molestia, (nisi quod aliquando, congerie tali in ipso stomacho exsuperante, vomitus tolerabilis tamen orietur,) mirifice exturbare solet. Materiam vero in jecore, liene, mesaræo, & pancreate restagnantem per secessum expellere solet: Iis modo, quibus à vomitu, aut fluxu sanguinis, & hæmorrhoidum periculum impendet, ob acrem & amaram qualitatem, parcius & accurata circumspectione offeratur. Hujus dosis varia est, pro varietate subjecti, illam sumentis. Ejus succus cum Saccharo in Syrupum, aut consistentiam congruam quæ à ℈j. ad ℥ß. porrigitur redigi potest.

Hujus defectus, aliquot locis, transplantatione resarciri, ac foliorum, bis in anno, Majo nimirum & Septembri amputatione, vigore radicum, per totam hyemem consistente coli solet.

CAP. V.

De separatione Acinorum Ebuli purgantium.

EBulus, ex genere fruticum, species quædam Sambuci, amans locorum viniferorum, satis ipsis rusticis, qui sapam inde, contra febres, & alvi fluxus, ac dysenteriam conficere solent, nota est. Ejus cortices in Officinis prostant, ad hydropem laudati, quos talem solos, in aquæ sufficienti evacuatione, nunquam quid præstitisse, observavi. Facultates seminis Ebuli probè perspectas habeo, cujus tum colligendi, tum adhibendi modus, cum à Botanicis hactenus præteritus sit, hoc loco eum tradere, visum fuit. Expresso baccarum Ebuli succo, & in vulgo notum usum excocto, tota massa, ab expressione relicta, in cadum f. q. aquæ fontanæ affusa mittitur, semina ab involucris, quantum possibile est, manibus separantur: Aqua cum tunicis, & leviore

seminum parte aufertur, toties affusionem, & depletionem repetendo, donec semina oblonga, & ponderosa, nec non ab inutili parte, liberata, & modeste exsiccanda remanserint, horum virtus purgandi arthritidem, & aquam intercutem allevans, abundè cognita est. Hujus ℨj. vel ℨiß. aut etiam robustioribus ℨij. crassiusculè pulverisati, (nam pinguedinis ratione, aliter fieri nequit:) 5. horis ante cibum, summo manè, in jusculo carnis, cum aliqua parte aquæ Cinamomi offertur, aut ex hujus aucta dosi, cum brodio carnis, aut aquis stillatitiis, quæ saccharo, & aqua Cinamomi condita tepida exhibetur.

Vel hunc in modum: ℞. Seminis Ebuli probè contriti ℥iij. Acidi Tartari super Porphyrite lævigati ℥j. conservæ rosarum recentis, & succulentæ ℥xij. misceantur sine igne, & infusis aliquot guttis olei Cinamomi, ad gratum saporem, fiat Electuarium. Hujus dosis robustioribus, plus vel minus, pro re nata ℥j. per se, vel in liquore soluta, potionis forma sumenda. Hujus medicamenti vis, & efficacia, nisi singulis annis renovetur, temporis progressu exsolvitur, atque oleaginea, & rancida fit: cujus usus, cum ratione susceptus satis tutus, & operatio sufficiens est, excepto, quod aliquibus, nauseam, & vomitum creet; potissimum, ventriculo vitiosis humoribus scatente.

Sunt quidem præter commemorata, alia adhuc quædam simplicia purgantia, ut Mezereon, Chamælea, Lathyris, Cataputia, Sedum, ac plura hujusmodi; quorum quandoquidem extrahendi modus, in suprascriptis continetur: his tanquam minus usitatis, supersedere lubet.

CAP. XI.

Repetitio summaria, earum animadversionum, quæ tam in præparatione, quam conservatione essentiarum, è vegetabilibus servari debent.

PRimo, licet supra gradus caloris, quo essentiæ ad consistentiam cogendæ sint, sæpius inculcatus sit; ordinis tamen gratia ipsum repeto, calorem Balnei Vaporis intensiorem non convenire, quam manus sine alteratione perferri possit, præcipuè sub finem, ne Empyreuma contrahant, vapor enim aquæ calentis inclusus, æque ac alius vegetabilium essentias corrumpere potest. Quare non minore cura regimen ejusdem, æque ac caloris, ex ipsa aqua, cinere, vel arena tenendum est.

Secundo, Essentiis ad crassitiem pertingentibus, tunica instar epidermidis facta auferatur, ut restibilis humiditas tanto melius evaporare possit, & spatula lignea massa convertatur simulque parietibus conchæ adhærescens, antequam exsiccetur, abstersione congrua, reliquo commisceatur.

Tertiò cum hæ essentiæ, justam consistentiam adeptæ sunt, à calore remotæ, donec penitus refrigescant, lignea spatula continuò agitatæ, in vasa vitrea, lato orificio, qualia sunt in usum conservarum facta, sicca, & munda, recondantur, ut in capite de essentia, florum Borraginis ostensum.

Quartò essentiæ hæ, quoad fieri licet, loco sicco servandæ sunt; humidiore enim temporis decursu, nisi vasis probè con-

conclusis, & obturatis, situm contrahunt, neque in admodum calidis v. gr. hypocaustis durant; à frigore licet intenso nullum damnum patiuntur.

Quintò, casu quo hæ essentiæ alias debito modo præparatæ, & asservatæ, spuma cooperiantur, ipsa aut reliquæ massæ misceatur, aut quod consultum magis est, ita immota relinquatur. Quandoquidem prima ablata, nihilominus altera subsequitur, quæ minimè excrementosa, sed utilis & volatilis Tartari pars, fermentatione separata, superficiei adhærens, paulò post essentias splendidiores reddit.

Sextò, Essentiæ Violarum, Borraginis, Buglossæ, Persicorum, Rosarum incarnatarum, Endiviæ, Mercurialis, Plantaginis, Cichorei, Polypodii, utpotè refrigerandi, humectandi, & laxandi facultate pollentes, cum progressu temporis proprias qualitates cum acrioribus mutent, singulis annis renovandæ sunt.

Septimò, Essentiæ natura calidæ, siccæ, & terrestres, vi aromatica, salina, & tartarea præditæ, quousque sapore, & odore incorrupto constant, minimè rejiciendæ sunt. Exoletæ vero concremandæ sunt, eorumque sal alios in usus servandus.

Quapropter, Medicus hisce utens, eas aut propria industria elaborare conetur, aut industrio Pharmacopæo parandas injungat, & ne quis error committatur sedulo advertat. Sicubi locorum, defectu praxis, tot essentias habere non consultum, nec ut aliquando, ac male fit, longa ætate marcidæ, pro recentibus dispensentur; præstat ex viridibus, per hyemem vero exsiccatis, decocta, & infusa parare. Atque hæc sunt, quæ in extractione, & conservatione simplicium observanda esse existimo.

ESSENTIARUM VEGETAbilium Anatomes

SECTIO VI.

De succorum, exoticorum, condensatorum, ac præcipuorum Gummatum depuratione.

CAP. I.

De modo, succum Glycyrrhizæ purificandi.

QUa incuria, essentiæ, seu succi condensati, ex peregrinis simplicibus conficiantur, & quibus sordibus scateant, capite secundo, Sectionis primæ mentio facta, sequentia vero exempla clarius id demonstrabunt.

Primo loco, succus Glycyrrhizæ venit, ut apud Materialistas, sic vocatos, sigillo munitus prostat, cujus major pars & melioris æstimationis, ex Insula Creta, seu Candia, ad nos pervenit, usu frequens in re pharmaceutica, qui in Theriacam Andromachi, Diapenidium Nicolai, Diatragacanthum calidum, Looch de pino, Looch de pulmone vulpis, Pilulas bechicas, Trochiscos de Lacca, & Alkekengi vulgò recipitur.

Quantam vero impuritatem, etiamnum ejusmodi succus concretus contineat, sequens processus demonstrat.

Horum Orbiculorum in tenues la-

minas concisorum ℔j. in aqua calenti dissoluta, & albumine ovorum agitata, ad ignem ebulliat, & per seraceum, levi expressione facta, percoletur, remanente limosa, & abominabili in colo substantia, ipsam Glycyrrhizam, quoad pondus, superante, porcis, quam miseris ægrotis aptiore; cujus vero generis materia admixta sit, an fabarum, pisorum, aut hordei farina, quæ condensationis, ponderis, & faciliotis signationis ergò misceatur, mihi nondum compertum est.

Ipse liquor clarificatus, arte Chymicis soli[illegible], ad pilularem consistentiam redigitur, & vase vitreato Siburgico eoque firmo excipitur, qui etsi empyreuma, non planè, hoc modo exuat, longè tamen gratior & efficacior fit, pro cujus processus communicatione tum Medici tum Pharmacopæi aliqui, grati erga me extiterunt. Hic infusi, violarum & succi tussilaginis, æqualibus partibus mixtus, asperitates, & noxas pectoris, ex defluxione acriore, blandè tollit: Cui tamen essentia, ex ligno recenti, sectione secunda tradita præferenda est.

CAP. II.

De modo purgandi Opium.

QUamquam naturam, proprietatem, præparationem, correctionem Opii, cum variis de eo Medicorum sententiis, & tum aliorum, tum mei Laudani Opiati, adjuncto usu, & confectione, ante complures annos, in Tractatu quodam meo Opiologia dicto, prolixè descripserim; ordinis tamen, & aliquot Alexipharmacorum, utpote Theriacæ, Mithridatii & Aureæ Alexandrinæ, ad quæ Opium recipitur, eoq; opiata dicuntur, ratione commotus, de Opii qualitate, & essentiæ extractione, agere constitui. Opium nihil aliud est, quam lacteus, & acris ille succus, ex papaveris albi, & nigri capitibus, expressus, & inspissatus: isque apud Turcas latissimis Natoliæ, & aliarum provinciarum campis, studio excultus, frequenti in usu, Maslach dictus, ad nos defertur.

Modum colligendi Opium, ut Bellonius, & alii, qui talia experiundi causa, in Turcarum Regione peregrinati sunt, talem tradunt; In capitibus Papaveris, maturitatem adeptis, adhuc tamen viridibus, absque dubio, ordinata serie, (relicto per medium spatio,) consitis, ne colligentium pedibus atterantur, aut succus vestibus abstergatur; huic labori destinati, sublongas, ferro acuto, inter exteriorem corticem, & interiorem, qui semina involvit panniculum cæsuras faciunt, ita ne succus hicce lacteus, intra vergere, sed potius foras emanare possit, qui profluens cochlearibus excipitur, ac sponte sua concrescit; quem æque in nostris ac Turcarum partibus, qui Opio Turcico, sapore, odore, & viribus ne hilum quidem cedit, ni labor invisus esset, colligere licet: Cujus satis magnam quantitatem, ipsemet ad proprium usum, cum delectatione quadam collegi. Opii probati, sequuntur signa: Primum est, ut in placentis rotundis, aut oblongis pollicis crassitie 6. vel 7. unciarum, folio Papaveris involutum sit. Secundum, ut pondere prævaleat. Tertium, ut odore infecto instan

instar nostri Papaveris succi, nares validè feriat. Quartum, ut in frusta divisum, colorem brunneum, vel ex flavo fuscum, quemadmodum Aloes succotrina exhibeat. Quintum, ut non friabilis, sed picis in modum lenta, manu fota, citò mollescat. Sextum, ut saporis acrimonia, quæ linguam, Tithymali more, ferè corrodat, potius quam amaritudine excedat. Septimum, ut ad candelæ contactum facilè flammam concipiat, utpote oleosa substantia præditum. Octavum, ut in pulverem redactum, luteo colore Aloen imitetur.

De qualitate Opii Medici haud conveniunt, cõplures enim, ob gravem narcoticum somnum, & stuporem membrorum, in quem præcipuè crudam ejus, magna quantitate substantiam sumentes cum oppressione caloris naturalis conjicit, siccam primo, & frigidam quarto gradu, esse finxerunt. Alii verò quorum sententiæ ipsus accedo, amarore, acrimonia, & diversis rationibus, ac exemplis inducti, ut in Opiologia mea videre est, contrariam tenent: Nimirum Opium calidum esse, ejusque vim somniferam, neque frigori, neque calori, sed occultæ & à tota substantia qualitati profectæ, adscribunt, nec ulla firma ratio adferri potest, cur soporifera, quorum multa vehementer calida sunt, necessario refrigerantem qualitatem conjunctam habeat. Depuratio ejus ut succi Glycyrrhizæ solvendo, clarificando, & coagulando perficitur, & quidem à Chymicis diversi, pro diverso scopo liquores usurpantur. Ad febres vero ardentes, ac malignas, & vehementi humorum ebullitione infestantes, acido succo Granatorum, Limonum, Citri, aut ipso aceto solutum, ab impuritate liberatur.

Facilis ut & utilissimus modus hic est: Opii in lamellas concisi, ℔. unæ in patina ferea parva & munda ℥ij. vel iij. aceti rosacei asperguntur, super moderato igne agitando, donec acetum, cum Opii odore consummetur & refrigeratum, digitis conteri possit: Cautione hac, ne adustione vires perdat, lentè exsiccetur; quo modo prava, & narcotica qualitas, ex parte corrigitur: Denique in pulverem contrito in Balneo Mariæ aut arena calenti, per aliquot horas, ut solvatur posito aceti ℔vj. affunduntur, ac per pannum ad totius liquoris expressionem percolato, eique, utut turbidus sit sine clarificatione inspissato, aquæ ex floribus sambuci fermentatis fragrantissimæ, q. s ad dissolutionem additur, albumine ovorum porro clarificatum, & per pannum colatum rubicundi, & pellucidi coloris, in pilularum consistentiam redigitur.

Hæc Opii essentia ipso crudo longè tutior est: Data voluntate secundum præscriptum processum, acida, & tartarea aceti pars, in hac essentia, relinquitur, eo quod, non tantum narcoticam qualitatem, mitiorem, sed etiam contra humorum putredinem, ac malignitatem, additione aliorum convenientium efficaciorem reddat. Sæpius enim à me observatum est, hujus usu, præter doloris, sanguinis æstuantis, ac febrilis caloris sedationem, sudorē facilem, quo materia peccans, partim expulsa, roburque virium revocatum fuerit, obortum esse. Observata enim methodo, causæ morbificæ & temperamenti cognitione, correctione & addi-

additione convenientium, justa dosi, & temporis opportunitate adhibita, majorem, quam Pharmacorum Myrias, utilitatem, ac vice versa, posthabitis illis ejus usus, ut sæpè ab Empyricis, potissimum Judæis, balneatoribus, aliisque veræ artis, & sciẽtiæ medicæ inexpertis, fieri solet, lethalem noxam adferre potest: Unde factum, ut à quibusdam, qui inter usum, & abusum distinguere nesciunt, non solum infamis habita, sed etiam contra rationem, experientiam, ac authoritatem, doctissimorum virorum, tanquam præsentissimum venenum, & ex republica medica exterminandum, proclamata fuerit.

CAP. III.

De modo purgandi Acaciam peregrinam, ejusque defectu aliam substituendi.

ACaciæ fructus, lupinis non absimilis, cujusdam fruticis spinosi ad arboris magnitudinem accedentis, & in Ægypto nascentis, soboles est, cujus succus expressus, & coagulatus, in Theriacam, ac cætera famosa medicamenta recipitur: Istoc autem modo à fæcibus repurgatur, aqua florum Acaciarum solutus, & albumine ovorum clarificatus, iterum condensatur; ut Lycium, & cæteri succi resinæ expertes ac in aquis solubiles. Cum vero Acacia genuina ad manus nostras rarò deveniat, adeo, ut semel tantum germanis notis signata mihi oblata fuerit, cumque in pluribus aliis simplicibus, æquipollentem vim reperire sit, ratio postulat, in vicem Acaciæ ex Ægypto delatæ, aliud compositum, hoc modo præparatum, substituere.

℞. Balaustiorum, vel corticum granatorum, crassiusculè contritorum, ℔ ij. quæ aqua fontana maceratæ in aheno stanno obducto, aut vase vitreato, donec decoctum virtutis adstrictoriæ particeps fiat, percoquantur: Hujus decocti expressi & percolati mensuris tribus adhuc ferventibus, prunorum sylvestrium cum nucleis contusorum, ℔ x. per duos dies macerentur, quod denuo percolatum, & albumine ovorum clarificatum, ad consistentiam evaporare permittatur. Hæc essentia frigidæ, & siccantis qualitatis, repellit, adstringit, & incrassat, quare ventriculi tono relaxato, vomitionibus, sanguinis rejectioni, dysenteriæ, hæmorrhoidum, uteri, ac omnium fluxuum abundantiæ, planè appropriata existit. Dosis ejus per se, vel convenienti vehiculo mixta à gr. x. ad ℈j. Ex hac gargarismus paratur soluta, qui columellam laxatam, & mollitiem gingivarum corrigit, dolores dentium, ab acrium humorum influxu sedat, contra luxationes & fracturas ossium, ac sinoviam, influxum humorum coercendo, partes roborando, ut & sanguinis eruptionem, enterocelem, procidentiam ani, & uteri, magno usui est.

CAP. IV.

De Ammoniaci, & aliorum ferulaceorum gummatum purificatione.

GUmmi Ammoniacum, assa fœtida, galbanum, sagapenum, quod ex lignosa, & altiore frutice, ferulæ non absimili nascan-

nascantur ferulacea dicuntur; duplicem substantiam complectuntur, unam resinosam, ponderosam, in aqua subsidentem, alteram muccaginis, aut gummi cerasorum solutæ instar, aquæ miscibilem. Etsi aliqua, in horum qualitatibus, quoad gradus differentia occurrat, virtute tamen calfaciendi, molliendi, penetrandi, discutiendi, intra corpus sumpta, tenacem pituitam, ex pectore, & pulmonibus vocandi, fere conveniunt. Usui sunt contra tussim, orthopnæam, ex frigidi humoris decubitu ortum spasmum, apoplexiam, epilepsiam, suffocationem uteri, suppressiones mensium, obstructiones, dolores laterum, duritiem splenis, morsus serpentum. Cujus igitur in emplastra usualia, antidota, & confectiones opiatas, massas pilulares à præcipuis Medicis Dogmaticis, ob plures rationes expetuntur. Purgatio horum, quæ in partium lignosarum, arenularum, lapillorum, aliarumque inutilium rerum separatione consistit, sequenti modo perficitur: Gummi in conveniente & ad scopum pertinente liquore, dissolvitur; cujus tota gummosa substantia per pannum, relictis fæcibus expressa iterum inspissatur. Cum vino malvatico, aut alio quopiam generoso, ad Theriacam, Mithridatium, ac similes confectiones, aceto vero solutæ ad emplastra magis conveniunt, quod Pharmacopæis ac chirurgis peritis optimè notum est, & in detergendi intentione admodum quadrat; cum vero leviore operatione opus, in ulceribus præsertim, quæ Tartari ex aceto relicti, acrimoniam non sustinent; præstat in succis plantaginis, solani, florum sambuci, quibus caloris excessus moderatur, vel in decoctis vulnerariis, ex Tabaco, Sanicula, Alchymilla, Consolida Saracenica, ad varios scopos, prædicta gummata dissolvere. Intra corpus vero cum appropriatis offerantur v. g. ad capitis, & nervorum vitia cum Betonicæ aut Primulæ veris; ad pectoribus & pulmonum mala, cum scabiosæ aut Tussilaginis succo; ad uterum cum Artemisiæ aut pulegii, contra venenum cum scordii expressione, diluantur. Quæ porro inspissata, vasis vitreis optimè clausis, servantur.

CAP. V.

Quomodo ex quolibet horum gummatum, duæ differentes substantiæ separandæ sint.

Supra mentio facta est, diversarum partium in his existentium, quod reaple nunc demonstrabo.

Gummi Ammoniaci, vel galbani minutim confracti, ℔j. in cucurbita alembico cæco munita, aquæ fontanæ ℔iv. affundantur, & moderato Balnei Mariæ calore, donec dissolvatur, teneatur, hoc peracto, per pannum lineum, superpatinam vitreatam extensum, adhibita sub finem expressione forti, percoletur, & si post primam colaturam, utilis substantiæ quidpiam, in panno restet, liquore colato, & iterato calfacto, dissolvi & exprimi solet materia tota, tam fluida, quam crassa conjuncta, in vitro lati orificii per dies 8. quiescat, donec pars ejus ponderosior, ad fundum secedat, liquor autem lacteus flavedine quadam mixtus, & supernatans, in aliud vas à residuo decantatus, & cum ovorum albumine clarificatus, per pannum filtra-

filtratur, ac mediante balneo roris, ad consistentiam fusi, & splendentis gummi reducitur. Hæcce pars viscosa est sine Sulphuris participatione, in aqua solubilis exsiccata, haud difficulter in pulverem teritur, ignique admota, flammam minimè concipit, ac per omnia, ad modum gummi Cerasorum, Pomorum, aut Arabici se habet.

Altera supradicta in vitro pars reliqua, in concha vitrea, super vapore aquæ calentis, aut arena fervente, ea, quæ superest, paucæ quantitatis, aqua dissipata, in resinam concrescit, quæ sequentibus notis distinguenda: Primo, pondere, & colore: Secundò, quod ignis contactu liquescat, altera vero tantum inarescat: Tertio, quod incendio pingue quid exsudet: Quartò, consistentia resinosa. Quinto, quod saporis & odoris vi alteram præcellat.

De ambarum substantiarum, quoad virtutes, & operationes differentia.

Cum prima sapore, sine manifesto caloris, & acrimoniæ excessu, respectu totius gummi, longè mitior existat; nullus dubitandi locus superest, ejus temperamento, operationem conformem esse, & pari, ac gummi arabicum modo, sub lingua eliquatam, thoracis, & faucium, ac partium vicinarum, ab acri defluxione, morbis obortis, quam ipsum totum gummi, magis expedire. Postremam vero, utpote resinosam, majore calore, & acrimonia, innocua tamen ad duritieslienis, à glutinosa, & tartarea concretione, resolvendas, mensium itidem suppressionem, ab infarctu similium, frigidorum humorum, aliosque morbos, ad quos gummata ferulacea præstant, plus valere ratio dictat. Denique ad emplastrorum confectionem, quibus scirrhos, & tumores emolliendi, ex profundis vulneribus superflua extrahendi, ulcera mundificandi, & sanandi major virtus inest, & ex hac olea destillata, majore, quam ipsis gummatibus, quantitate, sine nidore caustico facilius educuntur, quod peritus Artista ratione facilè assequitur.

CAP. VI.

De solutione Bdellii, & Myrrhæ, nec non extractione resinosæ, & balsamicæ eorundem substantiæ.

Bdellium, & Myrrha, nobilia duo sunt gummata, ex certis in Arabia arboribus, ut Dioscorides memorat, promanantia, & à multis seculis, magno in pretio habita, ut etiam sacra Biblia, horum mentionem faciat. Dolendum vero, hæc genuinis signis & effectu secundum præfatum Authorem prædita, ad nos nunquam deferri: quare quidam inducti, ea, quæ nobis hoc nomine in usu sunt, aut adulterata, aut vilioris vel planè alterius speciei esse statuunt, quæ tamen quibusdam cum vera myrrha, & bdellio conveniunt. At vero, cum non solum hæc, sed multa alia medicamenta, Turcarum, Mauritanorum Indorum, & Judæorum, nec non impiorum Christianorum, malitioso mangonio corrumpantur, in eo detegendo nos solertes esse convenit, ut quivis talem fraudem evitandam discere possit.

Horum gummatum, cujuscunque, ut dictum, probitatis sint, eorum quæ à modernis, in usum, traducuntur, præparatio talis est.

Gummi

Gummi Bdellii, vel Myrrhæ in cucurbita, s. q. succi herbarum, decocti, vel infusi simplicium, scopo convenientium, ad eminentiam duorum digitorum affunditur, & in Balneo Mariæ sufficienter eliquati, fit expressio, ejusque tandem leni calore inspissatio. Consultum vero est tum demum, quando usus postulat, hoc modo præparare, ne ante illum situ corrumpantur, aut plus æquo indurescant: sequenti modo balsamica horum substantia extrahitur: Bdellii vel Myrrhæ, crassiuscule contritæ ℔j. Spiritu Vini ex vino malvatico vel hispanico destillati, & rectificati ℔iiij. affunduntur; materia omnis, in cucurbita alembico cæco munita, Balnei Mariæ moderato calore, subinde leniter agitando, tantisper contineatur, donec liquor probe tingatur: ab hoc porro, in aliam cucurbitam, quantum fieri potest limpidissimo transfuso, Spiritus Vini ad remanentiam octavæ partis abstrahitur: Residui in concham effusi, aquea pars, ut extractum therebinthinæ consistentiam, sapore, & odore gummi præcellentem acquirat, evaporare permittitur, quod vasis vitreis exceptum, loco frigido servatur. Essentia hæc balsamicæ virtutis, utilis est, ad massas pilulares & antidota, veneno, aut humorum putrefactioni resistentia; & cum Laudano, morbo exigente, ad quem gummata ipsa laudantur, commodum miscetur. Dosis à 4. 5. ad 18. gr. Feces quæ in extractione remanent nullius sunt qualitatis propemodum, à Medico prudenti tamen, ad externos affectus applicari possunt.

❧) o)❧

CAP. VII.

De Purgatione Gummi Ladani.

LAdanum gummi species quædam odorifera, collecta ex foliis arboris Ladi, ut Dioscorides refert; præterquam ad odoramenta expetatur, pluribus aliis, à modo dicto Authore, virtutibus notata est, ac digerendi, calfaciendi, emolliendi, pilos conservandi, cicatrices extergendi, dolores aurium leniendi, secundinas expellendi, uteri duritiem emolliendi, tussim sedandi, urinam ciendi, & quoscunque alvi fluxus moderandi efficacia pollet.

Ladanum duplicis generis, apud Materialistas vocatos, reperire est: Unum in placentas rotundas convolutum: Alterum massæ cuidam crassiori; quod fere præstat, maxime, coloris ex viridi, obscuri, grati odoris substantiæ mollioris, & digitis facile cedentis. Qualecunque autem sit, vix unquam, sordibus, & arenulis caret, & levi opera purgari potest, scilicet aqua Rosarum solutum, eodem quo de Myrrha, & Bdellio, modo actum, per pannum densiorem colatum, iterumq; coagulatum, & in orbiculos formatum, vel in massa quacunque, ad usum servatur.

CAP. VIII.

De purgatione Gummi Styracis Calamitæ.

HOc gummi acidodulci sapore, odore vero suavi, præditum est, unde usus ejus, ad perfumigia frequens. Dioscorides huic calfaciendi, maturandi, & emolliendi virtutem adscribit, & contra tussim, catarrhos, raucedinem, capitis gravitatem, angu-

ctam,& nomine sanguinis draconis notatam, in usum duxerint: Cui suum quoque pretium relinquo.

At nullo non tempore impostores dolum meditantur, qui compositum quoddam ex gummi Arabico, & tinctura ligni Brasiliensis, aut fecibus tincturæ granorum Chermes, coloris rubri in orbiculos redactum, pro genuino sanguine draconis, sæpe distrahunt; cujus usum cavendum esse adhortor. Genuinus colore rubro subobscuro splendescit, variis figuris, rotundis, vel oblongis, quemadmodum cætera gummata, ex arboribus stillantia, & in grana coagulata conspiciuntur, utplurimum segmentis corticis vel ligni, ex quo profluxit, intermixtis: Hic vehementer siccus; nullo manifesto odore, aut sapore præditus, & in pulverem contritus, colorem rubrum pingendis vitreis vasis instar vernicis aptum præbet, demum nec aqua, nec oleo, sed uno Spiritu Vini solubilis, quibus signis quoad externam etiam formam, aut colorem, factitius, aut mãgonisatus minime respondet, sed lentus est, tenax, cito humescens, attritu difficilis, pallorem contrahens & cum aqua, ut Tragacanthum, aut gummi Arabicum misceri ac uniri aptus. Vidi aliquoties, præsertim Hamburgi, apud admodum doctum, & in rebus Pharmaceuticis versatissimum Dn. Benedictum Glück / amplissimi ibidem Senatus Pharmacopæum juratum, peculiarem speciem, in bacillos longos efformatam, foliis Ericæ similibus involutam, quam omnibus notis, & virium præstantia, cum genuino sanguine draconis convenientem, sine ulteriore præparatione, ipso effectu probavi. In qua forma, haud multo post tempore factitios irrepsisse sensi, qui cum modo specie descripta, minime conferri potuere, quapropter sanguinis draconis usu indigentes, in ejusdem electione cautos esse jubeo. Reperitur etiam hoc gummi in magna frusta concretum, quod nullo modo improbandum.

Hoc gummi, frigidi, & sicci temperamenti est, facultatis adstringentis, & adglutinantis, quibus venas apertas claudere, interiora fracta sanare, & corroborare solet; omnibus sanguinis eruptionibus, ossium fracturis, herniis, dysenteriæ, hæmorrhoidum fluxui enormi, curandis præstans est remedium, ubicunque, nec venæ sectio, aut ventosatum applicatio, aliave medicamenta, secundum artis methodum præscripta, casu exigente quicquam evincere valuerunt, hoc in pulverem contritum, & artificiosa ligatura applicatum, quandoquidem sine ulla noxa, humorum affluxionem coercet, sinoviam sistit, vulnera consolidat, omnibus aliis facile præferendum esse, ipsa experientia cognovi.

Hujus frusta majora, sine aliena lignorum, alteriusve rei accretione puriora, nulla præparatione indigent, nisi ut in pollinem redacta ad usum serventur. Illi vero in granis quidem sed multis impuritatibus referto, modo alioqui sincerum sit, in pulverem contuso f. q. Spiritus Vini in Balneo Mariæ, ut dissolvatur, affunditur: huic qui sanguinem colore, & consistentia refert, per pannum colato, post Spiritus Vini (ut quarta pars reliqua supersit) abstractionem, in vitrea, aut terrea patina, aquæ plantaginis q. s. affunditur; quo gummi, quemadmodum in aliarum resinarum ex-

tractione dictum, à liquore separetur, idq; toties elotum, ne quid de spiritus vini odore supersit, exsiccatumque, & refrigeratum commòde in pulverem conteri possit. Dosis ejus à gr. 12. ad ℈j. aut summa necessitate postulante ʒß. quod pulverisatum, in succis appropriatis Berberorum, Ribium, Cidoniorum, Myrtillorum, Plantaginis, Bursæ Pastoris, cum aquis eorundem & saccharo conditis; ne crassities obstet, quo minus facile ad partes affectas penetret. Si cui usus Sacchari ad scopum facere non videatur; in gelatina ex pedibus vituli, sine sale, & aromatibus parata, adhuc calente, pro necessitate, sine periculo, tertio, vel sæpius offerri solet. Cæterum, usu dictante, aliis medicamentis misceri, vel ad composita, pro prudentis Medici judicio transferri potest.

APPENDIX

De

Mixturis præparantibus.

SEquuntur nunc, appendicis loco, aliquot, & quidem præcipua, ex vegetabilium Essentiis, composita, quæ ab aliis mixturæ vocantur; ac necessitate postulante, materiam peccantem, alterandi, concoquendi, refrenandi, attenuandi, emolliendi, detergendi, meatuum interiorum asperitatem leniendi, eorundem obstructiones aperiendi, aliarumque intentionum causa, ante, cum, & post cathartica, in morborum curis absolvendis, magno ægrotantium solatio adhibentur.

I.

Mixtura lenitiva, aperitiva, frigida, temperata.

℞. Essentiar, rad. Cichor. Sylvest.
Graminis
Oxalidis ana ℥ij.
Violar. cærul.
Rosar. rubr. ana ℥j.
Glycyrrhizæ ℥ß.
Passular. albarum ℥iiß.

Hæ Essentiæ, in concha vitrea super vaporem aquæ calentis eliquatæ, probe misceantur; ac porro in vitreis vasis, ad usum recondantur.

Vires: Mixtura hæc, moderate refrigerat, attenuat, aperit, digerit, & abunde resolvit, ad expediendos infarctus, jecoris, lienis, venarum mesaraicarum, ad apparatum humorum evacuationi idoneum, & ipsum corpus habile efficiendum, summopere expetita. Adicterum insuper, cachexiam febres prolixas, morbos inveteratos, humorum fervorem, & acrimoniam abolendam, in teneris præsertim constitutionibus quas violentius alterare nefas est, peropportuna est. Dosis ejusdem à ʒß. ad ʒij. pro ratione, & necessitate indicantium.

II.

Mixtura lenitiva, aperitiva, calida, temperata.

℞. Essentiæ Agrimonii
Betonicæ
Rad. Scorzoneræ
Fumariæ ana ℥j.
Flor. Borraginis ℥iß.
Glycyrrhizæ ℥ß.

ftiam pectoris, aphoniam de fluxione inductam, oppilationes & duritiem uteri, suppressionem mensium, obstructionem alvi summopere commendat: hoc vero, ut alia exotica, raro fraude & mangonio caret, ut etiam illud, quod à pluribus prestantissimum celebratur, (sed à Dioscoride fallaciam ridente explosum,) styrax vermicularis dicta, aliarum enim rerum admixtione, adulteratum, Sole fervidiore existente per setaceum agitur, ut talem formam acquirat.

Illud vero melioris, secundum præfatum Authorem, notæ, nondum, aut raro admodum, nobis obtinere licet. Quare optimum quodque, ad nos delatum, quod colore rubro, & substantia resinosa constat, usu medico, exigente, in modum ladani paulo ante dictum solutum ab impuritatibus liberatur. Cæterum probatur carbonibus injectum, odore Balsamo Peruviano simili fragrantissimum: Si vero nidoroso, & alieno nares feriat, aut aqua rosarum solutum, dulcedinem amittat aut pinguedinem fundat; pingui aliquo, aut melle, aut alia re adulteratum esse suspicio est.

CAP. IX.

De Styracis liquidæ clarificatione.

Styrax liquida, tenacis, & resinosæ substantinæ, Therebinthiæ comuni, & impuriori similis, colore pellucido, & quandoque ex cinereo fusco resplendet, odoris penetrantis & quasi acidum quid referentis. Dioscorides libro. 1. cap. 6. 7. duas species Myrrhæ recenset, unam Pedismon, alteram Gabiream vocatam, ex qua styracum liquidam exprimi docet. In cujus sententiam Medici quidam cedunt, alii vero dissentiunt, & liquidam ex priori calamita certo modo extractam esse statuunt; quidquid autem sit, nec colore, nec odore aut sapore, cum gummi illo, quod pro Myrrha accipimus, affinitatem ullam habet, & in igne odorem styracis calamitæ diffundit & sequenti modo depuratá, insignem liquorem balsamicum suppeditat.

℞. Styracis liquidæ ℔ij. ex his, per cucurbitam, in arena, moderato igne, ne aduratur (qua opera simul aliquid pingue pellucidum vehementis odoris instar spiritus Therebinthinę exstillat, quod per se vel unguentis mixtum, usui medico commodare potest) humiditas abstrahitur; residua vero pars styracis, adhuc calens, linteo excepta, in patinam terream vitreatam exprimitur, ut nihil nisi impurum recrementum reliquum sit. Quare iterum in cucurbita, alembico cæco instructa, Spiritus Vini rectificatissimi ℔iiij. affusis Balnei Mariæ calore ad manus tolerabili, agitando per vices materiam, integro die foveri decet. Ab hoc porro liquore refrigerato, & à fæcibus per colaturam purgato, Spiritus Vini calore Balnei Mariæ abstrahitur; post quem substantia, instar Balsami ab Indis ad nos delati, & Copal dicti, quædam fusca, & resinosa remanet; quæ præstantiorem hac præparatione odorem nacta, vitreo vase servanda est.

Balsamus styracis calefacit, emollit, attenuat, maturat, attrahit, qua de causa per se, vel unguentis, & emplastris mixtus, externorum affectuum, in quibus medicamenta ejuscemodi facultatis requiruntur, usui convenit. Dolorem ex frigore natum, vi balsamica tollit, consolidationem vulnerum

rum promovet: intra corpus sumendum, nondum quipem obtuli, nullus tamen dubito, quin, quam Balsamus Peruvianus, aut liquidanbar, quæ fere actioris, & calidioris facultatis sunt, æque tuto administrari possit: Ad composita odorifera gratiora reddenda, ad trochiscos, & candelas fumales cinamomo præcipue mixtas, ipsa styrace Calamita præstantior est: Quæ in gratiam Studiosorum hujusce artis addere placuit.

CAP. X.
De Assæ dulcis repurgatione.

Assa dulcis, gummi cujusdam elegans species, Ammoniaco fere similis, consistentiæ tamen aridæ, adeo ut nec manuum calore emolliri queat. Cæterum pergrati est odoris, & penetrantis qualitatis; quæ ex pulveris contritione, ad cerebrum delata, sternutatione largam pituitam excutit, ejusque fumus, copiosius admissus, non solum caput tentat, sed etiam pectus & pulmones, (non minus quam Sulphur minerale, cum quo etiam præcipuis siccandi, detergendi, extrahendi, & putredinem arcendi viribus convenit:) suffocationem quodammodo excitando infestat: Unde non modo, artem perfumandi sectantibus, ob singularem odoris præstantiam, sed etiam Medicis pulverisata aut sublimata, ad pectus crassorum humorum infarctu expediendum in linctus tabulata, & trochiscos recepta, non minus quam ipsum Sulphuris sublimatum frequenti in usu est. Ex quo aliqui pro illis, qui olida unguenta, & emplastra moleste ferunt, convenienti additione, emplastrum splenetieum nobile componunt.

Ejus purificatio talis est: Gummi hujus pulverisati ℔j. affusis Spiritus Vini rectificati in cucurbita ℔ij. per horam in Balneo Mariæ aliquoties agitando, donec solutus liquor, colorem vernicis æmulum præferat: A quo refrigerato, decantato, per pannum, in vitrum, ad separationem fæcum percolato, Spiritus Vini per Balneum Mariæ abstrahitur, ad remanentiam materiæ rubicundæ, & splendentis, secundum doctrinam, supra de Myrrha traditam. Porro ad odoris ex Spiritu Vini contracti ablationem aliquoties aqua rosarum elota, lapideo vase obturato reconditur. Qui vero hunc sumptum ac laborem ferre recuset, methodum de Ladano præscriptam sequi poterit.

CAP. XI.
De purgatione sanguinis Draconis.

De origine hujus gummi, multa fabulosa extant; periti vero ex Neotericis Medici, hoc cujusdam arboris, qui cortice ablato, squamosam Draconis pellem referat, sobolem esse contendunt, & tum propter hanc, tum colorem instar sanguinis rubrum hoc nominis sortitum esse: Quem sensum inprimis Nicolaus Monardus, Historia sua, simplicium in occidentalibus Indiis nascentium tuetur. Alii vero hoc gummi, ex fructu quodam rotunda, cerasis conformi, in arbore quadam, qui Draco vocetur, progigni autumant. Quidquid id sit, certum est, ipsum nullius generis animalium sanguini, sed vegetabili cuidam substantiæ, originem suam acceptam referre. Raro autem hactenus absque fraude purum nobis oblatum est: quo factum, ut quidam mixturam ex sanguine hirci, bolo armeno, prunis sylvestribus, aliisque adstringentibus succis & fructibus confe-

ſtiam pectoris, aphoniam de fluxione inductam, oppilationes & duritiem uteri, ſuppreſſionem menſium, obſtructionem alvi ſummopere commendat: hoc vero, ut alia exotica, raro fraude & mangonio caret, ut etiam illud, quod à pluribus præſtantiſſimum celebratur, (ſed à Dioſcoride fallaciam ridente exploſum,) ſtyrax vermicularis dicta, aliarum enim rerum admixtione, adulteratum, Sole fervidiore exiſtente per ſetaceum agitur, ut talem formam acquirat.

Illud vero melioris, ſecundum præfatum Authorem, notæ, nondum, aut raro admodum, nobis obtinere licet. Quare optimum quodque, ad nos delatum, quod colore rubro, & ſubſtantia reſinoſa conſtat, uſu medico, exigente, in modum ladani paulo ante dictum ſolutum ab impuritatibus liberatur. Cæterum probatur carbonibus injectum, odore Balſamo Peruviano ſimili fragrantiſſimum: Si vero nidoroſo, & alieno nares feriat, aut aqua roſarum ſolutum, dulcedinem amittat aut pinguedinem fundat; pingui aliquo, aut melle, aut alia re adulteratum eſſe ſuſpicio eſt.

CAP. IX.

De Styracis liquidæ clarificatione.

STyrax liquida, tenacis, & reſinoſæ ſubſtantinæ, Therebinthiæ comuni, & impuriori ſimilis, colore pellucido, & quandoque ex cinereo fuſco reſplendet, odoris penetrantis & quaſi acidum quid referentis. Dioſcorides libro. 1. cap. 6. 7. duas ſpecies Myrrhæ recenſet, unam Pediſmon, alteram Gabiream vocatam, ex qua ſtyracum liquidam exprimi docet. In cujus ſententiam Medici quidam cedunt, alii vero diſſentiunt, & liquidam ex priori calamita certo modo extractam eſſe ſtatuunt; quidquid autem ſit, nec colore, nec odore aut ſapore, cum gummi illo, quod pro Myrrha accipimus, affinitatem ullam habet, & in igne odorem ſtyracis calamitæ diffundit & ſequenti modo depurata, inſignem liquorem balſamicum ſuppeditat. ℞. Styracis liquidæ ℔ij. ex his, per cucurbitam, in arena, moderato igne, ne aduratur (qua opera ſimul aliquid pingue pellucidum vehementis odoris inſtar ſpiritus Therebinthinę exſtillat, quod per ſe vel unguentis mixtum, uſui medico commodare poteſt, humiditas abſtrahitur; reſidua vero pars ſtyracis, adhuc calens, linteo excepta, in patinam terream vitreatam exprimitur, ut nihil niſi impurum recrementum reliquum ſit. Quare iterum in cucurbita, alembico cæco inſtructa, Spiritus Vini rectificatiſſimi ℔iiij. affuſis Balnei Mariæ calore ad manus tolerabili, agitando per vices materiam, integro die foveri decet. Ab hoc porro liquore refrigerato, & à fæcibus per colaturam purgato, Spiritus Vini calore Balnei Mariæ abſtrahitur; poſt quem ſubſtantia, inſtar Balſami ab Indis ad nos delati, & Copal dicti, quædam fuſca, & reſinoſa remanet; quæ præſtantiorem hac præparatione odorem nacta, vitreo vaſe ſervanda eſt.

Balſamus ſtyracis calefacit, emollit, attenuat, maturat, attrahit, qua de cauſa per ſe, vel unguentis, & emplaſtris mixtus, externorum affectuum, in quibus medicamenta ejuſcemodi facultatis requiruntur, uſui convenit. Dolorem ex frigore natum, vi balſamica tollit, conſolidationem vulne-

rum

rum promovet: intra corpus sumendum, nondum quipem obtuli, nullus tamen dubito, quin, quam Balsamus Peruvianus, aut liquidanbar, quæ fere acrioris, & calidioris facultatis sunt, æque tuto administrari possit: Ad composita odorifera gratiora reddenda, ad trochiscos, & candelas fumales cinamomo præcipue mixtas, ipsa styrace Calamita præstantior est: Quæ in gratiam Studiosorum hujusce artis addere placuit.

CAP. X.

De Assæ dulcis repurgatione.

Assa dulcis, gummi cujusdam elegans species, Ammoniaco fere similis, consistentiæ tamen aridæ, adeo ut nec manuum calore emolliri queat. Cæterum pergrati est odoris, & penetrantis qualitatis; quæ ex pulveris contritione, ad cerebrum delata, sternutatione largam pituitam excutit, ejusque fumus, copiosius admissus, non solum caput tentat, sed etiam pectus & pulmones, (non minus quam Sulphur minerale, cum quo etiam præcipuis siccandi, detergendi, extrahendi, & putredinem arcendi viribus convenit:) suffocationem quodammodo excitando infestat: Unde non modo, artem perfumandi sectantibus, ob singularem odoris præstantiam, sed etiam Medicis pulverisata aut sublimata, ad pectus crassorum humorum infarctu expediendum in linctus tabulata, & trochiscos recepta, non minus quam ipsum Sulphuris sublimatum freqnenti in usu est. Ex quo aliqui pro illis, qui olida unguenta, & emplastra moleste ferunt, convenienti additione, emplastrum spleneticum nobile componunt.

Ejus purificatio talis est: Gummi hujus pulverisati ℔j. affusis Spiritus Vini rectificati in cucurbita ℔ij. per horam in Balneo Mariæ aliquoties agitando, donec solutus liquor, colorem vernicis æmulum præferat: A quo refrigerato, decantato, per pannum, in vitrum, ad separationem fæcum percolato, Spiritus Vini per Balneum Mariæ abstrahitur, ad remanentiam materiæ rubicundæ, & splendentis, secundum doctrinam, supra de Myrrha traditam. Porro ad odoris ex Spiritu Vini contracti ablationem aliquoties aqua rosarum elota, lapideo vase obturato reconditur. Qui vero hunc sumptum ac laborem ferre recuset, methodum de Ladano præscriptam sequi poterit.

CAP. XI.

De purgatione sanguinis Draconis.

De origine hujus gummi, multa fabulosa extant; periti vero ex Neotericis Medici, hoc cujusdam arboris, qui cortice ablato, squamosam Draconis pellem referat, sobolem esse contendunt, & tum propter hanc, tum colorem instar sanguinis rubrum hoc nominis sortitum esse: Quem sensum inprimis Nicolaus Monardus, Historia sua, simplicium in occidentalibus Indiis nascentium tuetur. Alii vero hoc gummi, ex fructu quodam rotunda, cerasis conformi, in arbore quadam, qui Draco vocetur, progigni autumant. Quidquid id sit, certum est, ipsum nullius generis animalium sanguini, sed vegetabili cuidam substantiæ, originem suam acceptam referre. Raro autem hactenus absque fraude purum nobis oblatum est: quo factum, ut quidam mixturam ex sanguine hirci, bolo armeno, prunis sylvestribus, aliisque adstringentibus succis & fructibus confe-

ſtiam pectoris, aphoniam de fluxione inductam, oppilationes & duritiem uteri, ſuppreſſionem menſium, obſtructionem alvi ſummopere commendat: hoc vero, ut alia exotica, raro fraude & mangonio caret, ut etiam illud, quod à pluribus præſtantiſſimum celebratur, (ſed à Dioſcoride fallaciam ridente exploſum,) ſtyrax vermicularis dicta, aliarum enim rerum admixtione, adulteratum, Sole fervidiore exiſtente per ſetaceum agitur, ut talem formam acquirat.

Illud vero melioris, ſecundum præfatum Authorem, notæ, nondum, aut raro admodum, nobis obtinere licet. Quare optimum quodque, ad nos delatum, quod colore rubro, & ſubſtantia reſinoſa conſtat, uſu medico, exigente, in modum ladani paulo ante dictum ſolutum ab impuritatibus liberatur. Cæterum probatur carbonibus injectum, odore Balſamo Peruviano ſimili fragrantiſſimum: Si vero nidoroſo, & alieno nares feriat, aut aqua roſarum ſolutum, dulcedinem amittat aut pinguedinem fundat; pingui aliquo, aut melle, aut alia re adulteratum eſſe ſuſpicio eſt.

CAP. IX.

De Styracis liquidæ clarificatione.

Styrax liquida, tenacis, & reſinoſæ ſubſtantinæ, Therebinthiæ comuni, & impuriori ſimilis, colore pellucido, & quandoque ex cinereo fuſco reſplendet, odoris penetrantis & quaſi acidum quid referentis. Dioſcorides libro. 1. cap. 6. 7. duas ſpecies Myrrhæ recenſet, unam Pediſmon, alteram Gabiream vocatam, ex qua ſtyracum liquidam exprimi docet. In cujus ſententiam Medici quidam cedunt, alii vero diſſentiunt, & liquidam ex priori calamita certo modo extractam eſſe ſtatuunt; quidquid autem ſit, nec colore, nec odore aut ſapore, cum gummi illo, quod pro Myrrha accipimus, affinitatem ullam habet, & in igne odorem ſtyracis calamitæ diffundit & ſequenti modo depurata, inſignem liquorem balſamicum ſuppeditat. ℞. Styracis liquidæ ℔ij. ex his, per cucurbitam, in arena, moderato igne, ne aduratur (qua opera ſimul aliquid pingue pellucidum vehementis odoris inſtar ſpiritus Therebinthinę exſtillat, quod per ſe vel unguentis mixtum, uſui medico commodare poteſt) humiditas abſtrahitur; reſidua vero pars ſtyracis, adhuc calens, linteo excepta, in patinam terream vitreatam exprimitur, ut nihil niſi impurum recrementum reliquum ſit. Quare iterum in cucurbita, alembico cæco inſtructa, Spiritus Vini rectificatiſſimi ℔iij. affuſis Balnei Mariæ calore ad manus tolerabili, agitando per vices materiam, integro die foveri decet. Ab hoc porro liquore refrigerato, & à fæcibus per colaturam purgato, Spiritus Vini calore Balnei Mariæ abſtrahitur; poſt quem ſubſtantia, inſtar Balſami ab Indis ad nos delati, & Copal dicti, quædam fuſca, & reſinoſa remanet; quæ præſtantiorem hac præparatione odorem nacta, vitreo vaſe ſervanda eſt.

Balſamus ſtyracis calefacit, emollit, attenuat, maturat, attrahit, qua de cauſa per ſe, vel unguentis, & emplaſtris mixtus, externorum affectuum, in quibus medicamenta ejuſcemodi facultatis requiruntur, uſui convenit. Dolorem ex frigore natum, vi balſamica tollit, conſolidationem vulne-

rum

rum promovet: intra corpus sumendum, nondum quipem obtuli, nullus tamen dubito, quin, quam Balsamus Peruvianus, aut liquidanbar, quæ fere actioris, & calidioris facultatis sunt, æque tuto administrari possit: Ad composita odorifera gratiora reddenda, ad trochiscos, & candelas fumales cinamomo præcipue mixtas, ipsa styrace Calamita præstantior est: Quæ in gratiam Studiosorum hujusce artis addere placuit.

CAP. X.

De Assæ dulcis repurgatione.

ASsa dulcis, gummi cujusdam elegans species, Ammoniaco fere similis, consistentiæ tamen aridæ, adeo ut nec manuum calore emolliri queat. Cæterum pergrati est odoris, & penetrantis qualitatis; quæ ex pulveris contritione, ad cerebrum delata, sternutatione largam pituitam excutit, ejusque fumus, copiosius admissus, non solum caput tentat, sed etiam pectus & pulmones, (non minus quam Sulphur minerale, cum quo etiam præcipuis siccandi, detergendi, extrahendi, & putredinem arcendi viribus convenit:) suffocationem quodammodo excitando infestat: Unde non modo, artem perfumandi sectantibus, ob singularem odoris præstantiam, sed etiam Medicis pulverisata aut sublimata, ad pectus crassorum humorum infarctu expediendum in linctus tabulata, & trochiscos recepta, non minus quam ipsum Sulphuris sublimatum frequenti in usu est. Ex quo aliqui pro illis, qui olida unguenta, & emplastra moleste ferunt, convenienti additione, emplastrum spleneticum nobile componunt.

Ejus purificatio talis est: Gummi hujus pulverisati ℔j. affusis Spiritus Vini rectificati in cucurbita ℔ij. per horam in Balneo Mariæ aliquoties agitando, donec solutus liquor, colorem vernicis æmulum præferat: A quo refrigerato, decantato, per pannum, in vitrum, ad separationem fæcum percolato, Spiritus Vini per Balneum Mariæ abstrahitur, ad remanentiam materiæ rubicundæ, & splendentis, secundum doctrinam, supra de Myrrha traditam. Porro ad odoris ex Spiritu Vini contracti ablationem aliquoties aqua rosarum elota, lapideo vase obturato reconditur. Qui vero hunc sumptum ac laborem ferre recuset, methodum de Ladano præscriptam sequi poterit.

CAP. XI.

De purgatione sanguinis Draconis.

DE origine hujus gummi, multa fabulosa extant; periti vero ex Neotericis Medici, hoc cujusdam arboris, qui cortice ablato, squamosam Draconis pellem referat, sobolem esse contendunt, & tum propter hanc, tum colorem instar sanguinis rubrum hoc nominis sortitum esse: Quem sensum inprimis Nicolaus Monardus, Historia sua, simplicium in occidentalibus Indiis nascentium tuetur. Alii vero hoc gummi, ex fructu quodam rotunda, cerasis conformi, in arbore quadam, qui Draco vocetur, progigni autumant. Quidquid id sit, certum est, ipsum nullius generis animalium sanguini, sed vegetabili cuidam substantiæ, originem suam acceptam referre. Raro autem hactenus absque fraude purum nobis oblatum est: quo factum, ut quidam mixturam ex sanguine hirci, bolo armeno, prunis sylvestribus, aliisque adstringentibus succis & fructibus confe-

stiam pectoris, aphoniam de fluxione inductam, oppilationes & duritiem uteri, suppressionem mensium, obstructionem alvi summopere commendat: hoc vero, ut alia exotica, raro fraude & mangonio caret, ut etiam illud, quod à pluribus prestantissimum celebratur, (sed à Dioscoride fallaciam ridente explosum,) styrax vermicularis dicta, aliarum enim rerum admixtione, adulteratum, Sole fervidiore existente per setaceum agitur, ut talem formam acquirat.

Illud vero melioris, secundum præfatum Authorem, notæ, nondum, aut raro admodum, nobis obtinere licet. Quare optimum quodque, ad nos delatum, quod colore rubro, & substantia resinosa constat, usu medico, exigente, in modum ladani paulo ante dictum solutum ab impuritatibus liberatur. Cæterum probatur carbonibus injectum, odore Balsamo Peruviano simili fragrantissimum: Si vero nidoroso, & alieno nares feriat, aut aqua rosarum solutum, dulcedinem amittat aut pinguedinem fundat; pingui aliquo, aut melle, aut alia re adulteratum esse suspicio est.

CAP. IX.

De Styracis liquidæ clarificatione.

Styrax liquida, tenacis, & resinosæ substantiæ, Therebinthiæ comuni, & impuriori similis, colore pellucido, & quandoque ex cinereo fusco resplendet, odoris penetrantis & quasi acidum quid referentis. Dioscorides libro. 1. cap. 6. 7. duas species Myrrhæ recenset, unam Pedismon, alteram Gabiream vocatam, ex qua styracum liquidam exprimi docet. In cujus sententiam Medici quidam cedunt, alii vero dissentiunt, & liquidam ex priori calamita certo modo extractam esse statuunt; quidquid autem sit, nec colore, nec odore aut sapore, cum gummi illo, quod pro Myrrha accipimus, affinitatem ullam habet, & in igne odorem styracis calamitæ diffundit & sequenti modo depurata, insignem liquorem balsamicum suppeditat. ℞. Styracis liquidæ ℔ij. ex his, per cucurbitam, in arena, moderato igne, ne aduratur (qua opera simul aliquid pingue pellucidum vehementis odoris instar spiritus Therebinthinę exstillat, quod per se vel unguentis mixtum, usui medico commodare potest, humiditas abstrahitur; residua vero pars styracis, adhuc calens, linteo excepta, in patinam terream vitreatam exprimitur, ut nihil nisi impurum recrementum reliquum sit. Quare iterum in cucurbita, alembico cæco instructa, Spiritus Vini rectificatissimi ℔iiij. affusis Balnei Mariæ calore ad manus tolerabili, agitando per vices materiam, integro die foveri decet. Ab hoc porro liquore refrigerato, & à fæcibus per colaturam purgato, Spiritus Vini calore Balnei Mariæ abstrahitur; post quem substantia, instar Balsami ab Indis ad nos delati, & Copal dicti, quædam fusca, & resinosa remanet; quæ præstantiorem hac præparatione odorem nacta, vitreo vase servanda est.

Balsamus styracis calefacit, emollit, attenuat, maturat, attrahit, qua de causa per se, vel unguentis, & emplastris mixtus, externorum affectuum, in quibus medicamenta ejuscemodi facultatis requiruntur, usui convenit. Dolorem ex frigore natum, vi balsamica tollit, consolidationem vulne-

rum

rum promovet: intra corpus sumendum, nondum quipem obtuli, nullus tamen dubito, quin, quam Balsamus Peruvianus, aut liquidanbar, quæ fere actioris, & calidioris facultatis sunt, æque tuto administrari possit: Ad composita odorifera gratiora reddenda, ad trochiscos, & candelas fumales cinamomo præcipue mixtas, ipsa styrace Calamita præstantior est: Quæ in gratiam Studiosorum hujusce artis addere placuit.

CAP. X.

De Assæ dulcis repurgatione.

Assa dulcis, gummi cujusdam elegans species, Ammoniaco fere similis, consistentiæ tamen aridæ, adeo ut nec manuum calore emolliri queat. Cæterum pergrati est odoris, & penetrantis qualitatis; quæ ex pulveris contritione, ad cerebrum delata, sternutatione largam pituitam excutit, ejusque fumus, copiosius admissus, non solum caput tentat, sed etiam pectus & pulmones, (non minus quam Sulphur minerale, cum quo etiam præcipuis siccandi, detergendi, extrahendi, & putredinem arcendi viribus convenit:) suffocationem quodammodo excitando infestat: Unde non modo, attem persumandi sectantibus, ob singularem odoris præstantiam, sed etiam Medicis pulverisata aut sublimata, ad pectus crassorum humorum infarctu expediendum in linctus tabulata, & trochiscos recepta, non minus quam ipsum Sulphuris sublimatum frequenti in usu est. Ex quo aliqui pro illis, qui olida unguenta, & emplastra moleste ferunt, convenienti additione, emplastrum spleneticum nobile componunt.

Ejus purificatio talis est: Gummi hujus pulverisati ℔j. affusis Spiritus Vini rectificati in cucurbita ℔ij. per horam in Balneo Mariæ aliquoties agitando, donec solutus liquor, colorem vernicis æmulum præferat: A quo refrigerato, decantato, per pannum, in vitrum, ad separationem fæcum percolato, Spiritus Vini per Balneum Mariæ abstrahitur, ad remanentiam materiæ rubicundæ, & splendentis, secundum doctrinam, supra de Myrrha traditam. Porro ad odoris ex Spiritu Vini contracti ablationem aliquoties aqua rosarum elota, lapideo vase obturato reconditur. Qui vero hunc sumptum ac laborem ferre recuset, methodum de Ladano præscriptam sequi poterit.

CAP. XI.

De purgatione sanguinis Draconis.

De origine hujus gummi, multa fabulosa extant; periti vero ex Neotericis Medici, hoc cujusdam arboris, qui cortice ablato, squamosam Draconis pellem referat, sobolem esse contendunt, & tum propter hanc, tum colorem instar sanguinis rubrum hoc nominis sortitum esse: Quem sensum inprimis Nicolaus Monardus, Historia sua, simplicium in occidentalibus Indiis nascentium tuetur. Alii vero hoc gummi, ex fructu quodam rotunda, cerasis conformi, in arbore quadam, qui Draco vocetur, progigni autumant. Quidquid id sit, certum est, ipsum nullius generis animalium sanguini, sed vegetabili cuidam substantiæ, originem suam acceptam referre. Raro autem hactenus absque fraude purum nobis oblatum est: quo factum, ut quidam mixturam ex sanguine hirci, bolo armeno, prunis sylvestribus, aliisque adstringentibus succis & fructibus confe-

ctam, & nomine sanguinis draconis notatam, in usum duxerint: Cui suum quoque pretium relinquo.

At nullo non tempore impostores dolum meditantur, qui compositum quoddam ex gummi Arabico, & tinctura ligni Brasiliensis, aut fecibus tincturæ granorum Chermes, coloris rubri in orbiculos redactum, pro genuino sanguine draconis, sæpe distrahunt; cujus usum cavendum esse adhortor. Genuinus colore rubro subobscuro splendescit, variis figuris, rotundis, vel oblongis, quemadmodum cætera gummata, ex arboribus stillantia, & in grana coagulata conspiciuntur, utplurimum segmentis corticis vel ligni, ex quo profluxit, intermixtis: Hic vehementer siccus; nullo manifesto odore, aut sapore præditus, & in pulverem contritus, colorem rubrum pingendis vitreis vasis instar vernicis aptum præbet, demum nec aqua, nec oleo, sed uno Spiritu Vini solubilis, quibus signis quoad externam etiam formam, aut colorem, factitius, aut mãgonisatus minime respondet, sed lentus est, tenax, cito humescens, attritu difficilis, pallorem contrahens & cum aqua, ut Tragacanthum, aut gummi Arabicum misceri ac uniri aptus. Vidi aliquoties, præsertim Hamburgi, apud admodum doctum, & in rebus Pharmaceuticis versatissimum Dn. Benedictum Glück / amplissimi ibidem Senatus Pharmacopæum juratum, peculiarem speciem, in bacillos longos efformatam, foliis Ericæ similibus involutam, quam omnibus notis, & virium præstantia, cum genuino sanguine draconis convenientem, sine ulteriore præparatione, ipso effectu probavi. In qua forma, haud multo post tempore factitios irrepsisse sensi, qui cum modo specie descripta, minime conferri potuere, quapropter sanguinis draconis usu indigentes, in ejusdem electione cautos esse jubeo. Reperitur etiam hoc gummi in magna frusta concretum, quod nullo modo improbandum.

Hoc gummi, frigidi, & sicci temperamenti est, facultatis adstringentis, & adglutinantis, quibus venas apertas claudere, interiora fracta sanare, & corroborare solet; omnibus sanguinis eruptionibus, ossium fracturis, herniis, dysenteriæ, hæmorrhoidum fluxui enormi, curandis præstans est remedium, ubicunque, nec venæ sectio, aut ventosarum applicatio, aliave medicamenta, secundum artis methodum præscripta, casu exigente quicquam evincere valuerunt, hoc in pulverem contritum, & artificiosa ligatura applicatum, quandoquidem sine ulla noxa, humorum affluxionem coercet, sinoviam sistit, vulnera consolidat, omnibus aliis facile præferendum esse, ipsa experientia cognovi.

Hujus frusta majora, sine aliena lignorum, alteriusve rei accretione puriora, nulla præparatione indigent, nisi ut in pollinem redacta ad usum serventur. Illi vero in granis quidem sed multis impuritatibus referto, modo alioqui sincerum sit, in pulverem contuso s. q. Spiritus Vini in Balneo Mariæ, ut dissolvatur, affunditur: huic qui sanguinem colore, & consistentia refert, per pannum colato, post Spiritus Vini (ut quarta pars reliqua supersit) abstractionem, in vitrea, aut terrea patina, aquæ plantaginis q. s. affunditur; quo gummi, quemadmodum in aliarum resinarum extra-

tra-

tractione dictum, à liquore separetur, idq; toties elotum, ne quid de spiritus vini odore supersit, exsiccatumque, & refrigeratum commòde in pulverem conteri possit. Dosis ejus à gr. 12. ad ℈j. aut summa necessitate postulante ʒß. quod pulverisatum, in succis appropriatis Berberorum, Ribium, Cidoniorum, Myrtillorum, Plantaginis, Bursæ Pastoris, cum aquis eorundem & saccharo conditis; ne crassities obstet, quo minus facile ad partes affectas penetret. Si cui usus Sacchari ad scopum facere non videatur; in gelatina ex pedibus vituli, sine sale, & aromatibus parata, adhuc calente, pro necessitate, sine periculo, tertio, vel sæpius offerri solet. Cæterum, usu dictante, aliis medicamentis misceri, vel ad composita, pro prudentis Medici judicio transferri potest.

APPENDIX

De

Mixturis præparantibus.

SEquuntur nunc, appendicis loco, aliquot, & quidem præcipua, ex vegetabilium Essentiis, composita, quæ ab aliis mixturæ vocantur; ac necessitate postulante, materiam peccantem, alterandi, concoquendi, refrenandi, attenuandi, emolliendi, detergendi, meatuum interiorum asperitatem leniendi, eorundem obstructiones aperiendi, aliarumque intentionum causa, ante, cum, & post cathartica, in morborum curis absolvendis, magno ægrotantium solatio adhibentur.

I.

Mixtura lenitiva, aperitiva, frigida, temperata.

℞. Essentiar. rad. Cichor. Sylvest.
Graminis
Oxalidis ana ℥ij.
Violar. cærul.
Rosar. rubr. ana ℥j.
Glycyrrhizæ ℥ß.
Passular. albarum ℥iiiß.

Hæ Essentiæ, in concha vitrea super vaporem aquæ calentis eliquatæ, probe misceantur; ac porro in vitreis vasis, ad usum recondantur.

Vires: Mixtura hæc, moderate refrigerat, attenuat, aperit, digerit, & abunde resolvit, ad expediendos infarctus, jecoris, lienis, venarum mesaraicarum, ad apparatum humorum evacuationi idoneum, & ipsum corpus habile efficiendum, summopere expetita. Adicterum insuper, cachexiam febres prolixas, morbos inveteratos, humorum fervorem, & acrimoniam abolendam, in teneris præsertim constitutionibus quas violentius alterare nefas est, peropportuna est. Dosis ejusdem à ʒß. ad ʒij. pro ratione, & necessitate indicantium.

II.

Mixtura lenitiva, aperitiva, calida, temperata.

℞. Essentiæ Agrimonii
Betonicæ
Rad. Scorzoneræ
Fumariæ ana ℥j.
Flor. Borraginis ℥iß.
Glycyrrhizæ ℥ß.

Caricarum ℥ij.
Elæosacchari Anisi ʒß.

Hæc ipsa, ad normam præcedentis fit, eiq; demum Elæosaccharum conjungitur.

Vires: Admodum temperata vi calefaciendi, & digerendi, ad affectus diuturnos, & obstructiones ex frigida materia tollendas, nec non viscera corroborandi virtute pollet. Dosis eadem cum superiore.

III.

Mixtura carminativa.

℞. Essentiæ Summitatum fœniculi.
Florum Chamæmeli ℥j.
Baccar. Lauri
Thymi
Rad. Gentianæ ℥ß.
Caricarum ℥iiiß.
Elæosacchari Carvi recentis. ʒj.

Vires: Hæc mixtura calfaciens, crudam, & frigidam colluviem, in ventriculi, & intestinorum cavitate, restagnantem resolvit, detergit, ad evacuationem disponit, flatusque exin ortos dissipat; dolori colico, & tympanitidi benefacit, urinarum, & mensium tarditatem corrigit, quam aliquando, sub ipsum exhibendi tempus, acidi Tartari mixtione acuere licet. Dosis à ʒß. ad ʒj.

IV.

Mixtura Diuretica.

℞. Essentiæ Parietariæ ℥ij.
Rad. Ononidis ℥iß.
Pimpinel. hircinæ.
Sem. Saxifr. albæ ana ʒvj.
Glycyrrhizæ.
Baccar. Juniperi, ana ℥j.
Fruct. Alkenkengi ana ℥iij.
Elæosacch. cerefolii ʒj. Misce.

Vires: Ureterum meatus, viscido, & tenaci humore impeditos liberat, calculum dissolvit, arenulas, & flatus exigit conclusos, lumborum, ac dorsi dolores, ex urinæ retentione obortos pacat, ad splenis, ex copia seri, instar spongiæ turgentis incommoda; aquam intercutem, ac reliquos affectus, ad quos diureticorum usus requiritur, valde competit: quæ ipso usus tempore spiritus salis gemmæ rectif. guttis 6. vel 8. acuata efficacior fit. Dosis eadem, quæ supradictorum.

V.

Mixtura Acetosa.

℞. Succi Oxalidis clarificati ℔viij.
Tamarindorum recent ℔j.

Fructus Tamarindorum, in præfato succo dissolvitur, opus continuando, donec, ex data in capite octavo, primæ sectionis instructione, amborum Essentiæ confusæ, istam consistentiam consecutæ fuerint.

Essentia hæc composita, & ea industria elaborata, ut non modo sine Empyreumate libera, sed etiam tartaris suis acidis, & teneris, adhuc prægnans existat, sapore acuto, & penetrante, ac omnimodo ipsis Limonum, Citri, Granatorum, ac Berberorum succis, suavitate non modo æqualis, quocunque modo extractis & paratis, sed etiam illos, cum brevi temporis spatio amarescant, vigoris constantia superat.

Vires: Non solum fervori humorum biliosorum extinguendo, sed etiam viscidi, & ter-

terrestris recrementi admixtione pertinaciorem redditam, attenuare, & abstergere, ut & sanguinem, à calidis ichoribus mundare, ac per urinam expurgare, sitim lenire, fauces recreare, vires cordis, ventriculi, & hepatis, immodico calore exsolutas revocare, succos alimentarios, à putredine, ac ipsum corpus, à pestilenti maligna affectione vindicare, materiamq; oppilantem, glutinosam, æque prompte ac quodvis aliud, ex acidis ad hæc appropriatum incidere, eoque modo Scorbuti characterem obscurare potis est, & variis omnino scopis, per se, aut aliis mixta, inservit. Dosis ejus à ℈j. ad ʒj. circiter pro re nata.

VI.

Mixtura Plantaginis.

℞. Essentiæ foliorum Plantaginis ℥iiij.
Rad. Nymphex.
Violar. cærul. ana ℥j.
Rosar. rub.
Capit. Papav. alb. ana ʒiij.
Camphoræ purificatæ ʒß.
Fragorum Sylvestrium ℥vj.
Misce.

Vires: Mixtura hæc refrigerans, fluidos, biliosos ichores sistere, acrimoniam eorum ut evacuantibus promptius cedant, infringere, febres, dolores capitis, somnia terrifica, insaniam, sitim, ac omnes morbos ex bilis ferocia pullulantes, libidinem effrænatam compescere, gonorrhæam, & fluorem muliebrem corrigere, somnum invitare, partium principum febrili ardore dejectas vires, suscitare solet efficaciter, Dosis à ʒj. ad ʒiß.

Essentiæ Rad. Nymphex præparatio talis est, ut sequitur: Radici Nymphex siccatæ, & in taleolos concisæ, in olla optime vitreata, aquæ Nymphex ferventis, ℔iv. affunduntur, absque commotione infusum per noctem quiescat, hinc liquor pellucidus, flavus, per setaceum, sine expressione coletur, colatum usitato modo, leni evaporatione, in consistentiam cogitur. Hic ipse modus, in radicum Altheæ, Symphyti, & similium mucilaginosarum extractione optimus est. At cum hujuscemodi Essentiæ cito rancescant, haud multo ante ipsius mixturæ confectionem eas parare consultum est.

VII.

Mixtura Betonicæ.

℞. Essent. Betonicæ ℥iiij.
Summit. fæniculi ℥ij.
Acori Matthioli
Thymi ana ℥ß.
Passularum.
Caricarum ana ℥iij.
Salis Absynthii granulati ℥ß.
Elæosacch. Origani.
fæniculi ana ℈j.
Misce.

Vires: Hæc mixtura pituitosis, crassis humoribus incidendis, & abstergendis apta est, eoque nomine pectus, stomachum, hepar, lienem, renes, uterum, & cætera viscera hisce gravata relevat, calfacit, & confortat. Dosis à ʒß. ad ʒj.

VIII.

Mixtura de Buglosso.

℞. Essent. florum Buglossi, vel Borrag.
Malorum refrag. ana ℥ij.
Viol. cærul. ℥j.

Flor.

Flor.perforat ʒij.
Elæosacchari Melissæ ℈j. Misce.

Vires: Ad utramque bilem, eatumque adustas fuligines, unde cordis, & cerebri gravia accidentia, utpote vertigo, cephalalgia, somnia terra, mania, lipothymia, oboriuntur, sine noxa coercendas efficax est. Dosis à ʒj. ad ʒij.

IX.

Mixtura Fumariæ.

℞. Essent. Fumariæ ℥iiij.
Cerefolii
Asplenii ana ℥ij.
Polypodii quercini ana ℥j.
Tartari Acetol. depuratiss. & subtil. pulverizati ℥j.
Elæosacchari sem. Cerefol. ʒß.
Misce.

Vires: Potens est hæc tinctura, crassam, tenacem, feculentam, ac terrestrem cum atra bile congeriem, edomare, & per urinam subducere, pertinaces viscerum obstructiones solvere, sanguinem à putrida, acri, salsa, & adusta infectione mundare, arquatum, febrem quartanam, nec non scirrhos hepatis, ac lienis, melancholiam hypochondriacam, scorbutum, cancrum, psoram, lichenes, morbum gallicum, in habitum corporis serpentem, pustulasque & tophos germinantem, ac quosvis alios, hujus farinæ affectus, mitigare novit. Dosis à ℈j. ad ʒj.

X.

Mixtura de Anagallide.

℞. Essent. Anagallidis flore rubro ℥ij.
Betonicæ
Fl. primulæ veris ana ℥j.
Ivæ Artheticæ
Salviæ
Acori Matthioli
Majoranæ ana ʒß.
Elæosacchari Rorismarini ʒj. Misce.

Vires: Appropriata est, contra apoplexiam, spasmum, epilepsiam, lethargum, tinnitus aurium, memoriæ lapsum, articulorum dolores, ex humorum affluxu, aliosque affectus ex cruda, frigida, & flatulenta materia obortos, plurimum valet. Dosis à ℈j. ad ʒj.

XI.

Mixtura Althea.

℞. Essent. rad. Altheæ.
Symphyti.
Viol. cærul. ana ℥j.
Glycyrrhizæ ℥ß.
Cortic. Papav. albi ℥ij.
Jujubarum ℥iiij.
Gum. Tragacanth.
Arabici subtil. pulveriz. ana ʒij.
Misce.

Vires: Mixtura hæc pectori, pulmonibus, & faucibus, calidorum, acriumque humorum influxu tentatis, refrigerandi, humectandi, ac leniendi virtute, expectorationem promovendo; ut etiam phtisi, peripneumoniæ, pleuritidi biliosæ, exulcerationi renum, ureterum, gonorrhϾ malignæ inveteratæ, unde dolores, & symptomata varia oboriuntur, una simulque acrimoniam urinæ obtundendo, sabulum, & sordes blande subducendo, egregie opitulatur. Dosis ʒß. plus minus, pro ratione necessitatis,

XII.

XII.

Mixtura de Tussilagine.

℞. Essent. Tussilag. ℥iij.
Hyssopi ℥iß.
Glycyrrhizæ ʒvj.
Rad. Helenii
Prassii sive Marrubii albi ana ℥ß.
Fæculæ Aronis ℥j.
Elæosacchari fæniculi dulc. ʒj.

Vires: Calfaciendo, maturando, incidendo & abstergendo affectus pectoris, pulmonum, utpote, anhelosam tussim, angustiam respirationis, à crassorum, ac viscidorum humorum infarctu, expectorationem promovendo, oppido juvat. Dosis hujus mixturæ à ℈j. ad ʒß.

XIII.

Mixtura de papavere erratico.

℞. Essent. fl. papav. Rhæadis ℥ij.
Scabiosæ ℥j.
Betonicæ
Cardui bened. ana ℥ß. Misce.

Vires: Contra pleuritidem, tam in principio antequam radicem fixerit, materiam adhuc fluxilem, per sudorem, & insensibilem transpirationem consumendo, quam in ipso statu, apostema rumpendo, & mundificando; ut &, ad omnem purulentam, cruentam, & fœtidam saniem, in pectoris cavitate contentam, expurgandam, remedium est specificum. Dosis à ℈j. ad ʒj.

XIV.

Mixtura Myrtillorum.

℞. Essent. fruct. Myrtill. cum aqua plantag.
vel Bursæ pastoris ext. ℥ij.
de rosis siccis ℥j.
Acaciæ nostræ ʒij.
Cydoniorum ℥iij. ʒij. Misce.

Vires: Hæc adstringendi, & refrigerandi potentia, acres, & subtiles, à capite defluxiones, ad pectus ruentes, coercere, ac partes labefactas corroborare, & quemcunque, per inferiora & superiora, sanguinis & alvi fluxum, uteri potissimum, acrem & biliosum sistere; gonorrhæam virulentam, moderata adstrinctione, putredinis correctiõe, sanare valet. Dosis cõmunis ʒß.

Quomodo Essentia Cidoniorum, ad hanc mixturam requisita, præparetur.

Cidoniorum selectorum & maturorum, cum corticibus in tenues, & oblongas taleolas concisorum, q. s. rejectis seminibus cucurbitæ indatur, & affusa aqua rosarum, ad eminentiam aliquantulam, alembico cæco apposito & in Balneo Mariæ ut Cidonia emollescant foveatur, hinc aqua rosarum aliquantulum tincta & separata, reliquum levi expressione, ne quid viscidum admisceatur, quod cum aqua dicta conjunctum, iterum blande, ne quod empyreuma contrahat, inspissetur. Essentia gustu & visu gratissima existit.

XV.

Mixtura de Rubo Idæo.

℞. Essent. fruct. Rubi Idæi ℥viij.
Cydoniorum cum aq. Ros. ext. ℥iiij.
Elæosacchari de corticibus limon. recen. ℈j. Misce.

Vires: Vi refrigerante, & adstringente,

te gratæ aciditati conjuncta æstum ebullientis bilis infringit; & specifica proprietare, cor, ac spiritus vitales, contra cardialgiam aliosque affectus, ex calidorum, & venenatorum succorum insultu invalescentes defendit; alvi fluxum, & dysenteriam humorum acrimonia obortam sistit. Dosis ℥ij. plus minus, cum liquore convenienti.

XVI.

Mixtura Scorzoneræ.

℞. Essent. rad. Scorzoneræ ℥ij.
Herb. & rad. Galegæ ℥j.
Doronici
Fl. Tunicæ rub. ana ℥ß.
Oxysalis diaphoretici ʒiij.
Elæosacchari Melissæ
De cortic. Citri ana ℈ß. Misce.

Vires: Præstantissima antidotus, & simul cordis confortativum est, in febribus cōtagiosis, malignis, & pestilentibus necessarium, humores à centro corporis ad peripheriam, & materiam morbificam, in venis, & habitu corporis latentem, per insensilem transpirationem, vel sudorem modicum, evocando omnibus corporis constitutionibus, & cujuscunque corporis qualitatibus, admodum convenit. Dosis à ʒß. ad ʒj. Præparatio Oxysalis diaphoretici, ad calcem hujus tractatus reperitur.

XVII.

Mixtura Absynthiaca.

℞. Essent. Absynthii recent. ℥ij.
rad. Bened. caryophyl. ℥j.
Cort. arant.
Agerati ana ℥ß.
Elæosacchari Menthæ crispæ ʒj.
Misce.

Vires: Vim ventriculi, potissimum retentricem, ut & hepatis, frigore labefactatam exigit, dolores ejus placat, flatus dissipat, ictetum curat, bilem per urinam expedit, lumbricos ex corruptione ciborum natos deturbat. Dosis à ℈j. ad ʒj.

XVIII.

Mixtura de Arthemisia.

℞. Essent. fol. & flor. Arthemisiæ rub.
Fl. Chamæmeli ana ℥j.
Pulegii.
Melissæ ana ℥ß.
Valerianæ
Aristolochiæ longæ ana ʒij.
Fæculæ Bryoniæ ℥ß.
Elæosacchari Cinnamomi ℈j. Misce.

Vires: Calfacit, aperit, abstergit, menses ab infarctu pituitosi, & tenacis humoris impeditos promovet. Dosis à ℈j. ad ʒj.

XIX.

Mixtura chalybeata.

℞. Succi fumariæ ℔ viiij.
Tamarindor. recent. ℔ j.

Tamarindorum, in succo fumariæ, ut in Mixtura acida, dissolutorum liquor, in phialam robustam transfunditur cum ℥vj. subtilissimæ limaturæ chalybis, ex acieulis confecti: Vas continens operculo tectum, in arena calida ponatur, ut fermentatione quadam, per 3. vel 4. dies, sursum, deorsumque feratur materia, interim per intervalla agitando, detecto tamen vase, ne vi vaporum dissiliat, donec tandem penitus nigrescat. Liquor porro per pannum trajectus, ad

ad mellis consistentiam evaporet. Quæ mixtura saporem validum, à chalybe hac opera acore fere deleto mutuatur residuum in pulverem contritum, siccatum, asservatur, ad eandem mixturæ confectionem, quandoq; usui futurum. Vires: Ad inveteratas viscerum obstructiones, cachexiam, arquatum, & icterum flavum pellendum valet: Præcipue spleneticis, & melancholicis magno auxilio est. Dosis à ℈j. ʒß. ad ʒj.

XX.

Mixtura Alchimillæ.

℞. Essent. Alchimillæ ℥iij.
Saniculæ
Virgæ aureæ
Pirolæ
Vincæ pervincæ ana ʒvj.
Flor. papav. rhæados
Hyperici ana ℥ß.
Elæosacchari Nuc. moschatæ ℈j.
Misce.

Vires: Mixtura hæc adstringendi, abstergendi, & consolidandi facultate, partibus internis, exulceratis, purulentis, ac sauciatis, sanguini itē concreto, vulneribus, puncturis periculosis & rupturis, oppido auxiliatur. In quibusvis, & cujuscunque temperamenti hominibus, quotiescunque opus, sine periculi metu, à ℈j. ad ʒj. exhibetur.

De modo Elæosacchara parandi, quæ ad prædictas mixturas recipiuntur.

Quandoquidem olea destillata, utpote subtilia, penetrantia, & aromatica, aut de facili exhalare, aut rancida evadere, aut inter gestandum, vasis ruptis effundi possunt, huic damno, quo occurram, modum ea incorporandi, ante vinginti annos excogitavi.

℞. Sacchari subtilissime pulverizati, infundatur huic guttatim, & successive, oleum destillatum quantum capit, ut adhuc in forma pulveris subsistere possit, ac chartæ affricatus, solummodo illam aliqua pinguedine inficiat. Ad hanc normam similes, ex diversis oleis, mixturæ confici possūt, quę in vitreis organis, servatu faciles pro prudentis Medici judicio, ad medicamenta aromatizanda, eorundem vires augendas, pravas qualitates corrigendas frequenti sunt in usu, à me vero, antehac Magisteria vocabantur; licet ipsimet mihi Elæosacchari nomen magis competere nunc videatur. Quidam loco Sacchari, salem proprium, sed perperam admiscent; Neque enim Saccharum, æque ac Sal, qualitates oleorum, immutare solet.

Oxysalis Diaphoretici præparatio.

℞. Salis card. bened. in granis selecti, cui in concha paulatim spiritus aceti vini acerrimi, vel, (de quo, si DEUS annuat, in Saccharologia mea,) ex Saccharo per Balnei Mariæ lenem calorem, absque empyreumate parati, tantum affunditur, ut non modo sal solvatur, & fumus ex pugna utriusque orta, sistatur, sed etiam gratus, acidulusque sapor præcellat, cujus humiditas lenta porro evaporatione consumetur. Hinc ex sale denuo, in aqua rosarum soluto, & in Balneo Mariæ, per octo dies digesto, pulcherrimi, & pellucidi coloris liquor conspicitur, qui clarus in concham effusus, in consistentiam siccam iterum reducitur, & in vasis vi-

treis, accuratius occlusis servatur, ne ut proclivis est, externi aeris contactu liquescat.

Hoc numero Mixturas essentiarum vegetabilium, præter simplices Essentias, in promptu mihi existentes, ad usum asservo. Semina frigida majora, & minora, ad nulla composita, nisi mox exhibenda, facile admitto, cum ob oleagineam substantiam cito rancida fiant: Sed cum usus postulat, emulsiones recenter ex seminibus paratas aliis medicamentis miscere soleo. Quamvis suprascriptæ Mixturæ, etiam sine horum additione refrigerandi, humectandi, leniendi, & abstergendi virtute, nihilo inferiores sint.

Usus earum talis. Has in forma apozematis utplurimum, aut aquæ destillata, sero lactis, decocto hordei, aut cicerum dissolutas, & quandoque parte aliqua sacchari conditas porrigo: Quandoque vero frigore ob læsas partes calfaciendi, flatus discutiendi, urinas movendi causa, in vino, vel mulsa bene cocta, aut si scopus ferat vino saccharo dulcificato; quibusdam etiam in Julapio, alio ve liquore appropriato cum saccharo, vel Essentia passularum propinare soleo: Aliquas etiam, aquis destillatis, vino, aceto, prout usus exigit, commixtas addito saccharo aut melle clarificato in Syrupi consistentiam coqui jubeo, vel cum aliis speciebus, tabulata, linctus, & electuaria confici, aut in emulsione seminum frigidorum, vel hordei dissolvi, ac porro edulcorari, & aromatizari curo. In potu vero vulnerario, si quando humores, ac corpus, non tantum præparandi, sed simul laxandi, vel purgandi intentio prævalet, facilis labor est, cum cassia extracta, Syrupo violarum, aut rosarum, cum Sena & Rhabarbaro solutivo, aut aliis purgantibus id consequi: In quo etiam harum aliqua, vel deficit, vel excedit, additione unius, aut duarum aliarum, ut optatum effectum sortiatur, resarciri, ac multivariis aliis modis, earum usus limitari potest: qui cum erudito & dogmatico Medico, sine dubio, cogniti sunt, superfluum esse opinor, singulos recensere.

Tantum de præparantibus Mixturis: Quod singularia mea vomitoria, cathartica, diaphoretica, alexiteria, cordialia & hypnotica attinet, reliquis meis quibus comprehensa sunt, opusculis videre licet.

F I N I S.

HYDRO-

HYDRELÆOLOGIÆ
SECTIO I.

CAP. I.

De Aqua, in genere.

AQua, inter elementa mirabilis est, nec enim minus ipsa terra, cæterisque elementis, stupenda altissimi opera exhibet. Hæc enim tanquam volatilis, ac fluida substantia, ad ignis contactum, in vaporem conversa, ac in sublime ascendens, aëri, cum quo naturam analogicam, & symbolum gerit, permiscetur; iterumque frigidioris auræ allapsu, suopte pondere deorsum vergens, mox ad ingenium pristinum redit. Quod clarum, & obvium est in destillatione, tanquam exhalatione aliqua naturali, & artificali, ab igne vel Sole, mediante aliqua commotione, vel attractione, ut etiam in roris nubiumque condensatione, quotidiana experientia palam fit, quæ levissima causa, pro ambientis dispositione, in aquam resolutæ, ad terram delabuntur: Feracissima insuper, non modo, omnis generis piscium, sed etiam vegetabilium, varia figura, colore, & consistentia conspicuorum, quæ hoc nomine, turbæ Physicorum, amplissimum contemplandi campum exhibet. Admirandę porro quemadmodum ex navigatione patet, potestatis est, utut enim, corpus hoc, fluidum, ac molle, vastas tamen ad stuporem usque, remis velisque instructas machinas, ac immensa pondera sustinet, quæ ventis commota, cum aquilarum volatu celeritate facile contendant, nobisque hoc tramite, orbem universum pandit, & varias nationes perlustrare earumque linguas, ritus, mores, proprietates non sine fructu commerciorum cognoscere facit; sine quo Magnalia Creatoris, cum primo Mundi theatro edita, rerumque diversarum ortus, natura, & progressio, nostris non ita commode oculis paterent.

Quanta denique ejus, non dicam utilitas, sed necessitas sit, ad vegetabilium, hominum, cæterorumque animalium, sustentationem, quorum nulli salva vita carere licet, iis optime, credo, notum est, qui aliquando aridis, & inaquosis locis, vel degere, vel iter facere, coacti fuere.

Aqua in sua simplici Essentia considerata, frigida, humida & insipida est, ejusdem ubivis naturæ, hoc considerandi nempe modo: Reliquæ vero marinæ, salsæ, calchantosæ, aluminosæ &c. medicamentosæ, intus, & extus adhibendæ, ad sanitatis usum, vel morborum depulsionem, DEI providentia ordinatæ,

ob heterogeneam mixtionem, tales sunt, cæterum à reliquis, natura, & substantia minimè differunt. Accidentalis tamen differentia, in omnibus ferè deprehenditur: mitto illas ex rore, nive, glacie, nubibus resolutas, quæ notabilem qualitatum mutationē, in aëre ex rei alienæ commixtione passæ sunt, nec reperire licet, tam claras, ac limpidas, ex quibus, non modò terrestre quidpiam, sed etiam, oleum, & sal, absque ulla additione, chymica opera separari possit. Ita corpora elementaria, varie permixta sunt, ut nullum sub sensum tactus, vel visus, cadere possit, pure homogeneum, quod aliquot chymicos eo præsumptionis induxit, ut aquam puram, in lapideam substantiam, & vice versa, hanc in illam, transmutari posse, quamvis eventu hactenus destituti, haud erubescant affirmare. Cui errori propè similis est, Chimærica illa opinio, de genuina auri, in salem, aquam, & oleum solutione: Licet n. nulla substantia facile reperiatur, (ut supra allatum est:) quæ non heterogeneis, ut ipsum etiam aurum, partibus constet, huic mixto tamen, præ cæteris majorem fixitatem, & quodammodo incorruptibilem naturam, Creator contulit.

CAP. II.

De Aquis stillatitiis in genere, ac destillandi inventione.

ETsi varia, variarum stillatitiarum aquarum natura sit, & quoad saporem, colorem, odorem & in his quæ ex herbis, floribus, fructibus, lignis &c. arte educuntur notabilis differentia appareat; in genere tamen quoad consistentiam & reliquas aquæ proprietates conveniunt, ac si quid diversum continent, id ab aquæ natura alienum est, oleosum nempe, aut sulphureum, aut terrenum id, ut odor, ac sapor prodit, quod simplici, in prima mixtione, aut alimenti attractione, pro propria cujusque indole, & soli, quo nascitur proprietate, extrinsecus accedit, quod in odoriferis, ac iis, quæ volatilis sulphuris, plurimum participes sunt, manifestum est; reliquæ n. etsi sulphureæ, ac oleosæ substantiæ haud expertes sint, illis tamen magis terrestres, ac graves, & quæ non nisi violentia ignis, vix sine empyreumate, nulla odoris, aut saporis præstantia commendabiles, elici possunt. Ne autem imperitis in arte hoc admirationem pariat, exemplo doceri ne recusent: Sumant nimirum, Cinamomi, Caryophyllorum, Nucis moschatæ, Cardamomi, Piperis, ac similium quantum placet, & s. q. aquæ fontanæ affusa oleum cujuscunque quantitatis, destillatione extrahant ac separent, aquam reliquam, quantumvis rectificare conentur, nihilominus odorem, ac saporem, rerum cum aqua destillatarum nunquam penitus auferent. Nec est quod quispiam sibi persuadeat, hanc aquam, ex siccis aromatibus, eductam esse, qualitates enim aromatum, solummodo sibi adsciscit quod infusione unius guttulæ, olei Cinnamomi, in cantharum simplicis aquæ plenum videre est, quam mox eam vehementi odore, & penetrandi vi alteret: Nec cum aromatibus solum res sic se habet, sed cum odoriferis & sulphureis plerisque floribus foliis, seminibus, corticibus, Radicibus, &c.

Ex aliis vice versa, ut acerbis, acribus,

bus,falsis, amaris, vix quidpiám,nisi inodorum,aut forte empyreuma redoleat,per destillationem exigere licet, nec aquæ ex catharticis destillando prolectæ,purgandi, neque ex stegnoticis astringendi,ex vulnerariis purificandi, & consolidandi, aut ex alexitericis venenum infringendi, (qualis in eorum substantia oblata,decoctis,vel infusione deprehenditur:) adæquatam vim obtinent. Quamobrem prudens ac cautus Medicus,ejuscemodi simplicioribus aquis non magis, quam virtus, ac vera eorum laus,sustinere possit, facile attribuat; ac eruditiores quique, tales, maxime refrigerantes, & humectantes vix unquam basis loco,sed in mixturis,& julapiis,ad morbos calidos,aut aquæ communis vice,ad infusiones,& decoctiones adhibere consueverunt. Fit tamen interdum ut etiam quædam, nullo acri sapore aut odore, sed simplici vi diaphoretica præditæ; cujusmodi sunt,ex radice Scorzoneræ, Urticæ, Card. bened. & Veronicæ destillatæ, pro iis ægris, qui delicatuli, viribus fracti,facile in sudorem diffluant, aliaque remedia fastidiant,per se etiam in usum recipi possint.

Ac harum præcipue odoriferæ & appropriatæ,pro ratione circumstantiarum, ac varia intentione, in capitis nimirum usum Aquæ Lavendulæ,Salviæ,Rorismarini,Liliorum convallium,Majoranæ: in pectoris levamen, aquæ Hyssopi, Marrubii, Enulæ: in cordis subsidium, Melissæ, Basiliconis,florum Aurantiarum, Cinamomi, Rubi Idæi: ad stomachi confortationem, Menthæ,Thymi,Absynthii:ad uteri rectificationem, Aquæ Pulegii, Artemisiæ, Scordii Valerianæ expetuntur. Absurdum vero in morbis gravibus,ex eorum solo usu, perfectam curam polliceri,ut quorundam simplicium,ac tudium fert opinio. Quinimo intempestivo horum usu, vires ventriculi dejectas, fluctuationesque plurimi senserunt.

Destillationis primum inventorem,ut fatear,ignoro, antiquissimam tamen eam esse, conjectura quivis facile colligit, cum famosissimi illi,juxta & vetustissimi Medici,Rhasis inquam,& Albucasis, (qui anno à Christo nato M.LXXX. in vivis claruerunt:)illius meminerint. Probabilitatem quandam hanc ab Ægyptiis inventam, & aliquandiu secreto habitam tandem ad cæteros demanasse, Suidas & Firmicus asserunt. Utut sit nullus dubito, quin aqua illa,guttatim in operculi concavo, à vaporibus ex lebete ascendentibus, collecta, hominibus hujus inventionis ansam dederit; dum cibos in ollis,vel quid aliud,ad ignem coquebant, hacque ratione moti, porro singularia instrumenta ad hoc opus finxerint: Quanquam non multum interest, quando,& quis Author hujus extiterit.Sufficiat eam jucundam,juxta & utilem esse, qua mediante, non solum olea vegetabilium,spiritus ardentes, aquas vitæ, spiritus vitrioli,Salis,Aluminis, imo Sales ipsos ex fæcibus educendi, decocta inspissandi, infusa subtilissimorum aromatum, modo longe convenientiori quam olim apertis vasis perficiendi nunc facultas datur, ac plurima alia,quæ,brevitatis studio,prætermitto.

CAP.

CAP. III.

De variis modis Aquas destillandi.

AD opus hoc diversa, diversæ figuræ, & usus, instrumenta inventa, distincti itidem ignis gradus, reperti sunt. Inter antiquissima, cuivis nota instrumenta primo Alembicus occurrit, in forma campanæ superius acuminatus, inferius latus, cum rostro, à latere, ex plumbo fabricato; quorum tres vel quatuor, super totidem in fornace constructas aheneas vesicas, ponuntur, accumulata circumcirca inferius arena, ne æs, vel cuprum ab igne immediatè tangatur, quibus herbæ, vel flores continentur, atque accommodato ad alembicum excipulo, permanentibus simplicibus, in forma placentæ siccæ; Qui mos, ante 40. annos, Nobilibus Italis, eorumque Pharmacopæis, usitatissimus fuit, qui tamen vitio non caret, quandoquidem aquæ acidæ vel alioqui acriores, pravas ex plumbo qualitates contrahentes, turbidæ, albæ, & dulces fiunt, quocirca, vitrea instrumenta, aliis præferenda sunt.

Secundus modus hic est: fornax ei, qui hypocaustis calfaciendis commodus, similis extruitur, inferius latior, & paulatim per gradus in acumen ascendens, ex fideliis durissimis, & vitreis, quæ in externa fornacis parte, concavæ sunt, instar cucurbitæ brevioris, quibus alembici terrei, vel vitrei imponendi, quo artificio, exiguo igne, diversæ aquæ, unica vice, destillari possunt.

Alii peculiares fornaces, arena, vel cinere replent, quibus cucurbitas terreas, vel vitreas, aliquantum firmiores, herbis refertas astruunt, ac sic juncto alembico, leni igne aquas provocant.

Alii vero, animadvertentes, isthoc modo aquas, nisi accurata cura habeatur, facilè Empyreuma contrahere, per ahenum, aqua fontana plenum, igne subtus accenso, ex cucurbita opus compleverunt, qui modus, per Balneum Mariæ nunc audit. Cumque nec hoc modo, adustionem, aqua paulo vehementius bulliente, evitari posse, vidissent, ac insuper plures cucurbitas simul impositas, in operculis ad hoc constructis, aut plumbeis circulis quo minus fluctuent, obfirmentur, facilè mutua collisione rumpi, elegerunt fornacem, cum magno cupreo vase, præfixo intus sustentaculo, per modum marginis, cui laminæ ferreæ inniti, hisque patella cuprea, foraminibus pervia, aut asserculum robustum, seu sporta densior panno lineo rudiore inducto superstrui possint. Partem cavam aheni, quidam arena, quidam verò segmentis lignorum replent, & per canalem ad hoc factum, qui ad fundum usque penetret, sufficientem aquæ quantitatem infundunt, ignem augendo, donec segmenta vel arena, à vapore aquæ incalescant, hinc aliquot cucurbitæ, pro fornacis capacitate impositæ, ad medium usque sepeliuntur, securiore, quam in Balneo, modo, subsistentes, qua ratione, etiam aquarum major copia, ignis per diem, & noctem continuatione, destillatur, præsertim si fornaci turris conjuncta sit, qui justâ carbonum quantitate recipiat

qui

qui modus destillandi per arenam dicitur. Alius modus: in fornacem conditur vas aheneũ, cum operculo multis amplis foraminibus pervio, quibus pannus lineus annectitur, in quo tanquam in sacco cucurbitæ firmari possint, ita tamen, ne aqua affusa harum fundum attingat, qui Balnei roris nomine venit.

Paratur quoque, non minoris artificii fornax, ex quo mediante vapore, ab aheno extrinsecus adveniente, plura instrumenta aquas fundant. Quo in genere, hoc præcipue notandum est, ut semper aquæ sufficiens copia adsit, ne ahenum corrumpatur, aut sacculi per calorem adurantur, vel cucurbitæ frangantur. Quidam etiam destillationes, per descensum, ut vocant, instituunt, ollam vitream, satis latam, ac firmam recipiunt, cujus orificium panno lineo, vel incerniculo obducunt, floresque, ac herbas, iterum linteo cooperiendas, ad trium digitorum altitudinem, ac insuper orbem ex terra, vel cupro, cum margine, qui arenam capiat, cum ignitis carbonibus, imponunt: unde fit, ut humor simplicium calore expressus, vaporis modo, deorsum, compellatur. Magna vero diligentia adhibenda, ne simplicia calore exurantur, aut per marginum juncturas evaporent, quod planè quidem, vix impediri potest, cum omnis humidi, in vaporem soluti impetus, sursum nitatur, donec iterum, frigore incrassatum, suopte pondere, deorsum vergat. Introduxit quosdam curiositas, rerum odoriferarum vaporem, mediante calore solis, vel lampade, oleo, vel spiritu vini elicere. Vulgatissimus demum mos est, quo spiritus vini, per vasa cuprea elicitur, de quo, cum lippis ac tonsoribus notus sit, nihil attinet, plura verba facere.

CAP. IV.

Quinam ex supra allatis modis, optimi censendi sint.

QUamvis plures, quam supra exposui, destillationis modi reperti sint, ac ignis una eademque natura sit, ejusdem tamen, quoad gradus distinctio magnaque instrumentorum, haud adeo magni momenti varietas est: Quocircò ut res planior fiat, distinguamus oportet, vegetabilia, ex quibus aquas elicere animus est, in duas differentias scilicet humidas, frigidas, & terestres, ut plurimum inodoras, & in calidas, odoratas, sulphureæ, ac oleagineæ substantiæ. Illis mitior calor, qualis est Balneum Mariæ, convenit, distinctione graduum habita, quandoquidem, quo temperamenti frigidioris, & humidioris simplicia existunt leniorem, ac vice versâ, quo calidioris, fortiorem quoque ignem postulant. Quod si tamen supradicta difficultas, per hunc modum destillandi, quempiam gravat, is per arenam humidam, vel vaporosam, negotium absolvere poterit. In hoc enim unico, rei cardo versatur, ut nulla ignearum partium contaminatione, aut empyreumatis contractione aquæ corrumpantur: His vero multo fortior, quo maximè sulphureæ, calidę, & subtilissimę substantię evocantur, qui gradus sublimationis humidæ, nullo alio instrumento melius, quam per vesicã procurari

H potest.

potest: Quamvis enim destillata quædam, ut Rosarum, Salviæ, Melissæ, Liliorum convallium, satis efficacia per BalneumMariæ quoque obtinentur; duratione tamen, & viribus perpetuo inferiora sunt.

CAP. V.

Quomodo supradicti destillandi modi, in usum ducantur.

INstrumenta, ad frigidiorum simplicium destillationem, talia in promptu habere oportet, primum ahenum oblongum quod 4. vel 5. circiter cucurbitas capiat, exceptum fornace commoda, catillo, spiraculis, & ostiolis ferreis, quæ aptius claudunt, magisque durant, quam quæ ex alia materia constant, ac tali, in quo, pauca carbonum quantitate, ignis multis horis foveri, & pro libitu variari possit.

Qui vero posthabito Balneo Mariæ, normam, per arenam humidam destillandi, mecum amplectitur, is neque cupreo operculo, per cujus foramina cucurbitæ distinguantur, nec circulis plumbeis queis illæ pressè firmentur, opus habet, modo ahenum profundius, cingente interius ambitum margine procuret, in quo orbita cuprea perforata, ac catillus grosso linteo obductus, appositè locatus sit, cucurbitæ autem, ut & qui has claudant alembici, capitellis capacioribus, quo vapores facilius in aquam resolvantur, ex stanno optimo anglico elaborati sint. Has herbis minutim incisis vel radicibus, e. g. Scorzoneræ, Cichorei, Brioniæ aut fructibus Cucumeris, Citrulli, Melonis, Cucurbitæ fragorum, Rubi Idæi contusis, vel, prout usus postulat, herbis, & floribus integris, ad medietatem manibus comprimendo implere decet, & eousque autem in arena sepeliendæ sunt, ut transversi digiti spatium, à sabuli fundo absint: Sic applicato alembico, & recipiente, curandum, ut sabulum humescat, cum stabili caloris augmento, ad moderatam usque non totalem tamen, in cucurbita contentorum ariditatem, primus quisque liquor, posteriori præstat; secundus mediocris, ultimus vilissimus, qui ignis actione, nidorem accepit, quæ regula, quamvis vulgò negligatur, ab edoctis tamen, studiosè observatur. Multoties mage consultum videtur, ut loco herbarum vel fructuum eorundem, succus colo expressus, vitreis organis destilletur; restibilis pars, mage spissa, cum Saccharo, in Sirupum redigitur: Is licet aliquanto impurior, ob terrestreitatem, antequam in cucurbitam mittatur, depurari posset, ab hoc tamen labore abstinendum, ne aëreæ & subtilissimæ partis quam in his aquis expetimus, jacturam faciamus. Cæterum, quod in cucurbita remanet, nunquam alicujus empyreumatis expers esse potest, quocirca nullo modò id, pro essentia, de qua superiori tractatu actum, obtrudi debet: Et posito, non concesso, succos illos, antequam ad destillationes adhibeantur, clarificari posse, sine infirmatione aquæ destillandæ, succi tamen illi ut experientia

ipsa

ipsa fateri cogit, clausis instrumentis ad crassitiem redacti, cum vapor diu, multumque antequam exspiret, vel in aquam resolvatur, in alembico morari soleat, nunquam sapore, colore, cæterisque viribus, ad illorum extractorum bonitatem accedunt, quæ leni igne, in phialis apertis, aquositatem suam deponunt, ac spatula interdum, quo celerius consistentiam consequantur modicè moventur: Residuum igitur, licet alias ex eo Tartarus, seu Sal extractus usui veniat, ad harum tamen virtutem nihil confert. Si verò animus est succos, ad balsami consistentiam inspissare, qui à me, essentiæ vocantur; necessum est, hos prius clarificare, & tradito à me alibi modo, aquosam partem per exhalationem separare.

Sed ut eò, unde discessi, revertar: Malorum Citriorum, Limonum, berberorum, ribium, uvarum immaturarum, aliique hujusc emodi succi aciduli, præcipuè cum residuum in usum servandi, intentio adsit, aptius in vitreis organis destillantur: In his aquis quod admiratione dignum est, vix ulla aciditas, sed tota in residuo hæret; cujus rei, meo quidem judicio ea est ratio, quod pars ea, cui aciditas connectitur tanquam tartarea ac terrestris, non nisi violentiore igne, elici possit; quod palam fit, hoc residuum ex retorta, primum lento ac deinceps vehementiori igne urgendo, ut instar fumi crassi, in recipiens transiens, cum prima aqua, se commisceat; adeo enim acuta efficietur, ut acore cum spiritu vitrioli contendere possit.

Hæc quamvis à secunda destillatione vel rectificatione pellucida, adustionis tamen, nunquam expers ad varia Chemica opera, ad corallos, Margaritas, oculos Cancrorum, cæteraque corpora duriora solvenda aptissima existit. Cæterum Acidum Vini, Cerevisiæ, Mulsi per Balneū Mariæ, aut arenam vaporosam evocare convenit, cujus ultimum, quod egreditur, magna aciditate pollet, atque ad omnes in Chemia usus, æque ac illa, per arenam siccam destillata, efficax est: Hi, aliique similes succi, licet aciditate sua, vix ipsi aceto cedant, cum aquis tamen destillandis, per Balneum Mariæ, minime ascendant, alterius eos naturæ esse quam acetum, quod multos subtiliores, ac penetrantiores partes, in se complectitur, probare haud est operosum.

Secundum hanc viam, tum Spiritus Vini, & alterius generis aquæ, ex cucurbita, ad tertiam tantum partem repleta, si vinum destilletur, ne ipso effervescente, vitrum rumpatur, lento igne, juncturis probè clausis, educuntur: Qui vero Spiritum Vini rectificatum expetit, cum secundò vel tertio, ex cucurbita, igne moderatissimo, provocet, ut tantum ea pars, quæ maximè aërea (quæ spiritus propriè dicitur) à suo phlegmate libera prodeat: Quod hac observatione assequeris; si spiritum, qui per modum striarum, levissimo igne, in alembicum surgentem tollas, separatim recondendo, qui scilicet igne concepto mox totus cōflagrat, ut ejus nihil amplius restet, qui enim, licet in principio, flam-

mam cæruleam fundat, penitus tamen comburi recusat, admixti phlegmatis arguitur. Quod quidam, pulchro artificio intercipere solent, chartam emporeticam, rostro alembici admovendo, quò parti aquosæ transitus denegetur, qua ratione, spiritus omnis phlegmatis expers extillat; secundus vero ab hoc, in destillatione consequens, (præcipuè si ex vino malvatico, Hispanico, Ungarico, moschatello, aliisque id genus generosis, in quibus majorem, quam in reliquis penetrandi ac digerendi, virtutem advertere licet;) quandoquidem, sapore & odore, non ignobilis, loco communis spiritus vini, varios in usus aptari potest.

Hæc itaque sufficiant de utilitate Balnei Mariæ, ac arenæ vaporosæ, quæ pro vario gradu, ad rerum infusiones, digestiones, circulationes, dissolutiones, coagulationes, ac rectificationem quorundam liquorum, commodissima habetur.

CAP. V I.

De modo destillandi aquas, per vesicam.

Est & differentia sua, destillationi per vesicam pro varietate sc. instrumentorum, refrigeratoriorũ, canalium, serpentinarum, quorum quæ Medico, commodissima esse existimo, saltem proponam. Eligatur vesica ænea fortis, vel è cupro rubro, quæ fundum versus, paulum angustior sit, ac sensim, in majorem latitudinem assurgat, usque ad collum, altitudinis duorum pedum, ipsius, vero colli altitudo, quatuor transversos digitos non excedat, latitudo tanta, ut manus liberè immitti & extrahi possit totius vasis capacitas 16. mensurarum; Alembicus ex stanno anglico, cujus collum, in vesicam intret, longitudine transversi pollicis, in pede, refrigeratorio cupreo cinctus, cum rostro, pone refrigeratorii fundum penetrante, ipsum refrigeratorium, justæ latitudinis sit, altitudinis, tantæ, ut repletum ad 3. digitos in altum, aqua alembicum attingat, ac medii transversi pedis, altitudine superet, constructo ad latus epistomio, ad aquæ calidæ, cum frigida commutationem, post hæc furnus, huic vesicæ excipiendæ aptus, ad variarum aquarum, & oleorum destillationem. Cui hæc in majori copia parare, visum est, vesica communis quam spiritui vini, ex fecibus parando adhibent, sufficit, mutato saltem cupreo alembico, in stanneum, ne aquæ vitæ, olea calidiora, & acria pravas inde qualitates contrahant, quæ sæpissimè, cupri saporem, aut colorem vitrioli referunt, cujus rei experientiam facere, parvi laboris est, sumendo nimirum spiritum, ex vino quocunque, Hispanico, seu Rhenano, in cupreis instrumentis destillatum, eumque leni, ut supra docui, igne, ad mediam circiter partem abstrahendo, spiritus prolectus fortis equidẽ, sed delicatus, & suavis apparebit, restibilis verò flavi, aut viridis coloris, abominabilem saporem continet, quod ad duo cochlearia haustus, homini etiam durif-

durissimo; aut vehementer stomachum conturbabit, aut enormem vomitum excitabit: Unde potatores spiritus vini, ingentes sæpe noxas ventriculi, hepatis, intestinorum, ac diversa gravia accidentia incurrunt, quæ potius, ex prava cupri tinctura, quam ipsius spiritus calore (quamvis, & ipsius abusus, nocendi potestate, non careat) proficisci solent, quæ noxa à stanneis alembicis, nequaquam timenda est, etiamsi enim olea, ac spiritus acriores, corrosione quadam, hujus metalli aliquid imbiberent, id tamen, prout natura hujus metalli fert, nunquam ut cupri partes, liquori per minima mixtum manet, sed in forma pulveris, ad fundum secedit, modo ipsum stannum, absque mixtura plumbi purum sit. Nemini enim non constat, recepto usu, apud complures nationes, patinis stanneis sine discrimine, dulces, acidos, acres, calfactos, frigidos, mensæ inferri, ac quandoque in iisdem coqui, nulla tamen læsione subsequente: Hujus ergo, Medici, Physici, Locorum, & urbium, quibus provincia, officinas pharmaceuticas lustrandi commissa est, hos cupreos alembicos aboleri, & ut stannei eorum in locum substituantur, curare deberent: Nec me latet, quod aliqui hac in re satisfacere sibi persuadeant, si canales cupreos, intus stanno obduci curent, secus autem se res habet, præterquam enim quod uniformiter, per totum canalem, vix stannum induci possit, calore paulo majore accedente illud à cupro solvi contingit. Objiciunt aliqui frustra res in cupreis vasis coctas, quæ jam quidquid pravi contrahere possunt imbiberint, & de facto pravæ qualitatis participes existant, stanneos alembicos ac serpentinas requirere. Concedo equidem succos vinosos, acidos, & acres, in ipsa vesica, de cupro quid in se recipere; Sed quidquid id sit, vitriolatum, aut æruginosum, illud, inter destillandum, cum halitibus, tanquam terrestre ac grave quid, minimè in altum ferri, rationi consonum est. Restat igitur, si quid tale, aquæ destillatæ possident, culpa alembici aut serpentinarum, id fieri: Quod ipsa operatio, ad oculum demonstrat, tales enim aquæ à cupro corruptæ, si denuo, mutato solummodo alembico cupreo, cum stanneo, aut vitreo destillentur vitiatæ prius, jam claræ, & correctæ, optimo sapore ac odore prodibunt: Quare labem contractam, non à vesica, sed ex alembico accepit, in cujus, & canalium rimis, magnam sæpe æruginis quantitatem videre est (quod etiam, in hujuscemodi laboribus, parum versatum, ne dicam probatum chymicum vix latere potest) quæ tota difficulter erui potest, illud vero in vesica, post destillationem relictum, ad usum internum minimè admittendum est. Hinc crassum errorem Medici errant, quicunque decocta sua, in diplomate cupreo, fieri mandant, seu vinum, seu acria, salsa, & acida vegetabilia recipiant; at vero multo melius illi, qui vasis vitreis, id negotii peragunt: Atque hic, nisi intra cancellos, de destillandi, per vesicam doctrina, subsistere consultum esset, latissimus pateret campus, de instrumentorum æneorum, atque cupreorum abusu, disserendi.

Requisita ad destillationem, per vesicam, hæc sunt: Primum materia in vesica contenta effervescat, ac bulliat: Secundo,

cundo, additio liquoris cujusdam, maximè, in aridorum per vesicam destillatione opus est: Tertio omnia simplicia refrigerantia, etiamsi amarore, vel acrimonia prædita sint, ac frigus temperandi, aperiendi, solvendi, detergendi potestate valeant, cujus classis sunt, Cichoreũ, Endivia, Card. bened. Fumaria. Nasturtium aquaticum, Beccabunga, à vi, & odore aromatico aliena, sine virium jactura, commodius, per vesicam quam Balneũ Mariæ destillantur. Quarto, communis ille, ac asinino stupore, obreptus pharmacopæorum mos repudiandus, qui cuicunq; herbæ, cujuslibet temperamenti, ea sit, cum in cumulum concisæ fontanam affundunt, & superciliosè destillandi opus urgent, donec ingentes amphoras impleverint, nominibusque herbarum, & insigniis ornaverint; ac sic denique, egregiam rem se præstitisse, opinantur, quæ destillata demum, ad julapia, tabulata, emulsiones, mixturas cordiales, margaritarum solutiones, ægrotis tanquam supremum subsidium, ac ultimum in summa virium dejectione, anxietatibus, Syncope, cæterisque non contemnendis affectibus, Asylum futurum adhibent, quorum errorum, non tantum aliquos non pudet, sed etiam nefando ausu, defendere conantur. Quinto Herbarum, quæ huc referendæ, succus exprimendus, eoque vesica, ad medium usque replenda, & focus augendus ad succi ebullitionem, ne tantum guttatim, sed instar spiritus vini destillantis prodeat, continuò, ferè ignis gradu observato, qui tamen sub finem, paulatim remittendus ne crassum illud, liquoris restibile aduratur, aut aquæ alienum temperamenttum, aut virium mutationem subeant, ad quod etiam aquę in refrigeratorio sæpius cum frigida permutatio, quo facilius vapores, in aquam resolvantur, plurimum præstat: hocque modo, ex sex partibus succi, quatuor utplurimum eliciendi sunt; Sal vero, ex remanentiis, in cinerem redactis, more usitato extrahi potest. Hisce, ac hoc modo paratis liquoribus stillatitiis, confidenter, qua conscientiæ, qua effectus securitatem, merito utetur.

At vero herbarum calidarum, & siccarum, ut Salviæ, Majoranæ, Rorismarini, &c. seu multum, seu minus odoræ sint, destillandi ratio hæc est, minutim incisis ac ollæ vitreatæ impositis, aquæ fontanæ, q. s. ad pultis consistentiam affunditur, ex curiosè contectis, ac refrigeratis, postmodum succus exprimitur. Hic ex præscripto artificio destillatus, sapore, & odore præstantem liquorem suppeditat, tantillum enim aquæ, ad aridæ, & tenacis substantiæ resolutionem specificam simplicis virtutem, infringere nequit; quod alias in majore copia, sc. ad herbæ ℔ j. aquæ ℔ iiij. affundendo contingeret. Qui vero hunc laborem aversatur, saltem herbis concisis, tantum aquæ affundat, ut sine adustionis periculo, ebullire queat, quæ denique eousque abstrahenda, dum sapor ac odor, vires satis validas inesse probet, ac nulla nidoris contaminatio, se manifestet; quam novis identidem herbis, ter destillationem repetendo conjungere decet: Nec ignorandum, per vesicam stanneam, cum alembico vitreo, æque præstantes, ac per ipsum B. liquores educi posse. Ultimò, & hoc observatione dignum,

dignum, quædam simplicia, antequam ad hoc opus veniant, conditur am salis, quædam macerationem per se, in vitro clauso, vel aspersionem vini, alia deniq; fermentationem, pro varia Medici intentione requirere, quæ in gratiam Juniorum, & necdum in arte consumatorum artificum, sequentibus exemplis declarabo.

Aqua Rosarum nobilis est Rosis salitis.

Modus hic apud Pharmacopæos usitatissimus est ac quandocunque major rosarum copia quam ob brevitatem temporis destillari possit, commodissimus.

Rosæ sufficienti quantitate salis conspersæ, mensæ insternuntur, ac manibus confricatæ in dolium quernum, seu ollam vitreatam, aut quod ferè præstat, in cucurbitam, ampli orificii injectæ, pistillo ad vasis tolerantiam, donec repletum sit comprimantur, ac sic probè clausę ad usum destillationis servantur, quæ sequenti modo fit. Hujus conditur æ rosaceæ, mensuris quatuor, sex aquæ fontanæ mensuræ affundantur, ac secundum ante datam instructionem, aquæ stillatitiæ, mensura proliciatur, quæ seorsim, in vitreis lagenis, bene clausis, loco sicco, non admodum calido servanda, relicta, si quæ adest, candicante pinguedine, instar spermatis Ceti, quam aliqui oleum Rosarum esse autumant: Hæc aqua, post aliquot temporis spatium, fragrantissima redditur, levi quodam amarore, Rosarum foliis, genuino, & proprio, gustum afficiens, cujus cochlearis mensura, vulgaris ℔ integræ, quandoque præferenda est: ejus scil. quæ avaritiæ exsaturandæ causa, vel stolidorum ementium, potius ad quantitatem, quam qualitatem attendentium vitio comparatur. Secundaria autem, destillationis progressu proveniens, utpotè minoris virtutis novis Rosis destillandis, loco communis aquæ inservit.

Nobiliores tamen & præstantiores ad compositiones cordiales, & bezoarticas, ni sumptibus parcendum sit, hoc modo fieri possunt, aqua nimirum primo loco destillata, & secundaria simul, quatuor mensuris Rosarum denuo, affundantur, & quinta vel sexta tantum pars, destillatione producta, ad hunc usum seligatur.

Variant aquæ Rosarum, non modo, differentibus, inter se, Rosarum qualitatibus, sed etiam pro destillationis modo, quæ enim odoris gratia, & refrigerandi simul intentione expetitur, illa quæ ex Balneo Mariæ, vel arena vaporosa & quidem ex Rosis albis destillatur, præstat, ac hujus loco, illa per vesicam destillata, quantumvis, in aliis affectibus præstantior, contra oculorum inflammationem, in collyrium adhibita, ardorem præsentẽ exasperando non parum nocumentum adferret: Nam sulphureæ, odoræ, & penetrantis facultatis aquam, vesica depromit, potissimum ex Rosis fermentatione spirituosis magè factis; Quæ odore excellens, sapore subamaro, ad evanidas vires, calore absente aptissima.

Modus aquam odoriferam eliciendi ex fermentatis Sambuci floribus.

Hisce floribus, à petiolis liberis, q. s. & bene

& bene compressis, aliquot cucurbitas vitreas, vel ex stanno anglico factas, implere decet, quæ si angustioris orificii sint, subere, & cera Hispanica, latioris vero alembico cœco claudantur, ut nihil expirare possit? quæ aheno aqua repleto imponendæ, haud profundius, quam ut tertia cucurbitarum pars, ab aqua tangatur, eoque caloris gradu quem manus, sine molestia perfert, ad quartum usque diem foveatur, tandem aqua refrigerata, ac floribus, qui in proprio humido, ad pultis consistentiam contabuerunt, expressis, succus, per vesicam parvam, cum alembico stanneo, destillandus est. Aqua hæc mirificæ, qua odorem, qua saporem suavitatis est, ad externa juxta, & interna, ejusdem, cum vulgari Sambuci destillato, usus est.

Aqua, ex floribus Caryophyllorum.

Floribus Caryophyllorum, rubris, & odoratis, minutim incisis, in cucurbita vitrea, aqua rosarum incarnatarum ex Balneo Mariæ destillata, ad æquale cum floribus pondus, affundatur, quorum succus expressus, post 40. horarum in B. fomentationem, vèl tota massa, ex vesica parva stannea, cum alembico, & serpentinis vitreis, donec ℔ iij. prodierint, destilletur: quę studiose servanda, & usu postulante, aquis cordialibus, ac bezoardicis miscenda.

Aqua Liliorum convallium.

Paratur hæc aqua, diversis modis, quorum complures vix alicujus momenti existunt, hic autem præ cæteris, potior mihi visus est. Floribus Liliorum convallium recentibus, à viridi parte mundatis, & in cucurbita benè compressis, mensura una, cum media vini hispanici, aut malvatici, affundatur, hisq; in loco frigido servatis, elapso triduo, quinq; mensuræ aquæ fontanæ addantur, cujus prima, per vesicam, destillatione mensura seorsim colligatur, magnæ, & progressu temporis increscentis virtutis, quæ verò hanc sequitur, minoris efficaciæ secundaria est.

Aqua nobilis Veronicæ.

Herbæ Veronicæ, mundatæ, concisæ, & contusæ, in mortario lapideo, tantillum vini, aspergatur, eaque per diem & noctem, ut marcescat quieti detur, cujus succus demum prælo expressus, ad medietatem destillatus, aquam citrini coloris, odore, & sapore valentem refert. Virtute pollet solvendi, abstergendi, aperiendi, siccandi, & mundandi: quamobrem internis obstructionibus pulmonis, hepatis, lienis, mesenterii, in scabie, pruritu, serpigine, febribus malignis, morbillis, sanguinem mundificando, & sudorem pellendo utilissima censetur. Dosis ab ℥ß. ad ℥ij.

CAP. VII.

De Insolatione aquarum destillatarum ad Solem, & earundem conservatione.

Obtinuit antiquus jam usus, ut aquæ recens destillatę, per dies aliquot Soli expo-

exponantur, idque duabus potissimum de causis: Prima est, ut impuritatem, quam continent, maxime spumosam, ad fundum deponant, & quadam veluti digestione à cruditate repurgentur: Secunda, ut si quod empyreuma alienumque saporem aut odorem contraxerint, illud abjiciant; Non tamen omnibus, ex æquo hæc competit, iis ex frigidis, humidis, & glutinosis simplicibus destillatis, visu albidis, & mucosis convenientior; ex calidioribus vero, odoratis, siccis, sale conditis, fermentatis, cum additione vini, aut mellicrati productis minus utilis. Hac enim ratione subtilioribus partibus orbatæ, virium jacturam faciunt, ut cuivis, etiam parum docto patet.

Contrahunt aquæ destillatæ empyreuma, pro vario destillationis modo, majus, vel minus, vel etiam nullum; nullum illæ quæ ex succis, vel simplicibus longo tempore maceratis, nec ad siccitatem residui, abstrahuntur; quod alioquin contingit, sive per B. sive per vesicam, opus perficiatur; Semper igitur præstat, humido adhuc, in fundo superstite, ab opere desistere & nobilioris substantiæ rationem habere.

Quantum ad conservationem aquarum destillatarum, excipiendæ sunt hæ vasis vitreis, vel terreis vitreatis, & sufficienter excoctis (qualia sunt Siburgica, aut Waldeburgica) eæque benè obturatæ, loco temperato locari debent, hyemali tempore: quæ vim frigoris ægrè sustinent, muniendæ sunt, semel vero frigore concretæ, rancidæ, aut muccilagineæ rejiciantur: Quod si aquas turbari, aut albescere contingat, per arenam mundam, vel pulverem vitri crystallini, aut silicum alborum filtratione depurentur, exceptis iis, quæ ex oleosis, & aromaticis simplicibus, aut cum vino destillantur, quarum albicantes præstantiores sunt; ut in aqua Cinamomi videre est; quandoquidem non ob impuritatem, hoc colore tinguntur, sed partis aut vinosæ, aut oleosæ commixtionem: Quamobrem utilitas insolationis, ad dictas aquas simplices, nativo vigore imbelles solum extenditur; quamvis etiam in his quædam reperiantur, quæ etiam optimæ, clarificatæ, & correctæ, hoc tamen à natura obtineant, ut nunquam sine aliqua hypostasi, aut muccagine existant, quæ, modo putrilaginis, & alieni saporis expertes sint, ob id minimè rejiciendæ.

HYDRELÆOLOGIÆ

SECTIO II.

CAP. I.

De Sulphure, pingui, & combustibili, rerum naturalium substantia.

AQua, ut in prima parte, primi capitis demonstratum ob volatilem proprietatem, & analogiam quam cum aëre possidet, Mercurii nomine, à Chymicis profertur, substantia vero pinguis, facilè inflammabilis, sulphuris vocula, idque secundum Theophrasti Paracelsi dogmata, libro primo, de tribus substantiis, quo loco inquit: Omne evaporabile, & in auras mutabile Mercurius est, omne combustibile sulphur est, quod in cinerem abit sal est cum parte terrestri: ut summatim dicam,

cam, unicum ignis subjectum est Sulphur, nec enim elementum ignis, in mixtis latens de potentia in actum duci, neque aliter, nisi mediante sulphure, & principio combustibili, rerum, in quibus absconditur, oculis nostris, visibile fieri potest, sive res simplex sit ut oleum, seu mixtum, ut lignum, & stipula: In quo vero subjecto semel flammam concepit, tamdiu potentiam suam exserit, donec vel penitus id consumpserit, vel in cinerem, ac vaporem mutarit, quo facto, coram oculis nostris evanescens, in suum chaos revertitur.

Nunc vero, in genere, quod attinet nomen Sulphuris, si istud tanquam subjectum ignis, id est, ut substantiam quandam ignis nutricem consideremus, unicum, in rerum natura, sulphur existere, optima ratione astruere possumus quemadmodum in priore parte, generice loquendo, unicam in universo, esse aquam.

At cum singularia mixta, quæ sulphuris nomine veniunt ob inflammabilis in ipsis substantiæ prædominum, quæque Archæus naturæ in classem sulphureorum mixtorum constituit, perpendamus, variæ horum species occurrunt: Aliud enim naphtæ, petrolæi, & bituminis; aliud pinguedinis terrenæ, aqueæ, animantium; aliud sulphur in succino, Resina, Therebinthina, Gummi, Lachryma, Balsamo, & Oleo Olivarum, & in toto triplici regno, v.g. minerali, vegetabili, & animali, quoddam aridum; aliud vero unctuosum cernere est, & ipsis carbonibus ac mineralibus, sua sunt diversa sulphura, quamvis in fundamento, ad ministerium, seu alimentum ignis, unum unius naturæ sulphur, à Chemicis intelligatur.

Quamvis primariæ sulphuris vires calfaciendi nimirum, & exsiccandi, omnibus notæ sint, diversimodè tamen, nec ex æquo singula, sed pro varia eorundem mixtione, supradicta sulphura id præstant, quibusdam etiam, haud exiguam humiditatem inesse, experientia monstrat.

Æquum igitur est, inter hæc, atque inter sulphur per se, & simpliciter consideratum, ne in præjudicium Medicinæ error committatur, distinctio habeatur. Est sulphuris, tum utilitas, tum necessitas quam maxima, omnibus in universum creatis, ad caloris innati stabilimentum, quo res quæque durant, ad maturationem, coctionem, digestionem superfluorum expulsionem, & humiditatis restrictionem, obtinendam, nec minus quam aqua, seu Mercurius ille naturæ ad rerum generationem, augmentationem, sustentationem, rorida, & frigida sua qualitate, sulphur temperando, vel sal, ad soliditatem, & putredinis inhibitionem, omnibus mixtis essentialiter inest: Sic omnipotens, pro immensa sapientia sua voluit, ut mixtione & contraria, in se invicem Elementarium qualitatum actione, Idea Universi hujus consisteret.

Quam in Medicina prærogativam sulphureæ hæ substantiæ obtineant, frequens earum præparatio, & ad morborum curas applicatio, docet; Quanti denique momenti sit, ad hominis, ex cujus mole partim constat, conservationem, tum

tum ut pingui illa, & sulphurea, in cibo, potuq; recondita substantia, corpus reficiatur, tũ externo in usu, supposito, quod sine sulphure ignis esse nequeat, ad ciborum elixationem, frigoris depulsionem, tenebrarum discussionem, natura, & ratio, solerter demonstrat.

Cap. II.

De Substantiis Sulphureis, seu oleis destillatis in genere.

OLea sunt partes sulphureæ subtilissimæ, ex mixtis, virtute ignis, à crassioribus terrenis, in talem formam ac naturam separatæ.

Sunt hæc varia admodum, colore, consistentia, pondere, sapore, odore, aliisque qualitatibus, non solum pro natura mixti, sed etiam gradu ignis, cujus ratione quædam suorum simplicium, odorem, saporem, & virtutem retineant, quædam vero, temperamento destructo, ita alterata, ac aliena evadunt, ut nihil horum amplius redoleant.

Has substantias sulphureas, in forma olei, non modo res ad oculum pingues, & inflammabiles; ut, Resina, Terebinthina Mastix, Balsamus nativus, sed omnes herbæ, ligna, &c. pro rata portione, innatæ oculis nostris, quanquam haud perviç, sulphureç pinguedinis (quorum nullum, qualecunque sit, hujus penitus expers est) artificio, & Vulcani imperio compulsæ exhibent.

Quoad usum, proprietates, & virtutes, pro ipsarum singularium differentia, ut memini variæ sunt, in genere tamen destillata, utpote calida penetrantia, non parum ab iis differunt, quæ natura ipsa, à vegetabilibus separavit, aut laboriosa manus expressit, ut experiri licet quotidie in oleo olivarum, aliisque per expressionem factis, & balsamis naturalibus, quorum natura viscositatem, lentorem, pinguedinem, crassitiem, & gravitatem, perpetuò præ se ferre solet; Illorum vero tenuitatem, calorem, & penetrandi vim manifestam, quæ ante destillationem nulla in parte deprehendi potuit; nec etiam olea, cruda, his in effectu respondent: Quare ratio, Dux, medicinam facientium, in discernendis viribus mixtorum consulenda.

CAP. III.

Quibus modis olea ex vegetabilibus eliciantur.

PRæcipuum medium est ignis, dein instrumenta ut fornax, & vasa, quibus materia concluditur, & aliquando additamentum liquidum, quo oleosa substantia, tanquam vehiculo, in altum evehi possit quandoque in durioribus maceratis, ut, pori aperiri, & sulphureæ partes facilius separari possint.

Satis operosè, fusè & confusè, de his, antiquitas egit, variosque ignis gradus, mille figuras fornacum, & instrumentorum, mira macerandi præcepta, processus tædiosos proposuit ut ex ejusdem scriptis constat, huic verò seculo longa experientia, naturæ scrutinium, ac verus usus, compendiosam manuductionem, ultrò obtulit, qua idipsum, melius, citius, & secu-

securius præstare liceat: Ejus vanitatem igitur, & inutilem multitudinem missam faciamus.

Longo usu compertum est, quæcunque vegetabilia, imo ipsius naturæ excreta, in duris, ac tartareis suis visceribus lentum, grave, ac terrestre planè sulphur, in visceribus suis conclusum præter hoc verò in quibusdam etiam subtile, aëreum, penetrans, & spirituosum sulphur reperitur. Pro hujus duplicis sulphuris diversitate, manualia etiam, ac media dividuntur: Quod primum attinet, propter tenacem, & gravem consistentiam, ut in lignis, vel materia compacta, ac terrestri, è suo subjecto educi nequit, nisi illo resoluto, & destructo, inprimis mediante intensiore ignis gradu, qui pingue illud extorqueat, donec residuum quodammodo combustum & carbonibus simile appareat, qui gradus in arena per retortam, ad totam operis absolutionem instituitur; hoc vero postremum sulphur, aereum cum sit, volatile, & valdè mobile, & ad primam caloris instantiam, qua aqua ebullire incipit, facilè sine adustione à corpore suo separatur; ita ut simplicia, affusa aqua, secundum suprascriptam methodum, sufficiat destillare: quo bino destillandi genere, per arenam nimirum, & vesicam, omnis generis olea educi possunt. Reperti sunt quidam Artistæ, qui subtiliora sulphura simplicium, facilius per calorem Lampadis, vel Balneum Roris, evocari posse, literis prodiderunt: Quod inventum curiosum magis quam utile, cum successus parum respondeat, prima maxime destillatione, cum corporum separatio, quæ necessaria est, tardius fiat, licet hic modus, quodammodo ad rectificationem eorum, quæ hac opus habent, commodus sit: Hunc itaque otio abundantibus relinquo, cum eo propter prolixum tempus non parum, de nobilissima substantia evanescat: Mihi equidem artis compendia amplecti volupe est, cum palam constet, paucis nunc horis præstantiora olea, quam à veteribus, aliquot dierum spatio, destillari. Notandum quoque, quod longa maceratio simplicibus odoriferis, & aromaticam vim habentibus, non parum detrimenti adferat.

CAP. IV.

De destillatione oleorum, per arenam, & primo eorum, quæ ex lignis extrahuntur.

Cum pro duplici sulphuris differentia, bipartitum destillandi processum, ac duplicia quoque manualia proposuerim: Necessarium est à destillatione, per arenam, cui ligna subjiciuntur exordium capessere, ac deinde òrdine, ad cætera progredi.

De oleo ligni Quajaci.

Primò, fornax rotundus, aut quadratus in promptu sit, cum catino firmo, ad latus excavato, quo collum retortæ transire possit, ex ferro sc. fusæ, quæ figulina, aut lapidea præstat, quandoquidem ignis violentiam tutius perfert, ac mihi usitata est. Hinc ligni sancti interiore parte nigricante, pingui, in taleolas secta, ac demum in minutiora frusta confracta, retorta, firma, vitrea, tantæ magnitudinis, ut capella capere possit, repleatur, ac capellæ, cum arena cribrata, infra ad duos

duos digitos; circum latera vero, usque ad omnimodam repletionem, unius digiti crassitie strata, imponatur, quod ut cōmodius fiat, regionem fornacis, qua retortæ collum transit, ne sabulum effluat, luto munire oportet, ac recipiente apposito, ignem gradatim augere, donec arena incalescat, & liquor acidus manare incipiat, qui acetum Quajaci quibusdam dicitur, eoque cessante, ignis intendatur, donec lignum exardescens, crasso fumo conglomerato, in modum striarum, humidi quidpiam, ac deniq; crassum quoddam oleum, in recipiens transmittat; hoc gradu ignis continuandus, quoad fumus duret, ac oleum totum transierit, refrigeratis porro instrumentis, oleum ab aqua separandum, quod deinceps rectificandum est.

Ad eundem modum, è Buxi, Juniperi, Aloes, Ebeni, Santali, omnisque generis lignis, olea elici possunt, paucis exceptis, v. g. ligno Rhodio, & Sassafras, quæ præter crassiusculum illud pingue, etiam oleum volatile continent, quod per vesicam exigendum, aliter nimirum in crasso illo, ac feculento pingui extrahēdo; aliter in subtili illa aërea & oleosa substantia procedendum: Ex restibili, in cineres redacto, Sal eliciendus est. Notandum insuper, cum vitra inter destillandum quandoque dissiliant, aut data opera frangantur, quo commodè residuum eximi possit, præstare ferreas retortas, quæ longè diutius durent, collo, & corpore utrinq; seorsim fusis, ventre rotundo, longiusculo, sensim in angustum coëunte, cum margine, vel circulo interius, ut collum luto tenaci munitum, exactè ad duorum digitorum latitudinem, post materiem ad destillationem aptè inferi, claudique queat.

Quarundam etiam rerum proprietas, propter promptitudinem effervescēdi, in retorta, non parum difficultatis adfert, & quandoque loco olei, materia destillanda tota, in excipulum delabitur, aut id in plures partes disiicit, quocirca cucurbita ferrea necessaria est, cum margine infra, ad duorum digitorum spatium, qua alembicum imponendum comprehendat, vel absque margine, ad profunditatem trium digitorum, collum alembici aliquantum gracilius sit, quo commodè excipi possit ab retorta, qui modus etiam, in destillatione, per vesicam observatur: Quandocunque enim alembicus retortā excipit, aut extrinsecus claudit, oleosæ substantiæ, magna fit jactura: Denique etsi colla alembici angusta sint, quæ orificium retortæ subeant, capitella tamen rotundæ, & amplæ capacitatis ex usu sunt, ne spiritus ascendentes, dilatandi sese spatio, & ingenio defraudati, in aquam vel oleum converti prohibeantur vel ipsum alembicum disrumpant. Canales etiam satis ampli sint, ut sine impedimento, ad recipiens delabi, & citò in liquorem mutari possint.

Mediante hoc instrumento, non modo omnes vegetabilium, ac animaliū substantiæ, sed etiam nitrum, cæteraque, quæ ad aquam fortem requiruntur, non levi sumptus compendio, destillari possunt: Retortæ enim vitreæ, rarò plus, quā unicam vicem operationis sustinent, accedit, quod in ferreis, materia vel igne liquata, aut combusta, pro necessitate, cō-

modè eximi, ac ipsæ, sine periculo rupturæ abstersæ purgatæque, ad alios, atque alios usus adhiberi possint. Restat modus, ex lignis resinosis, v. g. Aloës, Quajaci, magnam quantitatem olei eliciendi, quem sine invidia communico: Nimirum horum resinosa substantia, repetita spiritus vini affusione extracta; deinceps destillatione separetur.

De virtutibus horum destillatorum propria mihi experientia cognitis, non est quod multa adferam cum illis ob vim causticam, & recessum, à temperamento simplicium, è quo exorta sunt, vix nisi semel aut bis, ad mixturam emplastri, aut unguenti usus sim: Sunt qui propter vim anodinam, & somniferam, multum oleo Buxi tribuant, de certitudine tamen effectus, hactenus dubitans magis probatis, ac gratioribus uti placuit.

Vires horum liquorum in genere, calfaciendi, penetrandi, & exsiccandi, cognitæ sunt; quocirca externis, ac frigidis affectibus prosunt: Ego quidem, quod gratis, & odoriferis consequi potero, haud facile fuliginosis illis, ac fœtidis oleis, empyreuma redolentibus, experientia doctus, his, ac similibus, capitis dolores, vertigines, nauseas, & animi deliquia, ægrotis promptè accersiri.

CAP. V.

De destillatione Oleorum, ex Resina, & Therebinthina.

EX Therebinthina, seu Resinis arborum v. g. pinus sylvestris, lentisci, &c. pro vario sulphure, quo abundant, triplicia, quoad odorem, calorem, vires, pondus, & consistentiam, parari possunt: Quorum duo prima, ut magis aerea cum commodius per vesicam educantur, ad alium locum remitto: Illud vero quoad pondus, & substantiam crassius, sic paratur: Terebinthina, vel resina, olei sui subtiliore parte jam spoliata, ad dimidiam capacitatem, retorta impletur, ac per gradus ex arena, crassæ, & tenacis consistentiæ, coloris subrubri, ad fuscum inclinantis, oleum exigitur: quæ tanquam terrestris, & sulphurea substantia, à Chymicis Balsamus Therebinthinæ vocatur, qui æque ex crudis illis parte subtiliore, per destillationē abstracta fusci coloris, & crassæ consistentiæ, secundum vulgò usitatum processum parari potest.

Quare, cum per vesicam, sine periculo empyreumatis, subtilissimę aereę, & aquosæ partes prodeant, quæ non parum incepto labori, in retorta effervescentia sua obstarent, operæ pretium duco unumquodque horum, suo, qui maxime conveniat, destillandi modo subjicere.

Pollent modo dicta olea, virtute calfaciendi, attenuandi, abstergendi, glutinandi, quocirca per se, vel unguentis mixta, ad paralyseos, ex frigida causa, schirrhosi, ac etiam œdematosi tumoris, ulcerum fœtore, & humore gravium, ragadum in pedibus, frigoris injuria contractorum curationem, egregiè faciunt, nec non ad gangrænam, & carnis mortificationem ac sæpè aliis rebus mixta supradictis lignorum oleis præferenda.

CAP.

CAP. VI.

De modo peregrina & nativa Balsama destillandi.

QUandoquidem, nativi Balsami, ex Ægypto, utplurimum, allati, & antiquorum elogio multum decantati, vix ulla nobis copia detur, nisi quis eum fortè à Turcarum Imperatore, qui unicus, ac tenacissimus ejus possessor est, muneris loco retulerit; Aliunde nobis, ex India orientali sc. & occidentali, divina bonitas, nobis provisum voluit, & quidem quantum constat triplici, Balsamo nimirum de Tolu vocatô, claro instar Terebinthinæ Cypriæ, altero Liquidābar vocato, tertio coloris ex rubeo fusci, Peruviano dicto qui virium præstantia Ægyptiaco vix cedit. Etsi hi Balsami, ex naturæ penetralibus producti, viribus minimè insuaves sint, ac medica virtute plurimum valeant, visum tamen aliquibus, certas ob casas subtiliorem eorum partem segregare, quæ cum propter subjecti tenacitatem, non ita facilè, in prima destillatione, ac in Therebinthina, ac lignorum Resina fieri solet per vesicam evocari possit, hunc modum commendo:

Balsamo Peruviano, Storaci calamitæ, quoad colorem ex fusco rubricantem simili odoris vegeti, (quod experiri convenit, una, aut altera guttula, in carbones ignitos demissa) retorta firma vitrea, ut in accubitu ad destillationem mediam, ventris sui partem æquet, aliquatenus repleatur & apposito recipiente, per gradus ignis ex arena continuetur, donec oleosa, aqueæ mixta substantia, guttatim ad quinque pulsuum intervallum extillet, eoque gradu continuato, usque dum albicātes guttulę prodeant, flavescentibus vero guttis, & fumo sicco aboriri incipientibus, receptaculum cum destillato amoveatur, ne subsequente sordidiore inquinetur, & reliquum, intensiore ignis gradu, quoad potest, evocetur, magis fuscum, ac ponderosum oleum. Post hæc recipiens in aquam calidam mittendum, ut aquositas ab oleo soluto, facilius separari queat, residua in retorta materia, nigra, splendēs & fragilis est, instar Colophonii. Hac via, reliqua Balsama atque styracem depuratam, in oleum redigere licet, de qua alibi in Anatomia essentiarum vegetabilium, ex instituto docebo.

Ambo olea Balsami Peruviani, vi calefaciendi, penetrandi, discutiendi, resolvendi, sunt insignia; primum tamen, nisi ex Balsamo mangonisato destillatum, aut errore gradus ignis vitiatum sit, omnino mitius, etiam suaviore odore progressu tēporis accrescit, secundum pro violentia ignis, quæ ad separationem illius, à parte terrestri, inter destillandum requiritur, fuliginosum, grave, & adustum apparet. Utraque tamen maximè primum propter odoris fragrantiam, externis in affectibus, usu veniunt cum mixtura Balsami apoplectici unguento pomato, vel rosaceo, ad lienis inflationes, & tumorum, à causa frigida discussionem, majore utilitate, quam sordida unguenta de oleo Capparum, ac similia adhibentur, cujus experientiam insignem, in ventriculo, matrice, vitiosorum, ac frigidorum humorum culpa inflatis, adeptus sum, ad sopiendos

dolo-

dolores musculorum, & nervosarum partium, convenienti mixtura, iis, qui unguenta graveolentia non tolerant, commodissima: De quo in dispensatorio singulari, à me componendo, aspirante cœlitus numine, uberius agam. Reliqua quidem Balsama, utpote de Tolu, Liquidambar, imò ipsa styrax liquida, ejusdem fere virtutis, odoris tamen præstantia, quæ mihi hoc in praxi commendatum facit, aliquantum inferiora sunt.

CAP. VII.

De Peregrinarum ac balsamicarum Resinarum destillatione.

Resinæ quarundum arborum, ut Resina Elemi, animе Taccamahacæ, Copal, ex remotis regionibus ad nos delatæ, à Turba Medicorum, in gummatum classem receptæ sunt. Attamen cum oleo, aut ceræ super igne eliquatæ, penitus incorporentur, quod in gummatibus, diversa nimirum, & tam aquosa, ac glutinosa, quam resinosa parte constantibus cernere non est, sed vel in pollinem, prius redigenda, vel aceto solvenda, antequam unguentis, & emplastris misceri queant, quæ ratio me induxit, differentiam explicandæ horum naturæ commodam, pro ingenii mei modulo constituere. Nam si idcircò solum, quod ex arborum ramis, ac truncis, velut gummata, exsudant, unam in classem referenda essent, ratio nulla est, cur non Abietis, pinus, & laricis resinam, ac Therebinthinam illis quoque jungeremus, quod tamen ob naturæ diversitatem, sine rerum confusione fieri nequit. Vt ad rem ipsam veniam, destillatio horum, sequenti modo peragi debet.

℞. Gummi animæ selectæ, coloris flavi, intra digitos facilè mollescentis, odoris boni, & ferè aromatici ℔j coq; retortæ pars tertia circiter repleatur, quæ corpore sit altiore, & sensim usq; ad colli principium, in angustum vergente, moderato igne, primum oleum, secundùm, ut de Balsamis dictum, intensiore, & sic reliquarum Resinarum olea eliciuntur.

Oleum gummi animе, virtute penetrandi, exsiccandi, calefaciendi, quamvis oleo Balsami inferius sit, multum valet, insuper corroborat & adstringit, hinc ad curationem spasmi, contracturæ, paralysis, ex defluxione, & materia frigida obortæ, per se, vel unguentis mixtum, tanquam singulare remedium commendatur: Quamvis reliquarum resinarum olea, cum hoc, in viribus propemodum conveniant. Proprium tamen Taccamahacæ est roborare & exsiccare, olei Elemi subtilioris, per vesicam destillati, contracturam, spasmũ, apoplexiam, capitis & nervorum puncturas & dolores ex iis provenientes, sanandi virtute excellere. In genere, olea hæc in magnis contusionibus & luxationibus à chirurgis magnoperè expetuntur.

CAP. VIII.

De Gummatorum odoriferorum destillatione.

IN varia gummatum differentia, tria nobis occurrunt quæ ob præstantiam odoris, ad compositiones requiruntur, v. g. Benzoin, styrax calamita, & Ladanum.

Ben-

Benzoin, præ reliquis, odoris causa, commendatur, suavissimum enim ignitis carbonibus, injectum, spargit, & ad perfumigia celebris est. Torsit multos chymicos sollicitudo, quo pacto, non tantum oleum, ex ipso elicerent, quod tũ ad medicinam faciendã, tum ad suffitum complendum, præstantius esset, ejusq; causa, varios processus excogitarunt, ejus autem parandi difficultatem, experientia docet. Quamvis n. Benzoin gum̃i species, & ob pinguẽ ac sulphuream substantiam, inflãmari proclivis sit, ex quo, inexpertus, oleum facilè elici posse sibi persuadeat; res tamen, cum ad Vulcanum defertur, aliud probat. Etenim vulgatus destillandi modus, nihil præter albicantẽ, & in modum floccorũ sericorum, convolutã materiã profert, quæ apud chymicos, florum Benzoin appellationẽ nacta est, ac omnis pinguedinis, ad sensum expers, igne liquata, iterumq, refrigerata, in massam, Benzoin substantiæ similem concrescit, manifestamq; cum sulphure minerali analogiam habere, ratio indicat, & quamvis admodũ pinguis, tanquam genuinum ignis subjectum, ad ignem incucurbita fusa, nihil nisi pulverem flavescentem, sursum, ad alembicum mittit, qui nihil aliud, nisi ipsissimum sulphur est, purum attenuatũ, & de facili, iterata fusione, in solidam substantiã revertitur. Non desunt ostentatores vaniloqui, doctrinam meam chymiatricam suspenso naso explodentes, multa de oleo Benzoin jactent, nec tamen, quod volũt, obtinent, opere n. & facto non verbis, demonstrationem requiro, qua ratione, aut via, oleum ex Benzoin, sine additione, aliene pinguedinis, ignis potentia prodeat. Vidi equidem, apud aliquos, oleum subnigricans, acre, subtile, odore nidoroso, sub titulo, olei Benzoin per se destillati, de cujus veritate adhuc dubito, & ne hili quidem istud facio, cum ejus usum, nec in pharmacis, nec odoriferis componendis aptum, ac ipsum Benzoin depuratum, ac igne moderato sublimatum, multo præstantius esse, agnoscam.

Quod attinet styracem calamitam, & ladanum, admodum aliarum resinarum, destillari debent, habita observatione, ut hæc prius super igne lento, aqua rosarum soluta, per pannum exprimantur, ac sordes, velut arena, & ligna, hoc modo separentur. Irritus quorundam fuit labor, qui oleum horum, per vesicam extorquere conati sunt, etenim partibus, quas aqua bulliens, exsolvere possit, oleosis, ac subtilibus carent. Et ut paucis, nullius propemodum utillitatis sunt, aut usus, ne ad perfumationem quidem, propter empyreuma, ab igne contractum

CAP. IX.

De ferulaceorum gummatum, ut Ammoniaci, & similium destillatione.

HOc nomine accipimus, gummata illa, ex plantis quibusdam ferulaceis producta, quæ viscidum quid, & aqueum, ut gummi arabicum, ac præterea, resinosum & sulphureum aliquid, ut styrax calamita continent, suntque Galbanum, Ammoniacum, Opopanax, Sagapenum. Plantæ ferulaceæ verò, quæ caule, quemadmodum Angelica palustris, & Levisticum altius surgunt, de

K qui-

bus, earumque præparatione in ultima sectione Anatomes essentiarum vegetabilium instructio traditur.

Ex his gummatibus, modo non vetustate exsoleta sint, pars subtilior aëreæ oleagineæ substantiæ per vesicam evocatur, quæ odore, & effectu incongruo vehiculo sumpta eximia deprehenditur, ex altera parte vero, oleum crassum, ut constat ex capite, de resinis peregrinis, per arenam commodius evocatur.

Ut gummata, inter se, ita olea ex illis destillata, qualitatibus manifestis, in genere conveniunt, & propter acrimoniam illis comunem, insignem vim penetrandi, calfaciendi, & siccandi obtinent; hinc in mixturis unguentorum, magnoperè commendantur, ad tumores duros, membra resoluta, frigida, exsanguia, pororum obstructionem, sanguinis crassi, & tenacis attenuationem, caloris nativi, in membris torporem, apoplexiam, lethargum, duritiem splenis, dolores scyaticos, tartaream in articulis coagulationem, nec non ad matricis inflationem, vel suffocationem, à causa frigida exortam, ut cuivis, mediocriter in arte medica versato, patet.

CAP. X.

De Myrrhæ & Bdellii destillatione.

HÆc duo, colore, sapore, & odore, adeo cognata sunt, ut Myrrha, quasi alterius Bdellii & Bdellium, quodammodo alterius Myrrhæ species appareat; adeoque inexpertus, difficulter discrimen, inter hæc duo agnoscat, & licet varia, sicut reliqua, muccilaginea tamen potissimum constant, qua de causa, non tam facilè, ac ea, quæ resinosa parte abundant, ignem concipiunt, & aqua, vel vino soluta, tota ferè, in muccaginem vertuntur vix aliquo resinoso subsidente, ut reliquorum ferulaceorum natura fert, iterumque coagulata, amarore & odore excepto, gummi cerasorum, vel pomorum speciem referunt.

Vanus plurimorum conatus fuit, ex his, per vesicam, oleum subtile sine empyreumate eliciendi, ut supra de styrace calamita proditum est, compendiosiore via, ex retorta, per arenam opꝰ peragi potest, quæ nil aliud, quam copiam aquosæ substantiæ ac oleum, ad nullum, tum intra, tum extra corpus, usum, paucum, fœtidum, ac nidorosum exhibet. Atque hæc idcircò moneo, ut quivis, quantum in arte ex quibusvis consequi licet, intelligat. Quocirca qui posthabito Myrrhæ, vel Bdellii corpore crudo ejus Balsamicam, & sulphuream substantiam expedit nullo, ut in libro, de essentia vegetabilium, à me docetur, commodiore medio, quam per spiritum vini rectificatum eam consequetur.

Quidam hunc modum commendant: Myrrham cum segmentis ligni pinastris aliquanto tempore macerant, oleumque alicujus odoris, & amaritudinis compos, extra, & intra corpus, cum fructu exhibendum, per vesicam pellunt. Quod licet sapore, & odore Myrrham referat, majorem tamen olei partem, de segmentis, non Myrrhæ substantia promanasse, atque dictas qualitates, contingenter sibi adscivisse, credibile est, nec id contemno, modo nullus veritatis amans, pro sincero Myrrhæ oleo, obtrudere, seu dispen-

pensare nitatur: Quam nefariam sæpè fraudem pretiosa illa olea Cinamomi, Caryophillorum, per similem macerationem ad majorem copiam impetrandam, avaritia dictante, patiuntur, ac Materialistis vocatis, ac etiam stolidis quibusdam Pharmacopæis oblata, grandi pretio sæpè commutantur, nec stulti semetipsos tantum fallunt, cum ea temporis decursu, rancore cito corrumpantur, sed, quod gravius est, miserandos ægrotos, quibus similia offeruntur, injustè decipiunt, in quam errorum lernam, Medici & Physici jurati, meritò animadvertunt. Quamvis in his, non utrobivis par ratio sit, quod similia olea, multum de aromatum substantia, illud vero de Myrrha nihil participat: Coincidunt tamen in fraudis culpa, quatenus oleum Cinamomi purum, ab eo, quod magnam partem, oleo ex tædis educto, constat, non minus differat, quam aurum ex æqua potione cum cupro conflatum, quin gravius peccatur in his, quam in falsi auri pro vero commutatione, considerando jacturam sanitatis, quæ pretium auri, & argenti excedit: Qui error evitari posset si officinæ Pharmaceuticæ, à viris, tum in cognitione simplicium, tum in arte Chymica versatis, sedulo lustrarentur.

CAP. XI.

De essentia Tartarea vegetabilis destillatione.

Quomodo oleum Tartari inflammabile paretur, docui in tractatu meo Tartarologico, secundum quam methodum, omnia, quæ Tartari nomine veniunt corpora tractanda. Quædam verò, quæ ignis appulsu, mox in sublime tendunt, ex ferrea retorta destillare, necessum est eadem ratione, qua succos concretos, Aloës Acaciæ, Hypocistidis, Opii: Tandem ex saccharo, & melle primum igne lento, aquosa, dein fortiori, oleosa subnigricans substantia educitur: Quorsum sanè, non tam utilitatis, quam curiositatis causa, ne quid mihi, de similibus ratiocinandi, cum fundamento reliquum sit, experientiam feci.

CAP XII.

De ceræ ac olei olivarum destillatione.

Sunt, qui ceram in classem, de animalibus sumptorum referant, mea tamen fert opinio, hanc non in animalium, Apium sc. corpore alteratam sed substantiam ab his, magis dulcem, & aëream ex floribus collectam esse, quocunque modo se res habet, ejus destillatio aptè, ex cucurbita, per arenam instituitur, hac observatione non omissa, ut propter proclivitatem, qua in sublime tendit, primo pauca quantitate lento igne destilletur. Si cui hicce, utpote aliquantum, difficilis modus non arridet, hunc eligat: Arenæ mundatæ, vel pulveris silicum, q. s. affundatur, ceræ purissimæ fusæ ea copia, ut agitando ferè, ad emplastri consistentiam redeat, quæ per gradus ignis levissimos, amœnum, & coloris aurei crassiusculum oleum fundit, Chymicis butyrum ceræ

 dictum,

dictum magnæ emolliendi potestatis. Quidam hoc rectificando, ad liquidiorem consistentiam redigere conantes, nihil aliud referunt, quam empyreumate corruptum, & nativo temperamento exutum oleum: Oleum vero olivarum, sine additione facilis destillandi labor est; quamvis hanc nulli, maximè ei, qui alium ratum habet, præcepti loco, obtrudam, de possibilitate loquor. Oleum Philosophorum, seu de lateribus dictum destillandi modus, vulgo adeo notus ut eum huc referre haud necessarium sit: Recipiuntur nimirum, tegularum ab igne candentia frusta, inque oleo communi extincta, & pulverisata destillantur per retortam, ac hoc modo, oleum non contemnendæ virtutis exhibent digerendi, penetrandi, frigidos, ac inprimis splenis tumores consumendi, auditum rectificandi, vermes pellendi, dolores sciaticos, apoplexiam item, & spasmum curandi virtute pollet, quod tamen cautè, in ficciore præcipuè temperie, administrandum.

Cap. XIII.

De Oleo Caphuræ

Caphura in classe sulphureorum, propter puritatem, candorem & penetrandi vim, jure principatum obtinet, & æquè citò, quam spiritus vini, accessu caloris, ne dicam ignis, in auras evolat, accensaque, nullo post se inquinamento relicto, puriore, quam Resina, Therebinthina, aut Balsamus, flamma, penitus consumitur, quin etiam cætera olea, quamvis subtilia, combusta, nidorosa pinguedine, vasa, quibus continentur, inficere soleant: Neque satis admirari queo, ejus ingenium, quæ adeò aërea ac subtilis, ut nisi singulari industria condatur, se ipsam exhalando, interficiat, ac igne concepto, ipsis in undis supernatans, vice lucernæ fungatur. Quãobrem in foro medico non infimum locũ obtinet, & ad composita cordialia ac antidota plurimo in usu est. Hæc merito vindicanda est à multorum Medicorum sinistro judicio, qui frigidam & siccam qualitatem ei tribuant, cum tamen promptissime ignem concipiat, cui frigida, sicca, ob partes aqueas, & terrestres commixta, natura adversantur, nec cum ulla re minus quam cum terra convenit, cum hæc arctissimè, centro suo affixa manet. Caphura verò, minimo negotio, in auras evanescit, nec non acrimonia ejus, & odor, contrarium evidenter arguunt. Quare aromaticæ, odoratæ, & subtilissimæ substantiæ ratione, cum calidis potius, quam frigidis, cognationem habere, rectè statuitur: Nec obstat effectus, externas inflammationes sedandi; simile enim simile attrahere, experientia, & ratio probat; siquidem materia, per penetrantem, attrahentem, & digerentem facultatem consumpta, tumorem, & inflammationem cessare, manifestum est; imò internos etiam ardores, vi sua diaphoretica, & putrefactionem horum coercente, ut plura hujusmodi remedia, temperamento calida, dissipare potest. Ejusdem valoris argumentum illud est, quod ex facultate, libidines infringendi desumunt, ad assertionem temperamenti frigidi. Etenim si unicè, & propriè

qua-

qualitas frigida, ſiccà, ad hunc effectum requireretur, ſequelæ hæc foret neceſſitas, nullum ſimplex, quod calidum, & ſiccum eſt, id perficere poſſe, quod experientiæ, in Ruta, & agno caſto non reſpondet. Mitto cætera argumenta, brevitatis cauſa, quæ ad hanc doctrinam confirmandam afferri poſſent. Ad virtutes ejus redeo, quæ inſignes ſunt, contra malignas, ac peſtilentes febres, nec propter ſubſtantiæ puritatem, multa præparatione indiget, ubi tamen oleum expetitur, id parandi talis proceſſus eſt:

Caphuræ puriſſimæ ℥iiij. Luti figuli arenæ præparati ℔j, in modum paſtæ miſceantur, quæ in globulos formata, exſiccata ex arena, per retortam vitream deſtillatur, qua opera, oleum quidem flavum, in odorum tamen, minorisque efficaciæ ipſa Caphurę ſubſtantia obtinetur quam inſigni cum fructu, vel forma pulveris, aut liquoribus appropriatis ſolutam, mixturis cordialibus, alexitericis addere licet: Neque tam doctos informandi, quam quid de ſimilibus ſentiam ingenue communicandi cauſa intellecta volo.

CAP. XIV.

De oleorum memoratorum deſtillatione.

RECtificatio vocula ſeu terminus Chymicis uſitatus eſt vi ſignificandi idem quod ſubſtantiæ purificatio, aut exaltatio, quali fere opus habent, aquoſi, vel ſulphurei liquores, prima deſtillatione, intenſiore igne exacti, ut nidoroſum, grave terreſtreq; commixtum, mitiore ignis afflatu, per repetitam deſtillationem deponant, quæ tamen omnibus oleis, neceſſaria non eſt utpote, quæ ex Reſinis, Balſamis, Gummatibus, abſq; ignis violentia, non exſpectata aduſtione, quæ craſſam, ſulphuream, terreſtremque ſubſtantiæ partem primæ confundat, ſecundum artem deſtillantur, ac multo minus iis, quæ admodum infra præſcriptum, per veſicam educuntur, niſi noxam à cupreis inſtrumentis, vel laborantis negligentiâ ſordidum quid, & mucoſum contraxerit, quemadmodum ſuperius tractando, de alembicis & ſerpentinis vitreis, aut ſtanneis monui, nec ignorandum, rectificatione præcipuè in arena inſtituta, virtutes oleorum aromaticorum, & ſubtilium minui. Exempli loco, oleum ſuccini, quamvis rectificatum, clarius, ſubtiliusque fiat, non tamen, ſine empyreumatis labe, & ſaporis mutatione repetitam ignis violentiam ſuſtinet, quæ hujus, aliorumque nativam proprietatem deſtruere, potis eſt. Ubi autem neceſſitas eam requirit hoc modo inſtituenda eſt.

Oleo rectificando, in cucurbita vitrea, duo decupla aquæ quantitas affundatur, & ex Balneo, uniformi aquæ bullientis calore, ſubtiliores olei partes blandè evocentur, quæ denuò ab aqua ſeparandæ ſunt: Ad eundem modum, quæ per veſicam deſtillata, & laborantium incuria cõſpurcata, ſunt tractantur, diligenti tamen animadverſione adhibita, ne per juncturas malè fartas, vel clauſas odorifera olei virtus expiret, aut defectu refrigerationis alembicus diſſiliat. At ſi olea craſſa, tenacia, & nidoroſa occurrunt, quæ ab igne nullam noxam ſeu proprietatem, ſeu

effectum ejus consideres, recipere possunt, arenæ mundatæ mixta. modico igne, quoad omnem feculentiam deponant per retortam, aguntur: Nec minus commodè destillatio oleorum, quæ subtili, & aerea substantia prædita sunt, per vesicam, quam B. præsertim, cum ejus copia major expetitur, perfici potest.

HYDRELÆOLOGIÆ

SECTIO III.

CAP. I.

De oleorum per arenam destillatione, abundè in priore Sectione, nunc de aëreis, & spirituosis, indolem suorum simplicium, odore, & sapore referentibus, quæ per vesicam evocari amant, agere restat.

℞. Seminis Anisi ℔iiij. Aquæ fontanæ, mensuras sex, secundum supra præscriptum modum, per vesicam, moderato igne tamdiu continuato, donec nullum oleum amplius prodeat, destillantur, mutato subinde excipulo, quò melius progressum olei exstillantis experiri possis.

Pari modo, semina cumini, pauci, Feniculi, angelicæ, Sinapeos, granorum Paradisi, Cardamomi, quæ tenui, pingui, & volatili substantia gravida sunt, tractantur: Secus vero cum semine Raphani, Papaveris, Lini, & Cannabis cæterorumque fructuum nucleis, amygdalis, &c. utpote quæ lento, & gravi liquore referta sunt, agendum est, quæ prælo expressa, & à corpore separata, nusquam in alembicum ex vesica, vi ignis pelli possunt: Sunt etiam quæ pro quantitate rei, destillationi subjectæ, mox initio, intra unius, aut alterius horæ spatium, omnem oleosam substantiam levi destillandi labore fundunt, ex aliquibus contra, ut in semine Feniculi, & Petroselini, aliisque de quibus porro agendum est, vix biduo oleum separari potest: Hinc labor etiam, pro hac diversitate instituendus & aliqua pars aquæ abstracta, oleo separato, simplicibus denuo affundenda est, ut huic pro justa copia, sine adustionis periculo, ad finem destillationis usque innatare possint. Nec minor, aquam in refrigeratorio, cum recenti frigida, sæpè mutandi necessitas incumbit, illa quippe calidior, vel vaporum ascensum impedit, vel illis, plus justo rarefactis, receptaculum in frusta explodit. In genere, olea aquis innatantia, per tritorium separantur, quod constet, orificio supernè stricto, ventre amplo, & unius mensuræ capacitatis, inferne longo, in acumen ducto canali, ligneo obice præfixo, tritorium aqua, cui oleum permixtum est, repletur, iterumque interposita quiete aliqua, donec oleum supernatet, remoto obice, elabi permittitur, donec solum oleum in illo restet, quod vase vitreo exceptum servatur: Sunt qui ex lagena, stricti orificii, aqua ad summũ repleta, oleum, quod supernatat, spongia colligũt, ac porro duob9 digitis exprimũt, quidam elychnio, ad os appenso illud prolectant. Olei Anisi hoc proprium est ut auræ frigidioris allapsu, instar floccorum albicantium, aut spermatis Ceti forma concrescat, facultates ejus ipsi semini sunt analoga. Dosis 6. guttas, vino, Cerevisiæ, vel carnis brodio mixtas, raro excedit.

CAP.

CAP. II.

De oleo Melissæ, ac aliarum herbarum.

QUandoquidem, inter simplicia cordialia Melissa excellit, ab hac exordium facere lubet. Hujus folia, cum herba semine turgescit, concisa, & contusa, more usitato, s.q. aquæ fontanæ affusa per vesicam amplam destillantur, oleum paucæ omnino quantitatis, unica destillatione, impetratur: Ad eundem modum Mentha moschata, Salvia, Ruta, Absinthium, Origanum, Majorana, Lavendula, Rosmarinum, Thymus, Hyssopus, Satureia, Lepidium, Basilicum, ac cæteræ hujus farinæ, calida, odora, ac sulphurea mixtura abundantes herbæ, non tantum virides sed exsiccatæ quoque tractantur; nec etiam seminum maturitas, in omnibus expectanda, quorum folia, sc. s.q. olei suppeditant, v. g. levi labore, ex ℔j. foliorum Rorismarini, duæ, vel tres drachmæ olei eliciuntur.

Præcipuum locum tenet, in cordialibus, & Bezoardicis contra cardiacam passionem, ex flatibus, aut atræ bilis fervore natam, anxietates, melancholiam, inflationem lienis, matricis; cerebro insuper corroborando, & memoriæ confortandæ, aptissimum remedium est. Dosis vix 3. guttulas, propter subtilem penetrantiam, superat.

CAP. III.

De olei Rosarum destillatione.

ROsæ præsertim incarnatæ, non tantum ob usum Medicum, sed etiam odoris præstantiam, meritò coluntur. Oleum ex hisce, agnatæ suavitati compar, non nisi parva copia, per destillationem obtinetur, ob quod magnatibus tantum, ferè in usum cedit. Quod enim ex salitis rosis producitur, multum de nativa odoris indole deficit; consultum igitur, ex recentibus idipsum elicere, ac quidem ex justa florum rosarum quantitate concisa, per vesicam amplam, superstructo alembico stanneo capaciore & retuso, cum refrigeratorio: Qui modus, ad vapores, tum aquosæ tum oleosæ substantiæ, innato vigore pollentis, in excipulo colligendos, potior est illo, qui serpentinarum ambagibus, per cadum ductis absolvitur; promptius enim destillatio procedit, frigidæ in locum calidioris aquæ successu, modo refrigeratorium pariter, & semper plenum existat. Omnium vero optimus is est, ut ex fonte vel magno aliquo vase, per epistomium tantum aquæ influat, quantum ex alia parte refrigeratorii subducitur: Alembicus vesicæ arctissimè junctus, vitrum firmum rotundum excipiat, quod porro, mitioris ignis operatione, ne rosæ in sublime rapiantur, ex dimidio repletum, cum novo recipiente mutatur. Oleum aquæ destillatæ innatans, instar pinguedinis albidioris, panno super vitrum lati orificii, expanso, & aqua per tritorium transmissa, excipi, & cultello tenui colligi & tandem in vitro, cujus osculum patella vitrea, & desuper vesicæ bubulæ particula obturatur, servari solet. Aqua autem simul egressa recẽtiũ Rosarũ sufficienti quantitati affusa destil-

destillatio repetitur, donec, quantum lubet, olei, obtineatur: Non minorum virium hæc aqua, ac illa ad eandem, quam paulò ante tradidi, normam destillata, in qua separationis olei nulla mentio facta, quoniam propter exiguam copiam hoc labore dignum non judicatur: Nec etiam exsiccatæ, cujuscunque coloris, & odoris sint, recte laboranti, pinguem, & aëream substantiam denegant: Quidam etiam, Sacculum ex sindone, rostro alembici affigunt, quo pacto, oleum, transmissa aqua, colligere student, sed mitissimus ignis adhibendus, alias enim evanescit, aut penitius à linteo absorbetur. Acerrimo sapore, amaritudine, & caliditate pollet, & pauco temporis intervallo in auras expirat, nisi accuratè obturatum asservetur, aut mox à destillatione, Saccharo commisceatur. Ad mixturas cordiales, aquas vitæ, balsama apoplectica, & cardiaca, quorum vim auget, frequentem, apud Medicos solertes in usum venit.

CAP. IV.

De oleo Liliorum Convallium.

EX justa Liliorum convallium quantitate, vino conspersa, addita fontana, liquor destillatur, qui in loco quiescat, donec oleum album supernatet, cujus porro, sæpius dicto modo, separatio instituenda: Secundum quam methodum ex floribus Chamomillæ, Verbasci, Ligustri, Aurantiorum, Iasmini, Myrtillorum, Rosarum moschatarum, oleosa substantia, quoque elicitur, omnes tamen vinó conspergere, non est opus, nisi aquæ spirituosæ, ac magis calidæ desiderentur. Singulare quid, in oleo Chamomillæ videre licet, quod colore cæruleo, cum saphyro, aut illo Azuro ultramarino, contendit, eorum autem opinionem, qui hunc colorem é cupreis instrumentis contractum volunt, tanquam erroneam rejicio: necessarium enim foret, ut reliqua olea acriora, eodem colore tingerentur, cui experientia reclamat: Licet vero quædam ære viridi ex diuturna destillatione infecta, comperiantur, nullatenus tamen cum hoc conveniunt, sed ex Balneo Mariæ destillata, alieni coloris tincturã ex cupro, in fundo relinquunt, cum vice versa oleum chamæmeli, nulla rectificatione vel destillatione, proprium colorem amittat, qualem sc. non per accidens acquisitum, sed natura insitum quibusvis instrumentis, stanneis, aut vitreis destillatum, experientia teste, obtinet, cuj⁹ rei rationẽ, cum ante destillationem præter luteos flores; & virescentem herbam, nil in dicto simplici appareat, sciolis, & physicis argutis, qui multa, de multis speciosè magis, quam scientifice proferunt, enodandam relinquo. Convenit oleum Liliorum convallium, ad mixturam balsami apoplectici ac vitalium partium corroborationem,

CAP. V.

De oleo Iuniperi.

VUlgo, ac passim notum ést, oleum Juniperi, quod pestilitate grassante, præservativi loco, aliquot guttularũ dosi, vino mixtum, jejune hauritur, potenter flatus conclusos dissipat, calculum & mucum ex renibus abigit; raro quidem, sine adulteratione aut mixtura olei terebinthinæ, sæpe viscidum, ac rancidum offertur, quocirca consultum, ut aliquibus medicamentis parandis, solers Medicus ipse operam det, ac modio baccarum Juniperi

con-

contusarum, affusa aqua, vesicam repleat, & destillãdo quamdiu oleum prodit, opus urgeat, ac tandẽ ab aqua separet, ut in aliis quoq; traditum, qui modus quoque, cum baccis Hederę, Lauri, Myrtorũ servandus.

CAP. VI.

De modo destillandi olea, ex corticibus, Limonum, citri & aurantiorum.

RAro fortasse hæc olea, apud seplasiarios, quæ non ex putrefactis corticibus destillata, vel vetustate exoleta, aut diuturna harũ maceratione majoris copię acquirendæ studio non labefactata sint reperiuntur; cum tamen multum intersit, quo integra, & viribus perfecta habeantur, qualia ex sequenti præscripto parantur. Corticibus exterioribus, ex centum limonibus maturis & integris, in vesica s.q. aquę fontanæ affunditur, ac reliquo secundum priora exempla, apparatu adhibito, spatio quinq; horarum, oleum subtile & instar cristalli pellucidum, usq; ad drachmas decem, vel amplius elicitur; quod in separatione ab aqua, tantam odoris fragrantiam fundit, acsi locus circumcirca Limonibus refertus existeret, & ne vis, ac odor, deinceps magis dissipetur, subere, ac duplici membrana, angusti orificii vitro obturato, & quoties aperitur ad claudendũ nova pellicula adhibita, loco frigido, servandũ est: Qui labor si cui forte tædiosus est hoc oleum, pulvere facchari, ut pollinis, cõsistentiam retineat, incorporari potest, qua forma, sæpius per quinq; annos, viribus integrum servatur. Eandem regulam in malis citriis & aurantiorũ sequi convenit.

Reliqua pars corticum, crassa, & alba, ad condimentũ, succus etiã, & semen suos in medicina usus habent. Calfaciendi, siccandi, incidendi, ac penetrandi facultati aliqua amaritudine comitatum pollet, ad versus cordis palpitionem, anxietates cardiacas, à flatibus, & tetris vaporibus, ad vẽtriculi refrigerationem, tormina, venena ac pestifera contagia exigua quantitate exhibitum, magno corticum cumulo præsta Julapiis sitim augentibus, potiunculis, & catharticis corrigendis, balsamis componendis, quorum odorem perficit, frequẽter miscetur: Non tamen sine omni læsione, à quibusvis, maximè bilioso, aut sanguineo habitu præditis aut capitis dolore, à causa calida, affligi solitis, potissimum vino mixtum, usurpari potest, licet cerebrum sensibile, vapore, & odore, cæteris aliquantum mitius, anathymiasi sua ferire soleat. Hujus dosis ad quinque vel sex guttulas ascendit, Elæosaccharũ vero, quantũ cuspide cultri capi potest. Cum vero poma citria, limonibus ob alexitericam vim, & corroborantem communi Medicorum suffragio, præferenda sint, eorumq; copia, nobis raro detur, consulo ut nautis in Hispaniã profecturis, quo loco vili admodum pretio veneunt, negotium detur, ut flavedinem, ex aliquot centenis pomis citriis, concisam, in dolium mundũ ex ligno quercino recondant, idque affuso quantum capere potest spiritu vini Hispanici, ad summum repletum, & exactè clausum, in fundo Navigii, loco frigidiore collocatum advehant: quo pacto condita, nullam sex mensium spatio, noxam patiuntur, cujus rei, ipsusmet experientiam feci, in corticibus Limonũ, post quatuor menses, ex Hollãdia delatis; Oleum porro ex illis, ut sequitur, paratur. Hi cortices cũ spiritu vini, & parte aquæ fontanæ, per vesicam

ſicam deſtillati, albeſcentem, & ſpiſſum liquorem fundunt, quod mutato, ſubinde recipiente, à ſpiritu ſeparatur, qui denuo ex Balneo Mariæ rectificatus, aptiſſimus, ad mixturas aquarum cordialium, & bezoarticarum exiſtit. Hac ipſa cōmoditate, Flores Aurantiorum, vino Hiſpanico conditi, ad nos deferri, atque ex iis, ſecundum inſtructionem datam de Liliis convallibus aquæ præſtantes deſtillari poſſunt.

CAP. VII.

De Oleo Ligni Cupreſſi.

TAmetſi, huic ligno, non ubivis terrarum naſci detur, ex his nihilominus ciſtæ, aliæq; complures res confectæ, propter nitorem, robur & fragrantiam, varias in regiones cōmutantur, pauciora equidem ex lignis, quāvis pinguibus, ſolidis, & gravibus, ut ſunt Quajacum ac lignum Aloes, quæ, præter hoc unicum, per veſicam, verum oleum, Vulcano imperante exhibent. ℞. Raſuræ ligni Cupreſſi ℔ viij vel x. & affuſa q. ſ. aquæ fontanæ, per veſicam deſtillatio inſtituatur: Qua via oleum prodit, miræ, & in reliquis vegetabilibus, non uſitatæ proprietatis, præterquam enim pars ejus fūdo adhæreſcat, vel aquæ ſupernatet etiam in vaſis ſum̄itate, inſtar ſalis volatilis ſuccini, aut cornu cervi concreſcit, ac per totūm excipulum, quaſi filamenta, mirè candentia, tenuia, oblonga pruinam, arbores per hyemem cooperire ſolitam, referentia, naturæ inſuper adeo volatilis eſt, ut ſi, quod in collectione neceſſariò fieri debet, parum ad calorem fundatur, magnam partem verè evaneſcat, & ſpirituoſa levitate ſua, ipſum ſpiritum vini ſuperet; in frigido etiām loco ſervatum, in vaſe, ex parte vacuo, quoad datur, ſurſum nititur, & quamvis arctè concluſum, per omnes poros fragrantiam ſuam transmittit; & quod magis admiratione dignum eſt plurimorum annorum decurſu adeo ſubtilis hæc oleoſa ſubſtantia, in ſubjecto ſuo ligno ipſo nimirum, ſalva permanet, quod prima deſtillatione comperi; ex fragmentis enim ciſtæ cujusdam ante años centum factæ, in gratioſi Domini mei Arce Guſtrovienſi, ſatis magnam olei quantitatem impetravi, ac deinceps hunc laborem, cum recenti ligno pari ſemper effectu repetivi: Quocirca nobiliſſima chymia arcana naturæ nobis pandens, quæ communia Phyſicorum theoremata nunquam eruerent, nunquam ſatis laudari poteſt. Ut ad deſtillationem hujus olei revertar, illa continuanda, donec oleum omne transſcenderit, quod aliquot horarum ſpatio perficitur, recipiens porro, in aquam calidam mittendum, quo oleum ad latera concretum, diſſolvatur & ab aqua decenter ſeparatum reliquo jungatur. Hoc quandoque ad fundum, in grandula, ſali non abſimilia, coagulatur ut in balſamo Peruviano notavi, quæ tamen pura puta ſubſtantia, oleoſa, ad priorem formam, ſuper igne, redire ſolet: talem certe proprietatem in hoc oleo, qualem in nulla alia per veſicam deſtillata deprehendi. Vires autem ejus, experientia has cognovi, unguentum ex eo, cum ſapone Hiſpanico, & ſpiritu vini, contra defluxiones frigidas, Articulos decumbentes, utiliſſimum paratur. Cæterum communis Medicorum fert ſententia, lignum moderata ſua aſtrictione, ſine qualitatum primarum exceſſu, membra relaxata corroborare; aliis autem ejus olei, ac aquæ, quæ valde odorata eſt, ſpecialem uſum explicandum relinquo.

CAP. VIII.

De Oleo Ligni Rhodii.

Exoticum hoc lignum Rhodium dictũ non quod Rosarum ferax sit, sed propter odoris cum Rosis cognationem, id nominis sortitum est, soliditate Buxum, & exteriore parte insipida, Quajacum propemodum æmulatur, intus pingue, & amarum, quod autem his notis destituitur, tanquam spurium rejiciendum.

℞. Huius ligni q. s. in frusta dissecti, à quo album inodorum, velut inutile separatum est, & hujus aqua fontana affusa sine præmissa maceratione, & tribus vel quatuor manipulis salis adjectis, per vesicam destillatio absolvitur, & postquam una aut altera mensura aquæ prodiit, illa mutato recipiente & oleo separato, materię destillandæ reaffunditur, sic procedendo opus urgendum, donec nihil olei amplius extillet, ad quod cum ratione, tenacis, & solidi subjecti, cui inhęret, tum proprię gravitatis, ipsius olei, spirituosa subtilitate carentis, spatium quatuor ac plurium dierum requiritur. Hoc oleũ in genere, clarum, pellucidum, & subflavum est; primum ac secundum, posterius collecto, semper nobilius, quod vetustate facilè glutinosum evadens viribus deficit, pręsertim si negligenter tractetur, odor ejus tamen, additione olei Caryophyllorum, vel Cinamomi, aliquantum restaurari potest, hoc ipso, quamvis amari, & acris saporis sit, nihilominus quidam, ad capitis dolores, à causa calida prognatos utuntur, frigidam sc. & siccam intemperiem, ei adscribentes, potissimus ejus usus in balsamis conficiendis, suavissimam enim, & planè jucundam fragrantiam aliis odoratis Ambræ sc. grisseæ, Moscho, Zibeto, balsamo Peruviano, oleo Caryophyllorum, aut cinamomi mixtam, adspirare solet, & ad omnis generis perfumigia utilissimum est.

CAP. IX.
De Oleo Sassafras.

Lignum Sassefras, ob nobilem usum Medicis valde commendatum, ab Indis ad nos defertur, minus densum, sed leve ac porosum, quandoq; vix crassitiem digiti quandoq; humani femoris crassitiem adæquans, cortice Alnum imitatur, diversi tas coloris, quandoq; albescentis, jam ex fusco grissei, vel Cinamomum æmulantis, parvi momenti est, modo grato sapore, & odore, fęniculum quodam̃odo repræsentante constet, quo cortex, lignum superat: Quod calidum, siccum, facultate incidendi, dissipandi, aperiendi, abstergendi, & frigidam, ac serosam colluviem consumendi potens est. Quamobrem frigidæ intemperiei obstructioni Jecoris, Mesenterii, Lienis, renum, vesicæ, uteri nec non capitis, pectoris, & stomachi à causa flatulenta & frigida, aut à defluxione vitiis, ut chiragræ podagræ, lui gallicæ & scabiei à salsa pituita exortæ, egregiè opitulatur, adeo ut in hujuscemodi affectibus, propemodum panaceæ locum teneat, dum̃odo nõ temerè, & empiricè, applicetur, sed observatis obsérvãdis quę secundũ dogmaticos, ætatis, habit⁹ corporis, tẽporis, cõstitutionis cæli, diętę, catharticorum, & venę sectionis præparationis, ac justæ dosis discrimine notantur. Hoc olim majoris raritate magnitudinem pretii augẽte, ęstimationis erat, quã nunc, in tãta ej⁹ copia, quẽadmodum cæteræ res, & ipsæ scientiæ, nupera inventione gratæ, com̃unes vetustate factę, errore ingeniorũ, qui novitate trahũtur citò vilescũt; & ut noviter, dum̃odo bene inventis laus sua concedatur, rei tamen Medicæ, quandoq plus damni quam commodi hæc curiositas adfert.

Præstat igitur pro similium rerum, abundantia, qua etiam pauperes adjuvare detur, Creatori gratias rependere, quam imprudenter contemnere. Destillatio, hujus in tenuina frusta dissecti, sine alia additione, per vesicam cum aquę fontanę quãtitate, ad normam aliorum absolvitur, ex qua, oleum pellucidum, ex flavo ad fuscũ vergens, tarde quidem, sed tamen spatio unius diei prodit, quod aliquantum ponderosius, sub aqua, fundo vasis adhærens, ut alibi docebitur, separandum, omnibus affectibus, quibus lignum ipsum competit, subveniens, sed propter acrimoniam vehiculo temperandum, Dosis 3. 4. vel 6. gutta, vino, cerevisiæ, aut carnis jusculo mixtæ hauriuntur.

CAP. X.
De Oleo Cinamomi.

NObilissimi hujus aromatis libra integra nisi valde acutum, & viribus integrum sit, vix drachmam unam olei præbet; Quantumvis nasuti, & gloriosuli quidam Chymici, multo plus elicere, se posse jactent, qui donec id, facto ipso præstent, apud me fidem non merentur, hinc ejus pretii magnitudo, quamvis rarò sine adulterationis fraude, ad quam quidam tædarum segmenta adhibent, reperiatur.

℞. Cinamomi optimi, in partes minutas confracti ℔ iiij. aspergantur vino albo generoso, & paulo post, 6. aquæ mensuris affusis destillentur prodibit aqua Cinamomi, alba, turbida oleo spicei coloris mixta, quod partim in fundo, partim in corona liquoris, dispersum conspicitur, recipiens aliquantum manu agitetur, ut oleum supernatans, ad fundum descendat & probè obturatum, per aliquot dies, loco frigido reponatur, ut eo temporis intervallo, oleũ amplius separetur, hinc aqua, ad duorum cochlearium circiter cum oleo remanentiam, in aliud vitrum effluere permittitur, quod promptè succedit, si recipiens, versus orificium, cum epistomio pro lubito removendo, angustius sit. Hinc oleo in vitreo vase amplo, aquam Sale impraegnatam, & per chartam bibulam, filtratam, ad omnimodam repletionem superfunde, quo facto, mox oleum ascendit, quod denique infundibulo vitreo, facilè separatur, si quid parietibus vasorum oleosum adhæreat, illud tantillo Sacchari candi absorptum, in alium usum servatur: Tota aquæ quantitas quæ restat, trium circiter mensurarum in aliam parvam, & mundam vesicam transferatur, destillationem continuando, donec mensura aquæ extracta sit, reliquias, utpotè imbecilliores, pro vehiculo medicamentorum, servare licet. Hoc etiam modo, oleum Caryophyllorum, quod fundo vasis quoque incumbit, separatur, cujus tantum olei ex unica libra Caryophyllorum, quantum ex duodecim libris Cinamomi producitur. Oleum Cinamomi secundum proprietatem sui simplicis, ex quo extractum est, ad omnem noxam frigidam cordis, ventriculi, uteri, & partium genitalium contra humorum putredinem, malignitatem, & anhelitum gravem commendatur, cerebri, & vitalium, ac cæterarum partium vires recreat, ciborum coctionem promovet, unicæ guttulæ contactus, oculos adeo vehementi dolore percellit, & tanquam urtica prurigine afficit. Quod mirum non est, cum Cinamomum, & vulgo notum, summopere ca-

calidum sit, hujusq; integræ libræ vis, in drachma unica olei comprehēdatur. Quāobrem cautè 3. vel 5. guttulæ, vino vel alio liquore exceptæ, ac Saccharo temperatæ offerri debent. Compositio balsami, cum nulli pharmacopolæ ignota sit, nullum verbum postulat.

CAP. XI.

De Oleo nucis moschatæ.

85. NUces Myristicæ, nullâ re, nisi aqua communi addita, ut de corticibus Citri memini, destillantur. Libra una optimarum nucum, 6. drachmas suppeditat, quod instar Olei Therebinthinæ, albo colore, innatare solet: Restibile in vesica, & crassum illud, quod alias torculari exprimitur, postquam ora refrigerata sunt, cochleari colligere inq; patella, siquidem de nucum frustulis aliquid permixtum sit igne eliquatum, per pannum transcolare licet; quod sine difficultate ex vesica excipi potest, tota materia calefacta, in ahenum effusa, eaq; refrigerata, oleum separetur, qua unica opera, duplex oleum acquiritur, prioris usus, ad cardiacas, & flatulentas passiones colicam, & tormina matricis, renum, & sphyncteris vesicæ exulcerationem, leniter abstergendo, & urinam movendo, nec non cephalicis mixti, ad cerebri corroborationem, varia experientia confirmatus est. : Ultimum vero, contra tormina, & flatus, à frigida causa, ac stomachi fastidia, insuper roborādi, & astringendi virtute, contra fluxus alvi adhibetur. Chymici vulgò, hoc, ad conciliandam balsamis consistentiam, utuntur. Dosis ejus, utpote, in calore temperati, à à 4. 5. ad 10. usq; guttas, quæ vino, aliisq; liquoribus seu conservis, pulveribus, ac cæteris mixturis, prout ratio, & affectus postulat, misceri possunt. Cubebæ, grana Paradisi, cardamomum, macis, ac piperis genera, ac hujus classis aromatica, quæ oleum subtilius continent, ad supradicti processus legem, destillari possunt.

CAP. XII.

De Oleo Radicis Carlinæ.

RAdix hæc plantæ cujusdam, quæ carduo esculento similis aut animali illi, quod millies colorem variat, unde etiam nomen trahit, omnibus ferè Germaniæ, ac maximè Alpium apicibus domestica, Carlina verò, quasi Carolina, ab Imperatore Carolo magno vocatur; cui post ardentes ad Deum preces factas, quo stragem, quā exercitus ejus, à lue pestilenti acciperet, benignè averteret, angelum in visione apparentem digito in hanc herbam directo, pro antidoto, monstrasse, nec eventum defuisse, sed hoc remedio, maximam partē exercitus lethum evasisse proditum est, Theophrasto autem Paracelso, carduus angelicus dictus est, an hujus historiæ instinctu, me latet, hic admirandas ei virtutes, præcipuè stato tēpore collectæ ac vim alios spoliandi robore, ad se magneticè attracto attribuit, idque exemplo cujusdam rustici Alsatiæ confirmat, qui cum certo pignore deposito, cum sociis certasset, se per milliare integrum dolium certæ magnitudinis, vino plenum, (quod illi impossibile esse credebant:) humeris, nulla interposita quiete gestaturum, clam iis, de hac radice sumpsit & dicta mole onustus, ex pago, reliquis omnino liberis pone sequentibus defessis, ad præfixum terminum alacer & lætus pervenit. Simile quid

sæpè, & à pluribus accepi, equum, qui in comitatu aliorum, hujus radicis particulam, in hipato gestet, reliquis planè defatigatis, firmum validumq; progredi: De his tamen cuique, liberum judiciū relinquo. Nec hoc quod fide dignorum relatio me docuit, silentio prætcrire lubet, venatoribus in summis Alpium jugis hujus plantæ partem carnosam, floribus in ambitu substratam, devorantibus, cerebrū adeo corroborari, ut porro, sine vertigine, & periculi metu, per prærupta & horrida rupium, altissimorumque montium cacumina damas audacissimè persequantur: Quin etiam notavi, ubi multa simul simplicia in mixtura Theriacalium compositionum confundantur, hanc unam ferè præ cæteris, manifesto odore, & sapore se prodere. Hæc inter simplicia alexiteriaca, insignem prærogativam obtinet, in febribus malignis totum corpus penetrando, & in massam sanguinis agendo, facilimè sudorem elicere solet; oleum vero quod ex ea sequenti modo paratur haud inferioris virtutis est. Radicum xv. vel xx. libris, aquæ communis s. q. affundatur, ac per vesicam destillatio instituatur, eaque per plures dies, ut cum ligno Rhodio fit, cum tardè ascendat, continuanda est, primum oleum jucundum, & transparens, subsequens successive, colore magis, magisque saturatum prodit. Dosis ejus à 4. ad 6. guttas: Solet quoque antidotis, electuariis, & balsamis misceri, quod in omnibus ferè, sed majori vehementia, simplicis sui virtutem æmulatur.

Cap. XIII.

De oleo Therebinthinæ.

VAria ex Therebinthina olea, ut præcedente sectione videre licet, producuntur, hæc si quis separatim, & maximè subtiliorē sine empyreumate substantiam obtinere conatur, nullo tutiore, quam per vesicam modo eam impetrabit. Ex Therebinthinæ ℔iij. circiter cū aquæ simplicis justa quantitate, per vesicam leni igne adhibito, primo pellucidum, & subtile oleum prodit, quod separatū, succedenti ex cōtinuata destillatione, priori adhuc simili jungatur: Vocatur hoc oleū ob subtilitatem, & transparentiam, spiritus Therebinthinæ. Urgeatur opus tam diu, donec nihil amplius, quod extillet supersit, ac flavescens quod ultimò egreditur, peculiari vase exceptum, seorsim servetur: Residuū in vesica, una cum aqua, in ahenū vacuum effundatur, quod refrigeratū, licet candidum, friabilitate tamen & duritie Colophonium repræsentat, in emplastrorū, seu unguentorum mixturam aptum, ex quo demum, ut in priore sectione monstravi, tertiū oleum, per retortā elici potest. Hic processus, etiam molli ac nigræ pici navali, resinæ abietis, Resinis elemi, anime, Taccamahacæ, omnibusque, pingui, subtili, & aërea substantia præditis, probè quadrat. Spiritus Therebinthinæ præcipuè, qui ex odorata Cypria illa prolectus est, vi diuretica renum, & vesicæ affectus mitigandi, in mixturis, & linctibus pulmonum ulcera, & affectus thoracis corrigendi virtute pollet in officina chymica, sulphuris in formam vernicis transmutandi artificio, ac in chirurgia balsamorum vulnerariorum confectioni servit. Miror stupiditatem Pseudochymicorum quorundam qui ex auro fulminante, imperite ab iis calce auri vocato, tincturam hoc spiritu elicere conantur: Namque hi honi asini, dictum spiritum huic auro affusum, & calore digestum

(quod

(quod non aliunde, quam à corrosivis spiritibus, auro adhuc adhærentibus fieri solet) colorari videntes, jam se arcanum maximum ex tripode Apollinis percepisse, ridiculè sibi imaginantur. Quæ vero analogia huic oleo, cum corpore metallico sit, qua mediante sc. id radicaliter solvi possit, ac quo loco hæc, & similia habenda sint, doctorum, & in arte chymica versatorum virorum, judicio relinquo.

CAP. XIV.

De oleo gummi Ammoniaci, per vesicam dedestillato.

Oleum clarum ac subtile, hoc gummi suppeditat, sic opus inchoandum, ejus uni, aut duabus libris, aquæ fontanæ una circiter mensura affundatur, ac per vesicam parvam destilletur: Residuum in vesica, dum aqua adhuc fervet, panno firmo, super patinam stanneam exprimatur, ut tantum defecatum transeat, & super igne, aquosa pars exhalet, suo usui restituendũ: Ad hanc imitationem, reliqua ferulacea, modo sint recentia, succulenta, ut galbanum, sagapenum, opopanox destillanda veniunt. Hæc olea summa penetrandi vi, ipsis gummatibus prævalent; præsertim in paralysi, epilepsia, veterno, suffocatione uteri: Quæ tamen cum judicio, pro circumstantiarum ratione, ut multa alia, ad usum applicanda. Scitu quoque necessariũ est, quandoque partem Resinæ, vel gummi vesicæ adhærescere, quæ ut etiam serpentinæ, ac rostra calfacta, & oleo illita, oleo preterlabente unguinosa, facilè elui, & acerrimo lixivio mundari possunt, ut instrumenta penitus, odore precedentis materiæ libera, in alium usum, subsequente sola puræ fontanæ destillatione renoventur: sic quoque Mastix, Olibanum, Sandaraca, aliæque hujus generis lachrymæ resinosæ, quantumcunque olei, per vesicam destillatæ fundunt, quod exiguo sumptus impendio, parva materiæ quantitate, per minutam vesicam, cuivis experiri concessum.

HYDRELÆOLOGIÆ

SECTIO IV.

CAP. I.

De nomine Aquæ vitæ.

Siquidem spiritus vini, ab aquositate, accuratissimè defecatus, flammam ab igne prompte concipit, ad consumptionem usque, licet aquæ forma, non pinguefacere habili constet, nihilominus sulphureis substantiis adjudicandum, earumque ordini inferendum arbitror. Hunc ad imitationem germanici nominis, quidam vinum adustum vocant, à destillatione fortè quâ producitur, aut cõflagrãdi promptitudine, alii aquam vitæ, & quidem non immeritò appellant, tum quod nec ullus, aqueæ consistentiæ liquor, æque ac spiritus vini, summè rectificatus, modo accuratè, ne exhalare queat, conclusus sit stante saporis, & odoris integritate, eam ætatem attingere possit, tum quod substantiæ balsamicæ vegetabilium eorumque planè, ad nostræ vitæ conservationẽ pertinentium, utpote panis, vini, cerevisiæ, mulsæ, &c. spiritualis, & restaurare aptæ, sine quo prorsus languida sunt, ac inefficaciæ, potissima pars existat. Cur vero spiritus vini, quinta essentia vocetur, porro capite de fermentatione explicabitur. Atque, cum non de spiritu vini solum, sed in genere, de omnibus sulphureis, balsamicis, & incendi pronis substantiis mihi agere propositum sit, etiam deinceps quibuscunque

cunque, sive ex frumento, pomis, rosis, melle aliisque confectæ sint, communi, & spagyrico foro maximè accommodato, aquæ vitæ ardentis nomine appellabo, ad differentiam quorundam, sic dictorum spirituum, utpote Vitrioli, Sulphuris, Aluminis, Salis-Nitri, qui vehementer acidi, potius igni adversantur, aliiq; flammæ concipiendæ inhabiles, v. g. Spiritus Tartari & Quajaci, nihilominus propter subtilem, ac tenuissimam substantiam, vimque penetrandi, à chymicis, hoc titulo, donantur.

Cap. II.

De usu Spiritus Vini.

Spiritus vini æstimandus est, ex summa, per rectificationem, acquisita, & crystalli instar, pellucida. Subtilitate, ac phlegmatis paucitate, ex vino generosissimo prolectus, quo charta, aut linteum imbutum, incendio ocyus consumatur. Hic corrumpi nescius, calid' siccus, penitissimè substantias corporeas penetrandi, easque à cruda, & indigesta colluvie, & putredine vindicandi, auditum, memoriam, judicium, sensus, stomachum, uterum, partes genitales, & in genere vires omnes præcipuè ex quartanæ, aliarumque febrium prolixitate consumptas, spiritus vitales, & hæmatosin confortandi, meatus internos aperiendi, melancholiam profligandi, ventositates dissipandi, venenorum frigidorum vim infringendi, urinæ remoram, animi deliquia, & vertiginem ex frigida crassa materia, & exhalationes, ex vermium putrilagine tollendi mirifica vi pollet. Quin etiam Acherontis Charybdi, mox imponendi, hujus usu respirasse visi sunt, illi præcipuè, quorum cerebrum, aut exiguum vitale robur superstes, memoria sopita, & syncope inducta, propemodum suffocata essent, ut necessitati porro suæ, ad paucum licet tempus, providere potuerint, ad defluxiones consumendas, nuchæ, & coronæ capitis affricatur veterno, tumoribus frigidis, aurium tinnitui, bombace appositus, ac in cataplasmata, gangrænæ removendæ congrua, sine igne tamen, ne vis ejus pereat, aptissimus existit, cum haud ullum aliud, in regno vegetabilium, calori nativo fovendo, quod corruptum, & maturum est separando, contusa membra fovendo, coagulationem sanguinis, ipsis obortam inhibendo, huic æquiparari queat, quidam insessum in stupha, juncto foramine, per quod caput exseri possit, ac spiritu vini supposito, & incenso, sudorem provocant, ad membra resoluta, tremebunda, frigida corrigenda. Plurium equidem remediorum vices tenere aptus est de quo tamen plura verba facere, superfluum judico. Atque ut hoc encomium, convenienti ejus usui debitum, quibusdam arridere potest, ita sanè ejus abusu intricatis, ac eo inebriari solitis, terrorem incutere par est, considerando quantum damnum adferre possit, quandoquidem memoriam, judicium visum auditùmque labefactat, ophthalmiam, jonthos, varos in facie, acres ad dentes defluxiones, apoplexiam, epilepsiam, veternum, spasmum, tremores membrorum, inflammationem hepatis, defectum hæmatoseos, ventriculi exsolutionem, fœtorem anhelitus, hydropem, & ut paucis

cis complectar, nativum calorem suffocando, sanguinem adurendo, naturale, & blandum humidum, carnemque vegetam consumendo, anxietates, & melancholiam sulcitat, cujus manifestam noxam, spiritus vini, & ipsius meri, aliorumque liquorum, qui hujusceemodi spiritu turgent, potarores, quotidiè fere experiuntur: iis itaque, qui apoplexiæ, epilepsiæ, dolori capitis, vertigini, sibilo aurium, defluxionibus maxime podagricis, à calida, sicca, & acri humorum constitutione, hæmorrhagiæ, erysipelati, inflammationi internorum viscerum, atrophiæ, diabetæ, urinæ difficultatibus, naturali inclinatione aut actu ipso obnoxii sunt, penitus interdicendum. Quapropter sedulò de talibus ratio, & experientia consulenda, nec sine discrimine, copia ejus per se sumenda; quamvis frigidi temperamenti hominibus & loca septenrrionalia, inhabitantibus, & assuefactis, paulo largiore dosi concedendus sit. Quidam in more habent, hujus partem aliquam sacchar o temperatam, cum aquis rosarum, fragorum, acetosæ, borraginis, fructus Rubi Idæi probè destillatis, miscere, ac potissimum sequenti modo: ℞. Sacchari albi, & Aquæ Rosarum ana ℥iij. misce absque igne, ne fragrantia minuatur, ac demum adde spiritus vini optimi ℥viij. de qua mixtura, quandoque addita ambra, moscho, aliisque aromatibus, cochlearis mensura offertur, per se vel quopiam vehiculo congruo. Utimur quoque spiritu vini, ad aliorum virtutes acuendas, superfluam humiditatem arcendam, essentias resinosas, balsamicas, & aromaticas extrahendas. Ridicula sanè quorundam Pseudochymicorum opinio est, qui hujus potestate tincturas, & essentias, è lapideis corporibus, v.g. marcasita, imo ipsis metallis extrahi posse venditant, ut vix ullus processus reperiatur, ad tincturam, vel essentiam solis, lunæ, martis, mercurii, antimonii, rubinorum, corallorum, quin spiritus vini, ad hoc opus nuncupetur, & quidem sine fundamento, nec enim hujus est potentiæ, corpora tam solida penetrandi, aut solvendi, ac si quem, ex calcinatis, vel alio modo resolutis, hujuscemodi corporibus, colorem mutuatur, id per accidens, & mixtura spirituū corrosivorū accidere solet. Et posito, non concesso, is hanc dissolvendi vim obtineret, (quorum nihil tale foliis auri, & argenti, antimonio, mercurio, corallis, margaritis, lapidibus pretiosis superfusus præstat,) minime tamen ista in tincturas, sed potius substantiæ partem, in atomos, quo ferè modo magisteria perficiuntur, redigeret. Quam fallaciam, in aphorismis meis chymiatricis, & Chrysologia aliisque operibus meis, veritatis studio detexi.

CAP. III.

De differentiis Aquarum vitæ, ex variis rebus extractarum.

QUandoquidem non ex solo vino, & ejus fæce, sed etiam ex frumento, fructibus, melle, saccharo, aqua ardens produci potest, huic quæstioni occasio datur, utrum omnes ejusdem sint qualitatis, & virtutis. Pro cujus solutione, primò statuendum, rebus propemodum omnibus, duplices connasci qualitates, manifestas nempè, seu primas dictas, secundasvè & occultas, quæ proprietatis nomine, ferè nobis veniunt, quarum tamen cognitio

manca, nec tam definitione, quam effectu ipso nobis evidens fit: Non enim simpliciter, caloris, aut frigoris, humiditatis, aut siccitatis, amaritudinis, aciditatis, acrimoniæ, gravitatis, levitatis, densitatis, raritatis, aliusque sensibilis qualitatis energiæ æstimandæ sunt, sed vi quadam occulta, & inexplicabili à natura, toti composito implantata, quam Medici, nomine qualitatis à tota substantia seu forma specifica designant. In manifestis quidem qualitatibus, aquæ ardentes propemodum conveniunt, excepto sapore, & odore, in diversis diverso; Alius enim ejus, qui ex vappa, vel fæce vini, alius ejus, qui ex vino generoso, ex malvatico, muscatello, odorisve aromatici, aut ex frumento, melle, cerasis &c. qui omnes aliquatenus differunt, de quibus Physicorum turbæ ratiocinandi materiam relinquimus. At longè secus cum occultis se res habet, eo quod, non de totius mixti, ejusque omnibus partibus proveniat, imo, nec actu ipso hi spiritus, ut aqua, oleũ, tartarus, & Sal in subjecto suo, præexistant, sed externa quapiam re, fermentatione videlicet interveniente, producantur; hinc eorum virtus, ac facultas specifica, ut sensum, sic judicii nostri scrutinium eludit, nec quid illi, extra communes, & sensibiles qualitates, præstare possint, nisi experientia cognoscere datur.

CAP. IV.

Utrum aqua ardens, ex vino Rhenano, iis ex aliorum vinorum genere productis, præferenda sit.

INvaluit apud Teutones opinio, non tantum inter cætera vina, Rhenanum primas mereri, nec æquè salubre aliud, sub Sole reperiri, sed etiam spiritum, ex his profectum, aliis præferendum judicant. Novi quoque Præsidem quendam, certæ cujusdam provinciæ, qui comuni ejusdẽ Consiliariorum consensu, aquam vitæ, è vino gallico, tanquam sanitati minus commodam, publico edicto prohibuit. Quæ res tamen, non tam emolumentum, in publicum redundans, quam occasionem fraudi dedit, Francia scil. pro Rhenanis divendendi. Antequam vero de hoc plura verba faciam, prius de optimi vini notis, paucula theses proponere lubet. 1. Qualem vini optimi naturam esse conveniat? 2. Quæ sint qualitates ejus, in genere? 3. Unde vino vis æque refrigerandi, ac calefaciendi insit? 4. De Vinorum diversis proprietatibus. 5. In quo præstantia vini Rhenani, cujus causa aliis præfertur consistat? Quatuor potissimum sunt requisita, ex quibus vini qualitas, & bonitas æstimanda. Primo loco est, ipsius vitis certa species, quæ uvas melioris notæ producat, in his enim ut in aliorum fructuum genere, magna, quoad saporem, odorem, temperamenta, & vires, differentia deprehenditur. Secundò, ipsius soli, in quo vites satæ sunt, proprietas, quæ extranea mixtura mineraliũ, vel lapide calcario aut uligine nisi careat, etiam optimæ cujusvis speciei vitis, non nisi vitiosum, & congenerem terræ, ex qua alimentum trahit, fructum, vinumque ex ipso expressum, calculis, arthritidi, & contracturæ generandæ idoneum producere potest. Tertio, cæli & astrorum cuique regioni peculiaris influentia, cujus respectu, radiorum Solis, aeris, roris, imbrium copia, & benignitas varia est, etenim quæ in collibus, terra levi, & pura natæ, versus Solem oriẽtem spectant,

iis,

iis,quæ in vallibus, seu umbrosis, uliginosis,& plaudosis locis producuntur, longe præstant. Quartò, cultura conveniens, qua neglecta degenerare, & marcescere, vel foliorum onere obumbratas, maturitatem non attingere necessum est. In genere, vinum optimis notis,& qualitatibus insignitum,pro ratione præ & sub-Dominii,ex elementari mixtura resultantis; non tantum calefaciendi, siccandi, & penetrandi, sed etiam humectandi, ac refrigerandi virtute polleat, moderatè haustum,sanguificationem laudabilem reddat,putrefactioni resistat, cor roborare, & omnes sensus acuere natum sit, cujus igitur, hoc non profanæ modo, sed & sacræ litteræ laude extollunt, eique à pane, ad hominis vitam instaurandam, secundum locum tribui,æquum est. Unde porro hæ è diametro pugnantes, calefaciendi, & refrigerandi, siccandi,& humectandi, contrariæ scil. qualitates profluant, nobilissima ars Spagyrica, in Anatomia vini, per Vulcanum aperit, qua mediante, duplices liquores, ut alias substantias mittam, spiritum, unum, aquam insipidam, alterum exhibet, quasi in unum subjectum, ignis, & aqua convissent, Spiritus enim ille velut subtilissima quædam, & sulphurea substantia, veluti verum ignis subjectum, calefaciendi, penetrandi,& siccandi vi pollens, corruptionem in se non admittit. Contra aqua propter crassitiem, pondus, & ignaviam, frigidum ac humidum temperamentum putredini plurimum obnoxia est: unde liquet cui horum subjectorum quæque qualitas adscribenda sit, & quonam pacto, utraque harum substantiarum, effectum suum separatim edat. Etenim in vini, ad membrum aliquod corporis, applicatione, cum ejus duæ præcipuè partes existant, aqua, & spiritus, hic utpote actuosus, levis, & mobilis ac volatilis, cito vires suas, scil. calefaciendi, siccandi, & penetrandi, exserit, quo à caloris nostri actione in vapores, & exhalationes verso, ac dissipato, aqua sine relicta, sibi impedimento cõtrariæ potestatis, refrigerãdi, humectandi, repellendi, incrassandi, energiam prodit; & quicunque horum ex vino effectus resultet, eum non per acidens, sed virtute diversarum partium, quas vinum natura sua quatenus vinum est, ac dicitur, continere debet, per se produci judico. Quæ enim per accidens fiunt, non primo & directe, ad qualitatum in subjectis virtutem, & operationem, sed ad aliud quid, per illas productum, sequuntur. Exempli loco, sit tumor calidus à materia biliosa, cujus materiam, spiritus vini admotus, vi attenuandi, resolvendi, porosque aperiendi, ac per insensilem transpirationem evocet, vel consumat, qua sublata & tumor cesset, ac membrum, nativo temperamento restituatur: è contra pars corporis, poris nimium patentibus, vel calore externo, internum evocante, supra modum debilitata, affusa frigida ut meatus constringantur, & effluvium coerceatur; membrum pristinum robur recuperet, ambo effectus sunt per accidens consecuti, siquidem nec ille per calefacientia, nec hic per refrigerantia, primò ac per se absolvitur, quorum similia contingentia in medicina facienda, crebro admodum occurrunt.

Cæterum qualitates vini generosi, vappam enim & vina acida, agrestia, tractare non dignor, amplius considerandæ veniunt, quæ secundum coloris, saporis, odoris,

doris consistentiæ, mixtionis, ac ipsius substantiæ modi differentiam admodum variant. Quæ cum tractatum nimis prolixũ redderent, breviter de vino albo, fulvo, & rubro pauca quædam admonebo. In genere sciendum, omnis generis vina, præter aquam, & spiritum, uti paulo ante dictum, etiam Tartarum, & viscidæ cujusdam lentæque mellis ad instar substantiæ aliquid continere. Quantum ad Tartarum, confert is vino haud ingratam acutiem, & quasi vitriolatam, quæ sitim sedando, appetitum excitando, crassa, & viscida attenuando, per alvum, vel ureteres superflua expellendo, non leve pretium meretur, hæc ultima denique, quæ lenta, & crassiuscula, cumprimis si dulcis, & temperata sit, facilè in chylum & sanguinem verti, eoque nutrimentum, ut cætera vegetabilia, corpori præbere possunt. At licet aqua, spiritus, & Tartarus, in omni vinorum genere, ejusdem ferè qualitatis, existant, hic tamen posterior, Tartarus scilicet, in aliquibus flavus, & dulcis, in modum succi condensati, ex pomis optimis, ac dulcioribus, in quibusdam verò saturatè rubens, ad sacchari saporẽ accedens, in aliis cujusvis coloris sint, dulcedini acrimoniam mixtam gerit, in nonnullis potius acerbus, quandoque austerus, non sine astringendi vi deprehenditur. Quæ varietas coloris, odoris, saporis, consistentiæ pro natura uvarum, ex quibus illud exprimitur, ac hujus cum illis tribus, eorumque inter se proportione, differentiam vino conciliare solet. Diversus quoque est Tartarus in vino, ex uvis Sole maceratis, alius in vinis, à fermentatione, (quamvis turbidæ, dummodo dulces maneant,) prohibitis, vel igne excoctis, aliove modo fucatis. Primò, vina alba, clara, consistentia tenuia, penetrantia, odorifera, sapore nec acido, nec dulci sed ex utroque temperata, quæ vitro infusa, levem spumam mox interstrepentibus atomis, evanescentem, ac subtilẽ splendentem ex modica flavedine reflexionem mittant, quæque vasis mundis excepta, diutissimè coloris, aliarumque qualitatum probam perennant, hæc, inquam, moderatè hausta sitim sedant, appetentiam ciborum provocant, modicè nutriunt, sine hepatis alteratione, & capitis gravitate, corpus blandè calefaciunt, humores crassos, tenaces corrigunt, meatus apertos cõservant, & urinam absque impetu, prout natura requirit, promovent. Quæ vero, colore albo, & pellicido, aquam referunt, spumamque diu servant, nullo modo, sine artis opera, aut sulphuris incensi aspersione durare queunt, & quamvis alioquin, sapore subacidulo, haud ingrata sint, nec tamen calefaciunt, nec ut supradicta nutriunt, sed Gynecæo, & pueris, vel robustis, & sanguineis hominibus, per æstatem, cæterisque febre, ac calida intemperie affectis, aptissima sunt, ac ratione aquosæ substantiæ, urinam majori copia fundunt.

Atque quæ colore aureo, & consistentia, ad mulsum ferè accedente, ut melleo lentore digiros propemodum inficiant, nihilominus clara, natura sua aromaticum odorem spirantia, sapida, dulcia, vitro infusa, nulla ferè spuma, saltem durabili, guttisque intercurrentibus supra, ac infra micare conspiciuntur; hæc quoque propriis viribus omni temporum statione, terra marique, reliquis diutius, integra servari possunt, ac calefaciendi, nutriendi, sangui-

nem generandi, coctionem ciborum adjuvandi, spiritus vitales recreandi, insignem potentiam obtinent, ideoque mærore confectis, melancholicis, frigidaque intemperie laborantibus, offerenda sunt, quo incalescere, confortari, & exhilarari queant; ab hominibus tamen, teneræ, constitutionis, modica quantitate, sumi postulant, hos enim nimium spirituosa, oblædere possint: Reliqua ab his colore dilutiori, & consistentia tenuiori, ab his recedentia, odore tamen, ac sapore grata, cæterisque bonitatis notis respondentia, illis quidem fortitudine inferiora, urinam tamē promtius exigunt, quam colore saturata.

Nunc vina rubra quod attinet, sunt quædam, rubore pellucido, instar granatorum, vel rubinorum, aut lapidis Amethystæ æmulo, tincta, uvarum saporem suavem imitantia, sapore acuto, recenti, nō tamē acido, quæ vitro infusa spumam subsultu quodam, cito amittunt, & multo tempore, in vigore consistere apta, salubria sunt, & præter vim calefaciendi, blanda adstrictione dotata, stomachi, hepatis, intestinorum, ac cæterorum viscerum, constitutionem incorruptam servant. Quædam vero, sunt rubore magis intenso, & ferè, ad nigredinem inclinante, consistentia spissa, à vini fulvi superius descripti, qualitatibus haud multum distantia, calore vegeto, & spiritu plena, subito vires recreare queunt, aliquantum tamē plus nutrire, & ob temperatam astringendi vim omnibus rubellis insitam, non tamen humores tenues incrassare, coquere, sed etiam, (cujus causa pro ratione circumstantiarū, offerenda esse censeo,) venas, & viscera aliquantum obstruere nata sunt. Atque hæ præcipuæ propemodum sunt vinoru differentiæ, prætermissis acidis, acerbis immaturis, aquosis, insipidis, igne coctis impuritate soli, vel fuco inquinatis, de quibus verba facere, non attinet. Et ut summatim complectar, vina cujuscunque saporis, coloris, odoris, & consistentiæ, quæ omnibus vel pluribus, vel etiam mixtis quocunque gradu, cum suprascriptis, affinitatem quandam habent, inter vina bona notæ censenda sunt, insitumque spiritum ac generosam indolē prodent, modo probata uvarum proprietate, aptitudine, & puritate soli, radiis solaribus, maturitate, cultura congrua, fermentatione, ac vasis conservationi aptis, non destituantur, eorumque, qui moderatè eis utuntur, viribus augendis, & corporis habitui confirmando apta erunt, eaque seu à Rheni tractu, seu aliunde ortum duxerint, nunquam pro natura, & valore suo, titulo vinorum primariorum privari, æquum est.

Cæterum eos, qui posthabitis omnibus aliis, cujuscunque regionis, uni Rhenano primas deferunt, in errore versari existimo, cum antequam Germania vitibus consita fuerit, multorum historica relatione præstantia constet. Nec inficias iverim, secundum notas supra positas, facultatem nimirum calefaciendi, attenuandi, aperiendi, quæ in genere diureticis competunt, Rhenanum optimorum classi inferendum esse, non tamen in reliquis qualitatibus, omnibus omnium regionum vinis præstantius, ne dicam par est, quamvis Teutones hoc avidius amplectantur, quod duabus de causis, fieri arbitror: Prima, quod hoc ipsis longa consuetudine, familiare factum sit. Secunda, quod ma-

lum, longa consuetudine, apud Germanos, potissimum introductum, ut compotationes in plurimas horas protrahant. Rhenanum, caput non adeo vehementi calore feriendo, hepar incendio adurendo, sed ob tenuitatem, ad ureteres penetrando, vel per poros exhalando, horum corporibus, etiam in larga quantitate sumptũ, cæteris longè tolerabilius, & convenientius existat, quas tamen dotes, cum pluribus aliis communes habet. Generosissima autem Galliæ, ac Italiæ vina, quæ proprietate uvarum non minus, ac climatis clementia, & solaribus radiis excocta, spirituum copia, cum Rhenana superent, adeoque in corpus calore suo, & forti exhalatione in cerebrum agendo, vires & sensus turbando, gutturis irrigationem, & voluptatem in potando protrahi solitum, citius intertumpere possunt: unde isthæc damna valetudinis, quæ ad hujusmodi, (ut etiam ab ipso Rhenano potentiori,) copiosius haustis oriuntur, non eorum proprietati, quæ naturæ adversetur, & nativo vitio, sed spirituositati ob quam tanta copia, sine læsione bibi nequeunt, imputãda sunt. Quapropter quidam teneræ, & imbecillioris constitutionis, aut etiam, potatores cautiores, qui in corona bibentium triumphare affectant, missis non tantum Gallicis, ac Italicis, sed etiam ipsis Rhenanis meracioribus, mitiora, & temperata, pro sese eligere student. Quod vero illorum quædam, in specie, ob loci situm, & terræ vitium nociva sint, quibus etiam Germania, multis in locis scatet, laudem cæteris melioris notæ non eripit. Insuper luce meridiana clarius est, vina Rhenana, ob subtilitatem homines defluxionibus, & catarrhis, ac convulsionibus obnoxios, plusquã Gallica, oblædere posse, quæ etiam præsertim rubella, benè matura, in laxitate oris ventriculi, aliarumque partium, nobilissimo Rhenano, præferenda sunt. Idcirco suum cuique, adhibita distinctione, quod meretur, laudes tribuendum. Sed ut ad propositam quæstionem descendam, an spiritus, è vino Rhenano extractus, ei qui ex Hispanico, Gallicove educitur, Germanorum usui (ut hactenus opinio vulgi obtinuit) commodior sit? respondeo negando, nulla enim probabilitate contrarium fulciri potest; concedo equidem, vinum ipsum quatuor suis sæpè nominatis partibus, adhuc comprehensum, ac integrum, ob dictas causas magis, quam vehementia illa exotica, Germanorum naturæ, & consuetudini convenire, non idem tamen in spiritu, ex illis parato, locum habere, nec vinorum differentias, inter se supra comparatas, huic competere posse admitto: Ut ex quovis vino generoso, aut vini fœce, recenti, & odora, cujuscunque Regionis, & proprietatis sit, spiritus eductus, modo ex æquo, per rectificationem, phlegmate ablato, ad summam subtilitatem, & conflagrandi aptitudinem, exaltatus sit, in illo, nisi quoad saporem aliquantum, nullum discrimen reperire detur. Nec adducta ratio alicujus momenti est: nimirum cum Rhenanum, sapore acuto & recenti, sitim extinguere, nec eam, quam cætera caloris vehementiam, in corpore excitare, sed celeriter meatus penetrare, & exhalare solitum sit, easdem idcirco qualitates, & affectus, etiam ad spiritum, ex eo destillatum pertinere. Quin contrarium potius, experientia evincit,

& non

& non ex Rhenano modo, sed quovis alio aquoso, & acidulo, dummodo corruptum, fucatum, adulteratum, nidoris, & fœtoris plenum excipias, æque ardentem, & penetrandi vi insignem, odorisque fortis, ac ex ipso Malvatico, vino Græco, Canariensi, & Alicantico separari posse: Nec naturæ in vino diversitas, spiritus vini diversitatem parit, quamvis hoc vel illud vinum, prout spirituosa parte magis vel minus, abundat, etiam majorem, vel minorem spiritus copiam suppeditet. Quare nisi in uno aut altero, sive ex Hispanico, Italico, Gallicovè destillato, latentem, & malignam aliquam proprietatem, quod minimè probabile, demonstrare licet, cum in reliquis qualitatibus manifestis, nisi secundum magis, & minus, quod per rectificationem corrigi potest, conveniant, cadit omnis in hoc effatu digna differentia. Quæ tamen opinio hactenus materiam & ansam fraudis dedit, cum vulgò spiritus, & aquæ vitæ, alias satis, si probè & sedulo parentur, laudabiles, non tantum, ex vino Gallico, aut Hispanico, sed etiam cerevisia confectæ, leviori alioquin pretio comparandæ, sub titulo aquæ vitæ Rhenanæ multo majoris, passim vendi constet. Ego sanè, quandocunque spiritu vini opus habeo, illum ex generosissimis illis, ac dulcium vinorum generibus ex Italia, Provincia Narbonensi, Carinthia, Hungaria, potissimum Canaria advehi solitis, vel è Muscatello, & Malvatico, horumvè fæcibus recentibus, industria elicere soleo. Atque his, de Spiritus Vini electione, propriam sententiam declarasse sufficiat.

CAP. V.

De utilitate fermentationis.

EXposita utilitate Spiritus Vini, & ejus subjecti, vini videlicet, antequam ad ipsam enchirisin, seu manualem, hunc destillandi, operam veniam, pauca quædam de fermentatione, ceu re ad hunc tractatum necessaria, prælibare visum est. Fermentatio igitur est motus quidam, seu alteratio, à calore interno, in humidum agente inducta, qua diversæ, & inter se pugnantes, substantiæ elementares, partim separantur, partim in unum nobiliorem mixtionis modum, ac unionem rediguntur, quod rerum fermentantium strepitu, pugna, & humidi turgescentia apparet, hac mediante res, ad subtiliores, spirituosas & balsamicas, varieque operandi, & penetrandi virtutes exaltantur: Id quod quotidiano usu, non tantum in musto, pomis, pytis melle, &c. sed etiam in frumento ad cerevisiæ, in farina ad panis confectionem experiri, cuivis obvium est. Nec panis, aut vini nomen meretur, massa ex farina cocta, aut uvarum succus, nisi hanc alterationem subiverit, ac eam perfectionem, quam à nulla re alia impetrare potest, consecuta fuerit: nec aqua melle mixta pro mulsa, aut humor cum aqua ex frumento expressus, pro cerevisia usurpanda, quæ corporum humanorum dispositiones, potius in deterius mutandi, quam valetudinem conservandi apta nata sunt. Sic spiritum, & aquam vitæ,

lum, longa consuetudine, apud Germanos, potissimum introductum, ut compotationes in plurimas horas protrahant. Rhenanum, caput non adeo vehementi calore feriendo, hepar incendio adurendo, sed ob tenuitatem, ad ureteres penetrando, vel per poros exhalando, horum corporibus, etiam in larga quantitate sumptū, cæteris longè tolerabilius, & convenientius existat, quas tamen dotes, cum pluribus aliis communes habet. Generosissima autem Galliæ, ac Italiæ vina, quæ proprietate uvarum non minus, ac climatis clementia, & solaribus radiis excocta, spirituum copia, cum Rhenana superent, adeoque in corpus calore suo, & forti exhalatione in cerebrum agendo, vires & sensus turbando, gutturis irrigationem, & voluptatem in potando protrahi solitum, citius interrumpere possunt: unde isthæc damna valetudinis, quæ ad hujusmodi, (ut etiam ab ipso Rhenano potentiori,) copiosius haustis oriuntur, non eorum proprietati, quæ naturæ adversetur, & nativo vitio, sed spirituositati ob quam tanta copia, sine læsione bibi nequeunt, imputāda sunt. Quapropter quidam teneræ, & imbecillioris constitutionis, aut etiam, potatores cautiores, qui in corona bibentium triumphare affectant, missis non tantum Gallicis, ac Italicis, sed etiam ipsis Rhenanis meracioribus, mitiora, & temperata, pro sese eligere student. Quod vero illorum quædam, in specie, ob loci situm, & terræ vitium nociva sint, quibus etiam Germania, multis in locis scatet, laudem cæteris melioris notæ non eripit. Insuper luce meridiana clarius est, vina Rhenana, ob subtilitatem homines defluxionibus, & catarrhis, ac convulsionibus obnoxios, plusquā Gallica, oblædere posse, quæ etiam præsertim rubella, benè matura, in laxitate oris ventriculi, aliarumque partium, nobilissimo Rhenano, præferenda sunt. Idcirco suum cuique, adhibita distinctione, quod meretur, laudes tribuendum. Sed ut ad propositam quæstionem descendam, an spiritus, è vino Rhenano extractus, et qui ex Hispanico, Gallicove educitur, Germanorum usui (ut hactenus opinio vulgi obtinuit) commodior sit? respondeo negando, nulla enim probabilitate contrarium fulciri potest; concedo equidem, vinum ipsum quatuor suis sæpè nominatis partibus, adhuc comprehensum, ac integrum, ob dictas causas magis, quam vehementia illa exotica, Germanorum naturæ, & consuetudini convenire, non idem tamen in spiritu, ex illis parato, locum habere, nec vinorum differentias, inter se supra comparatas, huic competere posse admitto: Ut ex quovis vino generoso, aut vini fœce, recenti, & odora, cujuscunque Regionis, & proprietatis sit, spiritus eductus, modo ex æquo, per rectificationem, phlegmate ablato, ad summam subtilitatem, & conflagrandi aptitudinem, exaltatus sit, in illo, nisi quoad saporem aliquantum, nullum discrimen reperire detur. Nec adducta ratio alicujus momenti est: nimirum cum Rhenanum, sapore acuto & recenti, sitim extinguere, nec eam, quam cætera caloris vehementiam, in corpore excitare, sed celeriter meatus penetrare, & exhalare solitum sit, easdem idcirco qualitates, & affectus, etiam ad spiritum, ex eo destillatum pertinere. Quin contrarium potius, experientia evincit,

& non

& non ex Rhenano modo, sed quovis alio aquoso, & acidulo, dummodo corruptum, fucatum, adulteratum, nidoris, & foetoris plenum excipias, æque ardentem, & penetrandi vi insignem, odorisque fortis, ac ex ipso Malvatico, vino Græco, Canariensi, & Alicantico separari posse: Nec naturæ in vino diversitas, spiritus vini diversitatem parit, quamvis hoc vel illud vinum, prout spirituosa parte magis vel minus, abundat, etiam majorem, vel minorem spiritus copiam suppeditet. Quare nisi in uno aut altero, sive ex Hispanico, Italico, Gallicovè destillato, latentem, & malignam aliquam proprietatem, quod minimè probabile, demonstrare licet, cum in reliquis qualitatibus manifestis, nisi secundum magis, & minus, quod per rectificationem corrigi potest, conveniant, cadit omnis in hoc effatu digna differentia. Quæ tamen opinio hactenus materiam & ansam fraudis dedit, cum vulgò spiritus, & aquæ vitæ, alias satis, si probè & sedulo parentur, laudabiles, non tantum, ex vino Gallico, aut Hispanico, sed etiam cerevisia confectæ, leviori alioqvin pretio comparandæ, sub titulo aquæ vitæ Rhenanæ multo majoris, passim vendi constet. Ego sanè, quandocunque spiritu vini opus habeo, illum ex generosissimis illis, ac dulcium vinorum generibus ex Italia, Provincia Narbonensi, Carinthia, Hungaria, potissimum Canaria advehi olitis, vel è Muscatello, & Malvatico, horumvè fæcibus recentibus, industria eliere soleo. Atque his, de Spiritus Vini electione, propriam sententiam declarasse sufficiat.

CAP. V.

De utilitate fermentationis.

Exposita utilitate Spiritus Vini, & ejus subjecti, vini videlicet, antequam ad ipsam enchirisin, seu manualem, hunc destillandi, operam veniam, pauca quædam de fermentatione, ceu re ad hunc tractatum necessaria, prælibare visum est. Fermentatio igitur est motus quidam, seu alteratio, à calore interno, in humidium agente inducta, qua diversæ, & inter se pugnantes, substantiæ elementares, partim separantur, partim in unum nobiliorem mixtionis modum, ac unionem rediguntur, quod rerum fermentantium strepitu, pugna, & humidi turgescentia apparet, hac mediante res, ad subtiliores, spirituosas & balsamicas, varieque operandi, & penetrandi virtutes exaltantur: Id quod quotidiano usu, non tantum in musto, pomis, pyris melle, &c. sed etiam in frumento ad cerevisiæ, in farina ad panis confectionem experiri, cuivis obvium est. Nec panis, aut vini nomen meretur, massa ex farina cocta, aut uvarum succus, nisi hanc alterationem subiverit, ac eam perfectionem, quam à nulla re alia impetrare potest, consecuta fuerit: nec aqua melle mixta pro mulsa, aut humor cum aqua ex frumento expressus, pro cerevisia usurpanda, quæ corporum humanorum dispositiones, potius in deterius mutandi, quam valetudinem conservandi apta nata sunt. Sic spiritum, & aquam vitæ,

lum, longa consuetudine, apud Germanos, potissimum introductum, ut compotationes in plurimas horas protrahant. Rhenanum, caput non adeo vehementi calore feriendo, hepar incendio adurendo, sed ob tenuitatem, ad ureteres penetrando, vel per poros exhalando, hotum corporibus, etiam in larga quantitate sumptū, cæteris longè tolerabilius, & convenientius existat, quas tamen dotes, cum pluribus aliis communes habet. Generosissima autem Galliæ, ac Italiæ vina, quæ proprietate uvarum non minus, ac climatis clementia, & solaribus radiis excocta, spirituum copia, cum Rhenana superent, adeoque in corpus calore suo, & forti exhalatione in cerebrum agendo, vires & sensus turbando, gutturis irrigationem, & voluptatem in potando protrahi solitum, citius interrumpere possunt: unde isthæc damna valetudinis, quæ ad hujusmodi, (ut etiam ab ipso Rhenano potentiori,) copiosius haustis oriuntur, non eorum proprietati, quæ naturæ adversetur, & nativo vitio, sed spirituositati ob quam tanta copia, sine læsione bibi nequeunt, imputāda sunt. Quapropter quidam teneræ, & imbecillioris constitutionis, aut etiam, potatores cautiores, qui in corona bibentium triumphare affectant, missis non tantum Gallicis, ac Italicis, sed etiam ipsis Rhenanis meracioribus, mitiora, & temperata, pro sese eligere student. Quod vero illorum quædam, in specie, ob loci situm, & terræ vitium nociva sint, quibus etiam Germania, multis in locis scatet, laudem cæteris melioris notæ non eripit. Insuper luce meridiana clarius est, vina Rhenana, ob subtilitatem homines defluxionibus, & catarrhis, ac convulsionibus obnoxios, plusquā Gallica, oblædere posse, quæ etiam præsertim rubella, benè matura, in laxitate oris ventriculi, aliarumque partium, nobilissimo Rhenano, præferenda sunt. Idcirco suum cuique, adhibita distinctione, quod meretur, laudes tribuendum. Sed ut ad propositam quæstionem descendam, an spiritus, è vino Rhenano extractus, ei qui ex Hispanico, Gallicove educitur, Germanorum usui (ut hactenus opinio vulgi obtinuit) commodior sit? respondeo negando, nulla enim probabilitate contrarium fulciri potest; concedo equidem, vinum ipsum quatuor suis sæpè nominatis partibus, adhuc comprehensum, ac integrum, ob dictas causas magis, quam vehementia illa exotica, Germanorum naturæ, & consuetudini convenire, non idem tamen in spiritu, ex illis parato, locum habere, nec vinorum differentias, inter se supra comparatas, huic competere posse admitto: Ut ex quovis vino generoso, aut vini fœce, recenti, & odora, cujuscunque Regionis, & proprietatis sit, spiritus eductus, modo ex æquo, per rectificationem, phlegmate ablato, ad summam subtilitatem, & conflagrandi aptitudinem, exaltatus sit, in illo, nisi quoad saporem aliquantum, nullum discrimen reperire detur. Nec adducta ratio alicujus momenti est: nimirum cum Rhenanum, sapore acuto & recenti, sitim extinguere, nec eam, quam cætera caloris vehementiam, in corpore excitare, sed celeriter meatus penetrare, & exhalare solitum sit, easdem idcirco qualitates, & affectus, etiam ad spiritum, ex eo destillatum pertinere. Quin contrarium potius, experientia evincit,

& non

& non ex Rhenano modo, sed quovis alio aquoso, & acidulo, dummodo corruptum, fucatum, adulteratum, nidoris, & fœtoris plenum excipias, æque ardentem, & penetrandi vi insignem, odorisque fortis, ac ex ipso Malvatico, vino Græco, Canariensi, & Alicantico separari posse: Nec naturæ in vino diversitas, spiritus vini diversitatem parit, quamvis hoc vel illud vinum, prout spirituosa parte magis vel minus, abundat, etiam majorem, vel minorem spiritus copiam suppeditet. Quare nisi in uno aut altero, sive ex Hispanico, Italico, Gallicovè destillato, latentem, & malignam aliquam proprietatem, quod minimè probabile, demonstrare licet, cum in reliquis qualitatibus manifestis, nisi secundum magis, & minus, quod per rectificationem corrigi potest, conveniant, cadit omnis in hoc effatu digna differentia. Quæ tamen opinio hactenus materiam & ansam fraudis dedit, cum vulgò spiritus, & aquæ vitæ, alias satis, si probè & sedulo parentur, laudabiles, non tantum, ex vino Gallico, aut Hispanico, sed etiam cerevisia confectæ, leviori alioquin pretio comparandæ, sub titulo aquæ vitæ Rhenanæ multo majoris, passim vendi constet. Ego sanè, quandocunque spiritu vini opus habeo, illum ex generosissimis illis, ac dulcium vinorum generibus ex Italia, Provincia Narbonensi, Carinthia, Hungaria, potissimum Canaria advehi solitis, vel è Muscatello, & Malvatico, horumvè fæcibus recentibus, industria elicere soleo. Atque his, de Spiritus Vini electione, propriam sententiam declarasse sufficiat.

CAP. V.

De utilitate fermentationis.

Exposita utilitate Spiritus Vini, & ejus subjecti, vini videlicet, antequam ad ipsam enchirisin, seu manualem, hunc destillandi, operam veniam, pauca quædam de fermentatione, ceu re ad hunc tractatum necessaria, prælibare visum est. Fermentatio igitur est motus quidam, seu alteratio, à calore interno, in humidium agente inducta, qua diversæ, & inter se pugnantes, substantiæ elementares, partim separantur, partim in unum nobiliorem mixtionis modum, ac unionem rediguntur, quod rerum fermentantium strepitu, pugna, & humidi turgescentia apparet, hac mediante res, ad subtiliores, spirituosas & balsamicas, varieque operandi, & penetrandi virtutes exaltantur: Id quod quotidiano usu, non tantum in musto, pomis, pyris melle, &c. sed etiam in frumento ad cerevisiæ, in farina ad panis confectionem experiri, cuivis obvium est. Nec panis, aut vini nomen meretur, massa ex farina cocta, aut uvatum succus, nisi hanc alterationem subiverit, ac eam perfectionem, quam à nulla re alia impetrare potest, consecuta fuerit: nec aqua melle mixta pro mulsa, aut humor cum aqua ex frumento expressus, pro cerevisia usurpanda, quæ corporum humanorum dispositiones, potius in deterius mutandi, quam valetudinem conservandi apta nata sunt. Sic spiritum, & aquam vitæ,

lum, longa consuetudine, apud Germanos, potissimum introductum, ut compotationes in plurimas horas protrahant. Rhenanum, caput non adeo vehementi calore feriendo, hepar incendio adurendo, sed ob tenuitatem, ad ureteres penetrando, vel per poros exhalando, horum corporibus, etiam in larga quantitate sumptũ, cæteris longè tolerabilius, & convenientius existat, quas tamen dotes, cum pluribus aliis communes habet. Generosissima autem Galliæ, ac Italiæ vina, quæ proprietate uvarum non minus, ac climatis clementia, & solaribus radiis excocta, spirituum copia, cum Rhenana superent, adeoque in corpus calore suo, & forti exhalatione in cerebrum agendo, vires & sensus turbando, gutturis irrigationem, & voluptatem in potando protrahi solitum, citius interrumpere possunt: unde isthæc damna valetudinis, quæ ad hujusmodi, (ut etiam ab ipso Rhenano potentiori,) copiosius haustis oriuntur, non eorum proprietati, quæ naturæ adversetur, & nativo vitio, sed spirituositati ob quam tanta copia, sine læsione bibi nequeunt, imputãda sunt. Quapropter quidam teneræ, & imbecillioris constitutionis, aut etiam, potatores cautiores, qui in corona bibentium triumphare affectant, missis non tantum Gallicis, ac Italicis, sed etiam ipsis Rhenanis meracioribus, mitiora, & temperata, pro sese eligere student. Quod vero illorum quædam, in specie, ob loci situm, & terræ vitium nociva sint, quibus etiam Germania, multis in locis scatet, laudem cæteris melioris notæ non eripit. Insuper luce meridiana clarius est, vina Rhenana, ob subtilitatem homines defluxionibus, & catarrhis, ac convulsionibus obnoxios, plusqu Gallica, oblædere posse, quæ etiam præsertim rubella, benè matura, in laxitate ori ventriculi, aliarumque partium, nobilissimo Rhenano, præferenda sunt. Idcirc suum cuique, adhibita distinctione, quoc meretur, laudes tribuendum. Sed ut ac propositam quæstionem descendam, an spiritus, è vino Rhenano extractus, ei qui ex Hispanico, Gallicove educitur, Germanorum usui (ut hactenus opinio vulgi obtinuit) commodior sit? respondeo negando, nulla enim probabilitate contrarium fulciri potest; concedo equidem, vinum ipsum quatuor suis sæpè nominat's partibus, adhuc comprehensum, ac integrum, ob dictas causas magis, quam vehementia illa exotica, Germanorum naturæ, & consuetudini convenire, non idem tamen in spiritu, ex illis parato, locum habere, nec vinorum differentias, inter se supra comparatas, huic competere posse admitto: Ut ex quovis vino generoso, aut vini fæce, recenti, & odora, cujuscunque Regionis, & proprietatis sit, spiritus eductus, modo ex æquo, per rectificationem, phlegmate ablato, ad summam subtilitatem, & conflagrandi aptitudinem, exaltatus sit, in illo, nisi quoad saporem aliquantum, nullum discrimen reperire detur. Nec adducta ratio alicujus momenti est: nimirum cum Rhenanum, sapore acuto & recenti, sitim extinguere, nec eam, quam cætera caloris vehementiam, in corpore excitare, sed celeriter meatus penetrare, & exhalare solitum sit, easdem idcirco qualitates, & affectus, etiam ad spiritum, ex eo destillatum pertinere. Quin contrarium potius, experientia evincit, & non

& non ex Rhenano modo, sed quovis alio aquoso, & acidulo, dummodo corruptum, fucatum, adulteratum, nidoris, & fœtoris plenum excipias, æque ardentem, & penetrandi vi insignem, odorisque fortis, ac ex ipso Malvatico, vino Græco, Canariensi, & Alicantico separari posse: Nec naturæ in vino diversitas, spiritus vini diversitatem parit, quamvis hoc vel illud vinum, prout spirituosa parte magis vel minus, abundat, etiam majorem, vel minorem spiritus copiam suppeditet. Quare nisi in uno aut altero, sive ex Hispanico, Italico, Gallicovè destillato, latentem, & malignam aliquam proprietatem, quod minimè probabile, demonstrare licet, cum in reliquis qualitatibus manifestis, nisi secundum magis, & minus, quod per rectificationem corrigi potest, conveniant, cadit omnis in hoc effatu digna differentia. Quæ tamen opinio hactenus materiam & ansam fraudis dedit, cum vulgò spiritus, & aquæ vitæ, alias satis, si probè & sedulo parentur, laudabiles, non tantum, ex vino Gallico, aut Hispanico, sed etiam cerevisia confectæ, leviori alioquin pretio comparandæ, sub titulo aquæ vitæ Rhenanæ multo majoris, passim vendi constet. Ego sanè, quandocunque spiritu vini opus habeo, illum ex generosissimis illis, ac dulcium vinorum generibus ex Italia, Provincia Narbonensi, Carinthia, Hungaria, potissimum Canaria advehi solitis, vel è Muscatello, & Malvatico, horumvè fæcibus recentibus, industria elicere soleo. Atque his, de Spiritus Vini electione, propriam sententiam declarasse sufficiat.

CAP. V.

De utilitate fermentationis.

Exposita utilitate Spiritus Vini, & ejus subjecti, vini videlicet, antequam ad ipsam enchirisin, seu manualem, hunc destillandi, operam veniam, pauca quædam de fermentatione, ceu re ad hunc tractatum necessaria, prælibare visum est. Fermentatio igitur est motus quidam, seu alteratio, à calore interno, in humidum agente inducta, qua diversæ, & inter se pugnantes, substantiæ elementares, partim separantur, partim in unum nobiliorem mixtionis modum, ac unionem rediguntur, quod rerum fermentantium strepitu, pugna, & humidi turgescentia apparet, hac mediante res, ad subtiliores, spirituosas & balsamicas, varieque operandi, & penetrandi virtutes exaltantur: Id quod quotidiano usu, non tantum in musto, pomis, pyris melle, &c. sed etiam in frumento ad cerevisiæ, in farina ad panis confectionem experiri, cuivis obvium est. Nec panis, aut vini nomen meretur, massa ex farina cocta, aut uvarum succus, nisi hanc alterationem subiverit, ac eam perfectionem, quam à nulla re alia impetrare potest, consecuta fuerit: nec aqua melle mixta pro mulsa, aut humor cum aqua ex frumento expressus, pro cerevisia usurpanda, quæ corporum humanorum dispositiones, potius in deterius mutandi, quam valetudinem conservandi apta nata sunt. Sic spiritum, & aquam vitæ,

& non ex Rhenano modo, ſed quovis alio aquoſo, & acidulo, dummodo corruptum, fucatum, adulteratum, nidoris, & fœtoris plenum excipias, æque ardentem, & penetrandi vi inſignem, odoriſque fortis, ac ex ipſo Malvatico, vino Græco, Canarienſi, & Alicantico ſeparari poſſe: Nec naturæ in vino diverſitas, ſpiritus vini diverſitatem parit, quamvis hoc vel illud vinum, prout ſpirituoſa parte magis vel minus, abundat, etiam majorem, vel minorem ſpiritus copiam ſuppeditet. Quare niſi in uno aut altero, ſive ex Hiſpanico, Italico, Gallicovè deſtillato, latentem, & malignam aliquam proprietatem, quod minimè probabile, demonſtrare licet, cum in reliquis qualitatibus manifeſtis, niſi ſecundum magis, & minus, quod per rectificationem corrigi poteſt, conveniant, cadit omnis in hoc effatu digna differentia. Quæ tamen opinio hactenus materiam & anſam fraudis dedit, cum vulgò ſpiritus, & aquæ vitæ, alias ſatis, ſi probè & ſedulo parentur, laudabiles, non tantum, ex vino Gallico, aut Hiſpanico, ſed etiam cereviſia confectæ, leviori alioquin pretio comparandæ, ſub titulo aquæ vitæ Rhenanæ multo majoris, paſſim vendi conſter. Ego ſanè quandocunque ſpiritu vini opus habeo, illum ex generoſiſſimis illis, ac dulcium vinorum generibus ex Itaia, Provincia Narbonenſi, Carinthia, Hungaria, potiſſimum Canaria advehi ſolitis, vel è Muſcatello, & Malvatico, horumvè fæcibus recentibus, induſtria elicere ſoleo. Atque his, de Spiritus Vini electione, propriam ſententiam declaraſſe ſufficiat.

CAP. V.

De utilitate fermentationis.

Expoſita utilitate Spiritus Vini, & ejus ſubjecti, vini videlicet, antequam ad ipſam enchiriſin, ſeu manualem, hunc deſtillandi, operam veniam, pauca quædam de fermentatione, ceu re ad hunc tractatum neceſſaria, prælibare viſum eſt. Fermentatio igitur eſt motus quidam, ſeu alteratio, à calore interno, in humidium agente inducta, qua diverſæ, & inter ſe pugnantes, ſubſtantiæ elementares, partim ſeparantur, partim in unum nobiliorem mixtionis modum, ac unionem rediguntur, quod rerum fermentantium ſtrepitu, pugna, & humidi turgeſcentia apparet, hac mediante res, ad ſubtiliores, ſpirituoſas & balſamicas, varieque operandi, & penetrandi virtutes exaltantur: Id quod quotidiano uſu, non tantum in muſto, pomis, pyris melle, &c. ſed etiam in frumento ad cereviſiæ, in farina ad panis confectionem experiri, cuivis obvium eſt. Nec panis, aut vini nomen meretur, maſſa ex farina cocta, aut uvarum ſuccus, niſi hanc alterationem ſubiverit, ac eam perfectionem, quam à nulla re alia impetrare poteſt, conſecuta fuerit: nec aqua melle mixta pro mulſa, aut humor cum aqua ex frumento expreſſus, pro cereviſia uſurpanda, quæ corporum humanorum diſpoſitiones, potius in deterius mutandi, quam valetudinem conſervandi apta nata ſunt. Sic ſpiritum, & aquam

vitæ,

vitæ, ex nulla re uspiam, quovis modo, cujus spirituosa pars, à corporeis vinculis, fermentationis ope, non prius liberata sit, ac quasi à potentia in actum deducta, ad ignis actionem sursum moveri aptitudinem acquirat: sed potius, ejus loco, aquosam, & igni concipiendo, ineptam substantiam educi constat. In hoc objecto speculationis, naturæ mirabilis habitudo, & potentia apertè demonstratur; quantumvis enim rem non fermentatam, Vulcani machina tentes, ex ejus Anatomia, præter oleum, aquam, tartarum, mucilaginem, & cinerem, in quo terra, & sal continentur, quæ tota natura à spiritibus discrepant, nihil consequi poteris: quo rationis momento antiquos Philosophos Spagyricos inductos esse suspicor, ut nulli ex quadripartita divisione, resultanti elemento, vel ex illis quatuor junctim unitis, sed novæ demum substantiæ productæ, quam nomine quintæ essentiæ expresserunt, adnumeraverint. Unde enormiter hallucinantur ii, qui ex spiritu vini, etiam summe rectificato, quintam Essentiam producere conantur. Etiamsi enim huic viginti annos circulando, & transmutando quis insistat, nullam aliam formam, & virtutem, quoad generales qualitates, ipsi comparare potis erit, ipsus enim vini spiritus, suo modo, quinta Essentia est. Nec minus illi ineptiunt, qui hocce ex illis rebus, quarum natura fermentationem penitus aversatur, ut sunt metalla, ac lapides pretiosi, qui cum vegetabilibus nullam naturæ affinitatem obtinent, se quintam Essentiam elicere posse ridiculè jactitant; de quo pluribus, in Chrysologia mea, Deo dante, acturus sum. Ut ad institutum meum redeam, hæc non modo, ad supra dictorum, & ad vitam pertinentium rerum perfectionem, necessaria est, sed etiam, ad alexiteriorum, purgantium, confortantium medicamentorum, præcipuè Theriacæ, & Mithridatii compositionem, diversissimarum rerum unionem, crudorum digestionem, & balsamicum, ac diutius consistentem vigorem acquirendum, usu venire solet. Hæc ut non utilitate, ita nec (quod patresfamilias, malo suo sæpè experiuntur,) damno caret, cum massa panis, mustum, mulsum, ac cerevisiæ decoctum, hoc modo putrescant, quod & medicamentis obtingere solet, quorum vires, dum fermentatione partes spirituosæ, penitius exspirant, parte crassa, & quasi mortua relicta, non rarò exsolvuntur. Quapropter temporis, & modi fermentationis, ratio habenda est, nec non distinctio facienda, inter medicamenta quæ hanc sine virium jactura perferunt, & inter illa, quæ eam minus sustinent. Etenim, quæ ad humorum fervorem, seu acrimoniam temperandam, asperitates & excoriationes faucium, pectoris, stomachi, renum, sphyncteris, vesicæ, aliorumque viscerum leniendas adhibentur, minus commoda sunt; hæc enim blandam, & dulcem oblinendi, ac refrigerandi qualitatem, fermentationis actu exuere, ac cum acriore vel magis acida commutare solent. Quam ob causam Medici, in hujuscemodi affectibus, cerevisia, & vino multæ ætatis rejectis, hordeatum dulcibus mixtum, aut cerevisiam albam, tenuem, quæ adhuc cujusdam dulcedinis à frumento acceptæ particeps sit, requirunt,

runt; diverso, ac quidam faciunt modo, quibus tum spirituosorum, & penetrantium medicamentorum copia præstò sit, sat se instructos existimant, ad omnium morborum curationes; Sed opinione plus quam recta ratione ducti, in tenebris ignorantiæ palpitant. Ut concludam, hæc ad concoctionem ciborum, quæ in animalium corporibus fit, potissimum facit, hac enim mediante, Archæus naturæ, subtile à crasso, purum ab impuro, alimentosum ab excrementitio segregando, utilia uniendo, in stomacho chylum, eumque, accedente nova, in hepate fermentatione, alio caloris gradu, & specifica proprietate, in sanguinem vertendum, elaborare consuevit. Cujus rei cognitio, aditum, ad naturæ arcana penetranda, ac insuper principium, non modo, ad medicamonta præparanda, sed etiam causarum morbificarum cognitionem, ac curas rite instituendas, utilissimum confert.

CAP. VI.

De Spiritus vini destillatione.

ETsi in præcedente sectione à me declaratum sit, quo pacto Spiritus vini, à reliquis concretis substantiis, per arenam vaporosam secerni queat, nihilominus tamen, quod ordo rei postulat, modum per vesicam destillandi spiritum, nunc explicabo.

Recipiatur Vini generosi optimi quantitas sufficiens, quo ad medietatem vesica repleatur, superstructo alembico stanneo, & in medium refrigeratorium inserto, ac juncturis probè clausis, ne quid exhalare possit, recipiens adaptetur, & leni supposito igne, simul per vices, aqua in refrigeratorio, cum recenti frigida mutata, continuanda destillatio, donec striæ albæ, in receptaculum manare cessent, aut charta grisea, rostro alembici admota, & humectata, super igne flammam concipere recuset; ac si quis spiritum vini purissimum desideret, eum, qui ad bibendi quidem usum, satis congruit, phlegmate tamen, adhuc scatere deprehenditur, per B. rectificare debet. Quantitas quæ elicitur, varia est, pro natura vini, ejusque potentia.

CAP. VII.

De spiritus è cerevisia destillatione.

COmpluribus nationibus notissimum est, cerevisiam, arte, & industria probè paratam, pro naturæ lege, temperatè haustam non tantum sitim extinguere, cor recreare, corpus calefacere, laudabile nutrimentum, & sanguinem producere, sed etiam im̄odicè usurpatam, cerebrum turbando, rationem & sensus eripere, nec minus, ac meracum vinum inebriare. Causa autem hujus rei, non omnibus, ne quidem doctis aperta est, quam Vulcani potentia, prodit, ac in ipsa cerevisia spiritū ardentē, hujus rei authorem, contineri demostrat. In hujus destillatione, gradus ignis, accuratè observandus, ne cerevisia ipsa, in ascē-sum proclivis, ad receptaculum regurgitet. Notandum quoq; humiditatem spumosam, quæ spiritum antecedit, ad hujus adventum, esse removendam. Hic Megalopoli, certa quædam alba, & sapidissima cerevisia, Kniesenac dicta, conficitur, cui

præ cæteris, ob meracitatem, meritò palma debetur cujus mensuræ sex, dummodo ex justa frumenti quantitate constet, unam integram Spiritus, destillatione exhibent. Bernburgi, in Ducatu Anhaltino, cives cerevisiam parant, supradicta quidem, quoad saporis suavitatem, inferiorem, non minus tamen spiritibus prægnantem, cujus sex partes unam spiritus continent, quam proportionem, in ipsis generosissimis Hispanicis & Canariæ vinis observavi, cessat igitur admiratio, cur hujusmodi potus genera, non minus, ac ipsa vina meraca, homines non tantum lætos, & ebrios, sed etiam insanos, & furibundos reddant; aliæ vero, minus fumosæ, cerevisiæ, inter quas illa Breyhan vocata etiam numeratur, cujus, licet, inter albas cerevisias, gratissimi gustus & mediocrium virium sit, vix decima quinta pars tamen, in spiritum verti potest: Atq; hoc critirio vini, cerevisiæ, aliarumque rerum vires, quæ spiritum ardentem continēt, etiam modica quantitate, per vesicam parvam explorare datur.

CAP. VIII.

De Melicrati, & potus ex fructibus horarii destillatione.

POpulis Septentrionem, ac frigida loca inhabitantibus, vini, vel cerevisiæ loco Melicratum in usu est. Hic in Suecia, Moscovia, & Polonia communissimus potus, paratur ex melle mixta aqua, cocto, & despumato; probè fermentato, quoad clarus, & pellucidus, gustui blandiens, vinum malvaticum, propemodum æmuletur, quorum Livonicum Melicratum nobilissimum censetur. Non minus ex saccharo potiones spirituosæ, ut in tractatu meo, Saccharologia inscripta, docebo, fieri possunt. Est etiam Zythus, Gallis *de la bis*, in Normandia Galliæ provincia, ob fructuum copiam, admodum frequens, qui ex succo pyrorum, vel pomorum expresso, & sine additione fermentato confit, ex quo similiter aqua vitæ spirituosa, arte producitur.

CAP. IX.

De Modo, ex omnium frumentorum genere aquas vitæ eliciendi.

QUandoquidem, non solum ex cerevisia, ut ostensum, sed etiam im̄ediatè, ex omniū farinaceorum genere, aquas vitæ, ad eundem usum præparari, omnes septentrionalium regionum habitatores norunt, qui modus, cum pervulgaris sit, longa explanatione non indiget, ac talis est: Recipitur frumentum ad cerevisiam conficiendam (quod aliquibus Byne dicitur) elaboratum, & crassiusculè contusum, aut mola contritum, aut etiam frumentum crudum, & concisum, cui in cado aqua, ex tepore calida affunditur, spatula agitando, donec pulmenti tenuioris formam acquirat, porro puri fermenti cerevisiæ, pars adjicitur, ac eousque fervescere permittitur, donec odoris vinosi particeps evadat, in quo modus notandus est, nam si minor æquo sit fermentatio, quam quæ spiritum, crassioribus partibus im̄ersum, de potētia, quasi in a-

in actum, deducere possit, omnis labor irritus est, nec unquam ex tali massa, spiritus prodibit, si vero justo major, & diuturnior, paucus omninò, quippe major ejus pars, per exhalationem dissipabitur. Hac mixtura mediocriter fermentata cuprea vesica usque ad medietatem impleatur, & supposito igne, spatula agitetur donec quidem ebullire incipiat, tumorem tamen cito remittat: Hinc remoto aliquantum igne, alembicus cum reliquo apparatu imponatur, ac destillatio tamdiu, donec spiritus omnes prodierint, continuanda, & repetita destillatione sufficiens quantitas obtineatur: Tandem collecti spiritus, ut aquosa parte liberentur, secundò per vesicam destillando, pellentur: Hac via ex frumento, præsertim ex tritico, quod omnium reliquorum optimum, spirituosa, & laudabilis aquæ vitæ impetratur. Cui artificio illæ provinciæ frumenti fertilitate claræ: quales sunt, Episcopatus Magdenburgensis, & Ducatus Brunsvicensis, præsertim urbs VVerningerod illustri Comiti à Stollberg subjecta, longa consuetudine addictæ sunt, quæ ante ortum bellum, multis amphoris, hujus aquæ vitæ, præ cæteris laudatæ, confectis, commercia sua longè lateque extendebat. Ipsa me veritas fateri cogit hanc aquam vitæ ex tam nobili subjecto productam, si ritè, & sedulo, sine adustione paretur, illi, quæ ex vino extrahitur, minime cedere. Ad quam normam reliqua frumentorum genera in hoc opus tractare convenit.

CAP. X.

De modo extrahendi spiritus ex omnis generis fructibus.

QUemadmodum ex pomis, atque pyris, sic ex malis Cydoniis, mespillis, ficubus, cerasis, melonibus, fragis, baccis Ebuli, & Sambuci, ac similibus cujuscunque nominis sint, Spiritus elicitur, sequenti modo: Fructuum succulentorum liquor exprimitur, & ad fermentationem loco calido reponitur ac dein sæpius inculcato modo destillatur.

Illi verò, qui sicciores, tenaces, duri, ut ficus exsiccatæ, passulæ, uvæ Corinthiacæ. Myrtilli, baccæ Juniperi, primò contusi, aqua calida affusa, ad pulmenti tenuioris consistentiam, loco calido, fermentationem adjuvare apto, reponantur & secundum modum de frumentaceis traditum, destillentur, qui pro naturæ suo modulo, magnam, vel copiam spiritus, ac quidam nonnihil olei simul emittent.

CAP. XI.

De Spiritu Rosarum.

NEc ipsæ Rosæ, seu rubræ, seu incarnatæ, albævè, ut spagiricis notum est hoc spiritu ardente destituuntur, ad quō evocandū sequens processus valet. Rosarū, cujuscunque generis, contusarū sufficiens quantitas, in dolio è ligno quercino, quod octo circiter mensuras contineat, recondatur, & aquæ rosarum calentis,

 in qua

in qua nucis magnitudine, fermentum dissolutum sit, sufficiente quantitate affusa, & orificio dolii, ne aer penetrare possit, accuratè obturato, loco calido per 14. dies reponantur; Quibus, aut pluribus elapsis, vase recluso, Rosæ in modum mollioris pulmenti solutæ, boni, & acuti odoris, per vesicam, leni igne, donec mensura una spiritus extillarit, urgeantur, cujus tamen, quæ minima est, pars spirituosa certo modo, ut postea docebitur, separanda est, & destillatio porro, s. q. aquæ fontanæ, materiæ, in vesica relictæ, affusa, ad eductionem aquæ, unius mensuræ, plus minus continuanda quæ præsertim ea à qua paulo, ante dictus spiritus, separatus est, haud contemnendæ virtutis est. Utiliter quoque infusum Rosarum, absq; contusione, cum aqua communi, in vesica, alembico cœco, & capaci, ne quid exhalare possit arctè clausa, instituitur; quod in loco calido, satis fermentatum, destillationi demum subjicitur: Quod quam facilè factu sit, Pharmacopolæ, infuso Rosarum solutivo, superfuso oleo, & ad Solem exposito, docentur.

Notandum, ut vasa non omni aëris aditu intercepto, occlusa sint, ne in frusta dissiliant. Hac methodo, etiam spiritus ardentes, ex floribus Sambuci, herbis, radicibus à natura similiter comparatis, quæ omnia speciatim recensere longum foret, extrahi possunt.

CAP. XII.

De rectificatione Aquarum vitæ, post primam destillationem, & purioris, ac spirituosæ substantiæ separatione.

Aquæ vitæ, seu ardentes, ex quibuslibet supra memoratis subjectis productæ, quandoque turbidæ, & aquosæ, secunda destillatione indigent, qua à phlegmate suo purgatæ, claræ, & pellucidæ, nec non efficaciores, pro lubitu tamen laborantis evadant, nam si primò egresso spiritui subtilissimo, subsequens, quoad spiritus saporem referat, accedere permittatur, nihil efficiente rectificatione, imbecillior manebit: Et qui conscientia magis, quam lucro ducuntur, ad primo loco elapsum, etsi aquositate quadam adhuc scateat, nihilo tamen plus accedere permittunt, quam ut linteo exceptum, flammam adhuc concipere possit: nullus enim eorum, quæ vulgo venduntur sine phlegmate reperire est, quamvis inæquali copia, quo penitus carere, nec præstantissimus potest.

Quapropter, spiritum vini empturus, nullo certiore signo docimastico uti possibile, quam linteo imbibito, & accenso, hoc enim si flamma citò evanescente humidius restet, multam aquositatem continere, si vero linteum, una cum flamma, depascatur, optimum, & paucissimi phlegmatis esse judicandum est; Minimè ergo, ut quidam imperiti, & stolidi opinantur, igneo-

igneo ſapore, qui fauces adurat, æſtimandæ ſunt, hanc enim fraudem, aliquibus quod ſciam locis, magiſtratui detectam, gravique pœna prohibitam, res acres, & igneæ facultatis, ac ſæpiſſimè nocivæ complent: Labor vero, ſpiritum vini in Alcohol exaltandi, à communi rectificatione differt. Cæterum, cum aliquantum major phlegmatis pars, ſpiritum vini albeſcentem, & turbidulum inſtar ſeri reddat, vulgus eousque tantum, aquoſam partem abſtrahit, ut clara, & limpida evadat, qualis etiam utpote temperatus, in potum aptior, ac ſui cultoribus ſumptu facilior. Illius vero elaborationem, Chymici varia opera & ſumptu tentarunt, quidam enim multis repetitis cohobationibus, aliqui inſtrumentorum altitudine, alii ſpongia, roſtrum alembici obturando, ut ſoli ſpiritui, aqua retenta, tranſitus detur; nonnulli etiam flamma lampadis, ut ad ſummum gradum depurationis exaltaretur: Qui modi omnes, etſi non penitus aſpernandi ſint, nulla tamen ratione perſuaderi poſſum, quicunque labor & modus adhibeatur, impediri poſſe, quin tantillum aquoſitatis ſimul tranſeat, & ipſi ſpiritui miſceatur, ita ut eum, ad terminum, in quo, non guttulas aliquot aquæ contineat, deduci impoſſibile ſit. Enimverò ut concedam, aquam utpotè graviorem, & ignavam, non tam promptè, ac ſpiritum aſcendere, nondum tamen id, tantam differentiam probat, ut aqua neceſſariò terræ mixta, penitus per hanc deſtillationem, in fundo relinquatur. Experientiam teſtem advoco, aquam leniſſimo, & vix, ac ne vix quidem ſenſibili calore agitatam, etſi longiore tempore, & minori copia, quam ſpiritum vini, ſurſum quidpiam per modum evaporationis mittere; quidni ergo, illo ſatis ſenſibili igne, potiſſimum cum ſpiritus aquam, tanquam ſuum vehiculum, ſimul ſurſum rapere amet, contingere poteſt, cum præterquàm quòd tranſvaſari nequeat, pars aliqua ob calorem, & ſiccitatem, in auras exſpiret, & humiditatem aliquam, qua privatus eſt, ex aëre avide ſibi adſciſcat: Nec vero ſi ſpiritus in linteo accenſus, & conſumptus, nullum poſt ſe, humoris veſtigium relinquens, rectificatiſſimus, & ab omni quantum fieri poteſt phlegmate liberatus ad Chymicos labores, magni habendus ſit, hoc idcircò evincit, ipſi non guttas aliquot phlegmatis admixtas eſſe, quæ cum potenti ſpiritu corporeo, unicè unitæ perſiſtant, ut nullum ſui, in ſimili experimento indicium præbeant, ſed potius ignis vi, in vaporem convertantur: Nec adeo novum id eſt, in mixturis naturalibus, magnam alicujus rei partem, minutulam licet contrariam, in ſe abſconditam, adeo ſopire, ut nullo effectu deprehendi poſſit: Exempli loco, tenuioris cereviſiæ, aut vini etiam calefacti vaporem, nulla flamma candelæ, aut chartæ accenſæ manifeſtabit, quemadmodum fortiorum, & generoſorum, licet ſpiritus etiam ab iſtis abeſſe nequeat, extra definitionem, & naturam vini, aut cereviſiæ, enim alioquin forent, quamvis nimis parva quantitate aëri humido inmerſus ſit, ut non æque facilè hæc ac copia, & vigore ſpirituum refert a vina, flammam arripiant contra nec ſpiritus, qui etiam, ex odore,

& sapore, in phlegmate, contineri arguitur, vel ℥ß. tantum, mensuræ uni aquæ cõfusus, ulla arte, quin aliquid saltem restet, planè ab aqua separari potest: Quamobrem, huic cum ratione fundatæ sententiæ, firmiter insisto: nullum spiritum vini reperiri, utcunque celeriter in purissimam flammam convertibilem, qui non portiũculam aquæ complectatur, ac proindè, suum cuique tamen liberum judicium relinquendo, concludo, illum qui una aut altera rectificatione sublimatus, eumque puritatis gradum adeptus sit, ut examen supradictum per ignem sustinere possit, æque præstantem esse, ac eum, qui quadraginta cohobationibus elaboratus sit, vix enim aliud iis efficitur, quam ut saporis suavitatem amittendo, peregrina ab igne, calida, & acri qualitate contamineтur.

Quare missis ambagibus, sequens processus sufficit: transfuso in cucurbitam justæ magnitudinis, spiritu rectificando alembico, & recipiente, siccis ac puris accommodatis, rimis accuratè clausis, leni igne subjecto, ex arena humida, vel Balneo Mariæ destillatio instituitur, qua pars spirituosa, relicto in fundo cucurbitæ phlegmate, quod attactu flammæ, mox pauca humiditate relicta, conflagrat. Quæ destillatio porro mitiori igne repetatur, ut ne alembicus quidem incalescat, ut relicta parte phlegmatis, pauco spiritu commixta, qui nunquam ad amussim separari potest, in recipiente restet, clarus, subtilis, & penetrantissimus, qui igne accensus, nihil humidi post se relinquat. Casu vero quispiam, artis, aut industriæ defectu, hanc operis perfectionem, secunda destillatione, non attingeret, tertia denique, vel quarta laboris repetitione, donec voti compos fiat, propositum opus urgeat.

Prolixiore equidem stylo, hunc tractatum chymicum extendere potuissem, ni potius consultum judicassem, ea tantum quæ ad institutum necessaria sunt, brevitate non minus grata quam utili cõmendare, atque almi Numinis nutu, ad cætera, quæ scribenda supersunt, Botanochymica, cursum dirigere.

APPENDIX.

De Aquis vitæ compositis.

MOdum equidem, ex diversis vegetabilium subjectis, sine heterogeneorum admixtione, quæ innatas qualitates aliquantum immutent, in simplici forma extrahendi, adjuncto eorum usu & commodis, ultima sectione Hydrelæologiæ meæ, pro modulo ingenii mei, planum facilemque conscripsi: At vero cum dudum naturæ, & Medicinæ scrutatores, his non contenti, sed insuper quantum ad hominum publicum usum compositæ conferant, additione variarum rerum tentarunt, quod tum apud pharmacopæos lautè instructos, tum aquæ vitæ institores, ac plurima dispensatoria usitata videre est: Fortè tamen in hoc opere quibusdam minus satisfecisse viderer,

rer, ni proprias observationes adderem, utut aliis præcipuè in arte magis versatis superflua annectere, Tyronibus equidem, & ab horum pleniore cognitione remotis, utilem operam me locaturum spero.

Cap. I.

De subjectis, & fine, ex quibus, & cujus igitur, diversa genera, aquarum vitæ componantur.

TRiplicia sunt horum subjecta; primum aqua ardens; secundum, herba, semen, fructus, radix, vel aromatum aliquod; tertium Saccharum additum, quo non tantum haustu gratiores, sed corporis constitutioni convenientiores fiant, quandoquidem aquæ per se ardentis aromatum aliorumque accessu, auctior calor & acrimonia fit, ejus sine edulcoratione difficilior usus foret. Non minus aliquos cura tenet, quomodo tincturæ variorum colorum, licet prætero culorum gratiam nullius existant usus conferri possint: Intentiones compositionum quoq; variæ, varias corporis partes roborandi, & nunc capiti, vel pectori, cordi, vel stomacho, renibus, utero, genitalibus partibus, appropriatorum simplicium, virtute imbuuntur, quandoque theriacali, & veneno resistendi, purgandi, sudorem ciendi, ac vires universas roborandi, facultate impraegnantur, quæ tamen omnes, secundum manifestas qualitates, calefaciunt, siccant, penetrant, affectibus, ac personis, calidæ, & siccæ intemperiei minus commodæ, etsi enim, pro quantitate julapiorum, aquarum, succorum admixta, gradum aliquem calfaciendi & siccandi remittant, talibus tamen minus tutæ, & potius mortis, quam aquæ vitæ existunt; quarum abusus horrenda sæpe spectacula exhibuit; estque illorum opinio, qui aquam ardentem, mutata propria indole, naturam eorum, quæ ipsi miscentur ingredientium induere statuunt insaniæ proxima, ut cuivis intelligenti ratio, & utenti experientia suggeret.

CAP. II.

Quæ præcipuè observanda sint, in aquarum vitæ preparatione.

AQuæ vitæ, vel per destillationem, à rebus infusis substantia rara, molli, ac oleo volatili præditis, quas vini spiritus facilè penetrat, pellucidæ & virtute simplicium qua saporem, qua odorem refertæ abstrahuntur, vel per macerationem, qua mediante spiritus vini vires essentiales, una cum colore stabili imbibere solet accommodatam rebus, duræ, & lignosæ consistentiæ, ex quibus hic spiritus, non ita facilè, atque ex supradictis, partes subtiliores, quibus color, & sapor connexi sunt, evocare potis est: Exemplo res clara est in ligno Aloes, & omnis generis santalorum &c. quæ rectius aqua simplici, quam spiritu vini, ut odorem, & saporem referant, destillantur; quod aqua utpote

pote gravior, vini ignis, & longiorem moram antequam ascendat, sustinere potis est, cujus ratione dictas substantias melius solutas secum ferre possit; Spiritus vini autem, utpote volatilis, antequam iis uniatur, levissimo calore evolet: Quamobrem etiam, ad rerum aromaticarum essentias extrahendas, spiritus vini, utplurimum aptior est, quippe, qui in evaporatione, non ita, ut aqua, eas odore; & sapore spoliare solet.

Paraturo igitur aquam vitæ selectam, ad manum sit, Spiritus vini optimus quoad rectificationem & omnes reliquas notas, cui aliæ aquæ destillatæ, meliores ipsius proprio phlegmate jungi possint: Unde non levis eorum lapsus, qui ad essentias per infusionem extrahendas, spiritum non rectificatum eligunt, quibus quamvis claris, & transparentibus, phlegma cuprum, ut plurimum redolens adhæret, ut in prima parte Hydrelæologiæ meæ demonstravi: Hæc igitur, qui in similibus, cum utilitate versari contendit, studiosè observet, ad quæ etiā sequentia inservient.

Cap. III.

Aqua vitæ nobilis, cum Ambra, per infusionem paranda.

ROsarum incarnatarum ℔xx, in una, aut pluribus cucurbitis vitreis, congestis, spiritus vini Hispanici, & odoris ferè aromatici, ℔x. vase obstructo affunduntur, atque per tres, vel quatuor dies, loco frigido maceratæ, ex vesica cuprea, cujus alembicus stanneus sit, ad spiritum vini, cum parte aquæ, evocandum destillatio instituatur, in quo iterum, rosæ recentes infundantur, ac post hanc tertiò repetitam infusionem, ac destillationē, spiritus vini rosatus, per arenam vaporosam rectificetur, ad sequentem aquam vitæ complendam.

℞. Spir. vini rosat. ℔ij. civil.
Aq. fl. Aurantior.
Rosar opt. ana ℔ ß
Ambræ griseæ opt. ʒj
Moschi orient. puri ℈j
Zacchari candidi ʒvj

Ambra grisea, & Moschus cum ℥iiij dicti spiritus in mortario vitreo dissolvuntur, dein in phialam capacem, probè obturandam, ne quid expiret, ad circulationem, in Balneum vaporis, aut calore arenæ, per octo dies continuandam, transferuntur, hic spiritus tinctus, & per pannum lineum tenerum, colatus, reliquo jungitur, atq; hoc modo, sacchāro etiam in pollinem redacto, absque igne in aquā Rosarum & naphæ soluto, & ad Julebi consistentiam, omnibus mixtis, A qua ambrata parata est: Quæ licet initio turbida existat, tandem per residentiam clarior evadit: Si verò turbatio liquoris (quæ tamen, cum tam ob pinguedinem ab ambra communicatam, quam confusionem spiritus vini cum aquis oriatur, nil, aut parum refert) quempiam anxium habet, facile corrigitur, admixta media parte albuminis ovorum, in ampulla vitrea, prævia agitatione, ut probe misceatur, & concessa per 24. horas, in loco frigido quiete, per sacculum, ex linteamine denso consutum, colatus, clarus, ac instar auri fulgens eva-

evadat. Hæc aqua, sapore, & odore Ambræ præcellit, quem quilibet aucto ejus pondere validiorem efficere potest.

Alia Aqua Vitæ Diambræ per destillationem parata.

QUanquam meo quidem judicio, rectius facit, qui Ambram, & Moschum, vel in substantia, vel in spiritu vini, aliove liquore appropriato solutum, ad usum eligit, quam qui alteri horum, affusum spiritum aut aquam, destillatione iterum abstractam usurpat; quandoquidem præcipua, & balsamica, ac cumprimis Ambræ substantia, perpetuo in fundo vasis destillatorii hæreat: Illorum tamen in gratiam, qui aquam vitæ ambratam in votis habent, hanc communicare volui.

Pulvis Diambræ.

℞. Rosar. rub. drach. vj.
Ligni Aloes veri resinosi ℥ß.
Benzoini puri
Styracis calam. depur.
Ambræ gris. opt. ana ʒij.
Moschi orientalis ʒß.
Bals. de Peru aqua rosar. loti ℈j.
Ol. Nuc. musc. gut. x.
Rosar. pall. recent. dest. ℈ß.
Sacchari Candidi ℥ß.
Misce f. pulvis subtilis.

Qui in vitro, angusti orificii, & ne quid exhalare possit, bene obturato, aliquot dies, loco moderate calido, ne Benzoin, Styrax, & Ambra liquentur, maceratus, odoratissimus evadet, modo Moschus, qui adulterationi magis obnoxius probatæ notæ sit, sine quo Ambra languidior est.

Huic ità parato, in vase circulatorio, Aq. Rosar. præstantissimæ, ℔ij. affundantur, subsequente digestione, per 14. dies in arena calida, aut per hiemem, in præfurnio eo caloris gradu, ut aqua quidem in circulum moveri, non tamen ebullire possit: Magni enim interest hanc macerationem recte complere: Hinc, ex materia in cucurbitam translata, Aq. Naphæ ℔ij. affusis singulari industria per Balneum vaporis, aut arenam vaporosam, liquor ad sequentem usum adhibendus evocetur. Studiose laborandum, ne pulvis, qui deinceps perfumigiis inservit, empyreumate contaminatus, pretiosam hanc aquam quoque inficiat.

Paraturus igitur Aquam vitæ Diambratam, prædicti destillati, ℔j. accipiat, dissolvendo in ipso, pulveris sacchari cand. ℥vj spiritus vini selectissimi ℔iij. affundat, quo modo præparata, insigni sapore, & odore commendabilis est.

Quin etiam saccharum album, finissimum, absque ulla coloris mutatione, cum Ambra, & Moscho conficitur, ex quo, in aqua Rosarum soluto, & cum spiritu vini mixto, aquam vitæ ambratam extemporaneam, componere licet, cujusmodi aliquot modos, brevitatis causa, consulto prætetimus.

Hæ modo præscriptæ Aquæ vitæ, vires morborum frigidorum pertinacia dejectas, calorem innatum, ac sensus omnes partes principes, potissimum cor, ac

O cere-

cerebrum, ad quæ Moschus, & Ambra appropriata sunt, recreant, ciborum coctionem adjuvant, partes genitales, ac uterum roborant, ejusque ex frigida colluvie, oborta symptomata arcent: Temperamento tamen frigidioribus, utpote senibus, quibusque calor, abundantia humorum phlegmaticorum quodammodo suffocatur aptiores, quam juvenibus, cholericis, & concitatis, ac sanguineis, quibus dolorem capitis, sanguinis ac membrorum inflammationem excitat, ideoque caute usurpandæ.

CAP. IV.

Aqua Vitæ aromatica per infusionem.

HÆc compositio, ob aromatum admixtionem, talis vocari meruit, cujus apparatus talis est.

Pulvis Diaromaticus.

℞. Cassiæ ligneæ veræ, sive Cinamomi viscosi ℥iiij.
Cinamomi vulgaris acuti ℥ij.
Ligni Aloes veri, opt. & resin. vel more nostro ut infra loti.
Santalin. Citrin. fragrantiss.
Nuc. musc.
Macis ana ℥j.
Galangæ.
Zingib. ana ℥ij.
Caryophyll.
Cardamom.
Granor. parad.
Piperis alb. ana ℥j.
Croci Orient. ʒß.
Fol. Menthæ moschatæ.
Coriandri ana ℥ij.
Sem. fænic. dul.
Anisi ana ℥j.
Elæosacch. de corticib. Citri vel Limonum ℥ij.
Ambræ cinerit. opt. ʒj.
Moschi Alexand. ʒß.
Sacchari Cand. ℥ij.
Misce f. Pulvis subtiliss.

Qui, aromatibus, per setaceum, in pollinem redactis, Ambra, & Moscho, cum Elæosaccharo Citri, & pulvere sacchari candidi super porphyrite lævigato compositus in vitro ad usum servatur.

Cassia lignea, ex genere corticum aromaticorum, Cinamomo admodum similis, nisi quod lævior, magis fusca sit, ac densiore flamma comburatur, sapore grato, Cinamomi æmulo, & dulci, quæ longiore masticatione, sensum aliqua acrimonia ferit, & in aqua cocta, & infusa, muccaginem, quemadmodum semen Cidoniorum deponit, unde cassia viscosa dicta, destillatione majorem, quam ipsum Cinamomũ, olei copiam fundit, atque ex residuo ejus, affuso vino malvatico, aut hispanico, liquor cordialis, qui aquam Cinamomi, virtute aromatica, & corroborante superat, elicitur, cujus simplicis olim, insignem quantitatem ex Indiarum Regione, ad Hollandos advectam notavi, ex illo tempore rarius, nec eadem quantitate, aut bonitate, ad nos pervenit, qua tamen in re, ut selecta quæque haberi possint, nullis parcendum sumptibus. Hanc aliquando Cinamomo mixtam reperiri fertur, quod vero simile, cum Authores, in Insula Zeilan, id nasci,

nasci, atque Cassiam, Cinamomi speciem selectiorem statuant.

Lignum Aloes, quod attinet, ejus distinctionem, in Anatomia Vegetabilium tradidi, cum seria admonitione, ne quis pro eo, illud nigricans, & in igne fœtens lignum, ut multi etiamnum Medici faciunt, substituat: si quis autem Pharmacopæus, minus solers, ac industrius, selectum consequi, haud laboret, ex fragmentis saltem ligni veri, cum spiritu vini, balsamicam partem extrahere conetur; quæ ablutione, sequenti modo, eligi possunt:

℞. Fragmentorum horum, quamvis exoletorum, dummodo partes aliquas vegetiores contineant, sufficientem quantitatem, horum pulveri per setaceum transmisso, frigida affunditur, ac pars supernatans, cochleari tollitur, aliquot porro diebus elapsis, aqua turbida separatur, servato in fundo ligno quod probatum, & exsiccatum, in usum reponitur. Quod experimentum, à me casu exigente inventū, hujus artis Studiosis, ultro communicare volui. Quid Elæosaccharum sit, in appendice, de mixturis præparantibus, docui, nimirum saccharum cand. pulverisatum, cum s. q. olei de corticibus Citri, vel Limonum miscetur, ut pinguiusculum fiat, quomodo, non tantum gestatu, sed etiam sumptu commodius existit, & vires integras, diutissimè conservat, quæ hanc aquam vitæ paranti, probe observanda sunt. Hujus pulveris ℥ij. spiritus vini rectificati ℔iiij. affunduntur, quod infusum, per triduum, calore maceratum, per pannum lineum colatur, eique ℔ij. Aquæ Rubi Idæi, in quo ℥iiij. Sacchari Cand. solutæ sint, & insuper albumen ovi addatur, ac spatio unius diei transacto, iterum per sacculum mittitur, ut aqua vitæ, coloris fusci, pulchra & pellucida evadat.

Quomodo prædictæ aquæ vitæ, per destillationem parandæ sint.

℞. Pulveris Diaromatici præcedentis, ℥iij. spiritus vini rectificati ℔iiij. macerentur, per diem, & noctem, dein aquæ Rosarum, vel Rubi Idæi ℔. affundantur; spiritu per destillationem abstracto, & Sacchari fini ℥ix. in eo dissolutis, ut spiritus limpidus, & clarus fiat, per pannum Xylinum coletur. Aquæ vero ℔ij. post spiritum destillatum educantur.

Aquæ hæ aromaticæ, calore suo membra interiora, à frigida, & humida materia labefactata corroborant, coctionem, & appetitum promovēt, aquosam superfluitatem, per habitum corporis diffusam, una cum flatibus consumunt, tenacem pituitam incidunt, & putredini resistunt, ac non tantum supradictorum morborum symptomata mitigant, sed etiam valetudinem pituitosis conservant: Calidi, & sicci tamen temperamenti hominibus, non minus, quam aqua vitæ ambrata adversatur.

CAP. V.

Aqua Vitæ cordialis præstantissima.

℞. Fol. Melissæ, dilig. exsicc.
Rosar. rubr. ana ℥iß.

O 2 Fol.

Fol. Menthæ moschat.
Ocymi Caryophyll.
Fl. Borrag.
Buglossi
Calendulæ
Chamomillæ Romanæ
Liliorum convall.
Melis. Turcicæ ana ℥vj.
Rad. Doron. Rom. ℥iiij.
Pœoniæ debito tempore coll.
Scorzoneræ
Tormentillæ
Iridis florent.
Cort. extern. Citri ana ℥ij.
Ligni Aloes resinosi vel more nostro loti
Cassiæ ligneæ veræ ana ℥iij.
Santali, citrini, domestici ℥iß.
Macis
Nuc. moschat ana ℥j.
Galangæ
Granor. Paradisi
Zedoriæ
Caryophyllor. ana ℥ij.
Spicæ Indicæ ʒj. Essentiæ Flor.
Tunicæ rub. rec ℥j.
Croci orient. ℈j.
Tartari Acetos. depurat.
Melissæ ana ℥j.
Oleor. Melissæ
Menthæ moschat.
De cortic. Limon.
Cinamomi
Salviæ ana gut. x.
Sacchari candidi ℥iiij.
Misce f. pulvis subtilissimus.

Sacchato cum aqua Rosarum, ad Syrupi consistentiam percocto, ambæ Essentiæ miscentur, eique in tabulam morsulorum instar effuso, siccato, & in pulverem redacto, olea destillata cum reliquo pulvere, ac insuper Ambræ griseæ gr. iiij. & Moschi orientalis, ad singulas uncias compositi gr. ij. adduntur.

Pulvis hic, non tantum, ad aquam vitæ, ut sequitur parandam, sed etiam, ad confectiones cordiales, epithemata, aliasque formulas, commodus est. Vocatur autem Diamelissophyllon, non tantum, quod folia, flores, Tartarum, & oleum Melissæ in compositionem admittat; sed etiam ut Melissa, inter simplicia præcipuum quodammodo Cordiale existit, ita & hoc compositum, inter corroborantia excellat. Proposita autem aqua vitæ, sequenti modo paratur:

℞. Pulv. Diamelissophylli præscr. ℥j.
Spir. vini rectif. ℔ij. civil.

Tota Mixtura, in phiola obturata, per diem digeratur, spiritus tinctus, & quoad fieri licet clarus, in aliud vitrum transfundatur, atq; residuo, addita libra aquæ ex fragis fermentatis destillatæ, per diem, & noctem calore foveatur, quod tandem percolatum cum residui pulveris expressione spiritui prædicto una cum Syrupi flor. Tunicæ & flor. Aurantiarum ana ℥iiij. misceri convenit, ac cuncta albumine ovi mixta, porro per 12. horas, calore macerentur, ac per sacculum mundum colentur. Aqua vitæ insignis est, contra vertiginem animi deliquium, puncturas laterum, terrores, & palpitationem cordis, ac quæcunque accidentia, tum ex frigidorum humidorum, ac putrescentium pravitate, tum ex atra bile effuman-

fumante, ac maligno apparatu suborta, nec non animum exhilarat, cogitationes anxias, & insomnia terrifica sublevat, variæque gravidarum imbecillitati succurrit.

Dosis ejus, Cochleare unum per se, plus vel minus, & quanquam satis temperata est, præsente tamen febrili calore, cum aquis Tiliæ, Fragorum, Borraginis, Juscuolo, vel emulsione amygdalatum, pinearum, aut pistaciorum, exhibere præstat: quarum emulsionum potior pars nutriens, per alembicum, insana quorundam opinione, non adscendit.

Aqua Vitæ Cordialis.

℞. Pul. Diamelissophylli ℥iij.
Spir. vini rectif. ℔iiij. ℥iv.
Aq. Rosar. pallid. opt.
Rubi Idæi ana ℔iß.

Spiritus destillatus & aquæ ℔ij. postremo egressæ, cum sacch. cand ℥viij. pulverisatis edulcorentur, & per sacculum, ut instar fontanæ limpida fiat, percoletur: Qui vero colorem non magnopere curat, Sacchari loco Syrupi de rubo Idæo, & florum Tunicæ ana ℥v. admiscere, & colaturam clariorem reddere potest, quo pacto, virtutes ejus auctiores fiunt.

CAP. IV.

Aqua Vitæ aurea.

HOdie non modo Spiritus vini rectificatus, sed complures aquæ vitæ compositæ, commixtis solummodo aliquot auri foliis, potissimum à circumforaneis, ad emungendos loculos hoc titulo decantantur: Ut tamen spiritui vini, ac præcipue, variis aquis vitæ compositis suum pretium relinquam, sine discrimine, & methodo adhibitæ, sæpe parum præstant: Quare nemini titulus, aquæ vitæ imponat, cum folia auri innatantia, ad rem nihil faciunt, sed plicis ventriculi, & intestinorum, inhærentia, plus officiant, quam prosint; donec nondum alterata cum excrementis alvi expellantur. Qui vero cum hisce aquis, Aurum, Argentum, lapides pretiosos, lapidem Bezoardicum, corallia, margaritas, terram Lemniam, cornu aervi ustum, unicornu, os de cornu cervi, ac similia metallica, lapidosa, lutea, vel ad cornu duritiē accedentia admixta cupit, primo solventibus appropriatis, in formam Magisteriorum, quæ in liquore resolvi possunt, redigantur, quæ etiam loco crudorum, ad pulveres, & confectiones cordialis, merito recipiuntur, & à doctis horum præparationem, usum, virtutesq;, non ignorantibus, administrantur. Atque hæc, in eorum gratiam, qui has panaceæ loco ostentant profecto, qui tamen, qua ratione aurum has perficere possit, minime sciunt, cujus, aliorumque Magisteria, hic exponerem, nisi rerum confusio vitanda esset: Quandoquidem hoc loco, tantum de vegetabilibus agere propositum est. Dicuntur autem jure merito, hujusmodi aquæ aureæ, non ob folia anri admixta, vel colorem fulvum, sed singularem virtutem, vitale robur augendi, ac cor, cui aurum comparatur, exhilarandi beneficium.

CAP. VII.

Elixir Vitæ.

NOmine Elixiris Chymici medicamentum quoddam, partes principes roborandi, putredinem arcendi, vitam prolongandi, virtute pollens subaudiunt. Quidam, nec abs re, Spiritum vini hoc titulo donare cœperunt, ac ipsusmet qualitatem ejus considerans, facile in eorum sententiam concedo, ut in postrema parte Hydrelæologiæ meæ declaravi. Quidam vero, simplici Spiritu vini non contenti, compositas aquas vitæ, cum additione specierum confortantium excogitarunt, quibus pro lubitu, nomen hoc Elixiris imposuerunt, quæ tum apud Medicos, tum Magnates aliquos, ac inter cæteros præcipue, apud magnum Hetruriæ Ducem, in pretio habentur, qui præter alia selectissima, & illustria medicamenta (quæ Regia plane munificentia, non tantum subditis petentibus, gratis elargiri curat, sed sæpe quoque magnatibus aliis, ipsum invisentibus, muneris loco offert) singularem etiam, & quendam aromaticum spiritum, per ordinarios suos Chymicos elaboratum, sub titulo Elixiris possidet: Quapropter nec ipse potui, quin etiam hoc loco, singulare aliquod Elixir adjungerem.

℞. Pul. Diamelissophylli ℥iiiß.
Diambræ nostræ ℥ß.
Spiritus ardent. Rubi Idæi rectif. ℔ij.
Mellis refragrantiss.
Vini malvatici opt. ana ℔j.
Aquar. flor Arant.
Rosar. opt. ana ℔iß.

Omnia mixta, per alembicum vitreum, in arena vaporosa destillantur, ac primo egressus spiritus, seorsim servatur, ac porro in duabus aquæ libris posterius exstillatis, sacchari candidi ℥viij. ut Julebi consistentiam accipiant, addita ea spiritus salis Melissæ quantitate, quæ sufficit, ad saporem instar Syrupi Citri acidulum conciliandum, cui liquori demum, prius reservatus jungitur. Atque ita Elixir vitæ absolutum est, quod quidem in omnibus affectibus, Panaceæ vicem haud sustinet, ac multo minus mortuos excitat, viribus tamen cuivis specifico cordiali nequaquam cedet. Dosis hujus, ut etiam aliarum aquarum vitæ cordialium, se habet cum vehiculis congruis: Quin etiam spiritum salis Melissæ auro, & corallorum, margaritarum, aut lapidis Bezoardici Magisteriis imprægnare licet, quo facultas confortandi adaugeatur; quamvis per se ritè præparatus, virium nobilitate excellat.

CAP. VIII.

Aqua Vitæ Diasatyrionis.

INter alias aquas vitæ, etiam aqua Magnanimitatis locum habet, quæ illis præcipuè, quorum natura mollis, languida, frigida, humida, rei venereæ tractandæ impar est, subsidio venit. Nominis autem ratio, ni fallor, hæc est, quod (ùt communis fert sententia) illud ipsum, quod calorem, ac potentiam, ad rem veneream confert, etiam animositatem, ad res arduas gerendas, in iisdem augeat. Unde ille Naturæ genius Aristoteles usum Menthæ militibus, eo quod sperma consumendi, & consequen-

quenter animum, & corpus, torpore afficiendi vim obtinere, huncque effectum semper cum defectu animositatis virilis, ad pugnam conjunctum esse crediderit: Ut non abs re, destillatum hujuscemodi facultatis, aqua pusillanimitatis, ac vicissim generandi vim corroborans, aqua magnanimitatis, vocari mereatur. Basis, & præcipuum ingrediens apud quosdam est certum genus formicarum, cum aromatibus Ambra, & Moscho, ac vino malvatico maceratum, ex quo infuso, Aqua vitæ, ad dictum usum accommodata destillatur. Sed quoniam hujus generis medicamenti (quamvis non negem, huic præ multis, vim confortandi venerem, ac insignem quoque calefaciendi, & penetrandi vim inesse) nullam unquam experientiam feci, eo misso, quandam aquam vitæ, Diasatyrion vocatam, non minoris efficaciæ, describam.

℞. Sem. Anisi
Dauci
fœniculi dulc.
fraxini ana ℥j.
Nuc. mosch. ping. ʒvj.
Macis
Costi dulcis
Caryophyllorum
Galangæ
Piperis longi
Sem. Erucæ ana ʒij.
Ambræ gris. opt. ʒj.
Moschi Alexand. puri ℈j.
Misce f. Pul. ultimo add.
Ol. Melissæ.
Cinamomi ana gutt. x. Misce.

Huic pulveri in phiola, spiritus vini ℔vj affundatur, & vase obturato, ne spiritus exhalare possit, per duos dies foveantur, & ut virium dissipatio commodius evitetur, triplici circulatorio in quo spiritus, sine jacturæ periculo agitari possit; excipiantur, ac definito tempore elapso, spiritus tinctus in aliud vitrum transferatur, pulveri vero in circulatorio reliquo, succi Onosorchidis recenter expressi, sine clarificatione, ℔ iiß. addantur, & vase denuo clauso, simul per quatuor dies macerentur, hinc per colum fortiter exprimantur, ac succus colatus, cum mellis virginei electi ℔. trib. quadr. in eo solutis, & spiritu vini conjuncto more solito clarificetur.

Hæc aqua vitæ calefacit partes naturales, una cum genitalibus, spiritus, sanguinem, & genituram augendo corroborat, ac propriæ functionis memores facit.

Dosis, pro natura sumentis, unum, vel duo cochlearia, paulo ante pastum, præcipue iis, quibus stomachus frigidior negotium facessit, quandoque etiam post cœnam, sumenda sunt: Qui vero obeso, humido, & molli sunt corporis habitu, prius per cathartica, & sudorifera, diætam, & excercitia, corpus ad ejus usum disponant: Contra exsangues, squalidi, melancholici, vel longo morbo confecti, sola diæta humectante, & restaurante prius corroborati, cum vehiculis analeptitis, ut in capite de Aqua vitæ cordiali memini, stata hora; quam diu, & quantum opus, sumere possunt.

CAP. IX.

Nobilis Aqua Vitæ cephalica.

Præmissis nunc quinq; præcipuis compositionibus, totum corpus roborare valen-

valentibus, aliæ nunc proponendæ restant, quæ licet, humidam, frigidam superfluitatem consumendo, una totum corpus penetrent, peculiarem tamen, ad certum aliquod corporis membrum, respectum habent. Quarum prima hæc est.

℞. Fol. Beron. recent. exsicc.
Fl. Rosar. rubr.
Stæchad. Arab.
Cortic. ligni Sassafras.
Fruct. Myrtill.
Nuc. Muscat. ana ℥j.
Ligni Aloes opt.
Rad. Irid. florent.
Benedictæ Caryophyll.
Pæoniæ
Mastychis el.
Succi albi
Styracis calam.
Benzoini amygdaloid. ana ʒvj.
Calami aromat.
Cubebar.
Granor. Paradisi ana ʒij.
Spicæ Ind.
Cardamomi ana ʒj.
Sacchari albi ß. ℥ij.
Ess. flor. primul. veris ℥ß.
Ol. Salviæ
Rorismarini
Majoranæ
Caryophyllorum ana gut. vj.
Fæniculi dulc. gut. xx.
Ambræ gris. gr. xxiiij.
Moschi opt. gr. xij. f. pul. s. a.

Hujus pulveris ℥iiij. spiritus vini rectificati ℔iiij. affundantur, ac postquam spiritus, spatio unius diei elapso abunde tinctus est, is cum expressione, ad pulveris siccitatem, per linteum colatur; hinc cum aquæ Melissæ, & Rosarum optimæ (in quibus Sacchari finissimi, ℥vj. solutæ sint) ana ℔j. misceatur.

Præstat hæc aqua vitæ, ad capitis, & nervorum corroborationem, calefacit, siccat, digerit, sensuum interiorum meatus aperit, & humida cerebri intemperie, vertigine, defluxionibus, tinnitu aurium, imbecillitate memoriæ, veterno, apoplexia, epilepsia, & spasmo laborantes oppido juvat.

Dosis, Cochleare unum aut duo, mane, seu vesperi, diuturniorem vero ejus usum curativum, convenientia cathartica præcedere debent.

Aqua Vitæ cephalica alba.

℞. Pul. cephal. præscripti ℥iij.
Spir. vini rectif. ℔iiij.
Aq. Salviæ ℔iß.

Pulvis cum liquoribus, leni calore, tribus diebus maceretur, dein liquori, per destillationem abstracto, Aq. Meliss. & Rosar. cum saccharo, plane ad ipsum, cum præcedenti modum, adhibita, cui visum est, clarificatione. Spiritus abstracti pars, antequam cum aquis misceatur, seorsim servanda, ad externum in Epithematis usum, cæterum usu, & dosi, cum superiore convenit.

CAP. X.

Aqua liliorum convallium composita.

Flores Liliorum convallium, ubicunque terrarum, præcipue tamen in Germania, cujusvis ordinis hominibus, magni

magni fiunt, ac licet vario modo in medicinam veniant, liquoris tamen forma usitatior est, cujus descriptionem quandam hic subjungam. Florum lilior. convallium, recentium, ablatis caliculis viridibus, ℔xx. cum pulveris Diamelissophylli, & pulveris cephalici ana ℥iij. in cucurbita, Spiritus vini rectificati ℔viij. affundantur; tota hæc mixtura, per octo dies fere macerata, duabus mensuris aquæ fontanæ additis, per alembicum vitreum, aut stanneum, ut in sectione aquarum destillatarum docui, donec omnis spiritus egressus sit, qui ad aquositatis separationem, per arenam vaporosam pro lubitu rectificari potest. Hoc vero opus, per vesicam instituendum, quo oleum, ac nobiliores florum, & pulveris partes ebullitione solutæ cum spiritibus adscendentibus, facilius uniantur.

Mirifica virtute pollens, ad affectus omnes, quos vulgaris aqua lilior. convallium sublevat, intra, aut extra corpus adhibita, meliori cum fructu usurpatur, qui temperatiorem vero desiderat, spiritus hujus libris duabus, Aq. Rosarum & Aq. liliorum convallium simpl. ana ℔ij. cum sacchari albi ℥viij. admiscere potest.

CAP. XI.

Aqua Vitæ pectoralis optima.

℞. Flor. Scabiosæ
Mal. arbo. rubr.
Fol. Hyssopi
Marrubii
Glycyrrhizæ ana ℥j.
Rad. Helenii
Iridis florent.
Sem. Anisi
fœniculi ana ʒß.
Origani
Thymi ana ʒij.
Croci orient. ʒß.
Benzoini
Styracis calam. depurator. ana ʒvj.
Essentiæ flor. papav. Rhœad.
Veronicæ ana ʒij.
Sacchari ℥ij.
Misce f. pulvis s. a.

Processus talis est, Essentia ad hujus pulveris ℥ij. Spiritus vini ℔iiij. affusis extrahitur, in separato autem à pulvere spiritu, sequentia minutim incisa, infundantur.

℞. Jujubar. recent. enucl.
Dactylor. enucl.
Caricar. ping. ana ℥iij.

Mixta, per diem & noctem, calore foveantur, subinde commovendo, tandem spiritui iterum percolato jungantur Aq. Tussilaginis, & Scabiosæ ana ℔j. Syr. violarum ℥viij. Essentiæ passular. ℥iiij. clarificetur.

Vires. Calefacit, digerit tenues defluxiones, à capite in asperas arterias, vel cavitatem pectoris procumbentes concoquit; nec minus concoctam, & tenacem materiam, expectorationi apparat, tussi diuturnæ, & respirationi difficili succurrit, apostemata interna rumpit, mundat, sanat, anhelitum, à contagione purulentæ materiæ fætentem, corrigit.

Dosis: Cochleare unum plus vel minus, cum vehiculo pro ratione affectus, æta-

ætatis,&c. omnes vero, qui cum pulmonis exulceratione, calida intemperie, aut febricula continua, lenta, carnosam totius corporis partem consumente, laborant, serio adhortor, ne hac, vel similibus spirituosis aquis mortem sibi accelerent. Nulla enim habitualis intemperies calida, similia medicamenta, absque noxa sustinet. Quamobrem analeptica, diæta refrigerans, & substantifice humectans, quæ potius in conservationem vitæ conspirat, adhibeatur.

Depurantur autem ambo Gummata, Stytax nimirum, & Benzoin hoc modo: utriusque partes æquales, cum aqua Rosarum, super modico igne dissolvuntur, & per pannum firmum, ut purior pars relictis sordibus, transeat, quæ exsiccata, facili opera, in pulverem conteritur.

Aqua Anisi.

Cum Anisum, præter gratum, & dulcem saporem, virtutem quoque frigidas pectoris noxas mitigandi, obtineat, eoque tam laudatum, quam usu tritum medicamentum existat, aquam vitæ ex eo conficiendam hic apponam.

℞. Sem. Anisi recent. grosso modo contusi ℥xij.
Spir. vini rectif.
Aquæ fontanæ ana ℔vj.

Ex his commixtis, & per noctem maceratis, per vesicam, cum alembico stanneo, primo spiritus seorsim excipiendus, dein aqua non contemnendæ virtutis, usq; ad duas libras destillatur, quæ cum sacchari finissimi ℥xij. spiritui primo loco egresso, commixta, mixtura fit laudabilis, quæ aliquantum turbida, per linteum Xylinum clarificari potest. Facit ad colluviem humorum frigidam, in pectore resolvendam, lac auget, urinam movet, medicamentum polychreston est, & familiare.

CAP. XII.

Aqua Vitæ Menthæ.

℞. Foliorum Menthæ Moschat. dilig. exsicc. ℥vj.
Spir. vini rectif.
Aq. com. ana ℔iiij.

Ambo, spiritus sc. & aqua, ex vesica per se destillantur, in quibus Sacchari ℔ s. dissoluta, hæc compositio absoluta est. Simili modo ex Roremarino, Salvia, Thymo, Melissa, ac aliis, sicci & calidi temperamenti herbis, Aquæ vitæ fieri solent: Et cum hujusce herbæ diversæ species existant ad hoc opus moschatinam, folio oblongo, fusco, odore moschum referente, tam, ob odoris præstantiam, quam acrem, & aromaticum saporem præferendam censeo: In cujus defectum, Mentha crispa hortensis, qua multis annis usus sum, merito succedit.

Hujus vires illustres, & raræ sunt, quam Fernelius Dogmaticorum decus, sequentibus verbis commendat.

Mentha utraque calida, sicca principio tertii ordinis, gustu acris, subamara, tenuium partium, adstringendi & siccandi vim obtinet, stomacho apprime utilis est, appetitum excitat, & in condimentis peculiarem usum invenit, & in eo, humores frigidos, crassosq; excalefacit, attenuat & absorbet singultus, vomitiones, choleram-

que

quę sedat, sanguinis rejectiones sistit: Quæ virtutes consideratione dignæ sunt. At vero miror, non modo tantum, ac talem virum sed complures alios viros doctos, Aristotelis authoritatem sequentes, ut in capite, de aqua vitæ Diasatyrionis memini, quod hanc conceptioni resistere doceant, semenque ipsum extinguere.

Etenim talis effectus, aut vi manifestæ qualitatis sequitur, aut occultæ proprietatis, cujus natura nondum apud Physicos, ulla rationis indagine definita est. At vero hæc herba, cum calida, sicca sit, in principio tertii gradus, amara, & subtilium partium, cum sensibili adstrictione; hujus operationis, à manifesta qualitate, nulla assertio dari potest: Siquidem consecutionis necessitate, Piper, Zingiber, Cubebæ, Cardamomum, Cinamomum, Caryophylli, & complura aromata, ut ipsæ herbæ, similis propemodum temperamenti, v.g. Majorana, Thymus, Satureja, Lepidium, Sinapi, Carum; & cuncta quæ acrimonia calefaciendi, siccandi, & penetrandi facultate, Menthæ nullatenus cedunt eundem, quod apertè falsum est, effectum præstarent: Ab occulta vero, nobis tantum sensu & experientia cognita, multo minus demonstrari potest, quandoquidem hæc, à manifestis qualitatibus independens, sine discrimine in omnibus, cujusque temperamenti, hominibus, vi quadam magnetica idem efficeret, cui quoque eventus refragatur, hæc enim recens, aut sicca comesta, sine seminis exsiccatione, coagulatione, aut consumptione ulla, sumentes alacres, magisque animosos reddit. Quare aut diversæ speciei herbam, aut cœli constitutione, sol ive natura, alteratam, aut ex idiomate originali non satis intellecto, alieno nomine expressam Aristoteles protulit. Vel vana isthæc persuasio, quorundam veterum Medicorum errore introducta fuit, quemadmodum illa, de ligno Juniperi, quod ut præsentissimum venenum, hominibus necem adferre, quidam per somnium scripserunt, cui experientia haud quaquam respondet; & qui hoc absurdum, apud Germaniæ populos proferet, vulgo pro insano, & mente capto haberetur, ex eo enim non solum pocula, sed etiam decocta, & infusa, æque, nec minori ferè cum fructu, ac ex ipso Quajaco ad varios humani corporis affectus, catarrhos sc. nervorum languores, dolores articulorum, morbum Gallicum parata, in usum veniunt. Enimvero, si sola authoritas, hoc vel illud, approbandi, aut rejiciendi, sufficeret, multa, experientia nobis cognita, juxta & utilissima ab aliis, pro veneno diffamata, ex foro medicinali proscribenda essent. Quocirca, in valore rationum supra dictarum concludo, hanc nec manifesta nec occulta qualitate generandi vim infringere, eamque conclusionem ratam habeo, donec quispiam alius ex Medicis, praxi & eruditione clarus, succo hujus simplicis, in pluribus integris, robustis nullo virilitatis defectu notatis, hominibus sæpius exhibito, iisq; convenienti hujus usu debilitatis, effectum talem experientia comprobet. Ego quidem, hoc nobile medicamentum, tum ad curationem, tum ad præservationem summæ conditionis hominibus, ac mecũ alii quoq; Medici, magno commodo præscripsimus. Cæterum, quibus alioquin,

temperamenti ratione competit, horum frigidas, & flatulentas ventriculi noxas, nauseam, dolores, ructus placat, ac præsertim vomitum ex effusione bilis ortum unde anxietates, & palpitationes cordis imminent, blande moderatur, appetitum & ciborum coctionem confirmat, quam bene peractam, non solum chyli, sed quoque sanguinis probi, & seminis generatio sequitur. Præter hæc virgines cachexia, chlorosi, colore fœdo, & corporis habitu intumescente, virium, & appetitus dejectione laborantes, præmisso congruo cathartico, hæc aqua vitæ, dummodo malum non inveteratum sit, mane ac vesperi à cæna, justa dosi sumpta, brevi temporis intervallo restituit: & ut paucis complectar, in omnibus ventriculi infirmitatibus, panaceæ loco est, senes potissimum, inappetentes, ac pejus etiam conquentes mirifice juvat. Dosis, cochleare unum, vel duo ad coctionem promovendam. Hujus usum diutius continuanti à cœna offerenda est, mane jejuno, cum mica panis contrita, quoad vires melius exserendas, in stomacho moram agat. Hæc etiam, præsente in ventre & intestinis pituita ac bile eam abstergendo, magno sumentium commodo, aliquoties alvum movet.

Cavendum tamen, ne hujus usus in abusum vertatur, nec illorum, ridicule argumentantium stolida ratio audienda, nimirum, si duo cochlearia stomacho prosunt, ergo 4. vel 6. illum amplius juvabunt, qui tamen illius quantitate offensi, & deterius habentes, medicamento, aut consulsultori causam imputant; minime etiam quotidianus usus, sed pro necessitate susceptus approbatur.

Aqua Vitæ Limonum, & Arantiarum.

Ex corticibus limonum, & arantiarum, qui non tantum odoris præstantia, sed etiam stomachum roborandi virtute commendabiles sunt, tum condita, tum Aqua vitæ, ut sequitur, parantur.

℞. Flavedinis corticum Citri ℔ß.
Spiritus vini rectificati
Aq. fontanæ ana ℔ vj.

Primo spiritus per vesicam destillando, dein quantitas aquæ, quæ sacchari ℔ß. dissolvendæ sufficiat, eliciatur, quæ aqua saccharata, cum spiritu, cum scrupulo croci tincto mixta, & per pannum colata, aquam vitæ complet. Idem processus, in aquis vitæ, ex cordicibus arantiarum parandus observatur, præterquam quod loco croci, eadem spiritus quantitas, rasura ligni santali citrini tincta cum aqua saccharata miscetur. Eadem ratio est cum corticibus Citri, quorum recentium, si copia non detur, exsiccati, dumodo sapore, & odore integro præditi sint, ad opus eligantur, aut etiam, in horum defectu, olei, non quidem illius rancidi, à Materialistis, & Pharmacopæis quibusdam dispensari soliti sed odorati, & probati guttæ aliquot cum spiritu tincto & aqua temperata misceantur: cujus generis olea, unicuique qui decipi recusat, manu propria, suadeo elaborer.

CAP.

CAP. XIII.

Aqua Vitæ Iuniperi.

℞. Baccarum Juniperi contusar. ℔j.
Spiritus vini rectif.
Aq. fragrorum ana ℔vj.
Sacchari finissimi ℔. dimid. cum quadr.

Fiat Aqua vitæ, secundum superiorem methodum.

Vires hujus aquæ vulgo notæ sunt, urinæ in aliquibus per accidens putrescentis fœtorem, quemadmodum nux myristica, therebinthina, ac simul calculosam constitutionem emendat, meatus urinarios, à limosa, & tartarea colluvie repurgat, anhelitum commendat, humorum putredini, & pestilenti contagio resistit. Dosis eadem, cum supradictis, in ipso usu, contra calculum, succo violarum, vel alio quopiam succo leniente miscendæ.

CAP. XIV.

Aqua Vitæ Carminativa.

Quanquam suprascriptæ aquæ vitæ vi calefaciendi, penetrandi, discutiendi, in genere, ad flatus pellendos, ex cruda, humida, frigida materia obortos faciant, hanc tamen, tanquam magis specificam huic loco inserendam esse arbitratus sum.

℞. Flor. Chamomill. Rom. ℥iiij.
Baccarum Lauri.
Sem. Anisi
Carvi
Dauci
fœniculi dulc.
Sileris mont.
Cortic. ligni Sassafras.
Galangæ ana ℥ß.
Moschi orient. gr. viij.
Misce f. pul.

Hic pulvis, in spiritus vini rectificati ℔vj. per duos dies maceretur, & pari quantitate aquæ affusa, per vesicam destilletur, ac quisque horum liquorum, seorsim excipiatur, aquæ autem ℔ij. cum sacchari ℔ß. mixtæ, & spiritui consulæ filtrantur. Hæc aqua vitæ digerit, frigidum, & glutinosum humorem, in stomacho, & intestinis collectum attenuat, & expultricem, ad eum exturbandum excitat, urinæ meatus viscidis recrementis impeditos expedit, hinc magno usui est, in colica, inflatione ventriculi, dolore laterum pungente, aliisque ex prædicta causa affectibus prognatis, frigidam & humidam uteri intemperiem corrigit, menses, qui pauca quantitate, cum maximo dolore, angustia, & flatulenta tensione prorumpunt, frigidos crassos succos attenuando, ac meatus aperiendo, expeditiores reddit. Dosis eadem, quæ aliarum præscriptarum aquarum esto. His vero, minime solis, sed catharticis insistendum, à quibus etiam prægnantes, & intemperie alicujus partis laborantes, sibi caveant. Plurimum vero facultas ejus, tum in colica flatulenta, tum in urinæ suppressione, additione guttarum 5. vel 6. spiritus nitri rectificati intenditur, ac præsentissimum ægris auxilium est, casu vero calidior ac penetrantior, in frigidioribus constitutionibus expetatur, solum spiritum à pulvere abstractum, sine aquæ, & sacchari

additione, adhibere licet, qui etiam exterius illitus prodest.

CAP. XVI.

Aqua Vitæ Theriacalis.

VAriæ sunt aquæ antidotales, ut cuivis vel in re medica leviter initiato patet, unam saltem, ad usum valde commodam subjungam.

℞. Scordii nostri ℔ij.
Absynthii pontici ℔iß.
Rutæ ℔ß.

His debito tempore, & modo collectis, ac exsiccatis, mensuræ tres spiritus vini ac totidem aquæ fontanæ affunduntur, spiritus iterum destillando abstractus, ulterius ab aquositate, per arenam vaporosam, vel Balneo Mariæ, lento calore rectificandus: hinc

℞. Theriac. Andromachi opt. ℔j.
Spir. Vini præd. ℔iiij. ℥iiij.
Aceti flor. Sambuci
Tunicæ rub.
Calendulæ
Succi Citri vel Limon. depurati ana ℔ß.
Spir. Salis Absynthii rectif. ℥iij.

Theriaca, in prædictis liquoribus dissoluta, & vitro conclusa per octo dies, benigno calore fovenda, hinc liquido à spisso separato Theriacæ linteo exceptæ humiditas paulatim extillata reliquo jungenda, adjecto porro huic liquori, duorum ovorum albumine, qui sæpe agitatus, elapso diei spatio, per manicam ut clarescat coletur. Cui aqua hæc pellucida, instar aquæ, in votis ei totam mixturam, leni calore, per instrumenta vitrea, destillare licet, sed cum Theriacæ, & florum potiores partes, cum spiritibus acidis, & tartaro utili, per alembicum non ascendant, sed in fundo cucurbitæ hæreant, præscriptus modus præstat. Aqua vitæ Theriacalis, venena, frigidorum & malignorum humorum noxam corrigit, putredinem, & lumbricos, à corruptione ciborum natos arcet, & tam præservativum, quam curativum non ignobile auxilium est. Dosis ejus à ʒj. ad ʒij. per se, vel cum aquis destillatis sumpta, per sudorem, præcipue in dispositis, & materia in extremitate vasorum, ac intra cutem hærente, blande operatur, quod animadversione dignum est, ne diaphoreticis, ut frequenter accidit, sudor extortus, plus damni adferat. Præcipua enim curationis pars, in morbo pestilenti, est sudoriferorum apta, & methodica applicatio. Atque hæc non in arte consummatis viris, sed junioribus, qui theoriam suam nondum experientia confirmarunt, vel rudioribus, & nulla habita consideratione, mox ad quævis diaphoretica confugientibus, admonitionis loco adjunxi.

Aqua Vitæ Angelica.

Quandoquidem Angelicæ radix, primarium inter antidota locum obtinet, ejus aquam, ad præscriptum modum destillatam, hic Colophonidis loco, apponendam esse censui.

℞. Rad. Angel. mont. odorif. exsiccat. ℥iiij.
Spir. Vini rectif. ℔iiij.
Aq. communi ℔iij.

Radix hæc contusa, una cum spiritu, & aqua,

aqua, ex parva vesica more solito destillatur, dissoluta in aquæ vitæ ℔ij. sacchari finissimi, ea demum clarificatur, quæ gustui grata, & excellens est, præcipue, si ex radice Angelicæ montanæ quæ palustrem odore, & virtute superat, paratur.

Ad eosdem affectus, quos ipsa Angelica juvat, celebratur, pestem potissimum, & malignos morbos arcet.

Plures equidem aquas vitæ, etiam alvum, & vomitum cientes, quarum tamen cognitio vix necessaria est, in medium proferre possem, sed his tanquam præcipuis, acquiescendum judico, cum hæ non numero, & quantitate, sed virtute, & efficacia ponderandæ sint. Pro conclusione, omnes adhortor, ut harum abusum evitare studeant, ac casu requirente, potius hominibus ætate confectis, & penuria calidi innati laborantibus, nulla calida intemperie, aut partium inflammatione afflictis, quam robustis, junioribus, & sanguineis, quorum hepar, & sanguinem adurere possunt, exhibendas suadeo: Quam admonitionem, valetudinis studiosi, æqui boniq; consulant.

F I N I S.

TARTA-

additione, adhibere licet, qui etiam exterius illitus prodest.

CAP. XVI.

Aqua Vitæ Theriacalis.

VAriæ sunt aquæ antidotales, ut cuivis vel in re medica leviter initiato patet, unam saltem, ad usum valde commodam subjungam.

℞. Scordii nostri ℔ij.
Absynthii pontici ℔iß.
Rutæ ℔ß.

His debito tempore, & modo collectis, ac exsiccatis, mensuræ tres spiritus vini ac totidem aquæ fontanæ affunduntur, spiritus iterum destillando abstractus, ulterius ab aquositate, per arenam vaporosam, vel Balneo Mariæ, lento calore rectificandus: hinc

℞. Theriac. Andromachi opt. ℔j.
Spir. Vini præd. ℔iiij. ℥iiij.
Aceti flor. Sambuci
Tunicæ rub.
Calendulæ
Succi Citri vel Limon. depurati ana ℔ß.
Spir. Salis Absynthii rectif. ℥iij.

Theriaca, in prædictis liquoribus dissoluta, & vitro conclusa per octo dies, benigno calore fovenda, hinc liquido à spisso separato Theriacæ linteo exceptæ humiditas paulatim extillata reliquo jungenda, adjecto porro huic liquori, duorum ovorum albumine, qui sæpe agitatus, elapso diei spatio, per manicam ut clarescat coletur. Cui aqua hæc pellucida, instar aquæ, in votis ei totam mixturam, leni calore, per instrumenta vitrea, destillare licet, sed cum Theriacæ, & florum potiores partes, cum spiritibus acidis, & tartaro utili, per alembicum non ascendant, sed in fundo cucurbitæ hæreant, præscriptus modus præstat. Aqua vitæ Theriacalis, venena, frigidorum & malignorum humorum noxam corrigit, putredinem, & lumbricos, à corruptione ciborum natos arcet, & tam præservativum, quam curativum non ignobile auxilium est. Dosis ejus à ʒj. ad ʒij. per se, vel cum aquis destillatis sumpta, per sudorem, præcipue in dispositis, & materia in extremitate vasorum, ac intra cutem hærente, blande operatur, quod animadversione dignum est, ne diaphoreticis, ut frequenter accidit, sudor extortus, plus damni adferat. Præcipua enim curationis pars, in morbo pestilenti, est sudoriferorum apta, & methodica applicatio. Atque hæc non in arte consummatis viris, sed junioribus, qui theoriam suam nondum experientia confirmarunt, vel rudioribus, & nulla habita consideratione, mox ad quævis diaphoretica confugientibus, admonitionis loco adjunxi.

Aqua Vitæ Angelica.

Quandoquidem Angelicæ radix, primarium inter antidota locum obtinet, ejus aquam, ad præscriptum modum destillatam, hic Colophonidis loco, apponendam esse censui.

℞. Rad. Angel. mont. odorif. exsiccat. ℥iiij.
Spir. Vini rectif. ℔iiij.
Aq. communj ℔iij.

Radix hæc contusa, una cum spiritu, & aqua,

aqua, ex parva vesica more solito destillatur, dissoluta in aquæ vitæ ℔ij. sacchari finissimi, ea demum clarificatur, quæ gustui grata, & excellens est, præcipue, si ex radice Angelicæ montanæ quæ palustrem odore, & virtute superat, paratur.

Ad eosdem affectus, quos ipsa Angelica juvat, celebratur, pestem potissimum, & malignos morbos arcet.

Plures equidem aquas vitæ, etiam alvum, & vomitum cientes, quarum tamen cognitio vix necessaria est, in medium proferre possem, sed his tanquam præcipuis, acquiescendum judico, cum hæ non numero, & quantitate, sed virtute, & efficacia ponderandæ sint. Pro conclusione, omnes adhortor, ut harum abusum evitare studeant, ac casu requirente, potius hominibus ætate confectis, & penuria calidi innati laborantibus, nulla calida intemperie, aut partium inflammatione afflictis, quam robustis, junioribus, & sanguineis, quorum hepar, & sanguinem adurere possunt, exhibendas suadeo: Quam admonitionem, valetudinis studiosi, æqui boniq; consulant.

F I N I S.

TARTA-

additione, adhibere licet, qui etiam exterius illitus prodest.

CAP. XVI.

Aqua Vitæ Theriacalis.

VAriæ sunt aquæ antidotales, ut cuivis vel in re medica leviter initiato patet, unam saltem, ad usum valde commodam subjungam.

℞. Scordii nostri ℔ij.
Absynthii pontici ℔iß.
Rutæ ℔ß.

His debito tempore, & modo collectis, ac exsiccatis, mensuræ tres spiritus vini ac totidem aquæ fontanæ affunduntur, spiritus iterum destillando abstractus, ulterius ab aquositate, per arenam vaporosam, vel Balneo Mariæ, lento calore rectificandus: hinc

℞. Theriac. Andromachi opt. ℔j.
Spir. Vini præd. ℔iiij. ℥iiij.
Aceti flor. Sambuci
Tunicæ rub.
Calendulæ
Succi Citri vel Limon. depurati ana ℔ß.
Spir. Salis Absynthii rectif. ℥iij.

Theriaca, in prædictis liquoribus dissoluta, & vitro conclusa per octo dies, benigno calore fovenda, hinc liquido à spisso separato Theriacæ linteo exceptæ humiditas paulatim extillata reliquo jungenda, adjecto porro huic liquori, duorum ovorum albumine, qui sæpe agitatus, elapso diei spatio, per manicam ut clarescat coletur. Cui aqua hæc pellucida, instar aquæ, in votis ei totam mixturam, leni calore, per instrumenta vitrea, destillare licet, sed cum Theriacæ, & florum potiores partes, cum spiritibus acidis, & tartaro utili, per alembicum non ascendant, sed in fundo cucurbitæ hæreant, præscriptus modus præstat. Aqua vitæ Theriacalis, venena, frigidorum & malignorum humorum noxam corrigit, putredinem, & lumbricos, à corruptione ciborum natos arcet, & tam præservativum, quam curativum non ignobile auxilium est. Dosis ejus à ℨj. ad ℨij. per se, vel cum aquis destillatis sumpta, per sudorem, præcipue in dispositis, & materia in extremitate vasorum, ac intra cutem hætente, blande operatur, quod animadversione dignum est, ne diaphoreticis, ut frequenter accidit, sudor extortus, plus damni adferat. Præcipua enim curationis pars, in morbo pestilenti, est sudoriferorum apta, & methodica applicatio. Atque hæc non in arte consummatis vitis, sed junioribus, qui theoriam suam nondum experientia confirmarunt, vel rudioribus, & nulla habita consideratione, mox ad quævis diaphoretica confugientibus, admonitionis loco adjunxi.

Aqua Vitæ Angelicæ.

Quandoquidem Angelicæ radix, primarium inter antidota locum obtinet, ejus aquam, ad præscriptum modum destillatam, hic Colophonidis loco, apponendam esse censui.

℞. Rad. Angel. mont. odorif. exsiccat. ℥iiij.
Spir. Vini rectif. ℔iiij.
Aq. communj ℔iij.

Radix hæc contusa, una cum spiritu, & aqua,

aqua, ex parva vesica more solito destillatur, dissoluta in aquæ vitæ ℔ij. sacchari finissimi, ea demum clarificatur, quæ gustui grata, & excellens est, præcipue, si ex radice Angelicæ montanæ quæ palustrem odore, & virtute superat, paratur.

Ad eosdem affectus, quos ipsa Angelica juvat, celebratur, pestem potissimum, & malignos morbos arcet.

Plures equidem aquas vitæ, etiam alvum, & vomitum cientes, quarum tamen cognitio vix necessaria est, in medium proferre possem, sed his tanquam præcipuis, acquiescendum judico, cum hæ non numero, & quantitate, sed virture, & efficacia ponderandæ sint. Pro conclusione, omnes adhorror, ut harum abusum evitare studeant, ac casu requirenre, potius hominibus ætate confectis, & penuria calidi innati laborantibus, nulla calida intemperie, aut partium inflammatione afflictis, quam robustis, junioribus, & sanguineis, quorum hepar, & sanguinem adurere possunt, exhibendas suadeo: Quam admonitionem, valetudinis studiosi, æqui boniq; consulant.

F I N I S.

TARTA-

aqua, ex parva vesica more solito destillatur, dissoluta in aquæ vitæ ℔ij. sacchari finissimi, ea demum clarificatur, quæ gustui grata, & excellens est, præcipue, si ex radice Angelicæ montanæ quæ palustrem odore, & virtute superat, paratur.

Ad eosdem affectus, quos ipsa Angelica juvat, celebratur, pestem potissimum, & malignos morbos arcet.

Plures equidem aquas vitæ, etiam alvum, & vomitum cientes, quarum tamen cognitio vix necessaria est, in medium proferre possem, sed his tanquam præcipuis, acquiescendum judico, cum hæ non numero, & quantitate, sed virtute, & efficacia ponderandæ sint. Pro conclusione, omnes adhortor, ut harum abusum evitare studeant, ac casu requirente, potius hominibus ætate confectis, & penuria calidi innati laborantibus, nulla calida intemperie, aut partium inflammatione afflictis, quam robustis, junioribus, & sanguineis, quorum hepar, & sanguinem adurere possunt, exhibendas suadeo: Quam admonitionem, valetudinis studiosi, æqui boniq; consulant.

F I N I S.

TARTAROLOGIÆ

SECTIO I.

CAP. I.

De tartari etymologia, & quid sub hoc nomini Chymici indicent.

HÆC ex lutosa, mucilaginosa ac salsa, ex iis, quæ à vino separantur, fecibus coagulata materia à Medicis, Chymicis, Pharmacopæis aliisque artificibus tartari nomine est insignita. Hocque etymon à tartaro, quod Germanis est abyssus, sive loco natali, quod profunde in doliis latitet, non vero ab ipsa rei Essentia desumptum videtur. Accurata hæc ac curiosa nominis explicatio cum omnino nihil in proposito nostro ac materia tractanda nos juvet, non immerito curiosis Aristarchis ac acutis Scholasticis pro lubitu examinandum id relinquimus, non inficias interim euntes, vocabulum hoc Germanicum Weinstein / quia lapidi scissili non multum dissimile, facilimeque calculi instar conteri potest, unde Angli etiam sua lingua id idem Winstone vocitant, externam rei faciem quam optime exprimere. Nomina quidem, aut Latina aut Græca, quæ accuratius ac nervosè magis Essentiam ac proprietates materiæ significarent, excogitari facile possent, sed quia usus ita obtinuit, ideoque id ipsum nomen non immutare, sed retinere potius placuit.

Præterea observandum etiam ac probe notandum, hodiernos Chymicos prædicto nomine non solum dictum jam tartarum, sed quasvis etiam alias materias, omnia sc. lutosa, viscosa, mucilaginosa ac arenosa, quibus aqua abundat communis, quibusve aliorum vegetabilium succi ac Essentiæ plena sunt, attamen processu tandem temporis vel natura, vel artificio separabilia subintelligere sedimenta. Calculum item renum & vesicæ aliasque lutosas, argillosas ac coagulatas, non solum in ureteribus ac renibus, verum etiam in cavitatibus ac venis hepatis, lienis, pulmonum, aliisque humani corporis humiditatibus perpetuo perviis meatibus, extremisque manuum ac pedum articulis, (quod in cheiragra, chonagra, ac Podagra nodosa videre est:) hærentes materias communi ac usitato tartari nomine eosdem vocare. Hocque non nudæ inventum est opinionis, sed firmissimo nititur fundamento gravissimisque stat suffultum rationibus, quos Theophrastus Paracelsus in suis de tartaro scriptis primus nobis demonstravit ob oculosque posuit. Quæ ipsius scripta cum nos fili-

fili instar Ariadnæi ad veram & infallibilem substantialis rerum naturalium ducant compositionis cognitionem, firmaque pro investigandis multorum morborum ex inordinato diætæ regimine progenitorum causis materialibus, sint semita, utilissimis insuper qua methodo curandi sint hujusmodi morbi, (quod à nullo ante ipsum excellentissimo etiam Medico observatum nedum factitatum legimus,) sint ornata regulis generalibus, meritò itaque eadem legenda, relegenda, studioseque sunt ruminanda. Si enim ejus, qua usus est, prolixitatem non castigare, ejusdemque in alios Medicos evibratis scommatibus biliosisque calumniis connivere, obscurioresve, nihil tamen ad intelligendam rei essentiam facientes terminos removere, doctrinatum è contra nucleum è scriptis ejus eruere ac enucleare voluerimus, meo certè judicio, ea, quæ hactenus prodière typis excusa, pathologiæ maximè judico utilia documenta, quod aliis philiatris in Paracelsi scriptis parum versatis significare brevissimis mihi placuit.

CAP. II.

De differentiis tartarorum, singulisq; eorundem ex vegetabilibus desumptorum speciebus, ortu & generatione.

DE tartaro è vegetabilibus, non verò de illo quod in corpore coalescit humano, cùm nostrum nunc sit dicendi institutum, sciendum, non solum in vino, ut supradictum, verum etiam in omnibus, tam minutissimis herbulis, quam vastissimis arboribus, singulisque harum partibus, ne minimo quidem vegetabilium exempto, tartarum reperiri ac inveniri posse.

Discrimen tartarorum quod attinet, primò sciendum, omnia è vegetabilibus desumpta tartara duûm esse generum, duplicique sub forma ac qualitate sensibus nostris sese patefacere. Unum enim ex illis saporis est acidiusculi, qualitatis maximè penetrativæ ac aperitivæ, inque aqua calida projectum, ut saccharum vel sal aliquod dissolubile, ubi verò aqua refrigescere incipit, separatum ab ipsa, relicta sine sapore aqua, fundum sub priori forma petit. Alterum verò ut tenues arenulæ vel subtile gluten omni fermè sapore carens, qualitate aliquo modo exsiccativa absque ulla etiam acrimonia ac calore astrictiva est præditum. Quorum posterius in nulla aqua, sive calida ea sit, sive frigida dissolvi potest, sed ut ejusmodi terrestria solent, immutabilem servat faciem, solumque eandem primò turbidam reddit, postea verò pedetentim fundum repetit. Juxta hoc discrimen primum voco tartarum salinum ac solubile, alterum verò argillosum sive arenosum & indissolubile.

Præterea sciendum succos vegetabilium expressos, utpote vinum & similes alios, non solum segregare ac secernere à se aliquod tartarum, verum etiam tale quoque in se tanquam singularem aliquam substantiam elementarem, quæ præter alias ad illorum succorum scilicet essentiam pertineat, in se continere, qua sine nullus vegetabilium succus vel corporalis essentia consistere diu ac perdurare possit.

Primum idcirco quod secernitur voco tartarum separatum sive externum, secundum verò subsistens sive internum, quia alias substantias in naturali vegetabilium compositione, à me essentiæ nomine donata ad finem usque comitatur; non quidem eâ intentione, ac si ratione qualitatum duo diversa essent tartara, sed solius ordinis ac scientiæ. Videtur par ratio in solutionibus certis menstruis factis, si præter alias substantias solvendas sal etiam, item sal nitrum, corallia, perlæ, lapis bezoarticus & alia similia solverentur, soluta verò per aliquam accidentalem menstrui sive solventis fermentationem, vel deficientem menstrui quantitatem aut alias ob causas pars aliqua salis vel coralliorum à liquore segregata, relictâ reliquâ portione liquori permixtâ, vasis fundum peteret: hoc separatum sal vel corallia ratione suarum qualitatum revera nihil diversum essent ab illo, quod remansit liquori permixtum, si modò quodlibet in suo proprio esse sine commixtione aliarum rerum consideretur ac comparetur.

Tandem etiam dantur fecata, quod fecum instar ac terrestris alicujus spumæ à vegetabilibus separentur, proveniuntque ex pinguedine terræ vel aquæ, quæ tamen ab iisdem in fermentatione succorum rursus segregantur. Similiter etiam inveniuntur tartara peregrina sive adventitia, terrena ac mineralia coagulata, quæ vegetabilia, pro loci natalis diversitate, ad se alliciunt, nec omnimodè eadem à se abjiciunt, sed ratione materiæ semper aliquid de iisdem sibi reservant ac retinent. Hincque desumitur ratio, quod tanta interdum frumentorum, vinorum, fructuumque non solum sub uno eodemque climate, verùm etiam non longè à se invicem dissitis locis crescentium sit qualitatum ac bonitatis disparitas, ex adventitia aliqua materiæ pravitate solum profecta disparitas. Non minor etiam est tartarorum differentia ab illis vegetabilibus, quæ proveniunt in excultis agris ac bene stercoratis, desumpta, & ab illis, qui in contrariis. Hujusmodi verò tartara & excrementitias superfluitates quilibet Medicus à veris naturalibus, essentialibus ac utilibus vegetabilium tartaris distinguere ritè sciat.

Sed quærat quispiam, unde rerum tartarum oriatur, quareve nullum vegetabile carere hoc possit. ℞. Ante omnia considerandas esse essentiam ac naturam duorũ inferiorum elementorum, terræ scil. & aquæ, unius, ut matris, in cujus utero vegetabilia crescant, vigeant, cujusve maternâ providentiâ alimententur: alterius, ut sedulæ ac vigilantis nutricis, cujus curâ lactentur, humectentur & ad augmentum promoveantur. Ast non tam vilis in se ipsa est quælibet fertilis tellus, quam levem illam plurimi stupidi ac bardi existimant, fœtus ejus, gramina scil. arbores, flores ac fructus nubilis mentis oculis aspicientes: sed nobilius quippiam in ea reconditum latet, est nempe illa mater tribus diversis substantiis, aquâ scil. oleo & sale repleta, hæque substantiæ absq; ullo labore ac difficultate à quolibet fertili solo separari ac actu ipso oculariter demonstrari possunt, & ita quidem, ut reliquum terræ quod relinquitur, nisi aliis terris vel aquis aliis in locis associatum pristinas suas substantias recuperet, ad producendum aliquod semen prorsus sit ineptum nullarumque virium.

Simili-

Similiter etiam simplicissima licet appareat, præsertim pluvialis vel roris aqua, quâ terra humectatur ac irroratur, in se ipsa tamen ita est composita, ut, etiamsi nihil aliud, quam aquosa humiditas oculis nostris occurrat, nihilominus tamen in eadem, oleum, sal ac terra lateant, quæ tria sine alio aliquo additamento ab ipsa separari arte atque in propriis suis receptaculis asservari possunt. Cum itaque in his duobus elementis substantiæ hæ, tanquam in centro compositæ inveniantur, ipse etiam aër, (quo sine nulla creatura aut crescere, vel vivere aut respirare potis est,) has licet in forma subtilissima, in se contineat substantias; ut jam de Sole nihil, tum ille de se his inferioribus quippiam communicet, vel in inferiora corpora imprimat sive complexionaliter tantum operetur, & prædictas substantias calore ac motu suo quasi exsuscitet, vel utrumque perficiat, litem hanc, pro nunc, non faciam meam. Quia etiam vegetabilia hujus substantiarum triados beneficio ac nutu augmentantur, aluntur ac corporaliter nutriuntur, concludere infallibiliter licet, non solum harum esse participia, verum etiam essentialem illorum ab iisdem dependere consistentiam. Quod experientia in anatomia vegetabilium ad oculum demonstrat.

Quod si hoc verum, ut est verissimum, manifestum est, quæ & qualia sint tartari hujus subjecta & materialia principia, terram scilicet esse & entium sal conjuncta & coagulata: reique veritas primum ex sicca illorum terrestreitate ac gravitate, dein ex ipsa etiam probatione Chymica, clarè elucescit. Quod verò in tartaris quippiam etiam inveniatur olei & aquæ, hoc ex mixtione provenit naturali, & quam habent cum aliis reliquis substantiis, familiaritate. Ut enim nulla terra sine aqua, sale & oleo, nulla aqua sine oleo, sale & terra, nullusque sine terra, aqua, sale & oleo esse aër potest, in quolibet licet elemento entium aliquod prędominari videatur; ita etiam in tartaro terra cum sale licet prædominentur, nihilo tamen minus aliquid etiam aquæ ac olei in eo, ut dictũ, delitescit. Si de tartarorum essentialium naturalem vegetabilium compositionem ingredientium discrimine sit sermo, hoc non solum ex dispari quantitate terræ, salis, olei & aquæ, quæ inter hæc esse solet, provenit, sed præcipuè ex occulta operatione Archæi naturæ, qui, sicut quodlibet simplex pro inscrutabili ac incomprehensibili Dei providentia, è communi sive universali ac elementari substantia peculiariter format, figurat, signat, colorat, gustu & odore quodlibet beat, ita ab eodem etiam tartara & aliæ substantiæ, pro diversitate entium discriminantur. Omnipotens enim creator multa mysteria in naturalibus nostris oculis menteque recondita voluit, ne, si revelaret, eadem nihili floccique æstimando, superbiores ac tumidiores efficeremur, sed in perpetua potius humilitate Creatorem in creaturis admiraremur venerare murque. Quælibet enim minutissima etiam herbularum, abjectissimique vermiculi præclarissima nobis cum sint specula ac subjecta in quibus Omnipotentiam, Creatoris satis

sufficienterque admirari possimus, ac in eorundem contemplatione omnium hominum sapientia fiat stultitia, omnesque subtilitates, vanitates, sicque reapse miseri experiamur nostra omnium ingenia in hisce indagandis plurimum hallucinari, ac in investigandis ac perscrutandis prorsus cæcutire.

CAP. III.

De vero vini tartaro, ejusve ac fæcum differentiis.

CUm de tartari nomine, ejus differentiis, subjectis, & ortu generaliter hactenus à nobis quippiam dictū sit, nunc ad specialia transeundum ac de variis tartarorum essentiis, qualitatibus, extractionibus, præparandi modis ac utilitatibus dicendum restat.

De tartaro itaque vini, utpote magis cognito, & in Medicina maxime usitato, ordiemur.

Nullæ sub Sole crescunt uvæ, quæ non post expressum succum mustique in doliis asservati absolutam fermentationem, si nō subitò post hanc, successivo tamen tempore, duplex deponant & à se abjiciant tartarum. Primum dicitur à materia terrestri tartarum feculentum, vulgari verò nomine vini feces. Secundum, quod doliorum fundo & lateribus lapidis instar adhærescit, hoc illud ipsum est tartarum, quod Germani vocant Weinstein. Hæc duo ita sunt commixta, ut tartarum feculentum semper quippiam de vero tartaro in se contineat, tartarum verò terræ fecum sit particeps. Præterea, in hisce duobus aliqua etiam venit notanda differentia, quod scil. in fecibus tenuibus, humiditate earundem non omnimodè absumptâ, bona imò major, pro mensuratarum proportione, spiritus vini portio, quam in ipso vino reperiatur, quod in tartaro neutiquam invenitur. Duplex itaque harum fecum usus esse potest; primus est, quod exinde destillatione eliciatur vini spiritus: secundus, quod ex capite mortuo formentur globi majores exsiccandi & in cineres comburendi, ex quibus cineribus alba producitur instar tartari calcinati materia, quâ tinctores in Italia, Gallia & aliis regionibus viniferis maximo suo commodo uti fruique sciunt.

CAP. IV.

De electione tartari.

PRo diversis, quibus vina eorundemque feces, ac aliæ quæ se tartaro per accidens associavere superfluitates tinctæ sunt coloribus, diversæ etiam sunt ac variæ tartarorum species. Alias enim id, quod pro vero ac utili tartaro haberi debet, ea qua paulò post sum demonstraturus ratione, per & in se ipso semper albicat. Non minor est etiam disparitas ratione quantitatis ut & qualitatum & quidem passivarum, quod omne cuilibet in arte exercitato artifici satis sufficienterque cognitum.

Optimum autem tartarum ab omnibus tam Medicis quam Chymicis unanimi consensu habetur illud, quod continua serie coagulatum dolii lateribus aut fundi ejusdem in longitudinem protensum adhærescit, maximè est ponderosum, duritieque sua non cedit lapidi, ab eaque, qua vinum

num tangit parte, plurimis apicibus adamantis instar acuminatū splendet, quodque confractum, non apparet instar spongiæ porosum aut terra refertum, sed substantia sua est solidissimum, contrita etiam minutissima ejusdem particula ex tempore certæ similis candescit. Has notas habent omnia illa, quæ à vinis Rhenanis colliguntur tartara, quæ etiam cæteris, quando crudis uti voluerimus, longè præferenda.

CAP. V.

De tartari crudi utilitate ac qualitatibus in Medicina.

TArtaro hoc non solum aurifabri, vitriarii Veneti sive crystallopœæ, serici item tinctores aliique artifices mechanici pro cujusque artificio diversimodè utuntur, verum etiam maxima ejusdem est in medicina utilitas, unumq; est ex illis medicaminibus, quæ diversis donata sunt qualitatibus contrariosque habent effectus. Nam quoad subtilem, acidiusculam ac penetrativam, quæ in ipso latet, substantiam, non multum dissimile est frigidæ & siccæ qualitati, ut & subtiliari optimi ac purissimi aceti, qua linguam aridam recreat, sitim à causa calida excitatam restinguit, fervorem ac ebullitionem bilis reprimit, appetitum revocat, dolores vētriculi sedat, viscidos, tenaces ac mucilaginosos humores attenuat ac resolvit, interiorum viscerū obstructiones reserat, aliosque producit effectus aceto familiares. Deinde ratione qualitatum calidarum ac incisoriæ salis, quæ in aciditate tartari latitat, acrimoniæ, obseratos in corpore à materia frigida exortos flatus, non solum melius discutit, verum etiam omnis generis crudos tartareosve humores incidit, & alio quovis medicamine felicius ac commodius blandissime educit. Hæcque est causa, cur plurimi e dogmaticis Medicis hoc tartarum ita extollant, idq; lenientibus ad acuendam eorundem energiam stimuli loco felicissime successu admisceant, cujus rei exempla habemus in Pharmacopœa Augustana, ubi longo usu ac experientia comprobatus reperitur pulvis sennæ, præparatus Montagnanæ, inibique à Medicis Augustanis descriptum ac multis nominibus recommendatum tartarum. Tartarum verò hoc excellens etiam ac utile esse purgans medicamentum, præter alia exempla, meo idipsum proprio sanctè attestari ac affirmare possum. Cum enim in juventute mea per quinquennium passione colica multoties miserrimè discruciarer, nullisque medicamentis alias maximè juvantibus ab eadem liberari ac curari possem, singulari cujusdam magnarum qualitatum patria Lucensis in Italia senis consilio ℥vj. subtilissimè pulverisati crudi tartari assumebam, cujus effectus, aliorum omnium ante assumptorum purgantium longè erant excellentiores. Hoc enim assumpto in longum & quidem inconsuetum tempus cessabant acerrimi cruciatus, redeuntibus verò iisdem, reiterando hujus usum, immunem à tantis ærumnis per biennium vivebam vitam. Ast aliquando ad perstrenuum vocatus virum Dn. Zachariam Geizkoffern / Equitem auratum, & S. R. I. ab ærario p. m. podagra in arce sua Haunsheim laborantem, multò

multo atrocius quam hactenus unquam cum prædictis doloribus torquerer, tentatis aliquot, quæ ad manus erant, tàm internè quàm externè, sed frustrà, remediis, recordabar usus mei tartari, ac tum temporis offerebatur quippiam tartari à vino Ungarico separati, cujus, non consideratâ ejusdem impuritate, nec quam habet, cùm vino Rhenano longa disparitate, ex tempore prædictam dosin cum brodio carnis absque ullo alio additamento assumebam, quo satis benignè aliquot vicibus sum motus, materiaque peccans exoptatè expulsa, ita quidem, ut ab acutissimis hisce doloribus plenariè liberatus, nihil amplius de tantis cruciatibus viginti nunc sex annis perceperim, & divina gratia ab eo tempore satis placidè vixerim. Quam mihi factam alleviationem, meo quidem judicio, ascribo remotioni causæ per tartarum factæ, quia tantas passiones à viscosa, tartarea ac frigida in intestinis collecta, ac iis tenacissimè adhærente materia progenitas certò credebam, quam materiam tartarum præmemorata sua qualitate resolutam ac attenuatam, eliminavit, quod aliis medicamentis fuerat impossibile, ut ita remota ex fundamento causa materiali, remotum etiam sit exinde natum accidens. In hisce & aliis morbis à prædictis causis ac flatibus ortis, plurimis ejusdem usum consuli ægrotis, laudandosque semper, quos præstitit, sum expertus effectus, nihilque quod remorari usum ejusdem possit, invenio, nisi quod fortè delicatulis ac nauseabundis molesta sit nimia ejus dosis, assumendum enim, quando absque ullo alio additamento ac stimulo, verè purgantis munere fungi debet ab ℥ß. ad ʒvj. & ℥j.

Optandum itaque esset, ut purgans ejusdem facultas in minorem reduci posset quantitatem. Hactenus autem exoptatam adire non licitum fuit Corinthium, aliis etiam præclusum invenio aditum.

Quorum etiam aut avaritia aut dura paupertas in pretiosa medicamina impendere nummos prohibet, his conveniens ac utilis præparari potest potiuncula purgans hunc in modum:

℞. fol. sen. s. st. ℥ß.
Sem. anisi ʒj.
Tartari crudi pulverisf. ʒiij.

coq. in s. q. aquæ, colaturæ adde parum sacchari ad conciliandam gratiam.

Hanc potionem ægrotus manè quatuor ante prandium horis ebibat calidam. Ingredientium etiam dosis pro ægrotorum purgandorum diversitate augeri minuive potest.

Potiuncula hæc omnes adustos, tenaces, viscosos, cujuscunque etiam sint naturæ, nocivos humores per alvum clementissimè educit, hepar & lien obstructa liberat, urinam pellit, omnesque flatulentas materias potentissimè discutit. Externus ejus usus singularis etiam est in tumoribus phisodiribus sive flatulentis, & ædematosis, quos, si aliis calidis convenientibus permixtum applicetur, valentissimè discutit & absumit. Ex his itaque videre licet, tartarum hoc non iam vile, ut quidam stolidè sibi imaginantur, sed nobile esse corpus ac pretiosum, in quo perpulchræ sanè inferius manifestandæ qualitates occultentur.

CAP.

CAP. VI.

De purificatione tartari Rhenani.

TArtarum Chymici, (qui utilem rerum curiosè rimantur ac quærunt nucleum, ac exinde medicamenta simplicia ab impuritatibus, quibus è matris suæ gremio referta prodeunt, maximâ sedulitate ac studio liberant, utileque ab inutili segregant,) quod è scriptis illorum, ubi de tam multis ac variis substantiarum tartari præparationibus egêre, manifestum est, nullo modo oblivione præterierunt.

Ejus autem purificatio variis perficitur modis. Aliquibus enim placet ac arridet hæc conficiendi ratio. Tartarum crudum crasso modo contusum aquâ simplici aliquoties lavant, deinde adjectâ aquâ fontanâ limpidissimâ in vase figulino vitreato vel lebete æneo intus stanno obducto, horæ unius spatio sensim ac sensim ebullire sinunt, & remoto ab igne lebete frigidiori loco exponunt, supercrescentem glaciei instar cuticulam ligulâ collectam exsiccant. Coitionem hanc tam diu repetunt, quam diu cuticulam supereminere vident, quæ per se exsiccanda atque ad usum reservanda, sicque præparatum tartarum dicitur cremor tartari. Alii decoctum tartari ferventissimum in vas figulinum purissimum, cujus in medio bacilli in forma crucis sint firmati, effundunt, aerique frigido exponunt, donec pars tartari crystallorum instar bacillis immissis adhærescat, quos ab ipsis separant, & crystallos tartari nominant. Qui verò crystallos hosce magnos satis ac candidos, (processus enim sunt varii ac multiplices,) præparare ritè noverit, is summum se invenisse arcanum existimat.

Videatur licet ratione formæ externæ inter hæc duo aliqua esse differentia, neutrum tamen præ altero ratione naturæ ac efficaciæ aliquam habet prærogativam, sed ratione essentiæ unum sunt & idem, nihilq; aliud, quàm purificatum & à crassa sua terrestreitate liberatum tartarum, non verò talia corpora, ut Chymicorum quidam falsò sunt opinati, quæ diversæ essent à tartaro productæ substantiæ, cùm tamen pura tartari substantia totaliter in hanc formam redigi possit. Cum verò processus hujusmodi sint nimis prolixi ac tædiosi valdè, eosdem relinquendo, ad scopum rei propositum ipsam scilicet purificationem me converto, eandemque principaliter observo, sequorque alium non solùm multò faciliorem, sed meliorem etiam processum, qui talis.

Purificatio tartari.

Tartari optimi, candidissimi Rhenani vel alterius etiam sumitur q. placet, reduciturque in subtilissimũ cribro trajiciendum pulverẽ, huic aquæ calidæ bona affunditur quantitas, agitatur spatulâ ligneâ, & donec in totum refrixerit, (ne de aciditate quid pereat,) in aere relinquitur frigido. Dehinc glutinosa materia, quæ sub illa natat, simul effunditur. Lotio hæc ter, quater vel pluries repetenda, donec tartarum arenæ instar purum ac subtile appareat. Quâ lotione præmissa tartarum in mundam projicitur diotam, affunditur aqua ferventissima, agiturque ut supra optimè spatula lignea,

ligneâ ficque pars tartari in illa liquefcet ac diffolvetur, aciduumque aqua acquiret faporem? Hoc peracto ad manus fint duæ, tres vel plures, pro percolandæ materiæ quantitate, manicæ Hippocratis, quæ fupra vafis figulinis optimè vitreatis collocandæ, per quas ferventiffima aciditate tartari impragnata aqua ex tempore trajicienda, & fi forè à principio illa fubcitrina tranfeat, ex vafe fubitò effundenda ac rurfus percolanda, donec per manicam five colatorium mucilagine tartari obftructum pura ac cryftalli inftar pellucida perfluat, quæ colatura ad finem ufque ut nihil amplius aquæ fuperfit, continuanda. Repleto etiam uno vafe frigidoque expofito aeri, aliud in locum fubftituatur, & fi aqua hæc acidiufcula à tartaro per inclinationem fequeftrata, tota fuerit trajecta, alia, refiduo tartaro (quæ actu calens in promptu fit) iterum affundatur, agitetur, & fi paululum quieta fteterit, per manicam Hippocratis ad reliquam percoletur, hicque proceffus tantifper reiterandus, donec omne tartarũ in diota ab aqua calida fit diffolutum, confumptum & colo trajectum, nihilque nifi arena omni carens aciditate ac prorfus irrefolubilis reftiter, quod exinde etiam nomino tartarum aienofum. Hoc proceffu habebis tartarum acidum, verum & ut decet purum per manicam Hippocratis colatum.

In hac præparatione autem duo veniunt obfervanda. 1. Ut folutio fiat aquâ ferventiffimâ, & quidem, quantum poffibile, celerrimè percoletur. 2. Si colatoria, ut liquor non confertim fed guttatim tantum tranfeat, fint nimium obftructa, illa fervente aquâ in peculiari aliqua diota à tartaro ac mucilagine funt liberanda ac mundificanda, priftinoq; labori, quàm diu iisdem indiguerimus, accommodanda. Si itaque percolata aqua tartaro impragnata verè refrixerit, candidiffimus cremor non folum fupernatabit, verum etiam bona fplendefcentis materiæ pars congelatæ inftar nivis in fundo refidere videbitur. De hac prædictus cremor, ubi feorfim eundem colligere cuipiam placeat, primum feparetur. Sin minus, fpatulâ leviter remotus cremor cum materia in fundo refidente colligitur, dein aquâ purâ ab iisdem fegregata, materia albicans colatorio lineo, ut refidua aqua guttatim tranfeat, inditur, vel manibus expreffa, fuper puro ac fubtili linteo vel papyro ratiffimè difperfa Solis vel fornacis calore exficcatur. Hoc proceffu ritè obfervato, candidiffimum ac optimè depuratum, iisdem etiam prorfus, quibus alia maximum laborem requirentia tartara, virtutibus ac qualitatibus præditum habebis tartarum, cujus plus quadraginta dierum fpatio poteris præparare. Imò, quod majus eft, fi tartaro hoc purificato fub forma cremoris vel oblongiufculorum cryftallinorum lapillorum delecteris, breviffimis horis in hanc, quæ juvat, formam tranfmutari idem ac redigi poteft, hocque commodius, quàm tartarum crudum. Cùm verò formulæ hæ parum ad rhombum faciant, ac ipfum etiam tartarum cryftallifatum, nifi prius fubtiliffimè fuerit contritum ac pulverifatum, difficilimè in aquis, decoctis aut infufionibus poffit diffolvi, ideoque vanam hanc curiofitatem relinquens, prædictum purificatum tartarum fuper porphyrite vel in morta-

mortario marmoreo tam diu, ut subtilissimum ac candidissimum cerussæ instar Venetæ evadat, contero, quod ad usum in vitris reconditum asservo, hancque exinde colligo utilitatem, quod illud in omnibus calefactis liquoribus sacchari instar facilime dissolvatur, nec ulteriori pulverisatione indigeat.

Quid acidum tartari?

PRæparato hoc tartaro nomen impono acidi tartari præparati, vel tartarum id voco depuratum, quia qualitatibus suis ac probationibus igne peractis crudo tartaro respondet, nec aliud est hic discrimen, quam ipsa (ut ita cum artificibus loqui liceat, qualis cum saccharo fit,) refinatio sive purificatio. Omne namque saccharum sive purum sit sive impurum, primum sacchari nomen retinet, cognomentumque solum refinitum à non refinito distinguit saccharo.

Tandem deniq; hîc etiam observandum, quod si forte tartarum semel percolatum in fundo residens præter spem ac voluntatem non satis esset candidum, pro secundo illud aqua prius ferventissima dissolutum summo studio esse percolandum, tunc habebitur purissimum ac candidissimum, hæcque purificatio breviori quam prior absolvitur tempore, vel etiam tartaro si subtilis aliqua flava insimul cum ipso transiens associata esset materia, quod ex flavo aquæ colore, quæ semper, colatorium arctissimæ licet sit texturæ, talis apparet, videre licet, huic vitio ita occurrendum: Tartaro crudo pulverisato, loco aquæ simplicis (ut supra) affunditur lixivium forte ex cineribus sc. clavellatis, vel alio viliori tartaro adusto, materia probe agitatur ac per integrum diem ita servatur, postea nigrum illud lixivium cum impuritatibus decantatur, tartarumque frigida aliquoties eluitur, ac, ut supradictum, proceditur. Hocque modo tartarum candidissimum ab omnibus impuritatibus fit liberum & immune.

CAP. VII.

De tartari rubri, aliorumque purificatione.

CUm non quælibet tellus ferat quodlibet, nec ubiq; locorum ejusdem cum rhenano qualitatis reperiantur tartara, ideoque, quo iisdem succurri possit artificio, sciendum.

De tartaro ideoque rubro præcipue vero illo, quod ex Italia ad nos defertur, ac à vere rubro vel potius rubido vino segregatur, viliorisque est pretii ac tinctoribus maxime usitatum, scias, hoc ipsum præ reliquis omnibus in candidissimum redigi arte posse acidum tartarum. Cum vero vina rubella aliis magis sint terrestria, neq; fortassis tam cito à fecibus suis segregentur ut rhenana, ideoq; in hujusmodi tartaris plurimum mucilaginis ac terrestreitatis, parum vero, ut in rhenanis, inveniri potest. Nihilominus tamen hoc ipsum albedine, virtutibus ac qualitatibus rhenano ne latum quidem unguem cedit.

Depuratio ejus, eo modo, quo superiori capite indicatum, fieri solet, id solum observandum, crebrioribus aquæ simplicis, remoto lixivio, lotionibus à nimia sua impuritate, mucilagine ac subtili terrestreitate, quoad tartarum rubicundæ arenæ instar remaneat, esse purificandum, à quo deinde candidissime splendens, subtile, acidiusculum ac tartarum gratum separari possit. Si

vero præter hoc ab aliis etiam impurorum tartarorum generibus puri quippiam ad usum etiam hominum conducibile speramus, illa prius, ut dictum, ad obtinendum scopum, lixivio sunt solvenda. Hique optimi ac certissimi modi sunt ac processus, quibus celerrime omnis generis tartara purificari recte ac refiniri possunt.

CAP. VIII.

De qualitatibus ac utilitatibus acidi tartari.

Tartari purificati qualitates conveniunt in genere cum crudi, quarum supra mentionem fecimus, qualitatibus, soaque illud ab hoc puritate differt, majorique subtilitate ac in operando fortitudine, utrorque ejus, si præsertim crudum exquisite pulchrum deficiat, solet esse usus, experientiaque sum edoctus tartarum utrumq; tam album quam rubrum, modo eadem, ut dictum, rite sint purificata, æqualium esse virtutum æqualiumve operationum, nec, quod à rubro provenit, magis astringere, quam quod ab albo, hocq; informationis ergo illis dictum volo, qui de hoc ipso plurimum dubitant.

Virtutes vero ac utilitates hujus medicaminis, omnibus Medicis jam tum notissimæ, sunt excellentes, inservitque contra omnes obstructiones hepatis, lienis, mesenterii, renum aliarumque partium, stimuliq; loco simplicibus leniter purgantibus, ut foliis senæ, rhabarbaro, mechoacannæ, cassiæ &c. ut supra de Essentiis purgantium & alibi monui, additur, & quod singularem in eo laudem meretur, corpus non calefacit ejusque qualitates ita sunt temperatæ, ut usus illius tam in calidis, quam frigidis sit commodus ac tutus affectibus.

Dosis & usus acidi tartari.

Dosis ejus est à ʒß. ad ʒj. pro necessaria constitutionum corporum aliarumque circumstantiarum exigentia; exhibetur in aquis destillatis, brodio carnium decoctis, infusionibus, prius vero calefactis, dissolutum. Misceri etiam pro arbitrio Medici potest cum conservis, electuariis & pulveribus, concinnati ex eodem etiam possunt morsuli, quorum exemplum hic apposuimus.

Confectio diatartari simplex.

℞. Sacchari albissimi ℥viij.
Acidi tartari præparati ℥ij.
Elæosacch. de corticibus limon. ʒß.
Aq. rosarum q. f. F. L. A. morsuli in hunc subsequentem modum.

Saccharum subtilissime pulverisatum cum mucilagine tragacanthi aqua rosarum extracta, admixtis tartaro ac Elæosaccharo P. L. A. morsuli per se in pura charta siccandi: Hoc modo sapor olei limonum fortior remanet, quam si Elæosaccharum calefacto admisceatur saccharo ante morsulorum confectionem, quod superior processus innuit. Melior enim ac subtilior olei limonum pars calore sacchari ab igne semoti absumitur.

Elæosaccharum de corticibus limonum nihil aliud est, quam subtilissime pulverisatum saccharum oleo de corticibus limonum stillatitio q. s. inebriatum ac ad usum reservatum. Harum autem ex omnibus subtilibus aromaticis oleis conficiendarum mixturarum modum, cum annexa commoditatis causa, in mea vegetabilium Essentiarum anatomia docui.

Morsuli hi gratiosa sua aciditate, ac si ex recentissime expresso limonum succo essent

essent factæ, gustui sunt gratissimæ. In febribus acutis, ardentibus & malignis sitim ægrotantium restinguunt, cor & ventriculum roborant, humorum malignitati ac putredini resistunt, vomitum nimium compescunt, appetitum excitant, aliasque præstant utilitates, quarum variis in meis scriptis de acido tartari mentionem feci ad oculumq; demonstravi.

De his morsulis frustellum aliquod tam diu, donec totum sit consumptum in ore teneatur, idq; toties, quoties, in febribus præsertim acutis ac malignis necessitas postulaverit, repetatur. In morbis autem chronicis ad referanda membra principalia & præparandos ad expulsionem tenaces humores aliosq; usus similes, ægrotus manè jejuno stomacho eorundem deglutiat ℥j vel ℥ij. superbibendo brodium gallinæ recens vel carnis arietinæ, inprimis quando medicamini per angustos est transeundum hypochondriorum meatus, ac tenaces sunt dissolvendi humores.

Acidum tartari chalybeatum.

℞. Acidi tartari præparati ℥iiij.

Magisterii chalybis vitriol. ℥ij.

Magisterium in ℥ij. aq. fumariæ dissolvendum, ac in mortario vitreo cum acido tartari in forma massæ incorporandum, ac ut ante incorporationem fuerat, acidum tartari pulverisandum, additoque pro aromatizatione cinamomi oleo, totus absolvitur labor.

Vires: Dosin & Usum cum cautelis vide inferius in spagyrico autoris thesauro, ubi hæc ipsa prolixè invenies tradita sect. I. n. 3.

Quid sit Magisterium chalybis vitriolatum;

Magisterium hoc chalybis vitriolatum est coloris viridiusculi, ex chalybe refinito sive optime repurgato ac spiritu vitrioli per solutionem ac coagulationem rectificari, arte spagyrica præparatum medicamentum, quod præter fortem saporem, singularem etiam quandam in se habet dulcedinem.

Aloedarium Tartaro-violatum.

℞. Aloes lucidæ optimæ grosso modo pulverisatæ ℔j, dissolve in ℔iij infusi violati de tribus, ut in anatomia mea vegetabilium Essentiarum docui, & per pannum laneum in scutellam figulinam optime vitreatam (cavendo, ne quid in panno, nisi parum arenæ, quod interdum commixtum cernitur, relinquatur:) calidum exprimitur. Hæc materia, fac in B. roris evaporet ad consistentiam picis navalis, dein addita præparati acidi tartari ℔ß. pistillo ligneo tam diu agita, donec materia justam acquisiverit consistentiam pilularis massæ, & cum refrixerit, adde ℈j. Elæosacchari, cinamomi recentis, servaque ad usum.

Vires.

Hæ pilulæ omnibus iis affectibus sunt conducibiles, quibus aloes violata vel Balsamus aloes fertur utilis. Ratione autem tartari, pro incidendis tenacibus, lentis ac crassis humoribus, iisque educendis fortioris ac penetrarivæ magis sunt qualitatis, blandissimeque suam operationem perficiunt.

Dosis & usus.

Hæc massa datur à ℈j. ad ℨj. secundum proportionatam humorum purgandorum quantitatem & copiam, ac ut aliis pilulis, iisdem utimur.

Diatartarum purgans.

℞. Fol. Sen. mundat. ℥ij.
Rhabarb. selectiss. ℥j.
Aq. fumariæ ℥xx.

Refundantur in vase vitreo benè clauso in Balneo Mariæ modicè calente per horas vj. coletur postea, & addantur

Sacchari refinit. ℥v.
Pulpæ cassiæ recent. extr. ℥iij.
Essent. prunorum Damasc. ℥ij.
Rad. polypod. q. recent. ʒvj.
Violar. cœrul.
Rosar. rubr. ana ℥ß.
Glycyrrhizæ ʒij.
Acidi tartari præpar. ℥ij.
Elæosacchar. anisi ʒj. F. L. A. El.

Vires.

Electuarium hoc pro educendis nocivis humoribus, tartareisque & renacibus è ventriculo, hepate, liene vicinarumque partium eliminandis materiebus certissimum ac blandissimum est medicamen.

Dosis.

Datur ab ℥ß. ad ʒvj. & ʒj. in appropriatis liquoribus pro arbitrio Medici dissolutum. In casu etiam necessitatis, ubi fortiora purgantia necessario requiruntur, electuarium hoc resina scammonii, Essentia turpethi, colocynthidis vel aliis elective purgantibus specifice humoribus evacuandis accommodatis, pro lubitu Medici, acui potest.

Pulvis phlegmagogus.

℞. Acidi tartari præparati.
Hermodactyl. mundat. ana ℥j.
Turpethi albi mundi ʒvj.
Resinæ scammon. ʒij.
Elæosacch. Caryophyl. ℈j.
F. pulvis s. a.

Vires.

Pulvis hic omnis generis phlegmata ac serositates expurgat, inprimis vero singularis ejus usus est contra apoplexiam, epilepsiam, catarrhos, dolores arthriticos, ut chiragram, ischiadem, Gonagram, Podagram, morbum gallicum aliosque affectus; qui Catholicis indigent purgantibus, pulvisque hic absque omnibus ventris torminibus secessum blandissime movet.

Dosis & usus.

Fortioribus communiter exhibetur ʒj. debilioribus facilimæque alvi hominibus vero minus. Offertur tempore matutino cum brodio carnis calido, decocto hordei vel etiam, præsertim vero iis, qui temperamenti sunt frigidi ac phlegmaticæ constitutionis, cum potiuncula vini. Quibus vero ob peculiarem quandam viscerum intemperiem calidam scil. & siccam, vel nimium hepatis calorem, hoc & similia alia purgantia calida & sicca in forma pulveris exhibita in ipsis viis remorantur, iis, præter hunc pulverem ℥j. ad ℥ij. Syr. viol. vel mannæ calabr. in brodio carnis dissolutæ, aut ipse pulvis conf. ros. incarnatarum mixtus deglutiendus exhibeatur. Hujusmodi enim humectantia in his similibusq; constitutionibus mirum in modum medicamenti hujus promovent operationem.

Pulvis Hydragogus.

℞. Acidi tartari præpar. ℥ij.
Guttæ gummi more meo depur. ℥j.
Mastich.
Spicæ indic. ana ʒiiß.
Elæosacch. sem. ceref. ʒj. M.

Vires

Vires.

Pulvis hic omnis generis serosas aquositates cum euphoria educit, pellit urinam, conclusos discutit flatus, primario autem conducit hydropi, tympanitidi, tumoribus externarum partium œdematosis aliisque è serosa colluvie pro natis ægritudinibus.

Dosis. Datur hujus pulveris ℈j. ʒß. & ad summum ℈ij. in appropriatis vehiculis vel in forma Electuarii, potionis aut quacunque, pro cujusque beneplacito, forma alia, hac tamen observata cautela, ut accommodato tempore, præparata scilicet ad eductionem materia, id fiat.

De præparatione gummi guttæ egi in anatomia mea Essentiarum Vegetabilium.

Passulæ purgantes cum tartaro.

℞. Fol. Sen. orient. mundat. ℥ij.
Aq. agrimon. ℔j. ℥iv.

F. infusio in vase vitreo bene clauso s. a. colaturæ adde

Passular. Corinth. mundat. & lotar. ℥iiij.
Sacchari albi ℥ij.
Acidi tartari ʒvj.

Passulæ in expresso succo ad turgescentiam lente coquantur, exemptæ dein in patina terrea reponantur, restitans vero liquor cum saccharo ad Syrupi consistentiam coquatur, superque passulis fundatur, qua facta affusione, acidum tartari subtilissime instar farinæ tritum admisceatur, additis etiam 15. guttulis olei anisi stillatitii in vitro conservis alias destinato, summo studio asservetur.

Vires.

Passulæ hæ corpus ab omnibus noxiis crassisque humiditatibus in ventriculo, circumjacentibusque partibus stabulantibus absque ulla molestia liberant, internas etiam hepatis, lienis, aliarumque partium obstructiones reserant, flatus discutiunt, ureteres purificant, securissimus insuper, propter effectus, quos in infantibus præstant, eorundem est usus. Inprimis verò excellens sunt medicina iis, quibus conclusa est alvus, unde evaporationes calidæ, capitis dolores aliaque innumera sæpe sæpius exoriri solent symptomata. Maximè etiam conducibiles sunt pro solvenda ac humectanda ægrorum alvo in lue venerea, sudoriferis eliminanda.

Dosis & usus.

Dosis harum passularum est cochleare unum, plus minus, pro ratione assumentis, paulò ante prandium. Hoc siquidem tempore felicius, quàm alio operantur, ac plerumque tam spumantes ventosas cruditates quàm alias tartareas materias expellunt, quibus expulsis ægroti, præsertim verò hypochondriaci gravissima ventosorum symptomatum sarcinâ se liberatos sentiunt.

Pulvis Diatartari stomachalis.

℞. Acidi tartari præparati ℥ij.
Fæculæ Aronis.
Rad. pimpinel. Hircin. ana ℥j.
Elæosacchari cinamomi ʒß.

Radices pimpinellæ densæ satis, ab omni impuritate liberæ, singularique studio exsiccatæ, subtilissimè pulverisatæ ac per cribrum trajectæ requiruntur. Ac tunc omnia secundum præscriptam dosin per-

Diatartarum purgans.

℞. Fol. Sen. mundat. ℥ij.
Rhabarb. selectiss. ℥j.
Aq. fumariæ ℥xx.

Refundantur in vase vitreo benè clauso in Balneo Mariæ modicè calente per horas vj. coletur postea, & addantur
Sacchari refinit. ℥v.
Pulpæ cassiæ recent. extr. ℥iij.
Essent. prunorum Damasc. ℥ij.
Rad. polypod. q. recent. ʒvj.
Violar. cœrul.
Rosar. rubr. ana ℥ß.
Glycyrrhizæ ʒij.
Acidi tartari præpar. ℥ij.
Elæosacchar. anisi ʒj. F. L. A. El.

Vires.

Electuarium hoc pro educendis nocivis humoribus, tartareisque & tenacibus è ventriculo, hepate, liene vicinarumque partium eliminandis materiebus certissimum ac blandissimum est medicamen.

Dosis.

Datur ab ℥ß. ad ʒvj. & ʒj. in appropriatis liquoribus pro arbitrio Medici dissolutum. In casu etiam necessitatis, ubi fortiora purgantia necessario requiruntur, electuarium hoc resina scammonii, Essentia turpethi, colocynthidis vel aliis elective purgantibus specifice humoribus evacuandis accommodatis, pro lubitu Medici, acui potest.

Pulvis phlegmagogus.

℞. Acidi tartari præparati.
Hermodactyl. mundat. ana ℥j.
Turpethi albi mundi ʒvj.
Resinæ scammon. ʒij.
Elæosacch. Caryophyl. ℈j.
F. pulvis s. a.

Vires.

Pulvis hic omnis generis phlegmata ac serositates expurgat, inprimis vero singularis ejus usus est contra apoplexiam, epilepsiam, catarrhos, dolores arthriticos, ut chiragram, ischiadem, Gonagram, Podagram, morbum gallicum aliosque affectus; qui Catholicis indigent purgantibus, pulvisque hic absque omnibus ventris torminibus secessum blandissime movet.

Dosis & usus.

Fortioribus communiter exhibetur ʒj. debilioribus facilimæque alvi hominibus vero minus. Offertur tempore matutino cum brodio carnis calido, decocto hordei vel etiam, præsertim vero iis, qui temperamenti sunt frigidi ac phlegmaticæ constitutionis, cum potiuncula vini. Quibus vero ob peculiarem quandam viscerum intemperiem calidam scil. & siccam, vel nimium hepatis calorem, hoc & similia alia purgantia calida & sicca in forma pulveris exhibita in ipsis viis remorantur, iis, præter hunc pulverem ℥j. ad ℥ij. Syr. viol. vel mannæ calabr. in brodio carnis dissolutæ, aut ipse pulvis conf. rof. incarnatatum mixtus deglutiendus exhibeatur, Hujusmodi enim humectantia in his similibusq; constitutionibus mirum in modum medicamenti hujus promovent operationem.

Pulvis Hydragogus.

℞. Acidi tartari præpar. ℥ij.
Guttæ gummi more meo depur. ʒj.
Mastich.
Spicæ indic. ana ʒiiß.
Elæosacch. sem. ceref. ʒj. M.

Vires

Vires.

Pulvis hic omnis generis serosas aquositates cum euphoria educit, pellit urinam, conclusos discutit flatus, primario autem conducit hydropi, tympanitidi, tumoribus externarum partium œdematosis aliisque è serosa colluvie pro naris ægritudinibus.

Dosis. Datur hujus pulveris ℈j. ʒß. & ad summum ℈ij. in appropriatis vehiculis vel in forma Electuarii, potionis aut quacunque, pro cujusque beneplacito, forma alia, hac tamen observata cautela, ut accommodato tempore, præparata scilicet ad eductionem materia, id fiat.

De præparatione gummi guttæ egi in anatomia mea Essentiarum Vegetabilium.

Passulæ purgantes cum tartaro.

℞. Fol. Sen. orient. mundat. ℥ij.
Aq. agrimon. ℔j. ℥iv.
F. infusio in vase vitreo bene clauso f. a. colaturæ adde
Passulat. Corinth. mundat. & lotar. ℥iiij.
Sacchari albi ℥ij.
Acidi tartari ʒvj.

Passulæ in expresso succo ad turgescentiam lente coquantur, exemptæ dein in patina terrea reponantur, restitans vero liquor cum saccharo ad Syrupi consistentiam coquatur, superque passulis fundatur, qua facta affusione, acidum tartari subtilissime instar farinæ tritum admisceatur, additis etiam 15. guttulis olei anisi stillatitii in vitro conservis alias destinato, summo studio asservetur.

Vires.

Passulæ hæ corpus ab omnibus noxiis crassisque humiditatibus in ventriculo, circumjacentibusque partibus stabulantibus absque ulla molestia liberant, internas etiam hepatis, lienis, aliarumque partium obstructiones reserant, flatus discutiunt, ureteres purificant, securissimus insuper, propter effectus, quos in infantibus præstant, eorundem est usus. Inprimis verò excellens sunt medicina iis, quibus conclusa est alvus, unde evaporationes calidæ, capitis dolores aliaque innumera sæpe sæpius exoriri solent symptomata. Maximè etiam conducibiles sunt pro solvenda ac humectanda ægrotorum alvo in lue venerea, sudoriferis eliminanda.

Dosis & usus.

Dosis harum passularum est cochleare unum, plus minus, pro ratione assumentis, paulò ante prandium. Hoc siquidem tempore felicius, quàm alio operantur, ac plerumque tam spumantes ventosas cruditates quàm alias tartareas materias expellunt, quibus expulsis ægroti, præsertim verò hypochondriaci gravissima ventosorum symptomatum sarcinâ se liberatos sentiunt.

Pulvis Diatartari stomachalis.

℞. Acidi tartari præparati ℥j.
Fæculæ Aronis.
Rad. pimpinel. Hircin. ana ℥j.
Elæosacchari cinamomi ʒß.

Radices pimpinellæ densæ satis, ab omni impuritate liberæ, singularique studio exsiccatæ, subtilissimè pulverisatæ ac per cribrum trajectæ requiruntur. Ac tunc omnia secundum præscriptam dosin

Diatartarum purgans.

℞. Fol. Sen. mundat. ℥ij.
Rhabarb. selectiss. ℥j.
Aq. fumariæ ℥xx.

Refundantur in vase vitreo bene clauso in Balneo Mariæ modicè calente per horas vj. coletur postea, & addantur

Sacchari refinit. ℥v.
Pulpæ cassiæ recent. extr. ℥iij.
Essent. prunorum Damasc. ℥ij.
Rad. polypod. q. recent. ʒvj.
Violar. cœrul.
Rosar. rubr. ana ℥ß.
Glycyrrhizæ ʒij.
Acidi tartari præpar. ℥ij.
Elæosacchar. anisi ʒj. F. L. A. El.

Vires.

Electuarium hoc pro educendis nocivis humoribus, tartareisque & tenacibus è ventriculo, hepate, liene vicinarumque partium eliminandis materiebus certissimum ac blandissimum est medicamen.

Dosis.

Datur ab ℥ß. ad ʒvj. & ℥j. in appropriatis liquoribus pro arbitrio Medici dissolutum. In casu etiam necessitatis, ubi fortiora purgantia necessario requiruntur, electuarium hoc resina scammonii, Essentia turpethi, colocynthidis vel aliis electivè purgantibus specifice humoribus evacuandis accommodatis, pro lubitu Medici, acui potest.

Pulvis phlegmagogus.

℞. Acidi tartari præparati.
Hermodactyl. mundat. ana ℥j.
Turpethi albi mundi ʒvj.
Resinæ scammon. ʒij.
Elæosacch. Caryophyl. ℈j.
F. pulvis s. a.

Vires.

Pulvis hic omnis generis phlegmata ac serositates expurgat, inprimis vero singularis ejus usus est contra apoplexiam, epilepsiam, catarrhos, dolores arthriticos, ut chiragram, ischiadem, Gonagram, Podagram, morbum gallicum aliosque affectus; qui Catholicis indigent purgantibus, pulvisque hic absque omnibus ventris torminibus secessum blandissime movet.

Dosis & usus.

Fortioribus communiter exhibetur ʒj. debilioribus facilimæque alvi hominibus vero minus. Offertur tempore matutino cum brodio carnis calido, decocto hordei vel etiam, præsertim vero iis, qui temperamenti sunt frigidi ac phlegmaticæ constitutionis, cum potiuncula vini. Quibus vero ob peculiarem quandam viscerum intemperiem calidam scil. & siccam, vel nimium hepatis calorem, hoc & similia alia purgantia calida & sicca in forma pulveris exhibita in ipsis viis remorantur, iis, præter hunc pulverem ℥j. ad ℥ij. Syr. viol. vel mannæ calabr. in brodio carnis dissolutæ, aut ipse pulvis conf. rosf. incarnatarum mixtus deglutiendus exhibeatur. Hujusmodi enim humectantia in his similibusq; constitutionibus mirum in modum medicamenti hujus promovent operationem.

Pulvis Hydragogus.

℞. Acidi tartari præpar. ℥ij.
Guttæ gummi more meo depur. ℥j.
Mastich.
Spicæ indic. ana ʒiiß.
Elæosacch. sem. ceref. ʒj. M.

Vires

Vires.

Pulvis hic omnis generis serosas aquositates cum euphoria educit, pellit urinam, conclusos discutit flatus, primario autem conducit hydropi, tympanitidi, tumoribus externarum partium œdematosis aliisque è serosa colluvie pro natis ægritudinibus.

Dosis. Datur hujus pulveris ℈j. ʒß. & ad summum ℈ij. in appropriatis vehiculis vel in forma Electuarii, potionis aut quacunque, pro cujusque beneplacito, forma alia, hac tamen observata cautela, ut accommodato tempore, præparata scilicet ad eductionem materia, id fiat.

De præparatione gummi guttæ egi in anatomia mea Essentiarum Vegetabilium.

Passulæ purgantes cum tartaro.

℞. Fol. Sen. orient. mundat. ℥ij.
Aq. agrimon. ℔j. ℥iv.
F. infusio in vase vitreo bene clauso s. a. colaturæ adde
Passular. Corinth. mundat. & lotar. ℥iiij.
Sacchari albi ℥ij.
Acidi tartari ʒvj.

Passulæ in expresso succo ad turgescentiam lente coquantur, exemptæ dein in patina terrea reponantur, restitans vero liquor cum saccharo ad Syrupi consistentiam coquatur, superque passulis fundatur, qua facta affusione, acidum tartari subtilissime instar farinæ tritum admisceatur, additis etiam 15. guttulis olei anisi stillatitii in vitro conservis alias destinato, summo studio asservetur.

Vires.

Passulæ hæ corpus ab omnibus noxiis crassisque humiditatibus in ventriculo, circumjacentibusque partibus stabulantibus absque ulla molestia liberant, internas etiam hepatis, lienis, aliarumque partium obstructiones reserant, flatus discutiunt, ureteres purificant, securissimus insuper, propter effectus, quos in infantibus præstant, eorundem est usus. Inprimis verò excellens sunt medicina iis, quibus conclusa est alvus, unde evaporationes calidæ, capitis dolores aliaque innumera sæpe sæpius exoriri solent symptomata. Maximè etiam conducibiles sunt pro solvenda ac humectanda ægrotorum alvo in lue venerea, sudoriferis eliminanda.

Dosis & usus.

Dosis harum passularum est cochleare unum, plus minus, pro ratione assumentis, paulò ante prandium. Hoc siquidem tempore felicius, quàm alio operantur, ac plerumque tam spumantes ventosas cruditates quàm alias tartareas materias expellunt, quibus expulsis ægroti, præsertim verò hypochondriaci gravissima ventosorum symptomatum sarcinâ se liberatos sentiunt.

Pulvis Diatartari stomachalis.

℞. Acidi tartari præparati ℥ij.
Fæculæ Aronis.
Rad. pimpinel. Hircin. ana ℥j.
Elæosacchari cinamomi ʒß.

Radices pimpinellæ densæ satis, ab omni impuritate liberæ, singularique studio exsiccatæ, subtilissimè pulverisatæ ac per cribrum trajectæ requiruntur. Ac tunc omnia secundum præscriptam dosin

Diatartarum purgans.

℞. Fol. Sen. mundat. ℥ij.
Rhabarb. selectiss. ℥j.
Aq. fumariæ ℥xx.

Refundantur in vase vitreo benè clauso in Balneo Mariæ modicè calente per horas vj. coletur postea, & addantur

Sacchari refinit. ℥v.
Pulpæ cassiæ recenr. extr. ℥iij.
Essent. prunorum Damasc. ℥ij.
Rad. polypod. q. recent. ʒvj.
Violar. cœrul.
Rosar. rubr. ana ℥ß.
Glycyrrhizæ ʒij.
Acidi tartari præpar. ℥ij.
Elæosacchar. anisi ʒj. F. L. A. El.

Vires.

Electuarium hoc pro educendis nocivis humoribus, tartareisque & tenacibus è ventriculo, hepate, liene vicinarumque partium eliminandis materiebus certissimum ac blandissimum est medicamen.

Dosis.

Datur ab ℥ß. ad ʒvj. & ʒj. in appropriatis liquoribus pro arbitrio Medici dissolutum. In casu etiam necessitatis, ubi fortiora purgantia necessario requiruntur, electuarium hoc resina scammonii, Essentia turpethi, colocynthidis vel aliis elective purgantibus specifice humoribus evacuandis accommodatis, pro lubitu Medici, acui potest.

Pulvis phlegmagogus.

℞. Acidi tartari præparati.
Hermodactyl. mundat. ana ℥j.
Turpethi albi mundi ʒvj.
Resinæ scammon. ʒij.
Elæosacch. Caryophyl. ℈j.
F. pulvis s. a.

Vires.

Pulvis hic omnis generis phlegmata ac serositates expurgat, inprimis vero singularis ejus usus est contra apoplexiam, epilepsiam, catarrhos, dolores arthriticos, ut chiragram, ischiadem, Gonagram, Podagram, morbum gallicum aliosque affectus; qui Catholicis indigent purgantibus, pulvisque hic absque omnibus ventris torminibus secessum blandissime movet.

Dosis & usus.

Fortioribus communiter exhibetur ʒj. debilioribus facilimæque alvi hominibus vero minus. Offertur tempore matutino cum brodio carnis calido, decocto hordei vel etiam, præsertim vero iis, qui temperamenti sunt frigidi ac phlegmaticæ constitutionis, cum potiuncula vini. Quibus vero ob peculiarem quandam viscerum intemperiem calidam scil. & siccam, vel nimium hepatis calorem, hoc & similia alia purgantia calida & sicca in forma pulveris exhibita in ipsis viis remorantur, iis, præter hunc pulverem ʒj. ad ʒij. Syr. viol. vel mannæ calabr. in brodio carnis dissolutæ, aut ipse pulvis conf. ros. incarnatarum mixtus deglutiendus exhibeatur. Hujusmodi enim humectantia in his similibusq; constitutionibus mirum in modum medicamenti hujus promovent operationem.

Pulvis Hydragogus.

℞. Acidi tartari præpar. ʒij.
Guttæ gummi more meo depur. ʒj.
Mastich.
Spicæ indic. ana ʒiiß.
Elæosacch. sem. ceref. ʒj. M.

Vires

Vires.

Pulvis hic omnis generis serosas aquositates cum euphoria educit, pellit urinam, conclusos discutit flatus, primario autem conducit hydropi, tympanitidi, tumoribus externarum partium œdematosis aliisque è serosa colluvie pro natis ægritudinibus.

Dosis. Datur hujus pulveris ℈j. ʒß. & ad summum ℈ij. in appropriatis vehiculis vel in forma Electuarii, potionis aut quacunque, pro cujusque beneplacito; forma alia, hac tamen observata cautela, ut accommodato tempore, præparata scilicet ad eductionem materia, id fiat.

De præparatione gummi guttæ egi in anatomia mea Essentiarum Vegetabilium.

Passulæ purgantes cum tartaro.

℞. Fol. Sen. orient. mundat. ℥ij.
Aq. agrimon. ℔j. ℥iv.
F. infusio in vase vitreo bene clauso s. a. colaturæ adde
Passular. Corinth. mundat. & lotar. ℥iiij.
Sacchari albi ℥ij.
Acidi tartari ʒvj.

Passulæ in expresso succo ad turgescentiam lente coquantur, exemptæ dein in patina terrea reponantur, restitans vero liquor cum saccharo ad Syrupi consistentiam coquatur, superque passulis fundatur, qua facta affusione, acidum tartari subtilissime instar farinæ tritum admisceatur, additis etiam 15. guttulis olei anisi stillatitii in vitro conservis alias destinato, summo studio asservetur.

Vires.

Passulæ hæ corpus ab omnibus noxiis crassisque humiditatibus in ventriculo, circumjacentibusque partibus stabulantibus absque ulla molestia liberant, internas etiam hepatis, lienis, aliarumque partium obstructiones reserant, flatus discutiunt, ureteres purificant, securissimus insuper, propter effectus, quos in infantibus præstant, eorundem est usus. Inprimis verò excellens sunt medicina iis, quibus conclusa est alvus, unde evaporationes calidæ, capitis dolores aliaque innumera sæpe sæpius exoriri solent symptomata. Maximè etiam conducibiles sunt pro solvenda ac humectanda ægrotorum alvo in lue venerea, sudoriferis eliminanda.

Dosis & usus.

Dosis harum passularum est cochleare unum, plus minus, pro ratione assumentis, paulò ante prandium. Hoc siquidem tempore felicius, quàm alio operantur, ac plerumque tam spumantes ventosas cruditates quàm alias tartareas materias expellunt, quibus expulsis ægroti, præsertim verò hypochondriaci gravissima ventosorum symptomatum sarcinâ se liberatos sentiunt.

Pulvis Diatartari stomachalis.

℞. Acidi tartari præparati ℥j.
Fæculæ Aronis.
Rad. pimpinel. Hircin. ana ℥j.
Elæosacchari cinamomi ʒß.

Radices pimpinellæ densæ satis, ab omni impuritate liberæ, singularique studio exsiccatæ, subtilissimè pulverisatæ ac per cribrum trajectæ requiruntur. Ac tunc omnia secundum præscriptam dosin

Vires.

Pulvis hic omnis generis serosas aquositates cum euphoria educit, pellit urinam, conclusos discutit flatus, primario autem conducit hydropi, tympanitidi, tumoribus externarum partium œdematosis aliisque è serosa colluvie pro natis ægritudinibus.

Dosis. Datur hujus pulveris ℈j. ʒß. & ad summum ℈ij. in appropriatis vehiculis vel in forma Electuarii, potionis aut quacunque, pro cujusque beneplacito, forma alia, hac tamen observata cautela, ut accommodato tempore, præparata scilicet ad eductionem materia, id fiat.

De præparatione gummi guttæ egi in anatomia mea Essentiarum Vegetabilium.

Passulæ purgantes cum tartaro.

℞. Fol. Sen. orient. mundat. ℥ij.
Aq. agrimon. ℔j. ℥iv.
F. infusio in vase vitreo bene clauso s. a. colaturæ adde
Passular. Corinth. mundat. & lotar. ℥iiij.
Sacchari albi ℥ij.
Acidi tartari ʒvj.

Passulæ in expresso succo ad turgescentiam lente coquantur, exemptæ dein in patina terrea reponantur, restitans vero liquor cum saccharo ad Syrupi consistentiam coquatur, superque passulis fundatur, qua facta affusione, acidum tartati subtilissime instar farinæ tritum admisceatur, additis etiam 15. guttulis olei anisi stillatitii in vitro conservis alias destinato, summo studio asservetur.

Vires.

Passulæ hæ corpus ab omnibus noxiis crassisque humiditatibus in ventriculo, circumjacentibusque partibus stabulantibus absque ulla molestia liberant, internas etiam hepatis, lienis, aliarumque partium obstructiones reserant, flatus discutiunt, ureteres purificant, securissimus insuper, propter effectus, quos in infantibus præstant, eorundem est usus. Inprimis verò excellens sunt medicina iis, quibus conclusa est alvus, unde evaporationes calidæ, capitis dolores aliaque innumera sæpe sæpius exoriri solent symptomata. Maximè etiam conducibiles sunt pro solvenda ac humectanda ægrotorum alvo in lue venerea, sudoriferis eliminanda.

Dosis & usus.

Dosis harum passularum est cochleare unum, plus minus, pro ratione assumentis, paulò ante prandium. Hoc siquidem tempore felicius, quàm alio operantur, ac plerumque tam spumantes ventosas cruditates quàm alias tartareas materias expellunt, quibus expulsis ægroti, præsertim verò hypochondriaci gravissima ventosorum symptomatum sarcinâ se liberatos sentiunt.

Pulvis Diatartari stomachalis.

℞. Acidi tartari præparati ℥ij.
Fæculæ Aronis.
Rad. pimpinel. Hircin. ana ℥j.
Elæosacchari cinamomi ʒß.

Radices pimpinellæ densæ satis, ab omni impuritate liberæ, singularique studio exsiccatæ, subtilissimè pulverisatæ ac per cribrum trajectæ requiruntur. Ac tunc omnia secundum præscriptam dosin per-

permiſcentur, leviter in mortario vitreo agitantur & in vitro optime prius cooperto ad uſum ſervantur.

Vires.

Compoſitio hæc, licet propter ingredientium paucitatem primo intuitu vilis admodum & nullius videatur momenti, ſcopo tamen, cujus gratia eſt inventa, tam æquè eſt conveniens ac ſalutaris, quam aliud quodpiam multis conſtans ingredientibus medicamentum ſtomachicum: lenta enim, tenacia, viſcoſa frigidaque in pectore, ventriculo aliisque locis hærentia phlegmata incidit, reſolvit, obſtructaque exinde membra reſerat, refrigeratum ventriculum calefacit ejusdemque ut & laterum ventoſitates abſumit, poſtratumque à frigida cauſa appetitum revocat, ventriculique coctionem adjuvat ac promovet, inq; curandis aliis morbis iisque inveteratis, ut cuilibet prudenti Medico id ſatis eſt perſpectum, ſumme utilis ejusdem eſt uſus.

Doſis & uſus.

Pulveris hujus tempore matutino exhibetur ℈j. vel ad ſummum ʒj. cum vino, brodio carnis calido, vel calida cereviſia & pro cujuslibet lubitu parum poteſt addi ſacchari. Ex hoc ipſo etiam eo, qui ſubſequitur modo, concinnari poſſunt morſuli.

℞. Pulv. diatartari præſcripti ʒvj.
Sacchari albiſſimi ℥iij.

Aq. roſ. opt. q. ſ. f. l. a. confectio in morſulis, qui etiam fieri poſſunt cum tragacantho, eodem, quo ſupra de conf. diatart. ſimpl. dictum, modo. Horum ſingulis mane ſumitur unus vel duo, ac tamdiu eorundem uſus continuatur, quam diu hunc ipſum neceſſitas expoſtulaverit; eodem etiam in forma opiatæ vel electuarii uti fruique licitum; ut:

Electuarium Diatartari ſtomachale.

℞. Pulpæ cydon. cond.
Myrobalan. cond.
Conſ. roſ. rub. ana ℥ij.
Cort. arant. cond.
Zinzib. Chinen. ana ℥j.

Contundantur in mortario lapideo & trajiciantur per ſetaceum, deinde cum ſacchari fini ℥iij. & Aq. roſ. q. ſ. coquantur ad conſiſtentiam Electuarii: adde

Pulv. diatartari ſtomach. ʒxviij.
Elæoſacch. menthæ criſp. ℈j. M.

Vires.

Electuarium hoc excellentiſſima eſt pro ventriculo, ad eundem cum pulvere collimans ſcopum, medicina.

Doſis & uſus.

Omni mane nucis moſchatæ quantitate jejuno ſtomacho unica vice aſſumitur.

Plurimis aliis etiam modis tartarum in uſum poteſt venire medicum, brevitatis vero ſtudio hæc ſufficiant.

CAP. IX.

De ſeparandis per ignem tartari ſubſtantiis, & cujuslibet harum utilitate.

TRiplices præcipue de tartaro ſeparantur per ignem ſubſtantiæ, 1. Acidum phlegma, quod hic nomino ſpiritum. 2. Oleum. 3. Sal, ſeparaturque ſequenti modo.

Pro hiſce elaborandis Chymici plerum-

rumque utuntur tartaro crudo, cum vero hoc multis ſcateat cruditatibus ac impuritatibus, ideoque nec ſumptibus parco, nec laboribus, ſed ita procedo: Tres recipio libras tartari depurati, (hoc eſt, acidum tartari nondum quidem ſubtiliter levigatum nihilominus tamen probe depuratum ac candidiſſimum, quod ſuperior proceſſus prolixe ſatis edocet :) has per retortam vitream ſatis capacem deſtillo in arena ſubtus & ad latera duos transverſos digitos denſa, appoſitoque excipulo ignem per gradus lente guberno, ita tamen, ut cum retorta materia inſimul aliquo modo incaleſcat, ac deſtillare incipiat: primum itaque ignis ſi caute ſatis tractetur, ne tartarum empyreuma redoleat, extillabit acidum phlegma, deinde augetur ignis, uſque dum nebula prodeat ſicca, hocque in gradu tamdiu perſiſtitur, donec nulla amplius humiditas exeat, tandem adactis ignis gradibus admixto oleo tam in collo retortæ quam in ipſo etiam receptaculo denſa magis apparebit nebula, hic tandem labor tam diu eſt continuandus, donec tam oleum quam nebula extillare ceſſent. Quibus peractis, inſtrumentisque refrigeratis oleum ab aqueo liquore beneficio chartæ & filtrationis ſeparatum chartæ adhæreſcet. Utraque hæc ſubſtantia valde eſt turbida graviſſimique odoris, illiusque ratione ſeorſim ſunt rectificanda.

Prædictus itaque liquor, illud ipſum eſt, quod Chymici ſpiritum tartari nominant, & meo quidem judicio non alia de cauſa, quam quia inter deſtillandum denſa & in receptaculo circumvolitante nebula comitatur, quæ non ab ipſa aquoſa ſubſtantia, ſed ab oleo potius & aliqua in retorta reſidui uſtulati corporis parte, tam quam denſæ ac fuliginoſæ hujus nebulæ cauſis, dependet, unde etiam abſque dubio aqueæ ſubſtantiæ acrimonia ac penetrans provenit qualitas. Quod enim omnibus expertis Chymicis eſt notiſſimum, omnium ſubſtantiarum ſulphurearum fuligo ſalinam quandam ac acrem ſibi ſemper habet aſſociatam qualitatem. Hæc ſive ita ſint, ſive non, hunc nihilominus liquorem præmemorato nomine indigitare mihi placuit.

Rectificatio ſpiritus tartari.

Rectificatio ſpiritus tartari, qua ab impuritate ac tetro odore liberatur, licet ſit multiplex, communiſſimus tamen modus eſt, ut ex Balneo Mariæ tertia vel quarta vice vaſa deſtillationi inſervientia ob adhæreſcentem gravem ſaporem optime ſemper lixivio forti prius eluendo, ſpiritus deſtilletur, & guttulæ aliquot olei forte ſupernatantes, ſumma cura ſeparentur. Hac ratione ſpiritus reddetur ſatis clarus ad uſumque tutus & accommodus.

Rectificatio olei tartari.

Cum nigrum chartæ, ut dictum, in filtratione adhærens oleum ſuos etiam in medicina habeat uſus, ideoque pari ratione etiam rectificatur: Affunditur oleo huic magna aquæ fontanæ quantitas, ac per Balneum Mariæ deſtillatur, primum prodibit colore citrino, poſtea vero ſubmiſſiori, reſidua vero materia cum quadam aquæ particula empyreuma recipit. Hoc oleum ab aqua ſeparatum ac in-

instrumentis, ut supra etiam dictum probe elutis, addita aqua alia fragrante, illa inprimis, quæ post olei ligni rhodii destillationem relinquitur, tanquam huic negotio maxime utili, tertia vel quarta destillatione rectificatur. Quantum enim mihi cognitum, vel olei hujus vel spiritus, ut gravis eorundem per destillationem acquisitus odor totus periret, impossibilis prorsus esset alias rectificatio. In residuo capite mortuo latitans sal tartari ita extrahendum. Calcinatur caput mortuum in fornace figulina ad colorem cineritium, & ferventissima aqua fontana elixiviatur, hocque lixivium ubi clare decantatum in Balneo Mariæ in humiliori cucurbita vel phiala exhalaverit, sal tartari siccum remanebit in vitro seorsim asservandum.

Vires & usus spiritus tartari simplicis.

Prædictus tartari spiritus habet in se egregias qualitates, salinas, quibus incidit, penetrat, attenuat, aperit, resolvit, discutit & purificat, nec sibi è hydroticis par habet. Permeat enim spiritualiter universum corpus, membrorumque internorum principalium, ut & venarum obstructiones aperit, totius corporis habitum ab omni immunditie ac subtilibus superfluitatibus per sudorem & urinam reddit immunem. Ideoque pro curandis hydrope, tympanitide, arthritide, paralysi, ictero, scorbuto, lue venerea, impetigine, scabie, aliisque cutis impuritatibus, ut etiam in contractura artuum, ex materia flatulenta, humorali ac fluida, non vero tartarea coagulata & in articulis fixa orta contractura, præter usualia purgantia & alia, quæ methodus medendi in curandis hisce morbis, requirit, tam interna quam externa medicamina, est ex optimis, certissimis & in qualitatibus suis maxime innocuis, quæ in rerum natura huic scopo utiles inveniri vel arte præparari possunt, spiritus hic primaria medicina, reliquisque omnibus prævalet.

Dosis.

Propinatur in aquis destillatis appropriatis vel brodiis carnium, vino, decoctis aut infusis pro judicio Medici à ℈j. ad ℥j. plus minus, pro ratione substantiarum, reiteraturque toties, quoties ejusdem usum repetierit necessitas.

Spiritus tartari compositus sive theriacalis.

℞. Spir. tart. simplicis.
Aq. vitæ juniperinæ ana ℔ijß.
Theriac. Andromach. opt. ℥iiij.
Camphoræ resin. ℥ß.
Ol. rad. carlinæ.
rad. per asit.
rad. angelic. ana ℥ß.

Camphora primum & olea cum theriaca in mortario optime mixta, in cucurbita satis ampla, ac, ne quid expiret, probe clausa, superfusis spiritibus lentissimo ignis calore per octiduum digeruntur. Dein liquor hic ad siccam theriacæ in fundo remanentiam in Balneo Mariæ destillatur: Spiritui vero egresso permiscetur ℥ß. spiritus nitri correcti, tingiturque ℥ß. croci orientalis, & optime ad usum reservatur.

In hac destillatione observandum, si forte

si fortè pingue quippiam instar olei supernataverit, à liquore illud non esse separandum, sed relinquendum ac usus tempore cum ipso liquore vitrum circumagitandum.

Per aquam vitæ juniperinam rectificatam nihil aliud hîc subintelligo, quam è recentibus baccis juniperinis cum malta Hordeacea prius l.a. fermentatis, & dehinc destillatis elicitum spiritum, eundemque, ut depositâ humiditate remaneat spiritus ardens, optimè rectificatum.

Per spiritum autem nitri correctum volo fortissimum ac ardentissimum illum spiritum, quem plurimi sapientissimi etiam artifices politicis ducti rationibus, alii verò rudi inscitâ ac cæcâ ratione seducti rejiciunt ac improbant, illeque ex liquefacto nitro cum bolo armeno impastato destillatur, & deinde per Balneum Mariæ igne lento cum eadem spiritus vini Cretici vel Hispanici puri secundâ vice destillati ac rectificati quantitate permiscetur.

Vires.

Spiritus hic procurandis febribus pestilentibus, malignis ac contagiosis, conveniente tempore ac occasione talia alexiteria requirentibus diaphoretica, excellentissimè est utile alexiterium. Totum namque corpus humanum penetrat, malignitatemque à corde semotam potentissimè per commoda emunctoria expellit, eamque multò efficacius, quàm alia hujus generis solent alexipharmaca.

Dosis.

Exhibetur robustissimis acutissimisq; in morbis, cum aquis cardui benedicti, rutæ caprariæ, scorzoneræ vel aliis liquoribus appropriatis à ℈j. ad ʒj. Ejusque usus, quoad morbi malignitas fuerit devicta, bis vel ter reiterandus.

De viribus ac usu olei tartari rectificati.

Sunt nonnulli, qui hujus olei guttas aliquot exhibitas ad dolores colicos, stranguriam, dysuriam, aliaque è flatibus orta symptomata, ut etiam uteri strangulatum maximè dicant utile. Eo hactenus nunquam sum usus, nec aliis id utendum præscripsi, attamen, quia alias oleum succini ut & alia ex gummatibus elicita balsama, quæ non minus quam hoc calidæ nimium ac penetrantis qualitatis sunt participia, gravissimoque ac maximè ingrato nares feriunt odore, summo judicio ritè exhibita nihil nocent, similiter etiam oleum hoc tartari, quod tamen ex nullo deleterio subjecto destillatum fuit, tuto probari posse, existimo.

Oleum hoc tartari quia cutis poros efficacissimè aperiẽdo sudores promovet, ejus itaque usus maximè est commodus externè, si scilicet unguentis ad scabiem aut luem veneream admisceatur. Non minori etiam cum fructu adjungitur emplastris duros callosòsque tumores dissolventibus. Ex eodem etiam ipso egregium paratur unguentum contra chiragram ac podagram tumorosam, si scilicet nodosi tumores à materia pituitosa coagulata frigida articulis impacti hæreant: ℞. verò

Ol. tartari rectificati.

Gum. elemi per vesicam destillati,

Axungiæ vulpis ana ℥j.
Ceræ flavæ ℥vj.

Hæc ingredientia, ne olea exhalent lentissimo ignis calore in forma unguenti permixta in vitro optimè obturato in loco frigido deponuntur ac asservantur. Hoc unguento illinuntur tamdiu quam fuerit necessarium, tumefacti articuli.

De utilitatibus salis tartari.

Hoc sal acre est ac calidum, quo tamen vetustius, eò fit clementius. Rarissimus usus ejus est internus, nisi quod nonnulli eo tanquam arcano specifico in aqua dissoluto pro extrahendis ex tempore foliorum senæ & rhabarbari essentiis utantur, de qua extractione judicium meum in anatomia essentiarum vegetabiliũ sectione de purgantibus, tuli. Non contrariabor equidem, hujus salis, si de eo ipso sit sermo, per se sumpto ac considerato, in larga satis quantitate accommodo stimulo ac additamento, internè præsertim linctibus & potiunculis tenax, viscosum ac frigidum phlegma incidentibus ac resolventibus additi, ut aliorum etiam è vegetabilibus præparatorum salium, tutum satis esse usum posse.

Sal tartari vitriolatum.

Aliâs ex sale hoc & spiritu vitrioli mixtis conficitur aliqua mixtura, sal tartari vitriolatum indigitata, in hunc, qui subsequitur modum. ℞. Salis tartari albissimi q. pl. dissoluto in s. q. aquæ fontanæ limpidæ superfunde parum spiritus vitrioli rectificati, liquor ex tempore ebullire incipiet vitrum egressurus, vitrum itaque huic labori destinatum satis sit amplum necesse est. Hâc sopitâ pugnâ, rursus aliquid spiritus vitrioli affunditur, liquor parum agitatur cerraminique finis imponitur. Labor hic aliquoties reiterandus, donec finito omnimodè prælio, acidus satis sapor trophæum deportaverit: his ita peractis liquor in balneo roris in patente scutella ad remanentiam candidissimi sicci pulveris exhalet, quod sal tartari est vitriolatum.

Sal hoc discutit, dissolvit, exsiccat, roborat & ratione suæ, quam à spiritu vitrioli habet, aciditatis etiam astringit, hisque observatis probè qualitatibus, facilimè Medicus, quibus à se curandis rectâ ratione & methodo affectibus esse utile possit, colligere poterit. Exhibitum etiam commodis ac appropriatis vehiculis sudorem promovet. Esse verò hoc ipsum, ut aliqui Chymiatri autumant, aliquod universale præparans, veritati haud est consentaneum. Ut enim corporum constitutiones materiæque peccantes ratione suæ essentiæ ac qualitatũ diversissimæ sunt, ita etiam diversa requirunt, quod methodus medendi rationalis nos clarè docet, præparantia. Plurimum itaque hallucinantur ii, qui hoc sale in hunc finem & inprimis in intemperie sicca & asperitatibus, quæ levigantia potius & humectantia, quam exsiccantia ac incidentia, (qualia & alia hujus generis sunt salia,) requirunt medicamina, utuntur.

Oleum tartari ejusque usus.

Si præterea sal tartari angusto, acuminato ac flavescenti lineo sacculo inclusum,

ſum, & in cella ſuppoſito vitro ſuſpenſum aliquandiu relinquatur, in pulchrè albicantem liquorem, qui ſub digitis pinguedinis inſtar levis apparebit, diſſolvetur, haecque ob cauſam à pluriimisOleum tartari nominatur,licet per & in ſe ipſo oleum revetâ non ſit,vel ut alia olea flammam concipiat, nihil enim eſt aliud, quam ſal tartari humiditate aëris in cella impiægnatum ac in liquorem diſſolutum. Crebrior ejus uſus externus quam internus, in abſumendis ſcilicet ſpongioſis carnis,aliisque in ulceribus inveteratis excreſcentiis ſive hyperſarcoſibus, eademque mundificandis ac firmandis. Summè etiam eſt utile admixtum epithematibus vel emplaſtris tam in forma liquida quam ſolida, tumoribus aquoſis adhibitis, hoc ſiquidem ſal validiſſimè ſiccat, diſſolvit ac diſcutit. Cuti exoptabilem conciliat nitorem, eandemque levigat ac purificat, quamobrem ſexui muliebri, in extirpanda præcipue faciei, colli ac manuum impetigine, maximo eſt in uſu, maximo etiam cum fructu permiſcetur aquis ac unguentis ad ſcabiem à craſſo phlegmate ortam. Ubi verò ſalſi, ſeroſi ac ſubtiles, ut in ulceribus diu manantibus ac ſerpentibus videre licet, humores dominantur, in illis omnimodè eſt ab hoc abſtinendum, quia eoſdem reddit acriores, ac hujuſmodi in ulceribus calorem maximè detrimentoſum adauget, doloremque ſubminiſtrat acerbiorem. Plus etiam damni quàm utilitatis ejuſdem ferre uſus poteſt, dum mulierum conſtitutionis plethoricæ tenerrimæque cutis facies faciunt excandeſcere, rubras excitant puſtulas. Pro univerſali itaque præparativo uti eo non poſſumus.

Maximus alias hujus liquoris, ut & ipſius ſalis, antequam in forma liquoris fuerit diſſolutum, in multis operationibus Chymicis, præſertim verò, ubi aliqua metalla, cum ſuis corroſivis prius diſſoluta, veniunt præcipitanda, ut commodius dehinc, quando ſub forma pulveris fundum petierint, à liquore ſeparari poſſint, ut in auro & chalybe præſertim videre licet, uſus eſt. Hoc etiam ſale quidam coralla & perlas deſtillato aceto prius diſſolutas, præcipitàre ſolent. Sal enim tartari, ſive ſiccum ſive diſſolutum perlis & coralliis additum, illa candidiſſimi inſtar pulveris ad fundum præcipitare facit, quem multâ aquâ poſtea edulcoratum ratione ſuæ ſubtilitatis magni faciunt. Quando verò, meâ quidem opinione, hæc ita conſequendæ inprimis ſubtilitatis gratia peraguntur, exiſtimo ego melius fore, ſi corallia & perlæ, aquâ aliquâ deſtillatâ ſuper lapide porphyrio, (ut Pharmacopœæ hactenus ſunt ſoliti,) optimè trita in ejuſmodi ſubtilis pulveris formam redigerentur, quam ſi pro ſubtiliſandis his ipſis aceto deſtillato & ſale tartari uteremur, de quibus in coralliis & perlis ſemper aliquid hærere ſolet, ut ita mutato illorum naturali temperamento,conformem cum nudè tritis operationē edere haud poſſint, quod in aphoriſmis meis chymiatricis ſedulò monui. Quod ſi magiſteria hæc pro acquiſitarum in ſolutione & præcipitatione qualitatum ratione aliis ſcopis quiſpiam deſtinaverit, liberum id eſto Medico, qui iiſdem pro diſcretione ac judicio uti ſcit ac didicit. Tandem denique ſal tartari ingreditur etiam mixturam vaſorum vitreorum cryſtallinorum,eodemque utuntur tincto-

tes aliique artifices mechanici, de quibus hic ulterior dicendi locus non eſt.

TARTAROLOGIAE
SECTIO II.
CAP. I.

Quomodo ex quolibet vino, vinique aceto, ſit extrahendum acidum tartarum.

CUm hactenus de tartaro externo, quod vinum in ſua defœcatione deponit, doliisque adhæreſcit, prolixè ſatis egerim: Nunc, quâ ratione è vino, aceto, aliiſque vegetabilium ſuccis peculiaria ſua eſſentialiter latentia tartara extrahi poſſint ac ſeparari, aliquot exemplis docebo. Ut itaque à vino cui merito inter hæc primus debetur locus, exordiar, ejus tartarum extrahitur ſubſequente modo. ℞. Duas aut plures cujuſcunque etiam id conditionis, ſive clarum ſit & pellucidum, ſive vetuſtum aut tantum, quantum poſſibilis, depoſuerit tartari copiam, vini menſuras, illas in cucurbita vitrea cum alembico optimè clauſo pone in Balneo Mariæ deſtillandas, cucurbita fac in principio ut lentiſſimo calore ſenſim incaleſcat, oblongiuſculi & humidi radii tunc in alembico & recipiente ſudoris è corpore manantis inſtar apparebunt, quibus apparentibus ſubitò incipiet deſtillare ac prodire ardens vini ſubſtantia. Hic ignis gradus tamdiu eſt continuandus, donec in totum prædicti radii evanuerint, illudque, quod deſtillatione fuit elicitum, igne candelæ tentatum non amplius ardeat, ſed aqueum vaporem ipſam candelam interdum etiam extinguentem, de ſe emittat. Separato itaque vini ſpiritu, ſi ſubtilis nimium exoptetur, ut ſuperflua humiditas abſumatur, ſecundo vel tertio rectificari poteſt. Remanens verò, poſt deſtillatum ſpiritum, vinum, corpus eſt ſine anima, in quo virium ac ſubtilium qualitatum parum cernitur reliquum. Itaque, niſi fortè ad alios quoſdam uſus reſiduam humiditatem quiſpiam deſtillare velit, remoto alembico gradus ignis ad ebullitionem balnei augeatur, quo remanens liquor ad remanentiam quartæ menſuræ partis, evaporet, refrigerato verò balneo & cucurbitâ inde exemptâ, in ejusdem fundo tartarum vini oblongiuſculorum cryſtallorum inſtar concretum repetietur, qui lapilli ſive cryſtalli ſeparandi, frigidâque aquâ abluendi, ſiccandi & ad uſum aſſervandi.

Hoc verò tartarum eadem ipſa eſt materia, quæ à plurimis Chymicis ſal vini cryſtallinum fuit nominata, ac non ſolùm prolixos nimium proceſſus de eodem comparando edidêre, verùm etiam nonneminem conati ſunt perſuadere, hos vini cryſtallos ſubtiliſſimo cum vini ſpiritu mixtos verum auri ſolvendi, pro præparando auro potabili eſſe menſtruum, cùm tamen experientia doceat, cryſtallos hoſce in ſpiritu vini non omnimodè diſſolvi. Licet enim colore citrino à ſale hoc tingatur, hæc tinctura tamen aliunde non provenit, niſi à ſulphure vel oleo prædicti tartari, ſalina quia ſubſtantia, in qua ſolventem qualitatem deliteſcere ajunt, ſpiritui vini non communicatur, ſed in ipſo corpore remanet. Notiſſimum inſuper eſt, nec ſpiri-

ſpiritum vini, nec tartarum vini, nec etiam ſeparatum ſal tartari aurum ullo modo aggredi, diſſolvere aut alterare poſſe, niſi prius ab aliquibus mineralibus ſalinis ſpiritibus attenuatum fuerit & præparatum: quod tamen horum trium modo enarratorum, ſuperfuſorum ſcilicet, alteratorum alioque coloretinctorum viribus ac qualitatibus non, ſed ſpiritibus mineralibus ipſi auro incorporatis, aſcribendum. Spiritus enim hi à ſpiritu vini, tartaro aut ejusdem ſale excitati, & illis ipſis coadunati, colore eadem tingunt citrino vel aureo, quam poſtea tincturam Chymicorum aliqui aurum potabile verum, eſſentiam vel tincturam auri vocitare non erubeſcunt, cum tamen aurum ſemper tale maneat, ejusdem etiam tam exigua portio in hoc liquore ſubſiſtat, ut facile ab eodem ſeparari priſtinumque in auri ſtatum reduci poſſit. Hinc itaque hi & alii ſimiles Chymicorum proceſſus veram & genuinam auri ſolutionem certò nobis pollicentes, dulciſſima apparent ſomnia meræque vanitatum videntur eſſe vanitates. Etiamſi enim horum permixtione utilia magiſteria & medicamenta in Medicina maximè conducibilia, quod ego non negavero, præparari poſſint, certiſſimum tamen eſt, aurum, quàm ſubtiliſſimè etiam attenuatum, aut qualitercunque transformatum, ſemper ſuam, quâ à natura præditum eſt, retinere fixitatem, quod in ſcriptis meis Chymicis abundè demonſtravi, offeraturque mihi, qualecunque etiam ſit aurum potabile, vel aliquod aliud ex auro, à ſubtiliſſimis etiam artificibus præparatum medicamen, breviſſimo tamen horarum ſpatio aurum rurſus ſeparabo, ac in priſtinam formam id reducam. Probè tamen hîc notandum, hujuſmodi medicamentum verè & realiter auri eſſe particeps, nec nudum aliquem ac purum liquorem, vel aliquam ſuper auro quidem fuſam, nihil tamẽ ab eo abſtrahentem ſubſtantiam, aut aliam quampiam ſub auri potabilis vero nomine vendibilem materiam, cujus impoſturæ plurima adduci poſſunt exempla. Quod enim aurum non eſt, id neque ego nec alius quiſpiam in aurum verum ac reale mutare poterimus, quam etiam impoſſibilitatem maximo ſuo damno multa millia tam magnatum quàm plebeiorum ſunt experta, experiuntur quotidie illam ipſam quàm plurimi.

Tartarum aceti.

Ex aceto vini pulchrum elicitur etiam ſubſequenti modo tartarum. ℞. Duas vel tres aceti vini rubri vel albi menſuras, deſtillentur in cucurbita vitrea per Balneum Mariæ ad tertiam partem, & deſtillatus liquor alicujus licet ſit adhuc acrimoniæ particeps, nihilominus tamen aquea paucarum virium eſt aceti pars ſeorſim aſſervanda, reliquum verò, (quod conficiendis ac præparandis è lapidibus ac aliis etiam mineralibus magiſteriis eſt commodum,) tamdiu deſtillatur, quoad groſſus aliquis liquor remaneat, in quo refrigerato tartarum videre licet, hoc tartarum ſimiliter, ut tartarum vini, ſeparandum, eluendum ac purificandum. Hoc verò ſolum volo intellectũ de aceto vini, cum acetum cereviſiæ, hydromelitis aut ſacchari hujusmodi tartara non deponat.

Damascenarum sive Zibebarum ℔iij. vel iiij. (hæ siquidem omnium cêlentur à Medicis optimæ,) superfunde ad superemimentiam digiti aquam tepidam, quam super iisdem donec turgescere incœperint, relinque. Deinde per setaceum, ad remanentiam cuticularum sive folliculorum & acinorum ligneo cochleari easdem trajice, percribratam materiam in s.q. aquæ dissolutam, & cum proportinata albuminis ovi quantitate s.a. coctam, cola; quâ percolatâ, perpulchrè clarus, in se uvarum essentiam continens prodibit liquor. Hic liquor scutella vitrea satis capaci lento calore ad remanentiam tertiæ partis exhalet, qua in loco frigido per triduum aut quatriduum optimè asservatâ, in fundo scutellæ pulcherrimum acidum tartarum pro tuo arbitrio separandum ac reponendum, invenies. Residua materia fac ad consistentiam mellis evaporet, cujus dulcedine ac aureo quo tincta apparebit substantia colore, summè delectaberis, eâdemque in casu necessitatis uti poteris. Quod si superior separatio tartari non arriserit, subito post clarificationem in principio in prædictam reduci potest consistentiam. Hæc est vera passularum essentia, ab aliquibus, ratione coloris ac conservationis, quibus melli est similis, mel passularum vocata, cujus usus in Medicina esse potest varius. Possunt etiam passulæ coqui, illarumque ut quidã solent, substantia extrahi, sed quoniam coctione ex acinis uvarum ac folliculis peculiaris quædam astringens extrahitur qualitas, hunc modum relinquens approbo priorem, expertus enim hâc ratione uvarum essentiam magis fieri gratam ac dulciorem, longè etiam ejusdem cum lenientibus medicamentis mixtæ, commodiorem esse usum. Quod tamen, hoc licet in tractatu de extractione essentiarum nihil agendum præsumpserim, cum id alibi fecerim, ad finem hujus capituli ad demonstrandum in uvis passis latitans tartarum, & quid ex residua, segregato tartaro, materia fieri possit, explicare ac indicare placuit.

CAP. III.

De extrahendo è tamarindis & moris tartaro.

Tamarindi ex peregrinis ad nos translati terris omnibus Medicis notissimi sunt fructus, de quorum qualitatibus, utilitatibus, utendiq; modo in anatomia mea essentiarum vegetabilium, ut etiam in appendice de mixturis præp. prolixè scripsi. Hi præ aliis fructibus refertissimi sunt acido tartaro, quod ita extrahendum.

E. G. ℞. Tamarindorum permixtione prunorum acidorum aut aliorum similium non adulteratorum ℔ij. carnosam eorundem substantiam in tribus mensuris aquæ remotis strigmentis, digitis contritam, cum duobus aut tribus ovi albuminibus s. a. clarifica, liquor in se quidem ipso satis clarus apparebit, subcitrinus in Balneo Mariæ in cucurbita vitrea ad remanẽtiam dimidiæ mensuræ exhalandus, qui, ubi refrixerit, per biduumque benè custoditus steterit, in fundo cucurbitæ bonam reperies tartari quantitatem. His ita peractis, restitantem in Medicina etiam maximè utilem liquorem in aliud vitrum decanta, tartarumque ad albedinem optimè lava, quod in vasculo vitreo probè asservandum. Hoc tartarum acidissimo suo sapore subtilissimè penetrat.

Tartarum mororum.

De moris verò expressus succus si percolatus fuerit, clarificatur, in cœteris, si processus, ut supra de tamatindis dictum fuit, idem observetur, reperietur verè acidum ac rubrum tartarum, quod pro placito multis solutionibus & filtrationibus purificari ac candefieri eo modo potest, quo in superiori sectione de purificatione rubri tartari vini diximus. Hæc via in aliis etiam fructibus observanda.

NB. Insuper hic probè notandum, in aliquibus acidis fructibus licet tartarum acidum delitescat, hoc tamen vel ratione suæ subtilitatis, vel ratione suæ cū materia viscosa mixtionis, difficillimè segregari ac separari posse; quod singulariter in succo citri observavi, quamvis enim eundem optimè prius depuraveram, remanebat nihilominus tamen peculiaris quidam viscosus liquor pellucidæ gelatinæ instar vel mellis depurati, saporis acidissimi, à quo nullum prorsus, quale è superioribus fructibus colligebamus, sperandum erat tartarum, sed diuturno satis tempore idem semper manebat, meque loco tartari, materiâ quâdam viscosâ ac mucilaginosa beabat. Quod necessariò hîc monendum duxi.

CAP. IV.

De separatione tartari ex Acetosa & Melissa.

Acetosa, quæ maximè tam in Medicina quàm culina utilis est herba, pulchrum sanè nobis præbet acidum tartarum subsequenti modo extrahendum.

Succi acetosæ recenter expressi sufficiens quantitas more solito albumine ovi optimè clarificatur, humiditas verò beneficio balnei vel abstrahitur, vel, si liquorem asservare velimus, ad remanentiam exiguæ substantiæ destillatur. Quâ factâ destillatione vel evaporatione, tartarum, in fundo vasis residens, ut de aliis supra monui, separatū, eluitur, & in aqua fervente dissolutum ut satis clarum fiat & candidum, percolatur. Hoc tartarum etiam maximè est acidum, satis attamen gratum, subtile & valde penetrativum.

Tartarum Melissæ.

In nobili melissa peculiaris quædam aciditas licet non sentiatur, nihilominus tamen pulcherrimo ac splendescente acido tartaro nos exhilarat, quod ex expresso succo, simili ut acetosæ tartarum ratione præparatur. Hæc itaque de acidis tartaris dicta sufficiant.

Horum autem ex herbis, & fructibus desumptorum tartarorum virtutes ac utilitates in genere quod attinet, inter has & vini tartari ratione manifestarum qualitatum, nisi forta unum præ alio citius sit dissolubile, nullam video differentiam. Si verò de eorundem proprietatibus sit sermo in specie, existimo ego quidem, hæc ipsa à forma specifica earum rerū à quibus separantur, quippiam participiare, non tamen eo gradu iisdemq; evidentibus signis, quibus essentiæ rerū, (in quibus principaliter elementares in uno composito conveniunt substantiæ,) possunt. Quod fundamentū, quæque differentiæ cuilibet Medico probè veniunt notandæ ac observandæ.

Coro-

Coronidis loco nonnullorum Chymicorum vanitatem ac dementiam satis admirari non possum, qui acida hæc tartara salia vocant essentialia vegetabilium, cum re ipsa salia non sint. Cuilibet enim Physico satis est sufficienterque cognitum, quodlibet sal, ne minimo quidem excepto, sive sit fontale, sive maritimum, commune, gemmæ seu minerale, Indum vel Ammoniacum aut nitrum, sive etiam alkali ex herba kali præparatum, aut catinum quod fit è fæcibus vini adustis, ita quoque omnis generis salia herbarum, quæ hodierni Medici salibus annumerant, aquâ frigidâ esse dissolubilia, in eaque subsistere, nullius etiam esse particeps oleositatis flammam facilè concipientis, nihilque de suo salino sapore candidove colore, quocunque etiam tentetur igne, amittere. Cum è contra acida tartara nullâ possint dissolvi frigidâ, fervente licet aquâ etiam fuerint dissoluta, nihilominus tamen, ubi illa refrixerit, subitaneum committnnt divortium, aquamque qualis antea fuerat, post se insipidam relinquunt. Secundò, hæc acida tartara igne probata non persistunt, sed inflammantnr ac, ut alia oleosa materia, ardent, fuliginoso odore gravissimè nares feriunt & depositâ albedine, acidoque spoliata sapore, carbonis nigredinem induunt. Destillata verò aquam, oleum, sal & terram nobis præbent, de quo fuse supra in anatomia acidi tartari vini. In his enim probationibus omnia acida tartara cum depurato vini tartaro, quod à Dogmaticis Medicis nunquam pro sale fuit judicatum, multò minus salia inter recensitum, conveniunt. Ex hisce itaque apparet, tartarorum hujusmodi cum salibus propriè loquendo neutiquam posse institui comparationem. De hoc tamen sua cuilibet videtur pulchra, (hodierno præcipuè tempore,) sive falsa sive vera ea sit, immutabilis prorsus opinio, faciliusque Herculi extorseris clavam, quam horum alicui semel conceptam mutaveris opinionem. Tam altas nunc in hominum, præsertim verò Chymicorum mentibus, ambitio & obstinatio egere radices; ut unam eandemque rem pro diversa alia non solùm agnoscant, verum etiam alio nomine venditent, quod tam ex hoc quam aliis etiam exemplis clarissimè apparet. Quam eorundem stultitiam in diversis meis tractatulis, utpote spagyrica recensione septem Planetarum terrestrium, Anatomia Antimonii, Chrysologia, aliisque meis scriptis satis ad oculum cum demonstraverim, huic non necessariæ repetitioni lubens hîc supersedebo.

CAP. V.

Quâ ratione è diversis vegetabilibus viscosa ac arenosa tartara sint extrahenda, quodve de iisdem ferendum judicium.

CUm in præcedentibus acidorum splendescentium, ac in fervente aqua dissolubilium tartarorum extractionem sufficiêtibus declaraverim exemplis, nunc ad peculiarem aliam lutosorum, arenosorum, insipidorum & in aqua fervête indissolubilium tartarorum speciem devenire juvat, incipiendo à tartaro cardui benedicti subsequente modo extrahendo:

I.

Tartarum lutosum cardui benedicti.

℞. Sncci cardui benedicti recenter expressi mensuras tres vel quatuor, coque easdem in aheno ad ebullitionem, despuma & more solito albumine ovi optimè clarifica. Ab hoc succo si aqua, (satis bona seorsim est asservanda,) ad remanentiam sextæ partis liquoris fuerit abstracta vel in Balneo Mariæ destillata, in fundo subsidentem videbis cineream lutosam materiam, quæ à liquore, ut alia tartara, separata, reiteratis vicibus aquâ fontanâ eluenda, siccanda & ad usum est asservanda. Et hoc est tartarum cardui benedicti.

II.

Tartarum lutosum lupuli.

Simili etiam modo extrahitur è lupulo tartarum colorem habens terræ sigillatæ similem, ex eodemque sufficiens elici potest quantitas.

III.

Tartarum radicis ononidis.

Ononis sive resta bovis omnibus philiatris notissima herba cunctis fermè in regionibus crescit. Variæ ac diversæ ejus cum sint species, hîc tamen illam intelligo, quæ spinosa est ac floret flore purpureo odorato, specificumque præ aliis omnibus censetur lithontripticon. Ejus radices haud exignam in se continent lutosi tartari quantitatem, subsequente processu extrahendam. ℞. Rad. ononidis mundatarum ac prius exsiccatarum q. pl. concisæ in taleolas, in lebete figulino aquâ fontanâ tribus vel quatuor horis ad crassitiem decocti coloris dilutioris purpuræ instar, coquantur, hoc albumine ovi clarificatum in Balneo Mariæ ad remanentiam sextę partis liquoris destillatur, in quo paucas intra horas album tartarum subsidebit, quod, ut alia tartara, tractandum.

IV.

Tartarum scordii.

E scordio decantatissimo illo alexipharmaco extrahitur etiam album lutosum tartarum eo modo, quo de carduo benedicto dictum.

V.

Tartarum salviæ.

Tartarum salviæ ita extrahitur. Expressus succus optimè clarificatus si ad remanentiam sextæ vel octavæ partis exhalaverit, in frigido loco per octiduum relictum bonam tartari quantitatem crassæ albicãtis arenæ instar, qualem tartarum arenosum post purificationem tartari vini residuum, subsidere facit, & si probè eluatur, omnis saporis reperitur expers.

Ex his paucissimis processibus facilimè est collgere, quomodo in communi ab omnium vegetabilium, herbarum sc. foliorum, florum, fructuum, seminum, fruticum, lignorum, corticum, radicum, &c. expressis succis, decoctis & infusis separari possint & segregari l. a. tartara.

De viribus autem ac utilitatibus horum lutosorum ac arenosorum tartarorum.

rum quod scribam, cum hactenus eorundem facultates nunquam sim expertus, parum habeo. Interim tamen eadem, virtutem sui simplicis, à quo fuere segregata, æmulari, illaque, quæ à sudoriferis, cardiacis & alexipharmacis simplicibus segregantur, terræ sigillatæ, cujuscunque etiam ea sit conditionis, nullo modo cessura firmiter existimo. Non dubito insuper, quin alii etiam prudentes Chymiatri mecum sint asseveraturi, ex his tartaris lapidem præparari posse ac produci virtutibus ac operationibus lapidi bezoartico vero non imparem. Extra enim omne dubium est, lapidem bezoarticum sive orientalem sive occidentalem è ventriculo animalis Pazon exemptum, nihil aliud esse, quàm peculiaria quædam è salutarium herbarum, quibus hæc animalia vescuntur, succo & substantia elicita ac ruminatione collecta tartara, quæ naturali animalis hujus calore lapidescunt, lapidesque hujus formam induunt, quod non solum ex illis historiis, quas Nicolaus Monardes, Garzias ab Horto aliique Scriptores de hoc animali, lapidisque bezoartici generatione consignatas nobis reliquere, clarissimè elucet, verum attestantur id etiam probationes per ignem, quando scilicet is idem subtilissimas in partes dividitur & calcinatur.

Quod si hujusmodi tartara in crucibulo igne exponantur, principio prodit crassus fuliginosusve fumus, dein flammas concipiunt & ut acida tartara solent, ardent, attamen unum præ alio plus minusve, quæ etiam signa sunt latescentis in iisdem particulæ sulphuris vel oleosæ substantiæ cum aliquali aquea humiditate. Quod verò in cineribus remanet, ex eo tale sal, quod in aqua fit, ut alia tartara acida, vel è cineribus totius vegetabilis extracta salia, dissolubile, præparari nullo modo potest, sed sapor eorundem idem est naturaliter cum lixivio calcis, & ubi humiditas exhalaverit, remanebit in fundo sicca aliqua candida materia non absimilis illi, quæ à lixivio calcinatarum perlarum, matris perlarum, corallorum, oculorum cancri, silicum, lapidis Judaici, lapidis lyncis, & aliorum similium in aqua prorsus indissolubilium relinquitur, cum è contra alia salia facilime solvantur, nec fundum candidi instar pulveris omnis ferè saporis expertis petant. Hæc itaque de tartaro in genere dicta sufficiant.

TARTAROLOGIAE

SECTIO III.

CAP. I.

De vera ac recta extractione, rectificatione & præparatione omnis generis à vegetabilibus desumptorum salium.

Salia è vegetabilibus eliciendi ac præparandi modus ac processus à multis Chymicis est descriptus. Cum verò apud Pharmacopoeos ac Laboratores Chymicos probe depurata ac granulis similia è vegetabilibus extracta salia reperiantur rarissime, inveniantur è contra apud eosdem utplurimum impura abominabilisque putrefactæ urinæ instar saporis, internè nullatenus usurpanda: Cum præterea etiam hæc materia non multum à priori recedat, ideoque non potui intermittere,

quin eum, quem obſervo in præparandis & ritè extrahendis ſalibus modum, breviſſimis hac ſectione tertiâ delinearem ac repræſentarem.

Primus & principalis in hoc peragendo opere, labor eſt, ut herbæ ita in cineres aduſtione redigantur, quo ardente ſuâ ſulphureâ ac oleosâ ſubſtantiâ omnimodè priventur. Sciendum etiam herbas & folia recenter concremata pulchrius ſemper ac efficacius ſal habere, quam exſiccata. Si itaque felicem in tuis laboribus exoptaveris progreſſum, furnus mediocris magnitudinis, cujus focus ex optimè coctis ac firmiſſimè coadunatis ſit extructus lateribus, ad manus ſit neceſſe eſt. Furnus hic optimè primùm calefiat lignis fagineis vel aliis aridis, exemptiſque cineribus, repleatur viridi abſynthio, arthemiſia, vel aliis, quarum exoptas habere ſalia, herbis, præfurnio verò clauſo, & oſtiolo, quo vapores & fumi ab herbis egredi queant, aperto, breviſſimo horarum ſpatio herbæ non ſolum ſiccescent ſed etiam flammâ conceptâ proprio motu ardere incipient. Si dehinc recluſo præfurnio herbæ furcilla ferrea optime vertendæ quantitas fuerit aliquo modo diminuta, recentes ſive virides aliæ in locum ad ſufficientiam ſubſtitui poſſunt. Univerſa itaque herba ſi dicto modo in carbones fuerit tranſmutata, oſtiolum, præcluſo parum præfurnio, donec conceptus carbonum ignis à ſe ipſo evanuerit, furnuſque refrixerit, ſervetur pertum. Finito hoc labore cineres è furno exempti percribrentur, carbones verò reſidui contuſi per cribrumque trajecti ac cineribus additi, ſuper ferrea clatæ oræ lamina, accenſis ſubtus carbonibus in cineres circumagitati ſæpius redigantur albiſſimos, qui ab igne remoti ac refrigerati, ſequenti modo ſunt tractandi.

Paretur primum è ligno quercino vas, tantæ altitudinis, ut vaſa ad excipiendum lixivium ſupponi poſſint, unam continens aquæ ſitulam, circulis etiam ne loco facilè dimoveantur, ubique firmiſſimè munitum, ac creberrimis foraminibus pervium infundibulum, quæ ſtraminis craſſe conciſi manipulus, ac pannus ſtupeus ſuperextenſus, ne cineres præterlabantur, contegat, quibus contectis, indantur cineres, piſtillo ligneo quantum poſſibile, arctiſſimè comprimendi, ne etiam in ſuperfuſione aquæ ſupernatent, libramento panno lineo involuto ſunt aggravandi. Infundibulum inſuper non omnimodè implendum, ſed tertia ejusdem pars libera relinquenda. Ritè ita compoſito infundibulo, cineribusque ut decet repleto, ferventiſſima aqua ad oram uſque affundatur, & quo diutius calor aquæ conſervetur, operculo conformi contegatur, cum verò cineres ſuperfuſam aquam ſenſim ac ſenſim abſorbere ſoleant, reaffuſa alia breviſſimo horarum ſpatio tinctum purpureo colore, ſatisque forte ut ovum etiam ſupernatare poſſit, maximè turgidum in vitro capaci excipiendum exſtillabit lixivium. Repleto uno vitro ſupponatur ac ſubſtituatur aliud, cineribuſque ſecundò ſuperfundatur aqua ferventiſſima, qui labor toties reiterandus, donec aqua pertranſeat nullius ferè ſaporis pallidique coloris, quibus finitis, ſal è cineribus extractum hærebit omne in lixivio. Hæc lixivia conjuncta in plumbea

bea quatuor vel plures etiam aquæ mensuras continente sartagine, igne arenæ sive ebullitione exhalent ac evaporent. Hoc ubi super lixivio candidè splendescens cuticula ex lignea spatula amovenda, & ubi sartago ab arena remota refrixerit, splendescens in granulis sal colligendum, & in vitreis laminis, ut residuum lixivium guttatim in aliud vasculum dilabi promptius, sal verò exiccari facilius possit, peculiariter in hunc finem cum elata ora acuminatis in hypocausto calefacto vel alio loco calido effundendum. Post hæc remanens lixivium super arena iterum positum, tamdiu ibidem, quoad salina appareat cuticula parumque lixivii restitet, relinquendum, quod, ubi refrixerit, sal in minutissima granula congelatum quasi ab eo separandum. Ambo autem hæc salia subsequente modo rectificanda, in uno eodemque vitro conjunctim sunt asservanda, remanens verò lixivium, cùm non solum picis instar sit nigrum, verum etiam gravissimi ac teterrimi odoris particeps, ignisque veluti forte, pro mundificandis ac purificandis vitris, vel præparandis cauteriis potentialibus, id asservare soleo, ab ejus autem usu interno cavendum. Quod verò vulgarium herbarum salia, quæ à Medicis in curandis affectibus præscribuntur, acria nimis sint ac gravissimè oleant, hujus rei causa artificum est vel rudis inscitia vel maledicta avaritia, qui lucro inhiantes, ut maximè quantitatis salis cupidi, qualitatem ejusdem, dum evaporando lixivium, residuam acerrimum gravissimumque empyreuma redolentem partem non segregant, depravant. Summis verò si laboribus hujusmodi sal ad perfectionis gradum exaltare voluerimus, subsequente ratione erit rectificandum. Præmemoratum sal in uno pluribusve, pro rei ac copiæ salis exigentia, vitreis discis, superfusa aqua herbæ propria stillatitia, vel alia simplici fontana frigida, ut in ea totum dissolvi possit, in cella frigida per decem aut quartuodecim dies expositum servatur, tunc salis acquisita per ignem calidissima qualitas hisce duobus remediis plurimum corrigitur. Dehinc quod si fortè terrestreitas fundum petiisset, effusum super scutella vitrea sensim lixivium per balneum roris humiditas, donec ea, quæ in superiori exhalatione recensita sunt, apparuerint signa, absumenda, salque eodem modo separatum verè tunc apparebit crystallinum. Remanet etiam hic quippiam de purpureo, forti ac graveolente lixivio, quod nihili existimandum, priori verò addendum. Artifices quidam impregnatum sale lixivium ad universæ remanentis substantiæ salinæ siccitatem decoquunt, quæ postea in crucibulo superaddito sulphure, ut in purificatione nitri solemus, igni satis forti fusa, rectificatur. Alii, quo facilius granuletur durumque sal permaneat, lixivio spiritum sulphuris addunt vel vitrioli. Prius ergo, quod sine alterius alicujus additamento præparatur, longè præfero, quod non minus, si ritè tractetur, in pulcherrimos crystallos concrescit, inque vitris reconditum siccum permanet, quàm alia, quod in aliis omnibus, quæ sicca conservare voluerimus, similiter optimè observandum salibus. Sunt etiam aliæ, quando ex pauca cinerum quantitate salia cuipiam extrahere libuerit, prædicta non requi-

requirentes instrumenta viæ. Interim tamen, quo horum salium optimè præparatorum commodus usus etiam possit esse internus, sedula ejusdem est instituenda segregatio à graveolente restitante lixivio. Hæc sunt certissima manualia, quibus propria vera ac essentialia omnis generis herbarum, lignorum aliorumq; vegetabilium extrahi salia & rectificari possunt.

CAP. II.

De proprietatibus ac utilitatibus salium è vegetabilibus extractorum.

Cineribus & sali vegetabilium excellentes & admirandæ prorsus proprietates ab aliquibus Chymicis ascribuntur, è quibus non minimus est *Josephus Quercetanus, qui in responsione adversus cujusdam anonymi phantasmata c. 23.* non solum primò statuit, salia vegetabilium calcinatione ac incineratione herbarum humido suo primigenio nullatenus privari, sed tincturas, impressiones, proprietates, qualitates, saporem scil. odorem, colorem ac veram ideam suorum, è quibus extracta, vegetabilium potentialiter in se plenariè servare recondita. Quam suam assertionem duobus confirmat exemplis: Primum dicit, sibi fuisse cognitum Medicum Polonum Cracoviensem, qui ultra triginta vitra variarum herbarum, prius tamen optimè calcinatarum cineribus repleta, sigilloque hermetico obserata, in certoque ordine disposita asservasset, quibus admiranda fere naturæ demonstrare solitus fuisset. Eundem enim demonstraturum cuipiam rosam, calendulam, vel aliam vegetabilium, quæ incinerata fuerat, speciem, nihil aliud fecisse dicit, quàm vitri, in quo ejus vegetabilis, cujus videndi quispiam erat cupidus, asservabantur cineres, solummodò fundum calori lampadis, ut conclusi in eodem subtiles cineres incalescerent, exposuisse, quibus calefactis subito in vitro plenariam vegetabilis faciem, signaturam & folia suis coloribus tincta ita quidem apparuisse, ut firmiter quispiam eadem terræ suæ adhuc esse incolas, eandemque amœnissimè vestire credidisset. Refrigerato verò vitro, has insimul rerum facies ac formas evanuisse, nihilque aliud, quàm cineres, utante, remansisse. Secundò à nobili quodam Gallo in filtraro optimè urticæ lixivio tempore hyberno frigori exposito ac congelato plures mille urticas in substantia sua ac forma cum suis radicibus, caulibus, foliis ac surculis sigillatim ita quidem vidisse repræsentatas, ut quilibet easdem in tabula quasi depictas secundum omnem earundem formam agnoverit, quam probationem Author ipse multoties imitatus eãdemque verissimam est expertus. Primum autem Medici Poloni arcanum à cineribus plantarum præparatum, nondum se explorare potuisse scribit, nihilominus tamen viam ac modum, ut illud commodè præparari possit, prolixe satis citato supra loco docet, qui cuilibet artifici consulendus.

Virtutes ac utilitates talium è vegetabilibus desumptorum quod attinet, licet sit extra dubium, eadem, ut aquam, olea & tartara de natura ac proprietate suarum substantiarum unde fuere elicita ac separata diverso respectu quippiam participare, interim tamen eorundem examen ac probatio

batio satis sufficienterque demonstrat, ea ipsa, ut omnia alia salia, acria esse, calida & sicca, licet qualitatum gradibus interdum differant, dictasque ob qualitates insimul omnia incidere, dissolvere, abstergere, penetrare, calefacere, siccare, aperire, purificare, exterminare putredinique resistere. Ubi itaque talium qualitatum medicamenta necessario requiruntur, maximo cum fructu uti illis, (adhibito tamen judicio,) fruique tuto licet.

Quod verò salia hæc manifestas qualitates vegetabilium, utpote colorem, odorem aut saporem in se contineant, vel etiam proprietatibus à forma specifica sive tota substantia promanantibus sint donata, E. G. salia è lenientibus, refrigerantibus ac humectantibus extracta similiter etiam leniant, refrigerent ac humectent; vel, quæ sint elicita ex purgantibus, adstringentibus, soporiferis, alexipharmacis & aliis proprietatibus agentibus, hoc eodem modo manifeste & realiter operari debeant, id hactenus nunquam sum expertus, quas tamen suorum vegetabilium operationes ut extracta in se continerent, exoptandum maximopere esset. Hæc enim si ita agerent, nullam certè commodiorem formam excogitare possemus, sub qua ægrotis medicamenta exhiberi possent; quam hanc ipsam extractorum salium, quæ primum omni carent graveolentiâ ingratoque sapore, quorum ratione plurima medicamenta fastidimus. 2. Quæ facilimè in aquis, non reddendo eas turbidas, sunt solubiles, & formam suam in iisdem omnimodè occultant. 3. Quæ propriâ suâ vi suas qualitates conservant, nec situm contrahunt, aut putredine consumuntur. 4. Quæ minima in dosi id perficiunt, quod magna satis simplicis quantitas debebat. Et denique. 5. quæ, postquam igne fuerint tentata & purificata, libera sunt ab omni cruditate ac venenosa, quibus scatent simplicia unde fuere elicita, qualitate. Hæc si ita sese haberent, haberemus certè quippiam de quo nobis merito gratularemur, hocque salium conficiendorum inventum pro nobilissima artis pharmaceuticæ parte esset existimandum, cum alias variis iisque ingratissimis potionibus, electuariis, pulveribus, pilulis & similibus, ægrotis molestissimi simus. Ast experientia huic malo nondum monstravit Medicinam aut unicum subministravit solatium.

Idcircò, non spretis salibus, magis ego fido essentiis, in quibus ut supra dixi, non solum sal, verum etiam omnes aliæ substantiæ vegetabilium elementares, in composito, unde illorum proprietates specificæ oriuntur, delitescunt. Et si fortè sale aliquo vegetabili utor, linctibus id, ad tenaces, viscidas in pectore collectas frigidas materias incidendas & attenuandas commisceo, vel etiam massæ pilularum pro expurgandis crassis & viscosis humoribus ac viis hujusmodi materiis infarctis reserandis, aut acuendis agarici operationibus, permisceo. Vel præscribo illud in clysteribus loco salis gemmæ ad abstergenda & exterminanda tenacia in intestinis hærentia phlegmata. Item, etiam sale hujusmodi acuo potiones sudoriferas ac alexitericas, quo potentius penetrent ac malignitatem promptius expellant. Id etiam addo potiunculis diureticis, quando non

solum

solum multæ adsunt Serositates, verum etiam ipsæ viæ ac ureteres frigida lutosave materia sunt referti. Quibus malis medendis utplurimum utor sale absynthii, Cardui benedicti, Artemisiæ & Millefolii, ac unam eandemque eorundem experior operationem. Hæc itaque sunt quæ propria mea experientia edidici, ac nullatenus silentio prætereunda censui. Si verò quispiam hanc de me concepisset opinionem, ac si salium operationes non satis sufficienterque explorassem, desideraret idcirco prolixiorem informationem, is Authores Chymicos, præcipuè Cunradi Cunrad secundam partem medullæ destillatoriæ consulat, primum scilicet tractatum, de salibus præcipuarum herbarum, ex quo loco fortasse informationem, pro voto consequetur. Præter alia commoda sales vegetabiles, non tantum in Medicina, sed etiam eundem, quem Sal Tartari, in Chymia usum habet 1. ad metallorum fluxum utque malleabilia fiant, 2. ad metallorum mortificatorum, in priorem formam reductionem, 3. ad aurum, metalla, item corallia, margaritas, lapides pretiosos, à solvente, per præcipitationem forma pulveris separandos, ad magisteria ex iisdem perficienda, aliaque metallurgica perficienda: ultimo & illud scire convenit, æque penetrantes spiritus ex hisce salibus, ac ipsismet mineralibus elici posse, ut sequenti capite docebitur.

CAP. III.

De modo ac ratione eliciendi acidissimum ac maximè penetrativum spiritum ex variis herbarum salibus.

Argillæ arena convenienter mixtæ ℔ij. in mortario lapideo, ligneove, salis Absynthii, aut alterius, cujusvis generis ℔ij. commixti, pistillo subigantur, ex quo globuli exsiccandi magnitudine nucis moschatæ formentur, indantur in cucurbitam terream firmam, quæ ignis violentiam impunè perferre possit, eaque in anemio posita ita ut collum aliquantum extet, ac flamma circumcirca cucurbitam lambere possit, fornace superius tecta, relicto tamen in medio foramine, per quod fumus, & flamma transire possint, collum arctè luto obducatur, ut tantum orificium pateat, quod si justo brevius sit, ut excipulum accommodari nequeat, collum ex argilla peculiariter excoctum & vitreatum, adaptari potest: quibus peractis lento igne, donec litturæ exsiccatæ sint, tandem verò per gradus intensiore, destillatio inchoetur, donec fornax & cucurbita incandescant, relicto interim per duas horas, orificio cucurbitæ aperto, quoad globuli propemodum exurantur, atque omnis fætor argillæ exspiret, nec jactura, quæ interea fit, tantillæ partis spirituum, respectu alias contrahendæ impuritatis tanti est, ut hic procedendi modus omitti debeat. Hinc collo recipiens capacissimum, in quo mensura aquæ dimidia contineatur, arctissi-

arctissime jungatur, ne quid exspirare possit, quam operationem primo fumus cito evanescens sequitur, relicta materia, in ipso orificio albicante, ac tandem flavescente, seque dilatante, cum aliquot guttulis liquoris, in fundo existentibus & in eo porro ignis gradu, quo vasa candentia permaneant, ad sex, octo, vel decem dies, pro ratione quantitatis salis contenti, persistendum; igne demum sub finem sponte extincto, ac instrumentis refrigeratis, spiritus rectificandus sedulò occlusus reponitur, materia subtilis alba, instar farinæ collo recipientis, adhærens, nihil aliud est, quàm sal Absynthii sublimatum, quod quibusdam flos salis dicitur, ad alium usum separandus, ex globulis in cucurbita relictis, & ignis vehementia, ad fuscum colorem redactis, aqua communi calente, sal reliquus extrahitur, nullo pacto alteratus, nisi quod aliquantum acrior, & in aëre humido solvi magis proclivis sit, quam dispositionem ei violentia ignis conciliavit.

De rectificatione spiritus salis destillati.

Etiamsi aqua in recipiente, ad facilitandam vaporum resolutionem, cum spiritu conjuncta sit, si tamen is satis fortis deprehendatur, nulla aquæ separatione opus habet, sed solum in arena, leni igne, ex retorta vitrea, ad siccitatem, & materiæ in fundo griseæ ac salsæ remanentiam denuo evocetur, qui totus crystallinus accurate, ne pasta aut luto inquinetur, excipiēdus est; Casu vero, quo is quocunque vitio contracto, deterior aut nimis aquosus esset, cucurbitæ inclusus, sine aquæ ebullitione, e Balneo Mariæ rectificetur, qui modus non tantum cum omnium vegetabilium, sed etiam sale communi ex fontibus, aqua marina, vel lapidibus excocto, ad spiritus conficiendos observari solet.

Sequuntur quædam puncta observatu digna, ad supra dictum processum pertinentia.

1. Quod attinet sal Carduiben. minime necessum est ut id summe depuratum sit, sed sufficit illud, ex primo lixivio simpliciter extractum, quandoquidem impuritas & fœtor orificio aperto exhalat.

2. Cui argilla displicet, quæ, ne sal calore fluxile, in corpus coalescat aut cucurbita fundatur & diffiliat, additur, in ejus vicem bolum orientalem, terram sigillatam Silesiacam, cornu Cervi perfecte calcinatum, aut pulverem laterum substituat.

3. Ad defectum sufficientis quantitatis salis, argilla & instrumenta secundum proportionem adhiberi, & plurium salium spiritus simul, in fornace capaci distinctis instrumentis destillari possunt.

4. Cum eodem ignis gradu 4. vel 5. dies continuato, nullus vapor, (qaalis è vitriolo, alumine, & nitro elevatur) in alembico etiamnū glomeretur, dubiumq; oriatur, utrum operam ludere contingat, primum recipiente remoto, & angustiore

U præ-

præfixo, aut alembico cæco, (præmisso in retortam cochleari aquæ:) imposito, nisi vase fracto alibi spiritus penetrent, aut ab argilla absumantur, dimidio horæ spatio fumi oboriri, inque spiritum gustu explorandum resolvi incipient, quod signum infallibile est, præsentis copiæ spirituum, ideoque opus, ad plures ad huc dies, constanter urgendum.

5. Recipiente remoto, & spiritu ad supra dictum modum rectificato, sal reliquus ex globulis extractus, ad idem aliquando opus, addita recentis salis quantitate, adhibendus servari potest.

Spiritus cum ex magna salis copia destillatur, vix quindecim diebus omnis prolicitur, nec ullo artificio, sive per follem, sive alias quibusdam usitatas inventiones, citius evocari potest, sed certum ac definitum tempus requirit, non obstante aliquorum jactatione, se perfectum spiritum salis, additione nitri, paucarum horarum intervallo, elicere posse, quod etsi fieri concedam, nullius tamen momenti sunt, siquidem tales spiritus probe examinati, nihil præter nitrum redolent, ut & illo Pseudo-Chymicorum inani promisso, aurum simplici spiritu salis solvi posse, cum tamen, sine additione salis petræ minime fieri possit.

6. Addo duas observationes notabiles: prima est, nobilem, & quodammodo indissolubilem salis substantiam, in globulis restantem, quacunque ignis vehementia exercitatam, nullo modo alteratam reperiri. Secunda, spiritum salis non tantum ex aquosa, & sulphurea parte, uti spiritum vitrioli, & aluminis, sed ex toto composito ortum suum ducere, ac nihil aliud esse, quam sal ignis actione sublimatum, & propter innatam humiditatem, liquoris forma consistens, nulla propemodum terrestreitate relicta, ad similitudinem plurium rerum, quæ potentia Vulcani sublimantur, ac varie transmutantur.

De utilitate spiritus ex sale Absynthii destillati.

Hic spiritus subtilis, penetrans, & acidus est, instar illius ex sale communi destillati, quod cum calidum & siccum sit, ejusdem quoque temperamenti ejus spiritum esse constat, præcipue cum ab igne qualemcunque caloris gradum mutuetur, calefacit & siccat, eo tamen modo, ne ullam sitim excitet, quam aciditatis ratione, potius compescit, nec corpus calefacit sicuti cætera mineralia calida & sicca, salva interim digerendi, aperiendi, attenuandi, mundificandi, penetrandi, & putredini resistendi facultate, quibus de causis ad obstructiones mesenterii, hepatis, lienis, renum, collectionem sabulosam, tartaream & viscidam materiam expediendam, ad hydropem, tympanitidem, febres inveteratas, ac morbos, ex meatuum (per quos Chylus transire solet) interceptione, virium ex febrium ardore, aut causæ morbificæ malignitate dejectionem tollendam efficax est, acrem & infestam materiam per sudorem & urinam expellit, & ad omnes, ad quos spiritus salis communis adhibetur usus seu externos seu internos, apprime conveniens est. Utrum vero, etiam occul-

tarum

tarum Abſynthii qualitatum hic ſpiritus particeps exiſtat, nolo hic pluribus diſputare, ſed in eadem, quam de reliquorum, ex ſalibus vegetabilibus ſpirituum natura ſententiam amplexus ſum, etiamnum perſiſto. Spiritus hic ſalis Abſynthii, ſpiritu nitri rectificato acuatus, egregium quoque ad mineralia, & ipſum aurum ſolvendum, menſtruum eſt, unde excellens Magiſterium auri conficitur.

Præterea ſpiritus ſalis vegetabilis, proprio ſali affuſus, procedendo, quemadmodum de ſale Tartari vitriolato, docui, ſuave & ſubacidum, cum cryſtallis Tartari qu ad manifeſtas qualitates conveniens ſ ſuppeditat. Spiritus autem hujus, cum v no vel liquore appropriato, uti illius ex ſ le communi deſtillati guttulæ 5. 7 ad 1 pro doſi exhibentur, ad cujus mirifica virtutem, (ob eos præſertim, qui in fund mentis Chymicis parum verſati ſunt, eum que, vel audito tantum nomine, tanqua corroſivum deteſtantur:) demonſtra dam, longiori orationis contextu opus eſſet, qui cum hujus loci non ſit, hic ſubſiſtere viſum eſt.

F I N I S.

SACCHAROLOGIÆ

PARS PRIMA.

CAP. I.

Quid sit Saccharum, & quomodo colligatur.

SAccharum, est peculiaris quædam substantia dulcis, soboles arundinis cujusdam majoris, Botanicis cannæ saccharinæ dictæ, ad differentiam reliquarum arundinum, quarum diversa genera existunt.

Prisci Medici, tum Græci, tum Arabes saccharo, quoad formam externam, nostro dissimili, nec ita elaboraro, contenti fuerunt, ea siquidem harum arundinum proprietas est, ut magnitudinem convenientem adeptæ, & succo illo dulci turgidæ, hinc inde rimas agant, per quas, quemadmodum quædam arbores, gummi, lachrymam, aut Resinam, hæ saccharum protrudant, quod subtili ejus humiditate, virtute Solis consumpta, siccum, & coagulatum reperitur. Hoc itaque ipsius naturæ beneficio separatum, & quodammodo excoctum saccharum, in usum medicum duxere, ac isthoc modo, in parva quantitate comparatum, tanquam rarum quid, in pretio habuerunt; ut Dioscorides in libro secundo, capite septuagesimo quinto sequentibus verbis testatur. Aliud genus mellis coagulati, à quibusdam saccharum vocatum, in India, & Arabia felici reperitur, quod cannis concretum, durum, & instar salis, dentibus compressum finditur, qua ratione fortasse moti Plinius & Paulus Ægineta propter substantiam duram, albam, splendentem, hoc potius salis quam mellis definitione expresserunt.

Nec sane eam copiam sacchari antiquos habuisse, inde colligere licet, quod, ut in multis antiquorum descriptionibus videre est, sua medicamenta, melle utplurimum condiderint; quod quidem, nostro melle propter abundantiam odoriferarum, & aromaticarum plantarum, multo præstantius merito censetur. Subsecuti tandem solertiores naturæ scrutatores, copiosiorem longe quantitatem quam à natura sponte protruditur, in his cannis animadverterunt, eam extrahendi, non solum singulare artificium, sed etiam modum, cannas per seriem plantandi, ad modum culturæ vinearum, lupulorum &c. excogitarunt.

Qua-

Quarum non tantum maxima copia in Indiis orientalibus colitur, sed etiam molinæ, magno numero, eas postquam ad maturitatem pervenerunt couterendi, ac instrumenta ad facchari confectionem fabricata, ac aliquot millia hominum victum sibi, ex hac opera comparantium, conspiciuntur, cujus etiam maxima onera, per mare, in Europam, ad nos advehuntur, ubicunque terrarum distrahenda, adeo ut commercia ejus, illa cum oleo, vino, sale, serico, lana, & aromatibus fieri solita, æquare possint. Controversia quædam & sententiarum discrepantia, post inventum saccharum dicto modo elaborandi, inter Medicos vel Botanicos orta, quorum quidam nostrum, à sacchar o antiquorum natura differre, alii vero solo producendi modo, nostrum, ut arte extractum, & igne coagulatum, illorum vero naturæ impetu emissum & sponte vi caloris cælestis exsiccatum, quodammodo diversum, viribus, & proprietate tamen, quoad cætera convenire contendunt. Cujus controversiæ compositionem, apud Matthiolum, super Dioscoride, supra memorato capite, ac Tabernæmontanum, aliosque authores videre est, de quo hactenus dicta sufficiant.

CAP. II.

De differentia Sacchari.

SAccharum primo impurum, & simplex, aqua excoctum, & siccatum, ad Europæos mittitur, quod dulciarii porro candidum, splendidius magisque durum purificando reddunt, cujus sex potissimu sunt genera.

1. In forma pulveris album, & splendescens instar nivis, sapore dulcissimum.

2. Itidem forma pulveris, secundum modo dictas qualitates, primo propemodum respondens.

3. Flavescens, & minoris valoris.

4. Impurum, & luteum, dulcedini tamen non aspernandæ.

5. Subpingue, colore fusco, & sapore nidoroso dulcedini mixto.

6. Et ultimum, è pulvere, ac sordibus repurgatum, cujus generis ex Madera ac Canaria, albissimum, & dulcissimum, ingenti copia adfertur, in metæ formam redactum.

Saccharum, ut vulgi vocula utar, iterum quadrupliciter distinguitur 1. in finum, 2. magis finum, 3. finissimum, 4. saccharum candidum. Restat nunc genus quoddam, in forma liquida, quod in refinatione, à sicco, & duro separatur. Illud autem, quod in prima purificatione sequestratur, fuscum est, & melleæ consistentiæ, Italis Melazzo dictum, empyreuma cum dulcedine obtinet, vulgari in usu, ad cerevisiæ juscula, loco mellis, aut butyri, præcipue apud dulciarios propter pretii vilitatem, & tincturam, quam rebus confert. Huic proximum est, ex secunda refinatione, colore aliquantum remissius, ad flavedinem accedens fructibus condendis, loco mellis conveniens.

Saccharum forma liquoris, ex tertia refinatione separatum, adhuc purius, in consistentiam coctione redactum, in reli-

eliqui Sacchari locum, uſu, ac pretio ſuccedit.

CAP. III.

De Refinatione Sacchari in genere.

HIS de Sacchari varietate præmiſſis, nunc de refinatione pauca dicenda ſuperſunt. Dictio hæc refino, illi Chymicis admodum uſitatæ, rectifico æquipollet, atque refinare, idem ſignificat, ac ſubſtantiam quandam, ab impuritate liberatam, repetita opera, ad ſummam puritatem redigere, quemadmodum olea, à prima deſtillatione, empyreumatis plena, turbidaq; & impura, eadem aliquoties reaſſumpta, ad eam, (quam quidem eorum natura ferre poteſt :) pelluciditatem reducuntur, ut viſui gratiſſima exiſtant: ut quoque ſpiritus minerales, ſulphuris, vitrioli, ſalis, nitri, ipſe tartarus vini & ſales herbarum, fæculentia, beneficio rectificationis depoſita, Adamantis nitorem acquirunt, ut & nitrum è terra erutum, & depuratum ſplendore Cryſtallum mentitur. Quæ omnia Chymico perito plusquam nota ſunt.

Refinatio autem, eſt ars quædam, Saccharum è cannis extractum, ut candorem, & duritiem conſequatur, ab omni impuritate liberandi, quæ pluribus operationibus abſolvitur, ſolutione nempe, deſpumatione, clarificatione, fuſione in formas, ſequeſtratione à ſordibus, coagulatione, & ad finiſſimam ſubſtantiam reductione. Primum Saccharum aqua & albumine ovorum, à ſabulo & pulvere purgatum, clarificatum, & in pileos fuſum, denuo in lixivio claro, & pellucido, ex calce viva parato, ſolvitur, excoquitur, & deſpumatur, aliasque in formas in fundo foramen habentes, fuſum, à liquore nigricante, Melazzo Italis dicto repurgatur, quem laborem ſubinde, pro puritate, vel impuritate Sacchari repetunt. Namque hoc lixivium, acrimonia quadam ſenſibili, pingues, ac fæculentas Saccharo commixtas partes, ſecum abſorptas aufert. Quod inventum laude dignum, quandoquidem id, nullo alio liquore, quamvis limpidiſſimo perfici poteſt, non obſtante artificum præfatione, calcem, aquæ hujus clarificandæ gratia adhibitam, nihil in illa propriæ ſubſtantiæ relinquere, ne vulgus ab ejus uſu abhorreat, aliud tamen guſtus probat, etiamſi ob id, ut ſequenti capite docebo, Saccharum non reddatur deterius.

CAP. IV.

Vtrum ex dicto lixivio, cum calce parato, corrodens, ac ignea qualitas, in Saccharo relinquatur.

QUorundam Medicorum opinio eſt, Saccharo, ex ſupra dicto lixivio calcario, infeſtas, & cauſticas qualitates, quæ ægris plurimum obſint communicari, adeoque moderatum, aut ex Canaria allarum, ſolummodo albumine ovorum clarificatum præferunt. Cujus quæſtionis non frivolæ, cum ſaccharum finiſſimum, tam ſanis, quam ægrotis, ſæpius quam alterius

alterius generis ullum, in usum veniat, pro ingenii mei modulo, enodationem subjiciam.

Primum, extra controversiam ponitur, calcem vivam ex lapidibus, (datur enim ex alia etiam materia confecta) excoctam, ad hoc opus adhiberi solitam, potentem vim causticam continere, cujus rei cerdones, pelles animalium brevi tempore, pilis cortosis lævigando, & vespillones, grassante lue pestifera, cadavera mortuorum, in magnam fossam congesta, ne aer, ex horum putrefactione, magis contaminetur, usque ad ossa illico, injecta calce consumendo: ac Chirurgi hac, cauteriis potentialibus mixta, carnis excrescentias exedendo, amplum testimonium perhibent.

Secundò, modo & intentione usus calcis in diversis rebus distinguendus est, rebus enim modo commemoratis, in substantia, ut acerrime corrodere possit, adhibetur; Saccharo vero tantum aqua ex eadem acuata, & clara, quæ fæculentam partem, Saccharum obscurantem purget affunditur, cum prior ille modus Saccharum potius denigraret, & fluidum redderet, eique præsertim solido, nihil corrosivi, & acris, quin cito sui indicia præbeat, Saccharo permixtum consistere potest, quod argumentum evidens est, Saccharum hac labe vacare. Nec ipsum lixivium, hujus qualitatis, qua Saccharum corrumpat, esse potest, nam nec ea quantitate, qua coriarii, ad lixivium suum refinatores utuntur, sed modica, in magna aquæ quantitate extincta, quæ in vasis ligneis, aut lapideis residere permittitur, donec aqua instar crystalli clara auferri possit: interea per hanc operationem, omnis caustica calcis ab igne acquisita qualitas, ferme exspirat, & consumitur, siquidem hac ipsa, nulla adurendi vi, sed modica abstergendi qualitate prædita, manus, & facies sine noxa ablui, inflammationes partium, Erysipelas, ac ignis sacer, mitigari possunt. Qui vero etiam, aquam inter coquendum consumptam, sal acre & igneum in Saccharo relinquere arbitrantur, sequentibus rationibus refutantur: Prima est, Saccharum cum salina, acri, ignea, & corrodente substantia, nullo modo posse consistere: Secunda, aquam calcis, in concha, per exhalationem consumptam, nullum sal, aut ullam substantiam acrem, in liquore resolubilem, quæ saccharo mixta, calorem, & siccitatem adferre possit. Tertio actu ipso, in nulla sacchari parte, quantumvis anatomice, per dissolutionem, digestionem, filtrationem, anatomicè distincta, aut etiam combusta, reperire datur. Quarto posito non concesso, tale quid commixtum relinqui, hujus tamen tantillum, tantæ sacchari copiæ unitum, nullius efficaciæ esse potest. Concludo itaque, Saccharum refinatum, malæ qualitatis, aut substantiæ, à calce contractæ, handquaquam particeps esse: ac etiamsi talis quædam à lixivio communicaretur, maximam ejus partem, iterum cum spuma, aut ipso Syrupo, à dura, & concreta Sacchari parte separari, ut neminem, aut sanum, aut ægrotantem, nisi

nisi abusive sumptum , oblædere possit, quantum quidem, in praxi tot annis continuata, semper sinissimum usurpando, observare potui.

CAP. V.

De qualitate & proprietate Sacchari.

ETiamsi huic aliqui temperamentum humidum, calidum, in primo gradu, adscribant, doctissimus tamen Fernelius libro quinto de methodo medendi Cap. vigesimo, sequentibus verbis reclamat: Saccharum mellis species cum sit, siccat quoque & abstergit, rubrũ vero potentius, utpote calidius & acrius. Quidquid sit, experientia certe, hoc nulla manifesta vi calefaciendi, aut siccandi multo minus refrigerandi excedere, sed temperatissimum esse docet, cui Galenus Medicorum rationalium princeps, consentit, illud ipsum, in classem rerum, quæ febricitantibus tuto offerantur, referens: nec est quod quispiam putet, levem abstergendi facultatem ipsi conjunctam, ex acrimonia aliunde mutuata, profluere. Insuper balsamicam qualitatem, non semetipsum tantum, sed res quoque alias conservandi, ambo, crudum scilicet & refinatum possident. Horum tamen, Medico scitu necessaria, differentia quædam est, crudum enim temperamento, & operatione, ad mellis naturam, ipso refinato propius accedit, aperte enim in clysteribus adhibitum, abstergendi, & resolvendi vim prodit, imo alvi solutionem ipso melle promptius operatur, & ejus, non minus, ac mel corpus inflare soliti, usum complures recusant: Quibus de causis sequitur, Sacchari refinati calorem, quam crudi remissiorem esse, siccitatem vero licet innocuam, intensiorem, ideoque ad cibum & potum, confectiones aromatum, ac medicamenta confortantia, magis convenire, ut crudum ad composita, pro alvo solvenda comparata.

CAP. IV.

De commodis, & incommodis, quæ ex usu, & abusu Sacchari nascuntur.

SAcchari virtutes, ac operationes, secundum rationem & modum usurpati, sunt sequentes: Corpus nutrit, sanguinem probum generat, spiritus virales recreat, semen auget, fætum in utero firmat, quod nemo miretur, siquidem hoc subjectum, æmulam vini dulcissimi virtutem, ut porro docebo in se complectitur, cujus proprietatem, in refectione longo morbo emaciatorum, senum, melancholicorum, moderatus usus comprobat, conducit affectibus faucium, pulmonum, raucedini, respirandi difficultati, ex defluxione acri obortis, exulcerationi item pulmonum, laterum, renum, vesicæ, purisque ex iisdem expurgati, intestinorum asperitatem lenit, eorumque excrementa emollit, & expulsioni apparat, vulnera in corpus penetrantia & puncturas ut etiam oculorum maculas extergit, dolores ulcerum; & tumorum, humores influxos coquendo, aut si ad suppurationem inhabiles sunt, digerendo dissipat, pluresque alios in medicina usus habet, bre-

brevitatis gratia prætermittendos. Vice versa, quantum usus utilitatis tantum abusus detrimenti afferre potis est, concoctionis nimirum debilitatem, appetitus dejectionem, inflationem, repletionem capitis, catarrhum, visus obscuritatem, columellæ putrefactionem, dentium denigrationem, & vacillationem, fœtorem anhelitus, dispositionem hydropicam, dolores colicos, ac virtute retentrice, in orificio stomachi, ac intestinis relaxata, fluxus alvi inordinatos excitare, cujusmodi passionibus homines, eo abutentes, teneros præsertim, & delicatos, sæpe multumque aggravatos conspicimus. Objiciunt equidem, Saccharum balsamica virtute, cum corpora à putredine vindicandi, virtutem possideat, eadem nullo damno afficere posse: Sed parum ad rem, siquidem etiam aliarum præstantissimarum rerum maximeque salubrium, utpote, panis, vini, aquæ vitæ & salis, quæ omnium basis balsamica, immoderatus usus præter rationem admissus enormiter lædere solet, quo errore quamplurimos deceptos, & prærnatura morte abreptos, ni Lectoris otio abuti vellem, enumerare possem.

Cæterum unanimi Medicorum sententia constat, non tantum flavæ, sed etiam æruginosæ bilis, aliorumque acrium, melancholicorum & fermentantium humorum, sanguinis calidioris, impuritate scatentis, vel scorbuto contaminati, ac omnis generis febrium præsentia, quemadmodum paucum fermentum, integram pastam acore suo imbuit, mel, (nisi citra moram, una cum materia peccante, è corpore exturbetur:) ad illorum humorum naturam, brevi tempore transmutari, atque ita cum materiæ morbificæ incremento, ipsos quoque morbos augeri, & prolongari necessum est. Postremo mulieres suffocatione uteri, ex putrescente colluvie & lubrica uteri constitutione laborantes, aliosque natura ab usu sacchari & rerum dulcium abhorrentes, nauseam, & diversa symptomata excitando, summopere lædit, ut nemo mentis compos, illud omnibus sine discrimine convenire asserat.

CAP. VII.

De utilitate sacchari, ad medicamentorum edulcorationem.

CUm præcipua medicamenta propter ingratum odorem, & saporem ægrotantibus utplurimum adversentur: Necessitas inventionem, qua, sine propriarum virium jactura, correcta aliquantum suaviora redderentur, à Medicis exegit; quæ alioquin colore, sapore, odoreve, aut consistentia nauseabunda, horrorem, & concussionem toti corpori inducendo, plus ad ægrotantium debilitatem augendam, quam affectum propulsandum facerent.

Saccharum autem, præter adscriptas ei qualitates, ad medicamentorum edulcorationem, non solum sapori gratiam conciliando, sed eorum quoque acrimoniam temperando, & ne fibris intestinorum adhærendo, aut partes inflammando noceat, aptissimum omniumque operationem facilitat, acerba, acida, amara, stiptica, tempe-

perat, cathartica mitiora reddit, quin ipsa aromatica, & cordialia composita, sine admixtione sacchari, delicatis ac teneris hominibus, non commode offeruntur.

Ubi vero alii effectus, præter edulcorationem requiruntur, saccharo omisso aliæ substantiæ aptiores adhibendæ v.g. ad incisionem tenacis phlegmatis, in capite, ventriculo & intestinis contenti ad partes calefaciendas, nec non ad medicamenta, contra apoplexiam, & lethargum parata, edulcoranda, mel, quod non solum præter abstergendi ac mundificandi vim dulcedine saccharum superat, sed etiam specifica virtute, contra dictos morbos multum pollet, præ cæteris eligendum est: Ad excoriationem pectoris, renum & vesicæ, Glycyrrhizæ Essentia sine empyreumate extracta: Ad bilem atram alterandam, & eductioni præparandam, pomorum dulcium succus, ad mellis consistentiam inspissatus, qui absque condimento sacchari, ultra annum, viribus integer permanet, omnibus aliis rebus præstat: Ad apozema digerens, aperiens, & emolliens, quo subsequens catharticum felicius operetur, commodissima est passularum Essentia cum aqua communi sine saccharo parata, cujus descriptionem in anatomia Essentiarum vegetabilium tradidi, hæc enim præter dulcedinem, gratæ aciditatis aut tartari acidi particeps, ad intentionem hanc probe facit; ac magnæ quoque utilitatis, ad potiones vulnerarias, ad mundificationem uteri, in puerperis est, & parvo quidem pretio compatabilis, cum ex ℔j, passularum ultra ℔. ſ. Essentiæ producatur. Tandem ad potiunculas purgantes ex Mechoaca, Sena, vel Rhabarbaro, Cassia, Manna, pulpa prunorum, in usu sunt, quorum purgantium actionem non modo adjuvent, sed asperitatem quoque, & siccitatem corrigant, quorum tamen pro ratione affectus, & subjecti, differentia habenda.

CAP. VIII.

De utilitate Sacchari, ad varia condienda.

PErmagnum ad omnis generis fructus, cortices, radices &c, cætera condienda, item confectiones aromatum, & seminum, Saccharum usum præstat, quorum varietate, non modo Pharmacopolia instructa, sed Magnatum quoque mensæ lautæ & ornatissimæ conspiciuntur, cum enim præter dulcedinem, nulla peregrina qualitate imbutum sit, & rerum, quæ eo condiuntur, neque saporem neque odorem obtundat, & colores propter crystallinam claritatem, transparentes pulchre exhibeat, huic operi aptissimum est. Denique propter consistentiam solidam, & siccam, succum rerum conditarum absorbendo, easdem incorruptas diu servare potest, ex eo enim morsuli, ac marmeladæ cum Cidoniis, Cerasis, Berberis, Amygdalis, Pignolis Pistaciis, varia forma concinnatæ, non tam facile humescunt, atque ex melle, & melazzo confectæ: quorum parandi ra-

rationem, & modum, apud plures authores videre licet.

CAP. IX.

De utilitate Sacchari, ad præparationem variorum medicamentorum.

NOn minor Sacchari utilitas est, ad medicamentorum compositionem, conservas, confectiones, electuari, aeclegmata, linctus, looch, & Syrupos, quorum exempla passim in dispensatoriis, non modo arabica, græca, latina, sed omnium fere nationum lingua conscriptis extant, in quibus illud, DD. Bauderoni ex gallico, in germanicum idioma translatum & Argentinæ impressum, non modo medicamentorum præparationes, sed etiam nominum significationes, authoresque ipsos accurate conscriptos continet, quibus, brevitatis causa, omissis, lectorem ad præfatum D. D. Bauderonum remitto, pharmacopoeiæ studio initiatis præ reliquis commendabilem.

CAP. X.

An Medicina Sacchar o carere nequeat?

ENarratis Sacchari virtutibus, ad necessitatem ejus, in usu medico nunc accedo, & quandoquidem tot pharmacopolia, innumeris medicamentis, Sacchar o conditis instructa, & ornata per Europam conspiciuntur, oritur quæstio, an Saccharum ad medicinam faciendam absolute necessarium sit? Ad quam negative respondeo, & licet ob saporem, & laudabiles qualitates, plurimum commodi adferat, sine eo tamen curas difficillimorum morborum absolvi posse, planum est. Neminem enim in scriptis veterum Medicorum, qui de origine, & progressu Medicinæ scripserunt, vel mediocriter versatum latere potest, illam ducentis annis viguisse, antequam Saccharum, ac illud excoquendi artificium cognitum fuerit. Etenim antiquissimi illi Medicinæ proceres, explorata morbi proprietate, tantum fere simplicia, ad scopum tamen apprime facientia remedia adhibentes, nihilominus ob felicem, in curandis ægris successum omnibus tanquam Dii admirationi fuerunt. Cujusmodi fide dignorum complures historicæ relationes, & inprimis de Hippocrate Medicorum Principe extant; ac etiamnum in vivis, doctissimi juxta, & experientissimi Medici reperiuntur, qui rarissime medicamentis, cum Saccharo mixtis utuntur, ac nihilominus felicissimam, secundum tria illa vota, cito, tuto & jucunde, praxin exercent: nec desunt tam magnæ, quam parvæ conditionis hominum exempla, simplicibus in quavis forma utentium, quos tamen in re medica non contemnendam operam præstare in confesso est, unde sequitur, Sacchari usus in praxi medica, nullam esse absolutam necessitatem.

CAP. XI.

Utrum saccharum sit necessarium ad conservandas virtutes, quorundam simplicium.

Confirmata supra posita thesi, saccharum nimirum ad curationem morborum, simpliciter non esse necessarium, altera quorundam instantia sequitur, illud tamen ad conservationem medicamentorum requiri, ergo saltem mediate etiam, ad curationem plurimorum morborum: quæ simili modo solvitur, ad curationes enim morborum, medicamenta viribus integra necessaria sunt: atqui quovis anni tempore, medicamentis, nullo saccharo conditis, curationes morborum absolvi possunt, ergo tanto tempore talia vegeta adhuc, & efficacia sine saccharo existunt, ac consequenter saccharum, ad eorundem medicamentorum conservationem, absolute necessarium non est. Adde, cum omnia, quæ sub Sole existunt simplicia, aut animalium, aut mineralium, vel vegetabilium genere comprehendantur: atqui nusquam compertum sit, pulmones, hepar, intestina, vel ullam animalis partem ad medicum usum expetitam, multoque minus metalla, marcasitam, lapides, vitriolum, sal, aliaque mineralia saccharo condiri. Restat, hanc quæstionem solummodo vegetabilia spectare, quorum partes, vel ipsa integra isto tempore collecta, à putredine defendi postulant, ac potissimum herbæ, folia, flores, fructus, semina, radices, cortices, ligna & succi expressi. Gummata enim balsama, resinæ, therebinthina, nulla tali conservationis ope indigent: Nunc vero conservationem rerum quod attinet, clarum est, nihil in rerum natura existere, quod simplicia, in eodem gradu, & temperamento, quo recens decerpta deprehuntur, absque ejusdem mutatione conservare possit, quin etiam quovismodo, conditarum vires temporis progressu exsolvantur; ac ipsis tum Medicis tum Pharmacopæis notissimum esse, omnes herbas, folia, fructus, semina, radices, cortices, ligna debito modo exsiccata, vires præcipuas diutissime conservare, succosque ex iisdem expressos, & inspissatos, non solum nostrates, sed quoque exoticos, nulla artis methodo coagulatos, ac simplicia utcunque exsiccata, absque additione sacchari, multo tempore viribus pollentia consistere, propriaque, & innati balsami virtute à putredine vindicari, atq; ipsorum refrigerantium & humectantium succorum, forma liquida, absque saccharo, ut nullum mucorem contrahant, conservandi modum, vulgo nunc innotuisse constat, etsi etiam coagulati, cum propriis aquis, ad eundem scopum soluti recte usurpari possint. Quæ cuncta satis probant, quod Sacchari ad simplicium conservationem, usus absolute necessarius non sit.

CAP.

CAP. XII.

An vires vegetabilium, quæ ſaccharo condiuntur, melius conſerventur?

THemate præcedenti probato, ac conceſſo, complura ſc. ſimplicia ſine ſaccharo vigore virium diu conſiſtere, etiamnum tamen dubium reſtat, an non melius, ac facilius ſaccharo mixta conſerventur? Reſponſio partem negativam, ratione, & experiētia firmatam tuetur: Etenim, cū illa ut ſupra docui præparata, in harmonia primarum, ſecundarum, ac tertiarum qualitatum, adeo completa ſint, ut eorum virtutes, naturæ propriæ convenientes, integræ deprehendantur; abſurdum eſt ſtatuere, easdem extranei cujusdam acceſſione, magis perfici poſſe: ſiquidem nulla res, ſub cœlo lunari, aut arte, aut ſponte producta extat, ut aliqui de materia prima ac univerſali ſomnia ſibi fingunt, adeo indifferens, ut alteri cuipiam incorporata, non alicujus novæ qualitatis impreſſionem faciat, illamque nonnihil alteret, ita ut magis pro compoſito, quam ſimplici habenda ſit. Quemadmodum etiam lentæ, & ponderoſæ ſacchari ſubſtantiæ, peculiares quædam, ad effectus ſingulares producendos, qualitates inſint, ita ut eo condita mutationem in ſapore, pondere, & conſiſtentia manifeſtam patiantur: nam cum ad alicujus ſimplicis, v. g. florum Roſar. vel Anthos ℔j. ſacchari ℔ß. ex præſcripto veterum recipiatur ad ejusdem conſervationem, unde quoque nomen conſervæ, quo pacto illa, exacte temperamentum ſuum nativum retineant, aut altiorem virtuti gradum impetrent diſpicere nequeo, ipſ enim ratio dictat, ad qualitatum ſacchai extenſionem ſimplicis vires neceſſario re mittere, niſi qui talem illi vim adſcribat qua inſtar fermenti, ſaccharum in propri am ſuam naturam convertere poſſit, quoc aſſerere ridiculum, & dementiæ proximum eſt: Ad eundem modum ſe res habet cum Syrupis, quorum magna copia ſacchari, Eſſentiæ, à qua denominationem accipiunt, vires fere ſuppreſſæ, vix aliquid effatu dignum, præſtare poſſunt, adeo, ut ſucci alicujus ſimplicis v. g. betonicæ ℥ß. integræ ℔. ejusdem Syrupi pene præſtet. Quare qui aliis, quam exſiccationis, & extractionis eſſentiarum via, putas ſimplicium vires conſervari exiſtimat, magnopere fallitur, & niſi alterius intentionis gratia, in uſum medicum hujuſcemodi ſubſtantiæ dulces, requirerentur, nulla ratio eſt, quin ab eo penitus excluderentur.

CAP. XIII.

Utrum uſus medicamentorum ſaccharatorum, rejiciendus ſit.

ETſi duobus præcedentibus capitibus probavi, ſimplicium vegetabilium, proprii, & innati balſami beneficio, vires abſque ſaccharo conſervari, ne hoc permixta, ſimpliciter exſiccatorum aut eorundem Eſſentiæ gradus quoad qualitatem & operationem eadem doſi attingere; non tamen eo, occaſionaliter, in deſcriptione ſacchari, illatus diſcurſus collimat, quaſi omnia ſaccharata medicamenta ſint, ſed

ut qualis, horum inter se distinctio facienda sit, innotescat. Præterquam enim saccharo; ut quinto, sexo, & septimo capite videre licet, multum tribuam, concedo, Saccharo confectorum medicamentorum, tanquam compositorum, etiam qualitatis, quam à saccharo mutuantur, respectu, magnum in Medicina usum esse. Ac primo conservæ, & condita, præmissis generalibus, maxime catharticis medicamentis, quasdam intemperies corrigunt, humores præparant, viscera confortant, aliosque effectus paulatim refectionis modo obtinendos præstant, & inprimis ad diuturnos, incurabiles, ac in habitum abeuntes morbos, qui potius per modum palliativæ, quam fundamentalis curæ, cum virium conservatione mitigari postulant, convenit. Exempli loco est saccharum Rosarum rubrarum, quod observata ordinata diæta desperatis phthisicis multo tempore vitam prorogare constat, qui effectus, nec ex solo saccharo, nec ex Rosis per se separatim sumptis, sed virtute totius compositi provenit, & ipsa Cidonia, quamvis austera, hujus præparationis beneficio, fere cætera condita suavitate superant, utilissima ad stomachi roborationem, spirituum vitalium restaurationem, ad internarum partium relaxationem, ac alvi fluxum immoderatum compescendum. Cortices Citri, Arantiarum, & Zingiber in India conditum, quamvis maceratione aliquam virium jacturam faciant, nihilominus ad stomachum, & interna viscera calefacienda, flatus dissipandos, eodem modo confecta, insignem habent efficaciam; nec facile morsulorum, antidotorum, aliorumque medicamentorum saccharo conditorum usu, in praxi medica carere licet, & ipsis Syrupis, (quamvis ut supra dixi, simplicium, è quibus componuntur vires, quantitas sacchari quodammodo obtundat,) tum purgantibus tum alterantibus, præcipue acidis, ipsius effectus testimonio, multum tribuendum: ad looch vero, linctus, & eclegmata, affectibus faucium, pulmonum & pectoris dicata, quandoquidem iisdem saccharum, per se convenientissimum est, optima ratione adhibetur. Quapropter perspecta eorundem utilitate, nihil causæ restat, cur ante aliquot centenos annos reperta, ordinata, & hunc in diem usque usurpata, imo necessaria medicamenta, è provincia medica proscribamus.

CAP. XIV.

Vtrum tot genera medicamentorum, saccharo confectorum in medicina necessaria sint?

Plurimæ, & propemodum infinitæ, ex saccharo cum aliis simplicibus compositiones, in lautioribus Europæ Pharmacopoliis reperiuntur, quarum non omnium ulla effatu digna necessitas est, hujus vero & tantæ varietatis triplex fere causa esse apparet, quarum prima hæc est, quod vix aliquis è Medicorum numero reperiatur, qui ab uno vel pluribus, licet cum iisdem, in affectus ejus-

que

que differentiæ, causæ, indicationum, & scopi curativi definitione conveniat, in electione medicamentorum non discrepet, ex hac vero tanta, ac tam diversa copia, quisque quod sibi potissimum ex usu fore auguratur, amplam eligendi potestatem consequitur: Secunda est ingeniorum curiositas, quæ vix unquam inventis acquiescunt, sed perpetuo, ad nova perscrutanda feruntur, ac quæ ad usum potiora sint, disquirunt, quod equidem culpandum non est, siquidem ad divinæ Majestatis gloriam, etiam his rebus conspicuam deprædicandam, & proximi commodum accumulandum spectat: Tertia est abusus quorundam, qui plurima sine necessitate, ad ostentationem præscribunt, & stolida opulentiorum persuasio, accuratiorem sui curam, hoc modo geri credentium, cum tamen naturæ motus potius interturbetur ac damnum innato robori inferatur. Concludo itaque: hanc varietatem superfluam & inutilem esse, cum vix ullus Medicus, qualemcunque ætatem attingat, decimam eorum partem ad usum referre possit, & plurimos, circumscripta certis terminis remediorum penu, suam in praxi felicitatem stabilire videmus, cum aliorum vicissim, tum simplicium, tum compositorum oceano, sensus fere obrui contingat.

SACCHAROLOGIÆ

PARS II.

CAP. I.

De elementarium partium, quibus saccharum constat, distinctione.

Explicata in præmisso tractatu, natura, qualitate, & usu sacchari, quæ medicinæ initiatum ignorare nefas, quid ex eo arte spagyrica, ad praxin præparato, consecutus sim, porro docebo. Etsi saccharum quoad partes elementares, cum cæteris vegetabilibus, quæ oleum, sal aquam & terram insipidam comprehendunt, ferme conveniat, differentia tamen aliqua, in iisdem cum aliarum rerum partibus, secundum colorem, odorem, saporem, pondus, & operationem chymicam deprehenditur, cujus mentio in Hydræleologia aliqua facta est: sequens autem processus, maximè compendiosus, abundè declarat. Cucurbitæ nimirum altæ, capaci (saccharum enim excalefactum promptissimè sursum nititur,) sacchari libris duabus aliquousque repletæ, juncto alembico, & excipulo, occlusisque juncturis catino arena cooperto impositæ, lenis ignis supponatur, ut aqua sensim destillare incipiat, quo gradu ignis, usque dum guttæ tardius prodeant, exin vero adaucto, donec nihil amplius elevari possit, opus continuandum est, & tandem refrigeratis instrumentis, aqua, cum

cum tantillo pro quantitate & qualitate facchari olei supernatante, (crudum enim ipso refinato plus olei continet:) excipitur, quod ab aqua per arenam demum rectificanda separatur; ex residuo facchari in cucurbita relicto & cinerem porro redacto, secundum modum in Tartarologia mea traditum, sal extrahitur, relicta terra quadam mortua, nullam propemodum manifestam qualitatem redolente, qua methodo, quatuor diversæ facchari partes separantur: Harum virtutes quod attinet, aqua acerrimæ & penetrantis qualitatis particeps, primum locum tenet, adeo, ut non minus ac fucci Citri, Berberorum, & illi ex Tartaro, ligno Quajaco melle destillati spiritus, Corallia, Margaritas, Cancros, lapidem pumicem; in subtilissimos atomos resolvendi vim obtineat, à cujus usu tamen, propter nidorem ingratum abstineo. Cæterum oleum easdem cum illo, ex Tartaro eliquato, & sal quoque ac ipsam terram communes fere cum reliquis vegetabilibus hujus generis substantiis qualitates complecti existimo. Quod ut quid ars Chymica valeat, & quomodo, ex hac operatione, ad plura arcana, via aperiatur, quivis intelligere possit, hisce paucis consignavi.

CAP. II.

De Sacchara cum spiritu vini soluto, à quibusdam oleo Sacchari dicto.

QUidam Chymici certum liquorem, oleum facchari vocatum, tanquam singulare arcanum, in pectoris, & pulmonum affectibus, sequenti modo describunt.

℞. Sacchari pulverisati q. f. spiritu vini, ad eminentiam digiti unius, affuso, accenditur donec ad Syrupi consistentiam condensari, & sponte extingui incipiat, quem liquorem dictis affectibus, infarctum phlegma incidendo prodesse minime nego, huic autem olei compellationem convenire, aut plus quam ipsum saccharum, quovis modo usurpatum in medendo posse, neque rationi, neque experientiæ consentaneum est, utpote quod nihil aliud est quam mixtura facchari, cum restibili ex spiritu vini phlegmate, nonnihil per adustionem spiritus vini quoad saporem & odorem alterata: nec enim facchari in oleum, adeo levi opera tam repentinam metamorphosin fieri credibile est, atque illi Chymici resoluto salis tartari liquori, spiritui vitrioli probe à phlegmate liberato, item illi ex ferro, auro, talco liquori parato, potius ex aliorum opinione loquentes, propter crassam & lentam consistentiam, olei denominationem tribuunt, ac ipsum saccharum cum aqua Hyssopi, Enulæ, Tussilaginis ad Syrupi consistentiam folutum, non solum gratius, sed longe utilius remedium est, quandoquidem ipsum phlegma spiritus vini, hoc putatitium oleum, deterius reddit: nec locum habet quod aliqui inferunt, nonnihil spiritus vini, aut acidum phlegma, cum illo relictum, ad incisionem crassorum humorum, multum prodesse, siquidem cæteris Syrupis, aut quibusvis liquoribus pectoralibus tantilla spiritus vini rectificati, aut aceti pars infusa, majorem effectum præstabit; adde nec ipsa adustione, saccharum ullam laudabilem qualitatem consequi posse, ita, ut ne quidem ad ali-

cujus

cujus communis medicamenti bechici præstantiam accedat. De quo tamen suum cuique liberum esto judicium.

CAP. III.

De tinctura sacchari antiquorum.

QUidam ex prioribus Chymicis, solutioni sacchari ad fuscum colorem reductæ, tincturæ nomen imposuerunt, quæ sequenti modo paranda: Saccharo in vitro, ad humectationem paulatim acetum destillatum affunditur, hocque mixtum, donec in fuscum liquorem solvatur, moderato arenæ calore fovetur, cui porro spiritus vini rectificatissimi, q. s. instillatur, ex quo aliquantum manibus agitatum, fulvum colorem acquirit, quo facto, & spiritu vini per Balneum Mariæ iterum abstracto, liquor lentus fusci coloris relinquitur, cui miram, in edulcorandis medicamentis, potestatem adscribunt, ut hac in re minima, maximæ sacchari parti æquipollere possit, nec in ullo liquore, quemadmodum ipsum saccharum denuo concrescat: sed cum saccharum nullum colorem, qualis in floribus Violarum, Rosarum, Tunicæ Croci cernitur, à corpore suo separabilem complectatur, illum ei per accidens ratione mixturæ, & caloris extranei, contingere necessario sequitur; quemadmodum in pluribus aliis, (de quibus, in divisione septem Planetarum terrestrium, Anatomia Antimonii, & Chrysologia mea, prolixius,) non tantum è vegetabilium, sed etiam mineralium genere, substantiis per earundem, maximè diversarum confusionem, colores, qui nec uni, nec alteri natura in sunt, exoriuntur, ita ut illi nullo modo tincturæ appellatio competat. Etiamsi enim hic titulus aliis etiam singularis virtutis medicamentis, quæ humorum malitiam consumendo, cachexiam & fœdam scabiem corrigere, ac caloris gratiam restituere valeant, ut in chirurgia magna, ac aliis operibus legitur, à Theophrasto Paracelso tribuatur; huic tamen eum ob defectum ejuscemodi virtutum, convenire, nulla ratio evincet; quin ipsius sacchari temperamentum aceti, & spiritus vini admixtione mutatur, hujusque tantoperè, supra saccharum ipsum deprædicata dulcedo, extractione, & exaltatione comparanda, nulla ratione & experientia, sed frivola, & stulta Pseudo-Chymicorum imaginatione nititur, nec solum aceto destillato, sed etiam spiritu victrioli, & salis nitri, saccharum, ut nullo modo in priorem formam reduci possit, primò solvi denique spiritu vini, in rubicundum liquorem redigi potest, qui tamen partim acidus, partim dulcis, inutilis ferè, & nullius momenti est.

CAP. IV.

De Sale Nitri cum saccharo præparato.

SAlem nitri ad internum usum, acutioris qualitatis corrigendæ causa, quidam cum saccharo sequenti modo præparare solent. Salis nitri purissimi sufficienti

ficienti quantitati, aqua fontana solutæ, eam sacchari copiam adjungunt, ut ejusdem sapor ferè præcellar, hinc aquositate, ad mediam partem, per exhalationem separata, loco frigido, nitrum, ad fundam vasis, in splendentes lapillos concretum, à residuo liquore, saccharum, & partem nitri continente, (ex quo, labore repetito, novi crystalli producuntur,) separatum seorsim, ad usum servant. Sed neque in hoc quicquam singulare deprehendere possum, cum nitrum pristinæ naturæ, (quod sapor, & ignis contractus probat,) particeps, minimum de sacchari substantia contineat. Quare utilius fore existimo, ut nitro optimè clarificato in mortario vitreo, competens sacchari quantitas misceatur, aut amborum q. s. in potionibus adhibeatur, quo laboris & sumptus compendio, cuilibet consultum esse spero.

CAP. V.

Quomodo ex saccharo spiritus phlogisticus eliciatur.

PRæmissis quasi per transitum, horum processuum descriptionibus, ne quis in rebus Chymicis minus versatus, quorundam vilium medicamentorum, specioso titulo decipiatur, ad principalem scopum, nimirum, ad demonstrationem illius in saccharo vinosæ qualitatis revertor. In Diota lignea sacchari ℔xij. cum fermenti cerevisiæ crassiusculi ℔ß. & octo mensuris aquæ calentis mixtæ, panno duplicatò cooperiantur, quousque fermentare incipiant, quo tempore, aperto aliquantum vase, fermentationi spatium aliquot dierum concedatur, ejusque fervore, & motu iterum sedato, per vesicam cupream, spiritus secunda destillatione rectificandus abstrahatur, cujus majoris quantitatis obtinendæ causa separata aliquantum parte crassiore, fermentans sacchari liquor, ad quatuor porro septimanas, in vase conclusus teneatur, ut beneficio blandæ, & diuturnæ fermentationis subsequentis, spirituosæ partes, de potentia in actum melius deducantur, quæ differentia in vino, cerevisia, & mulso quoque observatur, quandoquidem hæc ipsa, ultimum fermentationis terminum consecuta, alterum tantum spiritus vini suppeditant. Exempli loco, ex cerevisiæ Knisenack dictæ, benè fermentatæ 6. mensuris, una integra mensura spiritus vini generosi, ac vice versa ex recenti, non perfectè fermentata, vix tertia pars elici potest, qui ad aquarum vitæ compositionem commodior est, quandoquidem ob delicatiorem saporem, vis aromatum minus suppressa, gustum magis afficit, nec tanti momenti pretium est: cognovi enim ex anu quadam, Hamburgi habitante, se ex saccharo communi, aquam vitæ, leni sumptu præparasse, eamque vulgari pretio vendidisse, cujus tamen inventionis me Authorem, cujus dudum antea aliqui cognitionem habuerunt, minimè profiteor. Hac in re consideratione dignum occurrit, quodnam spiritus arden-

dentis, in saccharo proprium subjectum sit, cujus nullum uspiam vestigium, ne quidem per anatomiam totius mixti, sensibus comprehendi potest, qualis à sacchari qualitatibus, multum diversus, post fermentationem elicitur. Nec dubium solvit quorundam responsio, ajentium, partem oleosam, in saccharo contentam, fermentatione in spiritum resolvi, etenim hic olei quantitatem plurimum excedit, cum ex ℔j sacchari spiritus ardentis rectificati ℥v. olei vero vix ʒj. educi possit. Ac posito potissimam olei partem, ignis vehementia in vesica consumi, verosimile sit, diversam tamen substantiam, nunquam olei forma comparentem & sulphuri quidem cognatam reperiri constat, ac in rebus aliis etiam combustis, adhuc subjectum aliquod ignis latere palam est: plurima autem ex vegetabilibus, oleo admodum referta, nec tantillum spiritus ardentis, quocunque artificio adhibito emittere queunt. Instant aliqui, solummodo certam dispositionem fermentationem excludentem, in causa esse, ut ex talibus quantumlibet sulphureis, spiritus nullus extorqueri possit, atqui hæc ipsa, ad fermentationem indispositio, & peculiaris natura, diversum quid à proposito subjecto, & in illis, spiritus è potentia in actum deducendi penuriam arguit; nec illud oleosum esse quod in spiritum vertatur, experientia evincit. Spiritu enim omni per destillationem evocato, istud adhuc cum residuo sacchari conjunctum manet. Quæ cuncta manifestè probant, spiritum ex his eductum, à crasso illo, & sulphureo subjecto distinctum esse. Aquosam vero partem, spiritus materiam esse, multo minus probabile est, quandoquidem hoc posito, omnia illa, aqua & sulphure constantia, spiritum artis beneficio redderent, quod experientiæ repugnat, & ipsæ Chymicæ operationes reipsa monstrant, aquam à spiritu perpetuo separabilem esse, nec horum duorum unum in aliud, ulla artis ope transmutari. Quare cum nulli distinctæ, & ad oculum demonstrabili sacchari parti, secundum saporem, odorem, colorem, consistentiam aliamve qualitatem, definitè adscribi possit, eam à tota substantia, occultæ proprietatis, fermentationem recipientis adminiculo, promanare ratio convincit. Qua de re ingeniis curiosis, qui occultarum qualitatum indagatione pascuntur, philosophandi materia, & Magnalia Dei Creatoris, vel in minimis plantis expressa, admirandi, & deprædicandi occasio exhibetur.

CAP. VI.

Quomodo ex saccharo, potus meracus, Hydrosaccharum vinosum dictum, præparetur.

NEmo, ut arbitror dubitat, quandoquidem ex saccharo spiritus ardens elici possit, etiam potum meracum, quemadmodum ex uvis, pyris, pomis, melle, &c. evocari posse; sequenti mo-

 do.

no. ℞. Sacchari clarificati ℔iiij. Aquæ fontanæ ℔xij. dissolvantur in aheno stanno obducto, quæ mixtura, altero tanto, aquæ fontanæ per vices addito, spumam auferendo ad primæ quantitatis remanentiam decoquatur, quo cruditate correcta potus fiat salubrior, in cadum vero fusæ, & adhuc tepidæ, fermenti cerevisiæ duo cochlearia addantur; hinc post aliquot dies, liquor clarus, per colum transmissus, vase, è ligno quercino parato, excipiatur, orificio, pro fermentationis necessitate, aliquantum aperto; finita vero penitus fermentatione, ad orificium usque, servata ad hoc separatim liquoris parte, vas repleatur & in cella, ad minimum per 4. septimanas, ante usum quiescat, quo tempore robur acquirit, adeo ut paulo copiosius haustus, hominem temulentum reddat. Hic etiam aliarum rerum viribus quandoque imbuitur, immissis, dum adhuc ab igne fervet, corticibus Citri, Cinamomo, Zingibere, vel Cardamomo, floribus Rorismarini, radicibus Enulæ, calami aromatici cum ipso fermento pro rara proportione, quam in hoc artificio versatus facile noverit: ac cum potus aliquantum fortior expetatur, aquam minori copia, (non tamen ea ut Syrupi consistentiam acquirat,) adhiberi convenit, sed ut ad similitudinem lixivii mediocris, ovum supernatans gestare possit; quod si profundius se insinuat, imbecillioris potus indicium est, vires calefaciendi, cor exhilarandi, & confortandi easdem cum vino habet, in affectibus pectoris, nervorum item, & capitis frigidis, ipso mulso à Medicis in simili usu laudato, modo aromatum mixturæ expers sit, sine tanta acrimonia, longe temperatior existat, vino quoque acidum tartarum, & proprietatem nervos lædendi continente multo utilior est. Unde differentia inter res fermentatas, & non fermentatas elucescit, cum saccharum Julapii forma mixtum, nullam calefaciendi, & caput perturbandi, imò cum aliquibus aquis appropriatis, potius refrigerandi facultatem habeat, eoque ægrotis sine ulla læsione magna quantitate offeratur, hic tamen potus itidem ex aqua & saccharo compositus, post fermentationem, modica quantitate sumptus, inebriare possit. Ex hoc ipso colligere licet, quantum illa medicamenta sive artificiosa, seu sponte naturæ aut casu facta alteratione ab aliis non fermentatis, secundum manifestas qualitates differant, ut in medicamentis, ad refrigerandi intentionem præscriptis observatum est, quæ calore agitata, & ad fermentationem deducta, ac intra corpus sumpta, ventris perturbationes, inflationes, & similia accidentia excitant imò absoluta fermentatione, acrem & calidam qualitatem nacta, contrarios planè effectus edunt, quod annotatione dignum, quo neglecto, non solum Medici famam, sed etiam ægrotantium valetudinem, & vitam periclitari contingit.

CAP.

CAP. VII.

De præparatione Hydrosacchari compositi.

℞. PAssular.optimar. ℔xij. quæ in aqua fontana ad mollitiem coquantur, ac pistillo ligneo in cado contundantur, ac demum per setaceum, pelliculis, & acinis relictis trajiciantur. Huic pulpæ, cum aqua ex decoctione residua, & quatuor ovorum albumine, scopis agitatæ, major aquæ quantitas, ut tota mixtura ℔ xxxij. adæquet affundatur, eaque super igne claro, ne fumo inquinetur, amplius coquatur, quoad spumam crassam cochleari æneo separandam emittat, quo peracto, sacco percolanda infundatur, aliquam aquæ calentis portionem, sub finem addendo, residui transmittendi causa, & definita octo cantharorum mensura integra sit, eique iterum Sacchari finissimi ℔viij. in aquæ prius coctæ & depuratæ mensuris viij. solutæ addantur, hinc omnia in dolium, mali odoris expers imponantur, dum adhuc tepent, cum sequenti mixtura aromatica, & hyeme in hypocausto, æstate sub tecto, ubi Solis calore reverberari possint, quæ brevi tempore, emissa ad superficiem corona spumosa, atomisque, (quod mixtura in vitro existente visu jucundum est,) intercurrentibus, fermentare incipiunt, ac spatio triginta, vel quadraginta dierum iterum desinunt, pro majoris, vel minoris caloris ratione, frigido enim loco, fermentationem tardius absolvi rationi consonum est, in qua ab aliquibus fermentatione clausa dicta major diligentia, quam in aperta, pro rebus crassa fæce scatentibus v. g. cerevisia & mulso, adhibenda est, ne vel nimio calore vasa rumpantur, vel æquo minore, fermentationis perfectionem non assequantur, qua absoluta, clarum & limpidum liquorem separare, ac transvasare oportet, qui temporis progressu, vinum malvaticũ, sapore & odore aromatico superat. Calefacit hic potus, penetrat vitale robur, sensus, & partes principes restaurat, sensibusque eo modo, quo vinum malvaticum sumptus, plurimum prodest. Apparatus autem ad fermentationem talis est. ℞. Zingiberis excorticati ℥ß. olei corticum Citri, Cinnamomi, ana gutt. xx. Olei nucis moschatæ, Caryophyll. ana gutt. x. Ambræ grisea cum dictis oleis, ad olei consistentiam redactæ, ℈j. Moschi orientalis veri cum ℥j. spiritus Sacchari rosati soluti ℈j. fermenti cerevisiæ cochleare unum, quæ omnia adhuc in vigore constituta, & justo modo præparata, utriusque supra dicti liquoris quantitati imponantur. Ultimo aqua eligenda illa, quæ etiam cerevisiæ ac mulso alias convenit, & nullæ alienæ qualitatis particeps sit, non admodum dura, diutius excocta, ut in vase ligneo, per aliquot dies prius, omnem fæculentiam deposuerit, ita ut in illam cum Saccharo, amplius diu coqui minimè necesse sit, cavendum quoque ne inter coquendum aqua fumo, carbonibus, alioque inquinamento afficiatur. Ad quem modum etiam durissimæ aquæ ex montosis, aridisque locis scaturientes, & in vasis ligneis detentæ, præparari, ac ad hoc opus aptæ fieri possunt.

CAP. VIII.

Quomodo hydromel spirituosum, & meracum præparetur.

CUm mel manifestis qualitatibus cum saccharo, nisi quod aliud aliquantum acrius calidiusque sit, ut in paulo ante citato loco, ex Dioscoride demonstravi, in genere conveniat, & ipsum hydromel parandi artificium non tantum à variis authoribus describi, sed illud etiam à communi plebecula in septentrionalibus plagis confici contingat, singularem quoque parandi modum hic adjungam.

℞. Sex cantharos mellis cum aquæ prius decoctæ, & purissimæ mensuris xij. impressoque in vase, quo usque liquor pertingat, aliquo signo, major aquæ copia affundatur, super leni ac claro igne percoquendo ad spumam aliquandiu, ut lentescat, relinquendo, donec mensura una super cantharos octodecim supersit, ad defectum post clarificationē resarciendum: hinc ablata spuma, crassa, & octo albuminibus ovorum admixtis, denuo igni admoveantur, ad ulteriorem depurationem, depositumque ab igne decoctum, etiamnum fervens, per saccum transcoletur, affusa sub finem aquæ calentis portiuncula, ne utilis quidpiam in sacco residui fiat; quod uno aut duobus vasculis ligneis exceptum, & accurate clausum, loco calido, ad majorem fermentationis perfectionem ponatur. Mel autem ad hoc opus eligendum, sequentibus notis insignitum sit oportet, dulcedine nimirum excellenti, acrimoniæ mixta, odore aromatico, colore quodammodo flavescente, consistentia granulosa, & instar Therebinthinæ lenta, origine, è regionibus, quibus copia est plantarum odoriferarum, ac ipsa aeris constitutio calida & sicca, quandoquidem ejuscemodi locis apes nobilius mel colligunt, & ad præsens opus, magis aptum, quale ex Gallia Narbonensi, Portugallia, Candia, aliisque regionibus, aromatum feracibus, ad nos defertur. Fermentum autem ad hoc requisitum sequenti modo componitur. ℞. Zingiberis albi, Cinnamomi, Galangæ ana ʒij. Caryophyllorum, granorum Paradisi ana ʒj. omnibus crassiuscule contusis, spiritus vini vitreis instrumentis exacti, q. s. affundatur, quibus unius diei spatio maceratis, & expressis, Moschi optimi orientalis gr. iij. & cochleare fermenti cerevisiæ addatur; hic potus pro varia aquæ & aromatum proportione dilutior vel meracior redditur.

CAP. IX.

Alius hydromel passulatum.

℞. PUlpæ passularum, ad eum modum in Hydrosaccharo composito traditum, præparatæ; hæc cum aqua post coctionem residua, in ahenum, & quatuor cantharis mellis optimi, ac ea aquæ coctæ, & adhuc fermentis copia, ut integra mixtura plus quam octodecim cantharos adæquet: quæ cocta, despumata, cum decem albuminibus ovorum clarificata, etiamdum fervens in cado, ad fermentationem cum portiuncula fermenti cerevisiæ reponitur, qui potus vinum Hispani-

ſpanicum ſpurium, aut aliud aromatibus conditum æmulatur. Plura potuum genera huic loco cum malis citriis, pomis Arantiarum, Cidoniorum, Ceraſis, fructu Rubi Idæi præparata inſerere potuiſſem, cum ex hiſce præmiſſis, quemcunque in arte vel mediocriter verſatum ſummam rei facile comprehendere poſſe ſperem, iiſdem ſuperſedere viſum eſt. Vires quod attinet eas cum Hydroſacchari qualitatibus, partim cõvenientes, partim pro mellis proprietate, & calefaciendi energia, ad frigidos nervorum, capitis, & pectoris affectus, majorem efficaciam obtinet, ac vicem præſtantiſſimi melicrati ſubit, illoq; quod à dulciariis conficitur longè laudabilibus, colore ſcil. fuſco, ex melle communi, aut ejus fæce parato, nauſeam, & tormina concitare ſolito; quod quidem duris, & agreſtibus hominibus, aliquantum tolerabile, in genere vero ſanitatis ſtudioſis fugiendum eſt.

CAP. X.

De liquoribus fermentatis Medicinalibus.

PRæmiſſis nunc aliquot potionum generibus, ad quædam medicamenta fermentatione exaltanda, tandem rei ordo vocat, quæ brevitatis cauſa, ſolo ſimplicis fermentati titulo inſignita deſcribuntur.

Fermentatum Roſarum, aliorumque florum.

℞. Florum Roſarum incarnatarum, ſicca aeris conſtitutione collectorum, & craſſiuſcule conciſorum ℔iiij. his in cucurbita ſtannea alembico cæco munita, tantundem aquæ roſarum affundatur, & per horæ ſpatium, in aqua ferventi detineantur, dein maceratio & expreſſio liquoris, cum recentibus Roſis, toties repetatur, donec infuſum Roſarum eſſentia ſatis imprægnatum, ut digitis propter craſſitiem quodammodo adhæreſcat, quod admixtis Sacchari finiſſimi ℔j. & ℥iij. ac juſta fermenti quantitate in lagena forti vitrea & loco calido, per tres dies, fermentationis cauſa detineatur, qua peracta & ſpuma craſſa, cum fermento ſupernatante ſeparata, ad ulteriorem, ac blandam fermentationem, lagena, ita ut ad duorum tranſverſorum digitorum altitudinem vacua ſit, claudatur, donec depoſito ad fundum ſedimento, liquor limpidus alio vitro excipi, & loco frigido ſervari poſſit: hoc fermentatum Roſarum, Rubinum colore, & odore ipſas Roſas ſuperat: qui modus in fermentato florum Caryophyllorum, & violarum parando itidem obſervandus.

Notandum autem, in fermentatis florum Paralyſeos, Liliorum convallium, ad affectus capitis & nervorum ordinatis, mel virgineum ſelectiſſimum, ſine coctione & deſpumatione tantummodo in liquoribus ſolutum, ipſo Saccharo præſtare, nec toties repetitam infuſionem in calidis, ſiccis, & odoriferis ſimplicibus neceſſariam eſſe, ſed tamen, ad eorum eſſentiam extrahendam, aliquanto plus aquæ convenire. Vires quod attinet, eandem cum aliis ſpirituoſis liquoribus, calefaciendi nimirum & penetrandi facultatem obtinet, remiſſa laxandi qualitate, qua infuſum,

fusum, aut Syrupus Rosarum præstat, nihilominus, tamen corroborandi virtute pollet, ad mixturas bilem, ac serum ducentes, & purgantium actiorum Colocynthidis puta, Scammonii & Hellebori extractiones, ad massas pilularum purgantes, electuaria, & confectiones cordiales, apozemata heparica & stomachica, epithemata confortantia, ad quæ alias Rosæ recipiuntur, maximè convenit, quandoquidem bases similium medicamentorum, penetrante & spirituosa subtilitate plurimum adjuvat. Ex hoc fermentato, spiritus ardens, per Balneum Mariæ, aut arenam vaporosam, elicitur, qui excellentissimus est, & ad Ambræ griseæ extractionē & aquarum aromaticarum compositionem adhibetur, vocaturque hic liquor spiritus Sacchari rosatus, ad distinctionem spiritus Rosarum simplicis, qui ex solis Rosis conficitur, quod à prima destillatione reliquū est, facili opera, in acetum fortissimum convertitur, atque cum omnibus cæteris fermentatis parandis par ratio est.

Fermentatum florum Aurantiorum.

Flores Aurantiorum, ob odoris præstantiam, magna in medendo virtute pollent, quam ob causam, ad aceta, conservas, condita, & pretiosa unguenta recipiuntur, & inter cordialia medicamenta, præcipuum ferè locum obtinent. Fit autem hoc fermentatum eodem modo, quo Rosarum paulò ante traditum, florum nimirum, cum eorundem aqua triplici infusione & expressione, addita Sacchari & fermenti justa quantitate. Quorum deficiente copia, ut in frigidis regionibus contingit, in vase è ligno quercino, arctissime compressi, & clausi ne aer externus eosdem tangere possit, ad quæ vis loca deferri possunt, aut prius in tabulato expansis conveniens Sacchari pulverisati quantitas misceri, & prius dicto modo dolio excipi possunt, qua ratione, facilius à corruptione servari, & tandem affusa aliqua ejusdem aquæ stillatitiæ portione exprimi, & cum fermento expressum ut superius dictum perfici potest, quod insignes virtutes obtinet, ad vitales & animales facultates restaurandas, ad exhalationes malignas ex humorum putrescentium minera ortas, per sudorem & insensibilem transpirationem discutiendas, pestilentem, luem arcendam, & animi tristitiam sublevandam, ex iisdem spiritus ardens ut de Rosis dictum evocari, & ad similem usum adhiberi potest, quamvis fermentatum, ad sudoris provocationem, propter substantialium partium ex floribus collectionem utilius est: datur de hoc fermentato pro vice, cochlearis unius mensura, & aliquando plusculum.

Quomodo ex Betonica, aliisque herbis fermentata fiant.

Succus ex Betonica non valde adultâ expressus cum albumine ovorum clarificatur, cui super moderato igne, per exhalationem quarta ejusdem parte consumpta, justa, (ut de fermentato Rosarum docetur,) sacchari quantitas additur. Hac methodo parantur fermentata Melissæ, Menthæ, Salviæ, aliarumque herbarum calidarum & siccarum; illis vero quæ parum succi obtinent, inter contundendum aliqua

aliqua portio propriarum aquarum affundi debet, & succus omnes expressos, in vase clauso, ne subtiliorum partium per exhalationem jactura fiat, clarificari æquum est: Quomodo etiam ex herbis siccis fermentata fieri possunt.

Hæc præparata, sequuntur vires suorum simplicium, ex quibus constant, quas sacchari conveniens proportio nullo modo obtundere potest, imo hæ ipsæ fermentationis beneficio, ita exaltantur, ut multo majorem vim, in corpus humanum agendi, altiusque penetrandi, quam alia cruda aut simpliciter permixta medicamenta exserere possint: in specie autem fermentatum Betonicæ affectibus pituitosis capitis, & nervorum convenit, pectori, stomacho, intestinis, renibus, utero, hepati & lieni obstructis maxime prodest, vulnera interna glutinat, ac plures effectus, (quos omnes recensere superfluum est:) præstare aptum atque natum est, quos, in peculiari libello, de Betonicæ virtutibus, ab Antonio Musa, Cæsaris Augusti quondam Medico, conscripto videre licet, ut etiam apud Italos, quendam magnopere laudare volentes, Proverbium enatum: Colui ha tante virtu che la Betonia. Dantur hujus fermentati, pro dosi duo cochlearia cum Jusculo carnium cerevisia aut vino mixti, in die semel aut etiam bis aliquando, aliorum vero quæ amaritudine & caliditate excedunt, dosis minor est. Ex his fermentatis vina medicata ex tempore parari & quotidie integri mensis spatio, pro affectus discrimine usurpari possunt.

Fermentatum succi Cidoniorum aliorumque fructuum.

Succus Cidoniorum recenter expressus, octodecim dierum spatio circiter, donec clarus evadat in vitro clauso reponitur, hinc decantatus in cucurbita ad lenem ignem positus ad mediam partem exhalare permittatur, in cujus ℔. quinque una sacchari dissolvatur, ac secundum sæpius jam dictum modum, fermentatum fiat ut quoque ex pyris, pomis, prunis sylvestribus, cerasis, baccis Sambuci, fructu Rubi Idæi fieri solent, hac distinctione observata succos densiores minore exhalatione indigere. Convenit hoc fermentatum potissimum ad corroborationem stomachi, & ciborum concoctionem. Fermentatum Rubi Idæi ad vitales partes, & sensus recreandos; ac illud, quod ex baccis Sambuci paratum est, ad dysenteriam, aliosque alvi fluxus compescendos.

Fermentatum ex Radicibus Scortzoneræ.

℞. Radicum Scortzoneræ, quæ nullam cariem senserunt, ℔j. his in taleolas concisis, in cucurbita stannea aquæ fontanæ ℔viij. affundantur, quo facto alembicus cum recipiente adaptetur, & moderato igne aliquandiu coquantur, cujus decoctum, cum ipsis radicibus fortiter exprimatur, quod aquæ destillatæ, cum aliquot ovorum albumine junctum, iterum, ut ante in vesica coquatur, & destilletur: decoctum cum destillato refrigeratum per sac-

Z cum

cum coletur:percolati ℔iij.Sacchari finissimi ℔j.miscetur, & præscripto modo ad fermentandum reponatur.

Hac ratione & via,ex radicibus Asparagi, Cichorii sylvestris,Graminis, Sarsæparillæ, Chinæ fermentata præparantur, quantitas radicum autem arbitraria est, prout quisque fermentatum, majoris vel minoris operationis expetit, aut normam dosis eligit, aromaticorum enim & calidiorum minor copia requiritur, quæ cuncta in specie definire hujus loci non est. Fermentatum Scorzoneræ, obstructiones hepatis,& lienis expedit urinam, & sudorem promovet,putredini,& pestilentis luis contagio resistit. Vesica cum alembico ad hoc opus,de qua paulo ante,sit oportet ex stanno anglico,aliove optimo, ejusque refrigeratorium ex cupro, de quibus instrumentis in Hydræleologia plura videre sunt. Commodum est plures vesicas, ad præsentem rem,in promptu habere, siquidem tales non solum ad destillationem aquarum, & oleorum, sed ad quæcunque medicaměta ex simplicibus in forma liquoris paranda aptissimæ sunt,eo modo enim quod alias subtilissimarum partium, in auras exhalaret, receptaculo exceptum, reliquo iterum conjungi potest,atque decocta ratio hæc solummodo spectat: infusiones enim in cucurbitis vitreis, cum alembico cæco optime perficiuntur, nec diplomata ex cupro probare possum, quæ ne in frusta dissiliant operi adhibita,necessario canaliculum adjunctum habent, per quem vires rerum coquendarum expirare possunt, adde pravam qualitatem,quam à cupro contrahere solent, præsertim acida, quæ ne quidem in stañeis instrumentis, licet ad alia melioribus, sed vitreis aut terreis & optime vitreatis excoqui debent. Oportet autem non longe à collo, epistomium vesicæ junctum esse, per quod deficiente aqua, (refrigeratis tamen prius omnibus, ne subtiles decocti partes exhalent:) alembico immoto recens infundi possit, quomodo etiam ne vasa etiam ipsa stannea igne liquescant, satis cautum est, ac talem decocta & infusa parandi modum, sicubi à me eorum mentio fiat, intelligi volo.

Fermentatum ex Cinamomo, aliisque aromatibus.

℞. Cinamomi acutissimi ℔.ß.Aquæ Rosarum fragrantissimæ ℔iiiß.fiat infusio in cucurbita & decoctio fortis, accurate adaptato alembico cæco eoque magno,& subsequens maceratio in Balneo Mariæ, aut arena vaporosa, per octo horas, quod infusum, vel decoctum sub clausura refrigeratum, probe exprimitur,ac ℔j.sacchari finissimi soluta miscetur, & ad reliquorum normam fermentatum fiat.

Idem modus observandus, cum cæteris aromatibus Caryophyllis, Galanga, Zedoaria,&c.actiorum tamen, & calidiorum, minor quantitas, ad certam aquæ portionem sumenda:fermentatum Cinnamomi,stomacho,intestinis & cordi opitulatur,flatulentos & frigidos affectus, diarrhæam,ac lubricitatem,à copia phlegmatis cor-

corrigendo, nauseam, vomitum & ructus compescit, fœtum in utero confortat, gravidis phlegmaticis, ac melancholicis comprimis utile est, offertur uti alia fermentata, cum Julapiis & liquoribus appropriatis, quo etiam apozemata aromatizantur.

CAP. XI.

De liquoribus fermentatis medicinalibus compositis.

PRæter jam dictata simplicia fermentata etiam composita prout sequitur parari possunt, quorum initium à fermentato cephalico in hunc modum facere visum est.

℞. Florum Paralyseos ℥iij.
Lilior. convallium
Rosar. rubr. an. ℥iß.
Foliorum Rorismarini.
Salviæ
Sem. fœniculi dul.
Sesel. Massil.
Cort. Ligni Sassafras
Ligni Aloës optimi
Rad. præoniæ an. ℥j.
Iridis florentinæ
Granorum Paradisi ana ℥ß.
Caryophyllorum ʒvj.
Spicæ Nardi
Cardamomi ana ʒj.
Ambræ Griseæ ℈j.
Moschi orientalis ℈ß.
Aquæ succi Betonicæ ℔vij.
Mellis odoriferi ℔ij.

Flores Paralyseos, ac cæteri ab alabastris seu viridi sedimento liberari, ut etiam reliquæ herbæ probe exsiccentur, ut odorem, & saporem integrum servare possint, quemadmodum in tractatu de Essentia vegetabilium tradidi: simplicia hæc porro incidantur, omnibusque commixtis in cucurbita aqua ex succo Betonicæ per vesicam destillata affundatur, ut infusum more Spagyrico fiat, cui expresso & colato & cum duorum ovorum albumine in vase clauso clarificato mel ex Gallia Narbonensi, aut Portugalia ac Moschus & Ambra cum sacchari ℥ß. pulverisata addantur, & cum debita quantitate fermenti reponantur. Appropriatum medicamentum est in affectibus capitis frigidis, & humidis, materiam peccantem digerit & expulsioni aptam reddit, simulque memoriam, ac visum acuit. Dosis cochlearia duo admittit.

Fermentatum Cordiale.

℞. Florum Buglossi exsiccat. ℥v.
Tunicæ rubr.
Rosar. rubr.
Ocymi Caryophyllati
Foliorum Melissæ ana ℥iß.
Rad. doronici
Agallochi
Cassiæ ligneæ
Cinamomi acuti ana ℥j.
Santali citrini veri
Macis ana ℥ß.
Croci orientalis ʒj.
Ambræ ℈j.
Moschi Alexandr. ℈ß.
Aquarum Rubi Idæi.
Rosar. optimæ an. ℔iiiß.
Sacchari refinati albi ℔ij.

Ex quibus secundum proxime præscriptum modum fermentatum paratur, ad cordis debilitatem, ex intemperie frigida, & humida, omnemque molestiam à flatibus, & fuligine succi melancholici ortam convenientissimum, omnes partes internas cum calore nativo corroborat: Dosis eadem, quæ superioris fermentati cephalici.

Fermentatum stomachale.

℞. Foliorum Menthæ crispæ ℥iiij.
Summitat. Agerati
Absynthii pontici
Cortic. exterior. Arantior. ana ℥ij.
Galangæ
Cinamomi
Sem. fœniculi
Anisi
Coriandri ana ℥j.
Rad. acori
Caryophyllorum ana ℥ß.
Succi Cydoniorum depurati
Aq. Menthæ crispæ an. ℔iijß.
Sacchari albi puri ℔ij.

Ex his speciebus eodem modo quo antecedens, fermentatum paratur, sed propter Cydoniorum succum, infusum & clarificatio, in vasis vitreis fiat, necessum est. Hoc fermentatum stomachicum plane est, ventriculum confortat, nauseam, cruditatem, & appetitum dejectum ac humidam intemperiem emendat, nec non hepatis lienis, intestinorum, & uteri infarctus, à crudis humoribus tollit.

Fermentatum Bezoardicum.

℞. Foliorum Scordii nostrat. probe exsiccat. ℥vj.
Rad. Galangæ
Scorzoneræ an. ℥ij.
Cortic. exterior. Citri
Rad. Petasit.
Carlinæ
Vincetoxici
Zedoariæ
Sem. Card. bened. an. ℥j.
Opii Thebaici, supra laminam ferream cum aceto Sambuci irrorati, postea absque ustione exsiccati ℥ß.
Aq. ex succo Veronicæ destillatæ ℔iiij.
Succi Citri vel Limon. depurati ℔iij.
Mellis odoriferi optimi ℔ij.
Fiat fermentatum, secundum præscriptum modum.

Bezoardicum hoc fermentatum, febrium, variolarum ac ipsius pestis malignitati & putredini adversatur, humorum corruptelam per insensilem transpirationem exigir, & tum vitalem, tum animalem facultatem contra venena tutatur. Dosis ejus cum liquoribus appropriatis est ab ℥ß. ad ℥j.

Fermentatum Nephriticum.

℞. Flor. Chamæmeli ℥iiij.
Foliorum Parietariæ ℥iij.
Rad. Glycyrrhizæ ℥ij.
Ononidis
Pimpinell. hircinæ
Sem. lappæ. maj.
Saxifrag. albæ
Fœniculi dulc. an. ℥iß.
Aq. fragorum.
Cerefolii an. ℔iiiß.

Mellis

Mellis virginei optimi ℔ij. Misce & fiat fermentatum secundum artem, quod infarctus renum, & obstructionem meatuum à materia viscida & sabulosa expedit, calculum comminuit, flatus & urinam expellit, & ad omnem tartaream materiam, in morbis chronicis resolvendam, utilissimum est. Dosis eadem quæ præcedentis fermentati, cum liquoribus appropriatis, tam ad curationem, quam præservationem: ejus tamen usus, præsente intemperie hepatis, ac renum calida moderatus esto. Atque hic de liquoribus fermentatis, ad evitandam prolixitatem, finem faciam, cum ad horum imitationem in arte medica versatus, varia fermentata, confortantia nimirum, sudorifera, diuretica, alexiteria, & præcipue purgantia, quorum malignitas fermentationis beneficio, plurimum corrigitur, singulos in usus componere potest, minoris vero quantitatis aquæ ad tantam simplicium copiam ratio est quæ parva dosi offerri, melius conservari, ac in peregrinatione portari possint; cum eadem facile nihilominus, sub ipsum usum, admixtis liquoribus appropriatis temperentur.

CAP. XII.

Aliud fermentum, æque ac supradictum utile.

Extra dubium est, saccharum, ac multo magis mel, innata proprietate, ad fermentationem proclivia esse, quod tamen cum fine temporis, & manualis operæ dispendio fieri nequeat, fermenti additionem necessariam esse dico, ex fæce nimirum Cerevisiæ; quæ ad rem præsentem, propter dulcem, & spirituosam substantiam magis facere videtur, vel ejus loco sequens etiam, commodissimum est.

℞. Hordei decorticati, & puri in mortario contusi, quantum placet, aqua frigida, ad eminentiam digiti unius affusa, duodecim horarum spatio, maceretur, hinc plus aquæ addatur, & ad consistentiam mellis, aut muccaginis coquatur, eique justa portio sacchari, ad sensibilem dulcedinis perceptionem miscetur, tandem ad hujus partes duodecim, una fermenti farinacei communis additur, quæ mixtura olla vitreata excepta, in loco calido, duorum dierum intervallo in fermentum perficitur. Admonitionis loco hoc addo, omnes liquores cum fermento, adhuc calentes miscendos, & denique à frigore ne labor irritus fiat, esse defendendos. Quin etiam ex Byne, hordeo scilicet madefacto, & post germen emissum torrefacto, superiori tamen non comparandum; fermentum parari potest.

CAP. XIII.

Quomodo ex sacchara acetum fiat.

Nec hoc controversum est, ex quolibet subjecto spirituosæ substantiæ participe, acetum secundum omnes qualitates perfectum, ac quidem sequentibus modis fieri posse.

℞. Sacchari ℔j. Aquæ ℔iiij. huic mixturæ calefactæ, in urceo lapideo, fermentum panis nucis juglandis magnitudine, cum aliqua parte tartari, aceto conspersi,

persi, & pulverisati addatur, hinc totum mixtum, vase probè obturato, calore foveatur, donec fermentatione absoluta, liquor ex turbido clarus, cuticula obductus, & in acetum mutatus appareat, quo pacto acetum, vetustate majorem vim acquirens paratum est. Aliud sequenti modo perficitur, ablata per Balneum Mariæ, ex Hydrosaccharo vinoso spirituosa parte, reliquo in cucurbita restanti, superius præscripta adduntur, & secundum traditam methodum ad fermentandum reponitur, quo unico labore, & spiritus, & acedi duplex fructus percipitur. Nec tantum ex hujus Hydrosacchari residuo, sed etiam omnibus cum saccharo fermenratis, infusis, & decoctis, spiritu per destillationem abstracto, acetum parari potest, exceptis fermenratis, cum succo aliquo omnino acido confectis, hæc enim etsi destillatione spiritum ardentem emittant, reliquum tamen vix summo ignis gradu, nec sine empyreumatis contagio elici potest, tenaci, ac crassa, & quodammodo vitriolata præcipuè Cidoniorum, Limonum, Berberorum & Ribium natura reluctante, ita ut nulla ex parte, cum aceto tum qualitate, tum operandi modo, non minus ac spiritus vitrioli, vel sulphuris cum Nitri spiritu conveniat.

Cæterum, aceti ex saccharo parati, tum in cibis, tum in medicamentis, idẽ usus, ac communis aceti esse potest; quin etiam ad quasdam res multo convenientius est, cum à tartarea illa, aceto unice incorporata, ut separari nequeat, substantia immune sit, maxime vero ad præparationem magisterii perlarum, corallorum, & inprimis, acetum ex fermentatis cordialibus, Rosarum, nempe florum Aurantiorum, Tunicæ Buglossæ, fructus Rubi Idæi, propter qualitatem appropriatam, vitales partes confortandi ipsis conjunctam, in quorum elaboratione nec labori, nec sumptui parcendum est.

CAP. XIV.

De Essentiis vegetabilium Saccharatis.

NOn obstante superius data instructione Essentias vegetabilium bene præparatas, ab humido aëre intactas & vitreis vasis inclusas vi innati balsami, absque additione, longo tempore conservari posse, aliæ tamen præparationes, ad earundem majorem perfectionem minimè negligendæ sunt, ut patet ex sequentibus causis.

Quarum prima hæc est, quod cum Essentiæ simplicium humectantium, ad eam, per exhalationem quamvis moderato igne consistentiam redigi nequeant sine notabili earundem temperamenti, ad intentionẽ necessarii jactura, ipsæ per additionem sacchari, non ablata succulentia necessaria, à corruptione multo tempore immunia reddi possint.

Secundo, cum proprium colorem Essentiarum, per nimiam exhalationem perire necesse sit, ille ipse, in saccharo conditis, sine tanta per ignem exsiccatione, ac consequenter salva coloris integritate, servari possit, quamvis alius etiam modus, colorem in sicca consistentia conservandi, optime mihi notus est, commodum tamen ex succi integritate redundans, in quibusdam Essentiis longe majoris facio; potissimum vero

vero acida saccharo indigent, quæ per se, vi ignis ad eam consistentiam ut durare possint, sine notabili alteratione, ac coloris mutatione redigi nequeunt, sed nimia acrimonia contracta, omnis congenita pars sulphurea corrumpitur. Ultimo quædam harum Essentiarum, (resinosis exceptis:) ni saccharo conditæ sint, progressu temporis adeo indurescunt, ut difficulter in liquoribus solvi possint: Cuncta quæ incommoda, facilima sacchari admixtione evitari queunt.

Essentia Acetosæ saccharata.

Acetosam, folio rotundo sacculento, ad cordis propemodum figuram accedente, ab aliquibus Hispanicam vocatam, ob gratam ad gustum aciditatem aliis præferendam esse censeo, cujus succi albumine ovorum clarificati, inque conchis terreis probe vitreatis ad mediam partem consumptii ℔xij. sacchari finissimi totidem unciæ adduntur, & porro aliquantum magis, ad Syrupi consistentiam inspissantur. Quæ Essentia hoc modo præparata, cum tartaro suo acidulo ad fundum subsidente, in vitreo ad usum reponitur, cujus uncia tribus vulgari modo præparati Syrupi unciis præstat, ac pauca quantitate Elæosacchari admixta, Syrupum Citri æmulatur. Essentia hæc contra febrium biliosarum fervorem, pestilentem constitutionem, ac pravas ex hypochondriis evaporationes, viscerum intemperiem, & obstructionem, plurimum valet, & in potiones refrigerantes, aptissima est. Tartarus autem, qui postliminio ab eo, in fundo vasis separatur, à saccharo ablutus, ad usum in Tartarologia mea notatum servari potest.

Essentia Glycyrrhizæ saccharata.

℞. Glycyrrhizæ rasæ selectissimæ in particulas concisæ, & in sufficienti quantitate aquæ infusæ ℔iij, quæ post convenientem macerationem exprimatur, & expressum additis sacchari ℥iij. ad consistentiam, per exhalationem redigatur, quemadmodum Essentia parata, vulgari illo succo Glycyrrhizæ inspissato, satis adhuc impuro, multum præstat ac in liquoribus soluto multo facilior est. Quam differentiam quidam turpiter negligunt, crimen esse putantes, si alia, quamvis meliora amplectando, ulla in re, à veterum norma recedant, quorum tamen væsania parvi facienda est.

Essentia capitum papaveris saccharata.

℞. Capitum Papaveris, nondum plane maturorum, succum lactescentem, suprema cuticula solummodo incisa, fundentium, ℔iij. hæc seminibus, & interna pellicula remota incidantur, ac in vesica cuprea stanno obducta, solo operculo tecta, (cum quidquid evaporet parum hic referat:) justa aquæ fontanæ quantitate, donec viribus capitis Papaverum satis impregnata sit, coquatur. In expresso porro, & per residentiam depurato, sacchari ℔ß. dissolvitur, & ad consistentiam Syrupi, per exhalationem inspissatur. Quæ Essentia, ut supra memini, propter saccharum, facile

cum

cum liquoribus solvitur, inque omnes usus, ad quos alias ipsum papaver recipitur cumprimis vero, ad tenues, calidas & salsas defluxiones incrassandas; & insomniam a causa calida tollendam, ac quorumlibet humorum acrium præparationem percommoda est, parva equidem dosi, nam unius cochlearis mensura, vulgaris Syrupi de Papavere, trium unciarum efficaciam adæquat, ac nihilominus, tam ad conservationem, quam mixtionem cum aliis, nec non sumptu, & portatu commodior est.

Essentia Rosarum saccharata.

℞. Infusi Rosarum, facti, secundum modum in cap. IX. explicatum ℔ viij. quod addita sacchari finissimi ℔ ß. in patina terrea vitreata, secundum modo superius traditam præscriptionem inspissetur? Ac sic Essentia Rosarum, ad eundem effectum, quo Syrupus Rosarum solutivus, sed minori dosi usurpanda parata est. Sic quoque ex Rosis rubris, adstringentibus ad viscera corroboranda, triplici infusione, cum debita sacchari quantitate, Essentia Rosarum conficitur.

Essentia Violarum saccharata.

℞. Succi Violarum expressi ℔ iiij. ℥ iij. cui calefacto, ac tandem post diei spatium, per pannum setaceum colato, sacchari finissimi ℔ ß. additur, ac spissatur, quæ colore vivido ultra annum integra persistit, deficiente vero copia violarum, ex infuso cum floribus integris, secundum instructionem, in Anatomia vegetabilium, & Appendice Thesauri spagyrici traditam, ex præscriptione sæpius nunc data, violarum Essentia parari potest. Quemadmodum vulgo, ex succis, decoctis, atque infusis, cum additione sacchari, medicamenta durabilia præparantur. Vires harum Essentiarum in genere, fere cum medicamentorum sine saccharo præparatorum qualitate & operatione conveniunt, nec enim modica sacchari quantitas tantam differentiam parare potest, licet dosi aliquantum majori exhibendæ sint, quam quilibet, in arte medica versatus, pro sacchari, & siccorum proportione, modoque eas diluendi, & cum reliquis medicamentis, utpote Syrupis, electuariis, linctibus, morsulis, &c. miscendi facile inveniet, quæ omnia in specie, si recensere vellem, in immensum opus excresceret. Admonitionis loco addo, patinas in quibus succi, ad ignem, propter exhalationem ponuntur, latiusculas esse oportere, ut illi fundum vix cooperiant, ut ita Essentiæ citius, sine contractione empyreumatis, & coloris, jactura, consistentiam acquirant, ad quod patinæ, ex stanno anglico nisi aut acria, aut valde acida sint, satis commodæ sunt.

CAP. XV.

De Elaosaccharo.

Quandoquidem olea ex aromatibus, calida, odorata, cujuscunque nominis sint, difficulter forma liquida servari, & quantumvis conclusa, propter subtilem, & nimiam penetrandi facultatem, vix diu consistere possunt, quin mucosam, & viscidi liquoris, spirituosa substantia pene consumpta, naturam redoleant, accedente præ-

præsertim, sæpius repetita apertione vasorum, quibus etiam, in vectura conquassatis & in frusta missis totum contentum perire potest, pridem meliorem ea conservandi, & ad usum exhibendi convenientiorem modum meditatus sum, nec commodiorem invenire potui (quo, veluti spiritus vini, in phlegmate custodiatur:) quam illum per sacchari admixtionem, quod siccitatis ratione, oleum absorbere proclive est, & odoris absentia fragrantiam eorum, nullo modo obtundit, penetrandi vero vim, modica quantitas quantumvis dulcis minime infringit. De quibus, quidem in Anatomia Essentiarum vegetabilium prius dictum est, sed propter sacchari anatomiam, hoc loco, id repetere visum est. Recipitur nimirum pollinis sacchari subtilissimi quantum libet, eique guttatim olei cujuslibet destillati tantundem affunditur, ut aliquantum humectarum, forma pulveris subsistere possit, quod phiola vitrea, angustioris colli, primo subere, deinde charta, & velica supra nexa, obturatum in loco frigido reponi debet, tam ad meliorem conservationem, quam facilem, cum aliis liquoribus mixtionem purgantiumve correctionem, & aromatizationem maxime proficuum, animadversione hac adhibita, ut ad Balsami usum, saccharum minori quantitate addatur, ita ut ad unguenti mollis consistentiam propemodum accedat. Diversa quoque Elæosacchara, cum Moscho, Ambra, vel alia quapiam Essentia aromatica, ad clareti confectionem adhiberi possunt. Iis vero minime consentire possum, qui salia simplicium extracta, loco sacchari hujuscemodi oleis miscent. Elæosacchari autem voce Græca nihil aliud intelligitur, quam olei alicujus adjuncto nomine proprio, cum saccharo mixtura. Cui tractatui nunc finem impono, divinum Numen supplicando, ut in rei medicæ incrementum, & plurimorum hominum commodum redundet.

F I N I S.

SEPTEM

PLANETARUM TERRESTRIUM SPAGYRICA RECENSIO,

QUA PERSPICUE DECLARATUR RATIO NOMINIS Hermetici, analogia metallorum, cum microcosmo, eorum præparatio vera & unica, proprietates & usus medicinales.

AD LECTOREM.

EOrum, qui metallis utuntur corpori humano medendo, alii corpus integrum sive purum, sive impurum, simpliciter adhibent: alii vero, ut melius sanitati consulant, metalla in hunc usum præparant. Præparationis autem varios modos excogitarunt Medici spagyrici. Quidam aquæ & olei extractionem, alii Mercurii & salis eductionem tentarunt. Omnium rectissime, qui Magisterium tantum ut unicam & solam præparationem in animum induxere suum.

Quamvis autem formalem aquam aut oleum adjunctis aliis rebus, quidam nacti sunt, revera tamen neque oleum habent, sed vel menstruum alteratum, vel corpus integrum menstruo conjunctum, quod de Mercurio & Sale dici possit.

Hujus veritatis nos exemplum in hoc tractatu statuimus, ne in errore mundus ulterius cæcutiret. Te igitur, Lector candide, exhortatum velim, ut rem serio cogites, & prius capias quam carpas. Si enim rationes adductæ leviores, aut authoritates minus aptæ videantur, ne rejicias tamen, sed Vulcanum consule, ipse tibi veritatem rei demonstrabit. Vale. Dat. Hagæ Comitis, ult. Maji 1613.

Aurum

Aurum cur Sol nominatur.

AUrum Metallorum Rex, apud Philosophos tam Dogmaticos quam Hermeticos, Sol terrestris appellatur; quem enim corporis splendorem inter Planetas nobilissimos Sol nactus est, eandem luminis & fulgoris dignitatem inter alias aliorum metallorum species hic unus obtinet. Neque vero deest arcta illa durationis & perfectionis analogia & similitudo, quam tanti æstimarunt veteres nominum impostores, quos penes arbitrium, & vis & norma loquendi. Adeo purum enim, perfectum & solidum corpus auro à natura datum est, ut id nulla lædatur corruptione, ærugine nulla, igne materiali nihil ei adimatur, neve ullo alio modo imminuatur. Usum autem Solis utriusque si cogites & inter se conferas, maximum quidem superioris, & varium deprehendes, hujus vero non parvum. Extra controversiam enim est, Deo optimo maximo in œconomia & administratione summæ & incomprehensibilis suæ providentiæ ad opes, honores & ordines conferendum & conservandum, sic eo uti placuisse, ut totum illud pene discrimen inter Principes & subjectos, Dominos & Ministros, liberos & servos, pauperes & divites ex illa tanquam scaturigine emanasse videatur. Quot enim homines ob aurum minutulum se misere principibus viris subjecisse, & quotidie vitæ periculum subiisse videmus? Unde in Proverbium abiit: *Aurum & Homo faciunt omnia.*

Observationes analogicæ.

1. Primo mane exorto solis jubare, Princeps ille Planetarum si è terra vapores non sunt impedimento, vultum suum croceum & lucidum, sub vesperam autem rubrum mundo intuendum & observandum exhibet. Haud secus sol terrestris aqua regia solutus, croceo velamine amictus per totum vitrum flavissimum colorem & pellucidum intuentium oculis objicit, & vero si progrediare ad menstruum extrahendum, sub vesperam purpureum colorem videbis. Jam autem si ad umbilicum opus perducas, & aucto igne universam humiditatem extrahas, priorem auri flavissimum colorem perspicies; quam rem solis ortum, labore nocturno peracto, appellare licet.

2. Sol hyemalis, (sicut apud omnes observatum:) vividum illum & floridum, quem æstate possidet, amittit colorem, idque ob Saturnum frigidum senem, qui ea tempestate suum præcipue exercet imperium. Eadem enim interna ubique tempo-

rum solis pulchritudo, & eundem à bruma recuperat splendorem. Eodem modo aurum cum Saturno terrestri sive plumbo, & aliis chymicis mixtionibus in cæmentum adductum, quod brumali auro est, nitidum faciei colorem perdit, fusum tamen & Antimonio perpurgatum antiquum obtinet.

3. Auro aqua regia dissoluto, & in vitrum, ubi est aqua fortis simplex, in qua argentum resolutum habes, injecto, subito tantæ & tam obscuræ exoriuntur tenebræ, ut quid vase contineatur, vix quidem oculis percipi possit; si vero Balneo Mariæ vitrum imponas, continuo aurum se ipsum segregat, & ut prius clarum fit, radiisque mirum in modum fulgentibus & quavis sua parte emicat. Hoc solis Eclipsin æmulatur.

4. Aurum præcipitatum, (ut posthac dicetur:) si igni admoveas, contrario ac aliæ substantiæ ignitæ motu fertur, deorsum nempe; qua quidem in re radiorum & caloris solarium motum imitatur, qui deorsum terram usque ejaculantur.

His collatis observationibus rationibusque subductis, auro solis nomen attribui non inepte videtur. Quam vero solis & auri analogiam declaravimus, eandem cordi humano, (soli microcosmi, vitæ & caloris nativi fonti primario, è quo præcipuæ vires, efficaciæ & actiones derivantur:) Philosophi tanquam utrique consentienti, attribuere. Unde varii varias auri præparandi rationes excogitarunt, ut eo pacto substantiæ microcosmi conveniret, & sic tandem assimilaretur, verum hæc omnia incassum. Nos igitur quid de eo fieri, & qua forma præparari possit, tandem in viam redeant, liquido & aperte hoc ipso tractatu declarabimus.

Aquam aut oleum ex auro non elici posse, ulla arte demonstratur.

Rex Propheta David, & ejus Filius Salomon, filiorum Adæ prudentissimus, incorruptam & immutabilem auri naturam, cui nihil igne deperit, contra serio cogitantes, Sacro-Sanctum & æternum Dei verbum auro contulerunt. Quidam tamen Philosophi liminares sibi somnia fingunt, mera equidem Phantasmata, putant enim ex auro aquam aut oleum educi posse, sed oleum & operam perdunt, qui rei tali nervos intendunt suos. Quamvis enim recte asseritur, ex tribus principiis unamquamque rem prosapiam suam contraxisse, aqua scilicet seu Mercurio oleo sive Sulphure, & sale, cui rerum anatomia fideliter astipulatur, tamen hoc etiam accurate tenendum est, aliter hæc se habere in minerali, atque corpore vegetabili & animali. Hæc enim forma aquæ & olei, facta principiorum segregatione, Mercurium & Sulphur suum reddunt; illa autem non item, quemadmodum in Metallis imperfectis & Marcasitis manifesto apparet, ubi tentata separatione, Mercurius & Sulphur se oculis intuenda adinstar siccæ fuliginis objiciunt. Absit igitur tanta nos insanire ratione, ut Mercurium udum Sulphur oleosum è perfe-

ctis

ctis Metallis, quibus perfecta, compacta & æquali principiorum pondere colligata corpora à natura data sunt, erui aut extrahi posse judicemus. Et hoc quidem nomine maximum naturæ mysterium aurum existit, quoniam corpore indissolubili tres continet substantias, operationibus & virtutum facultatibus distinctas.

De Mercurio auri currente.

Quæ sit hominum curiositas, vel hinc facile colligitur, dum maximopere laborant, ut quod ædificavit Natura, funditus destruant, & perficiant, quod ipsa reliquit imperfectum. Quod ii quidem faciunt, qui Mercurium vulgarem & currentem in fixum redigere conantur, ut eo pacto aurum & argentum sibi in marsupium crearent, & è contra illi etiam, qui malo sibi suisque lucro, aurum mira metamorphosi in Mercurium transformare cupiunt. Quanquam enim hac ratione fieri posse videatur, eo quod Mercurius currens prima Metallorum materia statuitur, & facilius etiam cum eo, quam cum cæteris aurum amalgamatur, experientia tamen, (quam stultorum Magistram vocamus:) certo comprobavit, Mercurium auri adeo fixum, maturum & arcte cum reliquis ejusdem corporis substantiis conjungi, ut nullo modo retrogredi possit, unde magnus Philosophus Rogerius Bachorius Andelus ait, facilius esse aurum facere quam destruere; Ipse quidem laboris multum in hac re consumptum vidi, talem vero Mercurium nusquam videre contigit, varias sæpe & multas Agyrtarum pessimorum fallacias & malefeniatorum technas Alchymistarum detectas & deprehensas perspexi. Sed concedamus Mercurium educi posse, quid hinc utilitatis ad Medicinam sperare poterimus? Verisimile equidem est, talem Mercurium nihil miraculi supra vulgarem posse, quo cum natura uti & specie convenit. Theophrast. Paracelsus lib. morborum mineral. hæc habet verba: Nostin cur septem Metallorum unum apertum reliquit tibi natura? Hæc causa fuit ut arcanam & veram theriacam, morborum Mercurialium medelam, in eo uno solo quæras, cætera enim ad fixationem traducuntur. Iis igitur quas ipsa nobis Natura paravit, & ad manum attulit, ita ut separatio puri ab impuro tantum peragenda restat, audacter aliorum inopia utemur, aut eorum Magisteria abunde nobis satisfacient.

De Tinctura auri qualis opinio.

Proxima, quæ se offert consideranda, eorum est opinio, qui haud parum laboris conferunt in extrahenda genuina Tinctura auri, (sicut ex croco, santalo & brasileo solemus:) ita ut postea aurum adinstar argenti, albi coloris maneat. Quantum autem ipsi Speculatores à scopo aberrent, facile apparet. Tinctura enim auri uni soli ejus corporis non est alligata substantiæ, sed omnes ejus partes inseparabiliter unitæ, exterius flavæ, interius rubicundæ puri existunt modo. Mercurius propter summam maturitatem, sul-

phur ob igneam qualitatem, sal ex unione & indissolubili conjunctione cum sulphure propter fixam salis naturam. Et ex his tribus opratus ille color oritur. Quod Experientia aperte declaratur. Auro enim aqua regia soluto, idque sine separatione principiorum, hujus guttula manum, chartam, lignum aut quicquam tale baphicè coccini coloris inficit, ac si granis Kermes colorem eis intulerit. Unde quidam, occultum fiat manifestum, & vice versa. Sed hic labor, hoc opus est, quod Mercurius habitat in medium proferre & extremum intus occludere. Non ait, separare rubedinem ab albo corpore, quippe quod ex quacunque sui parte tinctura est, adeo ut si potuisses dissolvere ipsa rei principia, colorem infectum redderes, quoniam est ex matura digestione & inseparabili principiorum conjunctione & unione. Quod me attinet, totum corpus auri in pulverem rubicundum & incombustibilem reductum vidi, & eo tamen cum particula plumbi in cineritium posito, & Saturno profligato, auri granulus erat relictus, ejus quidem ponderis, excepto argenti paulo, quod plumbum semper ex se relinquit. Manifesto igitur, (ut mihi videtur:) concludi possit, auream tincturam ab albo corpore separandam non esse; verum fateor vividum & naturalem auri colorem ita albo obfuscari posse, ut in menstruum elicitum credas. Sed id non est. Nam si id Vulcano probandum (ipse est fidelis explorator :) denuo committas, mediante Antimonio pristinum coloris nitorem reductum videbis, imo hoc addam; si modo aqua regia aurum resolvas, & per aliquot dies in Balneo detineas, postea vero aquam regis igne abstrahas lenissimo, & reliquias aquæ limpidissimæ & claræ dissolvendas de novo remittas, cremorem oleosum & sanguineum elicient, ut si ex prima fronte sententiam proferas, sanctè jurares, te veram & propriam auri tincturam nactum fuisse. Sed hoc etiam erras, tota enim illa reliquiarum massa in cremoris figuram dissolvi potest, & insuper si crucibulo inclusum cremorem igni admoveas, non tincturam, sed solidum auri corpus reperies. Sed nimis hisce prolixus sum, verbum enim sapienti & veritatis amanti satis est, aliis opes & operam male collocando progredi liceat.

De Sale auri quid judicandum sit.

Non desunt multi, qui laboriosa & inani materiæ universalis indagatione valde insudant. Hanc materiam variis nominibus insignitam, & ad varios etiam usus assignatam reperio. Apud quosdam enim Mercurius Philosophorum, filius regis, aqua arida, mater metallorum, lac virginis, simplicitas rerum, fons regalis denominatur. Præcipuus vero usus hic est ad aurum è figura genuina educendum, ut ab eo tempore nunquam ad priorem redeat substantiam, sed in forma salis pellucidi purpura rubicundioris maneat, qui quovis liquore dissolvi, & exsiccatus ad instar nitri fundi possit, neque igne consumi. Et hunc auri salem, (ut ita dicam:) omni morborum generi, tanquam me-

delam

clelam Catholicam, summa cum fiducia adhibent Medici cogitativi. Sed ut rem ipsam paulo altius perpendamus, primo materia reducens, dein materia reducta consideranda est. Materia reducens ita dubia & incerta est, ut quid veteres, qui primo de ea scripserint, sibi velint, nunc pauci, si ulli, certo norint. Equidem & hisce oculis vidi, & ex praxi aliorum audivi, qui multum laboris in omni fere, quæ vel visu perspici, vel tactu deprehendi possunt, haud parvo sumptu impendere, puta quovis roris genere, ut marina, terinjabin, melle, thron, nostoch, id est, stellatum muco, in metallis item, marchasitis, lapidibus, aluminibus, salibus, sulphure, nitro, aquis etiam mercurialibus & marinis, fructibus etiam maritimis, sicut bitumine liquido & spisso, succinis. Quid copias gummorum, resinarum & lachrymarum adnumerarem? Quid plantarum species, herbas, frutices aut arbores adjungerem? quorum omnium vix unum intentatum hominum reliquit avaritia aut curiositas; neque vero ipsius microcosmi etsi venerandum & suspiciendum naturæ ædificium, nasutos hos indagatores effugere potuit, carnem enim, ossa, sanguinem, sperma, pinguedinem, & salva reverentia excrementa quævis ad nauseam usque & vomitum perscrutati sunt, nullum tamen omnium horum tale quicquam in auro effectum dare potuit. Si quis jam uspiam terrarum vivit, tam admirandi & inæstimabilis thesauri possessor, ampla ei occasio oblata est, etsi non evulgandi & publici juris faciendi, tamen in pauperes, miseros, ægrotos & egenos erogandi, quorum maxima ubique locorum est copia, quibus si modo se Samaritanum ostenderit, dignum equidem se ipso & Christiano fecerit. Secus non est quod illud Christi, de Evangelii doctrina pronuntiatum, ne projicite margaritas porcis, inepte nimis, imo pessime ad excusandam in proximos charitatis frigiditatem, quod multi faciunt, coram adducat. Ex secundo autem quem posuimus loco disceptari potuit, quod etsi hæc vera & authentica auri præparatio existat, quæ menti & sensui Philosophorum respondere videatur, tamen Medicina potius Metallorum imperfectorum; (quorum scabritiem & immundam aufert naturam, maturitatem & fixam puritatem inducendo:) quam substantiæ microcosmi esset. Horum enim maxima est differentia, hoc quippe hominis corruptum & volatile, illud vero auri ipsius fixum & incorruptum manet, adeo ut si quid vel medendo, vel restaurando, corpori humano adfert adjumenti, id quoniam non digeritur, neque mutationem in centro stomachi à calore interno patitur, non exquisitæ huic præparationi & multum laboriosæ, sed sympathiæ & operationi specificæ tribuendum est. Aurum enim quemadmodum Sol cælestis in hæc inferiora vires & virtutes suas absque formæ & qualitatum mutatione aut corruptione libere infundit. Et hic obiter, corollarii loco, observamus, crassiorem illam utendi rationem, & antiquis & nostro seculo Medicis nonnullis familiarem, haud improbandam esse. Nos autem, (ut medium inter utrumq;

tene-

teneamus) quoniam salem auri irreducibilem non habemus, neque adeo idoneum usum auri non præparati putamus, idcirco mediocri quadam præparatione erimus contenti, ut virtutes suas in microcosmum felicius imprimat.

Aurum demonstratur in Medicina utiliter adhiberi posse.

Ex supradictis ratione & observatione satis rectè (ut nobis videtur) conclusum est, aurum nullo modo, quemadmodum animantia & vegetabilia potabile fieri posse. Et mera equidem & pura puta esset vanitas, ut hoc superaddam, illud jam nunc fixatione & maturitate cæteris multis parasangis antecellens, iterum ad infimum gradum revocare, ut hoc pacto similitudinem & convenientiam cum substantiis vegetabilium & animalium haberet. Modo enim sic paratum, non aurum, sed aliud nescio quid, non permanens & durabile esset, & has tamen qualitates caduco & fragili humano corpori acquirere satagunt. Nunc restat ut ex auro salutarem medicinam educi posse paucis demonstremus. Quod etsi neque ratione ex naturæ fundamentis ducta, neque sensus observatione refractariis quibusdam, qui ei dicam scribunt, declarari potuit, necesse tamen est ut experientiis & observationibus Philosophorum, tam veterum quam neotericorum, fidem adhibeant. Si quis autem eo amentiæ & impudentiæ provectus est, ut eorum authoritates parvipendat, & tanquam fabellas inanes habeat, ex multijuga metallorum imperfectorum operatione & usu in Medicina erroris & levitatis revinci possit. Exempli gratia: Mercurius vomitorium, Catharticum & Diaphoreticum ex suo reddit prædio, non pessima quidem, imo vero optima, & supra omnia in lue venerea & morbis Mercurialibus alexipharmaca. Mars etiam sive ferrum, maximum existit in icteritia, & affectibus ex obstructione provenientibus deoppilativum, neque minimum est in dysenteria, inordinato menstruorum effluvio, & omni specie hæmorrhagiæ arcanum in eo continetur. Venus quoque sive cuprum partes suas in Medicina exercet, sive Regnum quod in stomacho, sive potestatem, quam in morbis renum possidet, animo perpendas. Et ne senem gravissimum Saturnum insalutatum negligenter prætercam, ipse scirrho lienis & cancris, quovis tempore remedium specificum dicatum in se continet. Hæc omnia Metalla, tametsi adeo provectum fixionis gradum, atque aurum, haud nacta sunt, eorum tamen natura ita est compacta, ut nativus hominis calor ea digerere non possit, quamvis illa è corpore protrudit. Neque est quod quispiam has operationes non ab earum natura, sed ex mediis quibus præparantur, provenire cogitet; videmus enim quosdam iis absque ulla præparatione, variis affectibus profligandis, non infeliciter uti, quibus sine dubio melius ab impuritatibus segregatis uti potuissent. His igitur quæ in medium attulimus tanquam veris & rationi consentaneis, concessis, cur locum auro, Metallorum omnium perfectissimo in Medicina denegaremus? In cæteris enim arsenicalis & corrosivæ Essentiæ suspicio est, de

qua

quâ re in auro tam parvus metus est, ut illius criminis non insimulari, ne dum condemnari possit. Et ideo in vulneribus & fistulis profundis, ubi venenum suspicamur, instrumentis aureis aut inauratis, quippe quæ nihil mali carni inurunt, aut in ea relinquunt, optime utuntur Chirurgi. Et nos etiam ad gloriam Dei altissimi & salutem & sanitatem proximi, eo itidem utemur, parato ut sequitur modo.

De Magisterio quod ad aurum applicatur.

Quoniam autem à Natura comparatum est, ut ad tantam subtilitatis exaltationem metalla adduci non possint, ut sicut animalia & vegetabilia in essentias aut arcana adducerentur, artificio utili in formam magisteriorum præparantur. Magisterium autem si quæras quid sit, est cum opus absque elementorum præparatione, aut substantiarum separatione, conjunctione medii alicujus menstrui, quod ei qualitate appropriatum est, in talem ad ducitur formam, ut interna tinctura externe se gustu & qualitate manifestet, & ea pars menstrui, quæ cum metallo præparato relinquitur, qualitates suas occultet, & totam suam operationem sub ditione virtutum & proprietatum corporis Metalli placidè & amicè deponat. Exempli loco hoc cape: dissolve plumbum in aceto destillato, & in Crystallos redige, quos nactus es saccharo dulciores gustu invenies. Ubi manifestò apparet, acetum suam occultasse aciditatem, & naturam internam Saturni jam revelatam imperium tenere. Pari modo Magisterium auri, grata quadam astringentia, non corrosivè operatam terram lemniam longè superat. Quantum enim spiritus aquæ Regis magisterio adhæret, à naturâ auri superatur. Et hinc est, quod aurum forma magisterii neque segnius, neque pejus, opus suum peregit. Et eodem modo quodvis magisterium secundum specificam suam qualitatem operatur. Vide Paracels. lib. 5. Archidox. cap. 1.

Quid igitur obsecro bonas horas male collocamus in investigatione rei quæ non inventa reperta est? Et idem author in eodem capite asserit: Magisterium auri, est verum aurum potabile, & sic de reliquis metallis, marcasitis & lapidibus cogitandum est. Et quamvis hac præparatione integrum manet, tamen ita subtile efficitur, & ita ipso operationis actu mutatur, ut non sit, quod quis ab ipsius usu abhorreat. Et porro ut usum magisteriorum in lapidibus pretiosis, corallis & perlis, quæ in Medicinam hoc genere præparationis, (etsi alio genere menstrui,) ornata traducuntur, melius ostenderet, hæc addit verba; crede experto, mirifica operatio ipsorum est. Non tamen fit per artem hæc virtutum actio, sed in ipsorum naturâ est, quæ in grossa substantia occultatur, ut non possit operari, sicut mortuum corpus, sed resolutione facta vivificabitur corpus ejus, de quo satis. His commoti hac præparationis forma erimus contenti.

De corrosivo in Magisterio auri utendo.

Quod alias dixeram, verbis Paracelsi

 & lib.

& lib. 3. cap. 3. libri de vitâ longa, de Elixire auri, breviter dicam: Resolve aurum, una cum omni substantiâ, auri corrosiva, neque interim abhorreat animus ab ipsa tractandi ratione. Aurum enim quamvis autum est, corrosivum mortuum est; quare quintam essentiam auri citra corrosivum inutilem esse asserimus. Sequitur ergo resolutione denuo per putrefactionem esse removendum, etsi corrosivum tenacius etiam adhæreat. Nam si tanta vis auri est, ut corpus servet, & ab omni ægritudine reddat liberum, neque id corrumpi sinat, quanto magis se ipsum, idque citra omnem imperfectionem; corrigit enim & emendat quicquid non est sincerum. Corrosivum igitur in auro nullo pacto corrosivum appellari debet, vis enim arcani superat omne venenum. Nam omne Realgar moritur in Elixire auri. Quid planius dici potuit? absque corrosivo in formam magisterii ad usum Medicinæ aurum adduci non potest? Invenies tamen speculatores multos, qui (etsi cum ad opus perventum est, sale armoniaco spiritu salis & similibus utuntur corrosivis,) Paracelsum materiam dulcem, non corrosivam intellexisse audacter affirmabunt. Sed hæc sunt cogitationis phantasmata, non praxeos regulæ, potius ut sibi placeant populo imponendo, quam ut utiles sint Reipublicæ, veritatem perspicuè detegendo. Illud Paracelsi, ex lib. de tartaro, quædam dulcia aurum dissolvunt, si textum inspiciant, aliud sibi velle deprehendent. Nos igitur media, quæ experientia comperta habemus, in rebus cognitis, & analogia hisce respondentibus, realiter declarabimus, iisque utemur, donec meliora inventa fuerint.

Temperatum solare, vel aqua regia.

℞. Aq. fortis (ex duabus partibus vitrioli Ungarici albificati, & salis nitri fusi & depurati parte una,) sesquilibram, salis armoniaci purificati, salis nitri Crystallini, utriusque uncias tres, Retortæ imponantur & per arenam lento igne distillentur, donec & aqua & spiritus extrahantur, (huic operi magno recipiente opus est:) hoc peracto refrigerentur instrumenta, ultimo aquam, quæ erit limpidissima, ejice & ad usum servato,

Sal armoniacum sic depuratur.

℞. Salis armoniaci, salis gemmæ partes æquales, pulverizentur in mortario lapideo subtilissime, tū in urinali sublima, quo facto flores armoniaci extrahantur, misceanturque de novo cum Sale gemmeo & sublimentur, hoc ter sedulo efficies, & tuum ad usum repones. Jam nunc salem armoniacum clarum & albissimum habes, ab omni fætore sulphureo, & penetrabili corrosivo liberatum & exutum, quo re natâ non inutiliter in gargarismatis adversus anginam & prunellam uti possis. Absterget enim materiam viscosam corruptam, grumos sanguinis potenter dissolvendo, qui aliter in apostemata coirent. In oppilatione hepatis ex causa tartari, in retentione urinæ & menstruorum, à tribus granis ad quinque in liquoribus appropriatis non incommode exhibetur.

Solutio auri & digestio.

℞. Auri puri in laminas reducti & minutè fracti sesquiunciam, illudque in tota superioris aquæ mensura resolve, dein retortæ, coni figuram habenti, cui sit canna sive rostrum à vertice propendulum, cum perpendiculari & basi triangulum rectangelum faciens, ut decet impone, & adaptato excipulo dies 10. aut 15. in balneo roris maneat. Si quid exstillat, rursum affunde, idque dum infrigidatur menstruum, aliter vitrum disrumpes. Tempore digestionis finito, totam extrahe aquam, & retortam in qua aurum habes, in cellulam frigidiorem remove, eamque ita supra vas vitreum colloca, ut materia in formam olei resoluta, (nam ad resolutionem illic detinenda est,) facilime in inferius vas descendat. Quod retortæ lateribus adhæret, cum aqua calente elue, & cum reliquo conjunge.

De separatione auri à menstruo.

Ut autem aurum è liquore dissolutum in pulverem redigas, sume tartari vivi, tam interne quam externe ad albedinem calcinati, & aquæ communis stillatitiæ quantum opus est, dissolve, dissolutum per chartam emporeticā trajice, ut hoc pacto spissum à subtili segreges. Liquorem hunc ita deputatum infunde, guttatim, supra aurum menstruo conjunctum, donec non solum ebullitionem & spiritus corrosivi reluctationem cessare videas, sed etiam dum aurum fundum petat, & aqua evadat limpidissima, quod signum est infallibile genuinæ & perfectæ separationis, postea aquam calentem adde ut resideat, & clara fiat, finito, ultimo à pulvere per inclinationem liquorem segrega, & reliquias vicies aut tricies lavato.

De reliquiarum exsiccatione.

Quod restat peragendum, est reliquiarum sive pulveris aurei exsiccatio. Rem autem sic perficies: impositum scutellæ vitreæ, vel terreæ, vernice illitæ, in Sole, vel in hypocausto per se sponte siccescat, nullo ignis calore adhibito, igni enim si admoveatur, cum magno strepitu summâ vi resilit, neque id sine evidenti administri periculo. Vide Basil. Chym. Oswald Crol. sectione de Cordiali.

De Pulvere Auri.

Pulvis his multis Chymicis aurum strepens nominatur, ob altum, quem edit, strepitum, aliis calx auri, sed ineptè. Calx enim proprie loquendo sunt reliquiæ corporis, resinæ naturalis, sive Mercurii depurati, ita ut præterea fundi non possit; quod neque auri neque argenti reliquiis deprehenditur: Proprie igitur præcipitatum vocatur. Aliis aurum diaphoreticum, quia tria aut quatuor grana pro vice adhibita, sudorem abunde, neque inutiliter provocant. Hanc autem ne quis erret, præparationem, tanquam arcanum aut novum, & aliis absconditum, non attulimus in scenam, alii enim parant aquis aliter confectis, neque nobis incognitis, sed eo fine adduximus, ut illo tanquam in exemplo disceptationibus adjuncto, prioribus Medicis & sinceræ veritatis amatori-

bus, magisterii auri effigiem ob oculos contemplandam & perpendendam ponamus, in quo solo magisterio medicinalis auri præparatio consistit, quoque tuto intra corpus uti possimus loco simplicis auri, præsertim quoniam certi sumus corrosivum in hoc esse morbum. Sed tanta est hominum curiositas, ut dum impossibilia quærunt, hujus virtutes observare negligant. Quidam volatilem hunc pulverem ex spiritu salis, vel rebus salis naturæ analogis, & postmodum spiritu vini in formam liquoris redigere conantur. Verum hoc medium non est adeo idoneum, aut ad edulcorandum, aut ad corrigendum spiritus salini naturam corrosivam, sed illam magis excitat. Neque quicquam amplius spiritu vini dissolvitur, quam cum salis armoniaci aut rei analogicæ spiritus adjungitur, neque vero forma liquoris tali spiritu deputata usque exstat auri præparatio. Pulvere igitur cum vehiculis appropriatis tutius quam liquidis præparationibus uti possimus. Cæterum hoc etiam observatum est, liquidas illas extractiones temporis diuturnitate in fundo subsidere, & hypostasin auri ad instar splendentium scintillarum apparuisse. Sed ne quid intentatum relinquant ingeniosi ii scrutatores, aliam viam excogitarunt, hanc nempe: Pulveris superioris grana 4. aut 5. sumunt, quæ in c[illegible]sulam auream iniciunt, & cochlea[illegible] spiritus vini superinfundunt, mox ignem admovent, & cum spiritum vini ferè consumptum vident, continuo operculum vitreum, vel inauratum adaptant, sic pulvis exilit, & in formâ fuliginis rubeæ subtilis operculo adhæret, & hoc pacto minutatim totum sublimant, judicantes se veram auri tincturam nactos: verum Magister Vulcanus fidus explorator rem aliter esse demonstrat, quippe fuligo ista & aurum ea actione à spiritu salis segregatur, non aliud. Nam in crucibulum injecta & igne sepulta, mox in aurum redit. Et hîc corollarii loco observare licet, quanta eis oriatur utilitas, qui se Medico-Chymicos profitentur, non solum rerum mortificationem scire, sed ut revificationem & restaurationem rerum addiscant etiam, & adjungant. Hoc pacto enim effugient, ne iis Sophistæ & Cacochymici impudenter imponant, aut ipsi seipsos decipiant, & quanta etiam in ægrotis operatio ex istis præparationibus expectanda sit, sciant.

De Provectione Magisterii.

℞. Pulverem auri præcipitati probè exsiccatum, quem supra marmor leviter dispersum spiritu vini Hispanici vel Cretici, cum Melissa exsiccata ter rectificati, & à phlegmate separati, irroa, misce, & dein in Sole, vel loco calido exsiccari sinito, irrorationem & exsiccationem sexies aut octies repete. Ad unciam pulveris ita parati croci scrupulum, ambræ griseæ & moschi orientalis, cujusque grana sex addito postea hoc una mola & vitreo vase ad usum serva.

De virtute Magisterii.

Doctissimus Fernelius lib. 5. methodi, cap. 11. aurum, inquit, temperatissimum foliolis, & veluti bracteolis ad naturæ robur, & affectus melancholicos, ad exsolutum stomachum, ad cardiacos, & præter

præter naturam mœstos efficax. Hoc est testimonium Medici inter neotericos facile principis, de auro simplici, nec præparato, quid autem de magisterio sentiendum? Palpitationi cordis, deliquiis animi, cæterisq; cardiacis passionibus adversatur. Adversus syncopen etiam, & vapores Saturninos & à splene ad cor exhalantes, tristitiam & melancholiam ibi procreantes multum prævalet; suffocationi vel caduco matricis, epilepsiæ, vertigini, hæmicraniæ, lethargo, paralysi opitulatur, in dysenteria & profluvio muliebri nonnihil adjuvat; verbo, universi corporis humani viscera corroborat, & à putredine & veneno conservat & liberat. Paracelsus in Medicinâ versatissimus, & perspicacissimus, inter omnes omnium medicamentorum species, & ad conservandum valetudinem, & ad morbos gravissimos propellendum & extirpandum, auro præcipuas tribuit, lib. de morbis amentium, tractatu particulari de podagra, lib. de contracturis, de pestilitate, & in lib. de vita longa. Cum necessitas postulat à granis 3. ad 8. ex vino Malvatico, vel alio liquore convemente ad vincenda varia symptomata, quæ ægrotum male habent, feliciter usurpatur, si patiens probè coopertus lecto sumat, sudor placidus absque debilitate expectandus est.

De Bezoartico aurato.

℞. Extracti viperarum drachmas duas, magisterii auri scrupulos duos, lacrymæ cervi præparatæ sesquiscrupulum & grana duo, succi de radicibus Carlinæ recentibus condensati, & succi cardui benedicti exsiccati, cujusque drachmam & grana 12. olei de radicibus Angelicæ, olei rutæ ana guttulas 16. fiat horum mixtio & servetur in vase aureo vel inaurato.

Extractum viperarum. ℞. Carnis viperinæ more Crollii paratæ unc. tres, paretur in capsulâ, & cum drachma myrrhæ electæ per vices suffumigetur. Sic pulverem habes & probè exsiccatum & embalsamatum, quem in urinale impone cum ℔j. aquæ veronicæ opt. & vas prius bene obturatum, in balneo ebullienre dies tres naturales colloca. Finito tempore exprime, & ad consistentiam extracti igne lentissimo adducito fæces combure, & salem extrahe, & extracto conjunge.

Depuratio lachrymæ cervi. ℞. Lachrymæ cervi gr. 5. dissolve in spiritu vini, dein exprime & ad consistentiam mellis reducito.

Virtus.

Etsi hæc compositio quinquaginta ingredientia aut 60. non complectitur, admiraculum tamen operatur. Adhibetur adversus omnia genera venenorum & symptomata venenata, in peste & febri Ungarica cum fructu administratur. Ad præservationem datur scrupulus per quatuor anni vicissitudines, in calidis complexionibus cum Conserva rosarum, syrupo de succo citri, aquis stillatitiis vel brodio, in frigidis autem cum vino generoso, aut miscetur cum liquoribus, aut formâ boli sumitur. In curatione à drachma semis ad scrupulos duos pro vice, plus minus ut necessitas postulat.

DE ARGENTO.

Argentum cur Luna terrestris nominatur.

ARgentum à Philosophis luna terrestris nominatur, propter summam, & peculiarem quam cum corpore lunari habet, constellationem. Nam sicut reliqui Planetæ & signa cælestia, specialem affluentiam & communicationem cum lunâ tenent, ita asserente Paracelso in cœlo Philosophorum, seu libro vexationum, canone 6. Argentum est metallorum septimum, cujus caput, (spiritualiter,) sex reliquos Planetas includit, quorum quisque ei duas addit virtutes, quæ sunt 12. signa cælestia. Id. Auctor lib. Archidoxorum de coloribus spagyricis verba faciens, (quibus coloribus Planetæ superiores repræsentantur, unusquisque per colorem proprium,) ait: Sex sunt colores fundamentales ad Planetas proprios relati; verbi gratiâ, ater Saturnum, albus Jovem, flavus Solem, rubeus Martem, Mercurium lividus, viridis Venerem repræsentat, (& ex his reliqui colores oriuntur,) septimus vero qui est color lunaris non est fundamentalis, cæsius enim est. Jam vero quilibet ater cum albo, vel albus cum livido cæsium constituit. Et revera spiritualem hanc Planetarum cum Lunâ conjunctionem videmus, Lunæ corpore in spagyrica rotâ posito; illic enim prædicti colores apparent, & varia insuper signa, naturæ miracula, in quibus Magnalia Dei omnipotentis legi possunt, quarum rationem & causas dum quidam nimis acriter reddere fategerunt, sensus & judiciorum pondere speculatione submersi fuere. Sed paulo altius hanc analogiam persequemur. Luna cœlestis cum mundo gloriose se ostentat, veste cyaneâ incedit, & non eodem, obsecro, colore adornatum est argentum jam purificatum, & ab omni fæce purgatum. Cœlum etiam lunare sereno tempore, effigiem melioris naturæ internæ cæruleo obumbrat colore, itidem & argentum, in cœlo suo seu aquâ solvente, dissolutum, quavis Sapphiro pellucidius, colore cælestino apparet. Postremo lunare corpus in interlunio externa facie nigrum & obscurum est, intra exiguum tamen temporis spatium se renovat. Quam similitudinem in Argento observare licet: Si extrahas enim ei aquam solventem per distillationem, ad instar lapidis nigri sese ob oculos ponit, hoc est interlunium. Sed adducito ad ignem, ut examen subeat more auri fabrorum, multo clarius & splendidus quàm antea se videndum præbet. Has observationes analogicas quilibet aurifaber facile percipit, quas satis esse duximus ad hanc rem probandam, nempe prædictos Planetarum colores in rota seu circulatione astrorum terrestrium percipi potuisse. Similes colores corpori lunari inesse per repræsentationem crystalli videmus. Sed jam satis analogiam demonstravimus, unde sedulus lector rationem comparationis & similitudinis inter reliqua metalla & Planetas suos observare potest. Argenti autem virtutes cerebro Lunæ microcosmi, ob prædictas & alias

& alias, quas recensere supersedeo, observationes Philosophi retulerunt. Specificam enim hinc inesse naturam credunt, omnes ferè cerebri affectus medendi, & ea causa præparationem, quam cum substantiis microcosmi communiorem haberet, magno labore quæsivere.

De separatione substantiæ aquosæ & oleosæ ex argento, & quali successu.

Quemadmodum in auro, ita etiam in argento haud parvum opus ad educendas substantias aquosas & oleosas, vegetabilium & animantium similes, curiosi nonnulli homines collocarunt, sed oleum & operam perdiderunt. Sed quid de Mercurio ex argento currente judicemus? Hoc certum est, tales operarii, quo sensu de Mercurio lunari locuti sunt Philosophi, non intellexerunt, non magis quam Archæum naturæ sciunt, dum oleum & aquam ex eodem quærunt. Nos equidem circulatorios lusus quorundam circumforaneorū Alchymistarum vidimus, qui limaturæ argenti, Mercurii sublimati, & salis armoniaci sumentes æquales partes, eas primo probe mistas in urinali parvo supra candelæ flammam collocarunt, donec in vitri collum sal armoniacum sublimetur, & Mercurius fluctuans in fundo vasis appareat, & hunc Mercurium Lunæ miræ virtutis appellarunt. Sed qui prudenter & considerate hujus anatomiam aggreditur, reperiet Mercurium vivum à spiritu salis vitrioli solutum esse, & nihil aliud. Argentum enim integro pondere fluidum, ductile & tractabile, ut prius, deprehendetur. Cavete igitur ab istis nebulonibus malè feriatis Agyrtis, ut verbo dicam, talem Mercurium mihi nusquam videre contigit, neque cordi est quærere, quoniam inane est opus speculationis, quod in praxi Medicinæ nihil loci habet.

Tinctura Lunæ.

Proxima, quæ se offert consideranda disceptatio, est tinctura Lunæ, quam Dicaculi quidam, (ut sibi videntur,) subtiles & theoretici Doctores profundi, exhibere conantur, eamque in omni infirmitate cephalicâ, puta, maniâ, insaniâ, stultitiâ dementiâ panaceam & jactitant & spondent. Et hi tamen eâ industriâ nullam sibi opem adversus nimis stolidam persuasionem procurarunt. Verum equidem est, per amalgamationem cum Mercurio, deinde per florizationem cum sale armoniaco, aceto & aliis mediis in pulverem subtilem & cæruleum adduci, quemadmodum viriditas æris aliis liquoribus efficitur: Sed si ad judicem & examen producas, in verum & corporale argentum redit. Hujus autem virtutes nec laudo nec vitupero, nunquam enim sum expertus; hoc certò scio, optimum ex eo colorem parare sibi in usum pictores, qui etiam ex flavo cupro & lapide lazulo, parva tamen quantitate, (quod obiter dictum velim,) in eundem usum paratur. Si quis igitur hujus rei periculū facere velit, haud inita ratione & observatione ponderis aut signorum, facile sibi ex fallaciâ periculum procreabit. Quod sibi dictum putent, qui sibi à Circumforaneis fallacibus imponi sinunt, qui aurum & argentum surripientes aliud in locum supposuere; quo

pacto

pacto ii decepti sunt, qui aurum & argentum è forma genuina educere satagunt. Quam rem callide quidem pseudolis Dominis suis peregerunt. Subducto enim metallo aliud nescio quid in locum substituerunt, quod in aurum sive argentum reduci non potuit.

De reductione Argenti.

Alii sunt, qui sibi argenti in materiam primam reductionem proposuere, adeò ut in forma resinæ existeret, album, pellucidum, ponderosum, fragile, fusile, incombustibile tamen, immutabile in omni ignis gradu; quæ vera quidem esset astri Lunæ præparatio. Vide Paracels. lib 9 de signaturis rerum Ergo si quid tale est, ingenuè fateor me non vidisse, pulverem equidem argenti reverberati, qui cuivis gradui ignis fortiter reluctaretur, non semel vidi, quique neque per amalgamationem cum Mercurio, neque cum sale tartari, neque quovis sale aut aqua in argentū iterum reduci potuisset, (hic tamen non erat fusilis,) tandem adductus in cineritium, in consortio avari Saturni, qui profunditatem terræ scrutatur, ipse Lunam morte sopitam è sepulchro lapideo revocavit, quæ tum demum ad pristinam pulchritudinem eodem pondere rediit.

De Magisterio Argenti, Crystallo Dianæ, Cathartico lunari.

Jam aggressuris magisterium argenti, primo omnium corrosivi descriptio, cujus ope & virtus cathartica, & diuretica exeritur, quarum beneficio humidi radicalis fontem, hoc est, cerebrum, totamq; corporis massam, à supe flua humiditate, & humorum illic peregrinantium corruptione vindicat, cōsideranda venit. Sicuti enim in magisterio auri, auxilio corrosivi opus erat, quod diaphoreticam auri proprietatem produceret, ut eo pacto calorem nativum microcosmi nō solum in fonte, quod est cor, sed in rivulis etiam, qui est sanguis, ab omni putrefactione repurgat; eodem plane modo in hoc, quod proposuimus, magisterio corrosivo opus est, quod quidem sine fuco ita paratur.

℞. Vitrioli Ungarici, calore lentissimo albificati, & in pulverem subtilem reducti ℔ij. salis nitri à suo sale & omni crassitie mundificati, exsiccati & subtiliter pulverisati ℔j. misceantur optimè, & distillentur more Chymico Habebis aquam fortem limpidissimam, suis spiritibus impraegnatam. Servetur ad usum.

De solutione Lunæ.

℞. Dianæ Metallorum per Saturnum à pollutione venerea, & ab omni alio consortio perpurgatæ, adeo ut simplex & splendida appareat, uncias tres. Has urinali impone, sex unciis menstrui prædicti superadditis, deinde in vas aqua tepida repletum collocato, quoad in cœlum lunare è conspectu tuo avolarit, & Mercurius sapphirio ornamento oculis sese objiciet tuis, tunc peracta est solutio.

De coagulatione spirituum menstrui cum Luna.

Finita solutione uncias 9. menstrui superioris dissolutioni superaddito, ut to-

ut totum liquoris pondus, uncias 15. adæquet. Hunc ita comparatum liquorem in balneo roris collocato, idque per 40. dies igne continuato. Quam interim exstillat materiã fæcibus propè exsiccatis denovo refundito, hoc sine intermissione peragito.

De separatione magisterii ab aqua.

Nunc separatio magisterii ab aqua facienda, neque id negligenter, nisi amissionis temporis & sumptus sustinere mulctam velis. Porro igitur quod potis es aquæ per eundem caloris gradum extrahito, extractam aquam vitreo vase servato. Hoc primum est, pergamus. Residuum in alembicum fortem circa fundum luto obductum, imponito, vasi capitellum adhibe, & in arenam colloca, ut quod restat aquæ, igne tandem violento amoveas: & hoc loco præcipua cura adhibenda est, ut ita administretur ignis, ne cum humiditate tota spirituum copia aufugiat. Sic enim laborem perderes, & loco magisterii purum putum argentum haberes, quod experientia edoctus loquor. Eodem enim tempore, quo huic negotio cum quibusdam aliis insudo, amicè vocatus, & humaniter impulsus sum in convivium (mallem autem in laboratorio mansisse) interim nimia pueri, cujus servitio usus sum, diligentia, tantus & tam violentus extructus est ignis, ut totum spirituum exercitum in fugam dederit. Proximo mane argenti partem in vitro, partem in arena habui. Operatio igitur ita ordinata esse debet, ut Magisterium in fundo urinalis per 4. aut 6. horas fusile ad instar salis nitri maneat: ut hoc factum est, omnis res est in vado. Quod in hac artificii parte ultimum est, instrumenta refrigerentur, & abducto luto vitrum rumpatur, vel paulum à fundo ferro ignito scindito, illic reperies materiam lapideam, infra & à lateribus nigerrimam, supra autem candidam, claram sicut crystallum, & astro insignitam, hanc exime & servato.

Observationes.

1. Magisterium hoc duplum erit argento fere secundum menstrui & digestionis bonitatem; hæc enim augmentatio est spiritus menstrui coagulatio.

2. Quamvis hoc Magisterium dissolutum manus nigro colore inficiat, tamen erodentem naturam, quæ in aqua forti reperitur, penitus amisit. Hujus Magisterii parum haud sciens per annum chartæ inclusum apud me servabam, tandem inveni papyrum ubique fusco colore obductam sed à corrosione tutam satis.

3. Si Magisterium hoc lingua probaveris, gustum reddit ad vitriolum crudum, aut vitriolum Veneris accedentem, quod evenit propter analogiam argenti cum cupro, & consequenter cum calchanto. Sapor enim hic in Magisterio auri non deprehenditur, quoniam ut ait Paracelsus, in auro nulla est aciditas, neque substantia vitriolacea, sicuti in argento. Eadem sympathia hoc pacto liquet. Dissolve Magisterium hoc pollubro æneo aqua tepida, vel in Magisterium lamellos cupri injicito, mox argentum à Magisterio segregatum, & cupro,

forma spongiosa adhærere videbis, quod liquescit & in argentum solidum redit.

4. Si lapidem lunarem pulveratum ad solem exponas, instar atramenti nigerrimus evadit. Eandem coloris mutationem percipies, si eum cum auro soluto misceas.

5. Sicut sal nitratum in crusibulo liquescit, & in quamvis formam redigi possit.

6. Si injicias particulam in ignem apertum ad similitudinem salis petræ amburitur. Hoc expertus loquor, unciam enim Crystalli Dianæ ad ignem exsiccaturus supra papyrum explicui, & sic reliqui, mox ut ad acmen ariditatis pervenerat, ictu oculi flammam concepit, atque more pulveris pyrii impetu exiliit, charta enim locum carbonis supplevit. Et hic observare licet, quod transmutationi sæpe accidit. Unaquæque res in primum corpus sibi destinatum natura redire cupit, quod hoc loco in nitro se manifeste exhibet. Nitrum enim in forma menstrui omni modo ignem respuit, Lunæ autem corpori adjunctum in pristinam naturam revertit, ignemque concipit & varia genera morborum propellit, ut postea dicetur.

7. Adinstar salis aqua dissolvitur absque substantia. Multa restant quæ observari potuissent, sed quia ad hanc rem non pertinent, supersedeo. Hoc tamen corollarii loco superaddo; Cavete vobis à Chrysopœis, qui stannum in argentum transmutare spondent; Crystalli enim hujus Magisterii cum nitro repurgato ita callide conjungi possunt, ut nisi ex pondere fallacia non deprehendatur.

De reductione lapidis lunaris in Crystallos ad usum Medicinæ.

Ultimum quod in Magisterio argenti restat peragendum est crystallorum é materia lapidis confectio, quam rem sic efficies. Aquam per Balneum roris extractam tibi sumito, in quam frustula lapidis lunaris injicito, & in aqua tepida per 6. aut 8. horas dissolvendas & fæces deponendas relinquito. Aquam claram & defæcatam per inclinationem à spissa & turbida materia quæ in fundo vasis hypostasin constituit nigram, aut fuscam, separa, & aliud vas affunde, quod loco frigido, puta cella, relinquendum est, ut Crystallos generet. Crystallos adeo splendidos tibi dabit, atque nitrum perpurgatum. Hos exime & supra scutellam vitream in arena exsiccato, exsiccatas in vasculum vitreum probe ab omni humiditate liberatum repone, & loco frigido, vitro optime obturato, serva, totum menstruum in crystallos rediges, si extrahas paulum aquæ igne lentissimo & tum demum in cellam vas refrigerandum seponas. Cætera cum superioribus conveniunt.

De Proprietatibus & viribus Magisterii.

Inter Planetas cælestes imperium in cerebrum microcosmi Lunæ, non sine ratione à Philosophis tribuitur, cujus res gestæ atque virtutes iisdem, quibus maris cursus, regionibus & terminis continentur: neque vero ad aquas majoris mundi,

quæ-

quarum æstus & malacia illius motus; imitantur, sed ad pelagus, fluvios, rivulos, imo guttulas, microcosmi illius sceptrum extenditur, quod in omni infirmitate humida & aquosa intemperie facile observatur. Similiter hoc Magisterium lunare in omnes aquas microcosmi & superfluitates aquosas, præcipue in eas, quæ cerebrum possident, summum imperium tenet. In diluvio enim microcosmi hydragogon specificum aquæ intercutis existit, tumores ex frigido coagulato resolvit & abigit, omnes catarrhi species sistit, in Epilepsia etiam aquosa, hoc est, ubi uda materia abundat cerebrum & tanquam hydrocephalia laborat, haud parum adjumenti affert, paralysi & membrorum stupefactioni, quæ ex defluxione frigida oriuntur, acerrime resistit, dolores juncturarum & Podagram frigidam potenter abarcet, hemicraniam, vertiginem, suffusionem, visus debilitatem, surditatem denique & omnem sensus & intellectus é frigido coagulato, vel resoluto, suffusionem hostilem propellit, cerebrum partim per os, partim per nares purgat, pectus & pulmonis organa per exspuitionem mundificat, ut verbo totum comprehendam, brevitati enim studeo, universum corpus ab omni superflua humiditate per secessum & urinam absque stomachi dolore & intestinorum torminibus brevi liberat & ad sanitatem reducit. Dosis est à granis ʃ. ad 8. pro vice, ut exigit necessitas. Exhibendum est cum vino Malvatico vel albo generoso in aurora. Interim utatur patiens cibo & potu optimis, pro conditione, nihilominus catharticum hoc partes suas peraget dum materiam convenientem invenit, neque vim facit in naturam, ut alia mult[a] faciunt.

Controversia.

Apud superciliosos quosdam, qui in veris Physicæ Principiis parum sciunt, minus autem in arte spagyrica, & genuina natura mineralium, triplex controversia oriri poterit. Prima equidem de Magisterio ipso, quoniam calore nativo digeri non potest. Secunda de acri gustu adinstar cupri, quod huic medicamento inseparabiliter adhæret. Ultima vero de spiritu aquæ fortis, quod intra corpus tuto non admitti acriter contendunt. His ut ordine responsum demus, primam sic aggredior. Etsi argentum ob compactam, quam possidet, naturam, calore nativo digeri non potest, & ita assimilari, (quod quidem in medicamento cathartico non requiritur:) tamen in Magisterio cum menstruo conjuncto, virtutes suas internas externè ostentat, & eo pacto adversus sanitatis inimicos acriter pugnat. Sed etiamsi ita res esset, ut nulla ratio reddi possit, tamen impulsi usu & praxi deberemus observationem amplecti. Videmus etiam lapidem Lazulum, cuprum, Mercurium, antimonium, etsi nullum eorum in centro stomachi mutatione ulla, aut decoctione afficitur, purgare tamen summopere; quod de multis aliis mineralibus vere dici potest. Hoc autem neque à similitudine substantiarum, neque à contrarietate complexionis,

ſed à vi magnetica& occulta qualitate provenit. Ad ſecundam vero quod attinet diſceptationem,acrimonia illa ſuſpicienda, haud ſuſpectanda eſt, hæc enim facultate in detergendo craſſo phlegmate, ſeu frigido coagulato præcipue utitur. Et hoc inſuper apud omnes Medicos obſervatum eſt,cathartica quæ acidam vel acrem poſſident qualitatem,à purgatione vim aſtringentem relinquunt, quæ ſtomachum & interiora viſcera roborat & confortat. Qualem operationem in vitriolo Veneris, calchanto, ſale vitrioli videmus. Et hæc tamen medicamina non ſolum Spagyrici, ſed ii etiam, qui Galeni caſtra ſequuntur, magna doſi etiam in pueris, non infeliciter adhibent & adminiſtrant: acrimonia igitur Magiſterii criminis non eſt inſimulanda. Tertia & ultima quæ reſtat controverſia plus ponderis in ſe habet, tamen ſi rem penitus introſpicias, ſpiritum aquæ fortis jam in Magiſterio cum argento conjunctum, non male mereri judicabis.Spiritus enim nitrales hac conjunctione refixi, (ut obſervatum eſt:) nitrum fiunt, neque vim corrodendi aut ſubtiliter penetrandi, (quæ in aqua forti fuerat:) jam nunc retinent, ſed priſtinam naturam ſalis petræ iterum nacti ſunt Si uſum igitur ſalis petræ internum non veremur, ſed bono animo ad drachmam uſque pro vice in obſtructione urinæ, colica, ardore febrili,prunella,peſte, magno ægroti adjumento quotidie damus, ita ut modo inter remedia quæ vulgo nota ſunt communiter cenſeatur, quod paucis ab hinc annis inter corroſiva lethifera annumerabatur, cur uſum ejus cum optimo argenti corpore conjuncti reſpuamus, præcipue cum videamus, naturam nitri, quamvis ſubtiliorem,ei reſtitutam. Et certe verendum non erat,ſi modo qualitas erodens in Magiſterio remanſerit,quippe quod vires in materiam peccantem ſibi contrariam exercet, in quo virus ſuum,ſi quod eſt, longe lateq; diſpergit & diſſipat, ſicuti in vino, in quo diſſoluta fuerat,prius fecerat. Cæterum ipſimet ſpiritus aquæ fortis externè corpori humano nullam injuriam inferunt, ſicuti varia corroſivorum genera faciunt. Et ii etiam qui rebus talibus operantur, hoc obſervarunt; quod etſi horum ſpirituum penetratio aliquantisper caput perturbet, tamen mox humido genuino noſtro,quod ſal eſt,ſunt miſti, & tum continuo eorum vires & natura corroſiva retunditur,uti videmus in oleo vitrioli & ſulphuris, quorum acrimonia ita retardatur ſale tartari & aliis vegetabilium ſalibus, quæ hominis humiditate miſcentur, (quemadmodum in aqua ſanguinis humani & urina percipitur:) ut primariam corroſivitatem nunquam poſt id acquirant.

Porro ut palam fiat, quam potentes & mirabiles effectus hoc argenti Magiſterium habeat, Hiſtorias quaſdam memoratu dignas in medium proferam.

Cura Prima.

Anno 1604. dum Vulturenæ habitarem,valle quadam,quæ ad Illuſtriſs. Rhætiæ Dominos pertinet, in urbe Sondrio, Domina Lucretia Morona, mulier generoſa hydropica vivebat, quæ ob ferociam morbi

morbi, tanquam incurabilis à Medicis derelicta, me ad auxilium vocabat. Ut rem verbo dicam: Primo in aurora Magisterii prædicti grana quinque vino rubro soluta exhibui, quæ ita gnaviter officio functa sunt suo, ut intra 24. horas ad minimum sedes medicas viginti habuerit ex sola aqua intercute. Et quod notatu dignum, absque dolore, vomitione, tormine, perturbatione, & quod maximum est, sine corporis debilitate. Interim optime nutriendam curavi, sæpe per vices, sed parum cibi exhibens, potus erat vinum rubrum. Interea temporis exsiccantibus, diaphoreticis, diureticis & confortationibus naturæ, ut res postulabat, usus sum. Septima jam appropinquante septimana ad pristinam sanitatem rediit. Tunc temporis 44. ætatis annum agebat, ante annos duos vixit, & quod scio, nunc etiam pancratice valet.

Cura Secunda.

Nobilissima Matrona, Domina Maria Guizardi in civitate Pont, quæ in iisdem Rhetiæ vallibus sita est, circiter trium horarum itineris spatio à domo mea, specie phrenitidis aut dementiæ laborabat, & suspicio erat, illud ei è lamiarum maleficio accidisse. Mulier erat mediæ ætatis & corpore paulo habiliori. Ego illuc à doct. & experto Medico, Domino D. Merlo, qui ægrotæ sanitatem plus quam superbiam aut ambitionem suam æstimavit, accersitus, Magisterium Argenti continuo dedi. Ipsa & per secessum & per vomitum, (quod inter 100. millia hominum huic uni contigit:) maximam humorum mirabilium ejecit copiam, & eo pacto à gravissimis illis symptomatis liberata est.

Cura Tertia.

Anno 1607. decumbebat in civitate Frauenfeld in comitatu Turgau, nobilis & strenuus Antonius, tunc temporis Præfectus provincialis prædicti Comitatus, hydropicus erat, & à capite ad plantas pedum intumefactus, scrotum ei erat capite majus, & tandem adeo in angustias res redacta erat, ut propter tussim, halitus difficultatem, & deliquium animi, quo unaquaque hora laborabat, in cathedra quotidie sederet, & à Medicis relictus separationem animæ à corpore expectaret. Hac miseria tanquam mortuum se curandum mihi commisit, post sex septimanas illum hoc Magisterio Lunæ restitui sanitati, appetitum reddidi, somno fruebatur salubri, & quod maximum est, munia consueta publica obire potuit. Abhibui etiam corroborativa: quæ tamen ita accipi nolim, quasi ab omnibus malis symptomatis tam brevi spatio liberatus fuerit, tibiæ enim adhuc exulceratæ manebant, propter abundantiam aquæ, quam natura in centrum educere non potuit, ut eo pacto per altum ejiceret. Sed hoc modo rem perfeci, vulnerum autem curam chirurgo commisi. Non est igitur, quod Lavaterus ignorantiam hydropis mihi objiciat, ac si causam & curam illius morbi ignorem, re ipsa me contrarium demonstrasse confido. Annum à cura patiens vixit, postea obiit; nam contra vim mortis non crescit medicamen in hortis. Ego & quidam ex parentibus meis hoc Magisterium sumpsimus, qui tamen super-

sed à vi magnetica & occulta qualitate provenit. Ad secundam vero quod attinet disceptationem, acrimonia illa suspicienda, haud suspectanda est, hæc enim facultate in detergendo crasso phlegmate, seu frigido coagulato præcipue utitur. Et hoc insuper apud omnes Medicos observatum est, catharrica quæ acidam vel acrem possident qualitatem, à purgatione vim astringentem relinquunt, quæ stomachum & interiora viscera roborat & confortat. Qualem operationem in vitriolo Veneris, calchanto, sale vitrioli videmus. Et hæc tamen medicamina non solum Spagyrici, sed ii etiam, qui Galeni castra sequuntur, magna dosi etiam in pueris, non infeliciter adhibent & administrant: acrimonia igitur Magisterii criminis non est insimulanda. Tertia & ultima quæ restat controversia plus ponderis in se habet, tamen si rem penitus introspicias, spiritum aquæ fortis jam in Magisterio cum argento conjunctum, non male mereri judicabis. Spiritus enim nitrales hac conjunctione refixi, (ut observatum est:) nitrum fiunt, neque vim corrodendi aut subtiliter penetrandi, (quæ in aqua forti fuerat:) jam nunc retinent, sed pristinam naturam salis petræ iterum nacti sunt. Si usum igitur salis petræ internum non veremur, sed bono animo ad drachmam usque pro vice in obstructione urinæ, colica, ardore febrili, prunella, peste, magno ægroti adjumento quotidie damus, ita ut modo inter remedia quæ vulgo nota sunt communiter censeatur, quod paucis ab hinc annis inter corrosiva lethifera annumerabatur, cur usum ejus cum optimo argenti corpore conjuncti respuamus, præcipue cum videamus, naturam nitri, quamvis subtiliorem, ei restituram. Et certe verendum non erat, si modo qualitas erodens in Magisterio remanserit, quippe quod vires in materiam peccantem sibi contrariam exercet, in quo virus suum, si quod est, longe lateq; dispergit & dissipat, sicuti in vino, in quo dissoluta fuerat, prius fecerat. Cæterum ipsimet spiritus aquæ fortis externè corpori humano nullam injuriam inferunt, sicuti varia corrosivorum genera faciunt. Et ii etiam qui rebus talibus operantur, hoc observarunt; quod etsi horum spirituum penetratio aliquantisper caput perturbet, tamen mox humido genuino nostro, quod sal est, sunt misti, & tum continuo eorum vires & natura corrosiva retunditur, uti videmus in oleo vitrioli & sulphuris, quorum acrimonia ita retardatur sale tartari & aliis vegetabilium salibus, quæ hominis humiditate miscentur, (quemadmodum in aqua sanguinis humani & urina percipitur:) ut primariam corrosivitatem nunquam post id acquirant.

Porro ut palam fiat, quam potentes & mirabiles effectus hoc argenti Magisterium habeat, Historias quasdam memoratu dignas in medium proferam.

Cura Prima.

Anno 1604. dum Vulturenæ habitarem, valle quadam, quæ ad Illustriss. Rhætiæ Dominos pertinet, in urbe Sondrio, Domina Lucretia Morona, mulier generosa hydropica vivebat, quæ ob ferociam morbi

morbi, tanquam incurabilis à Medicis derelicta, me ad auxilium vocabat. Ut rem verbo dicam: Primo in aurora Magisterii prædicti grana quinque vino rubro soluta exhibui, quæ ita gnaviter officio functa sunt suo, ut intra 24. horas ad minimum sedes medicas viginti habuerit ex sola aqua intercute. Et quod notatu dignum, absque dolore, vomitione, tormine, perturbatione, & quod maximum est, sine corporis debilitate. Interim optime nutriendam curavi, sæpe per vices, sed parum cibi exhibens, potus erat vinum rubrum. Interea temporis exsiccantibus, diaphoreticis, diureticis & confortationibus naturæ, ut res postulabat, usus sum. Septima jam appropinquante septimana ad pristinam sanitatem rediit. Tunc temporis 44. ætatis annum agebat, ante annos duos vixit, & quod scio, nunc etiam pancratice valet.

Cura Secunda.

Nobilissima Matrona, Domina Maria Guizardi in civitate Pont, quæ in iisdem Rhetiæ vallibus sita est, circiter trium horarum itineris spatio à domo mea, specie phrenitidis aut dementiæ laborabat, & suspicio erat, illud ei è lamiarum maleficio accidisse. Mulier erat mediæ ætatis & corpore paulo habiliori. Ego illuc à doct. & experto Medico, Domino D. Merlo, qui ægrotæ sanitatem plus quam superbiam aut ambitionem suam æstimavit, accersitus, Magisterium Argenti continuo dedi. Ipsa & per secessum & per vomitum, (quod inter 100. millia hominum huic uni contigit:) maximam humorum mirabilium ejecit copiam, & eo pacto à gravissimis illis symptomatis liberata est.

Cura Tertia.

Anno 1607. decumbebat in civitate Frauenfeld in comitatu Turgau, nobilis & strenuus Antonius, tunc temporis Præfectus provincialis prædicti Comitatus, hydropicus erat, & à capite ad plantas pedum intumefactus, scrotum ei erat capite majus, & tandem adeo in angustias res redacta erat, ut propter tussim, halitus difficultatem, & deliquium animi, quo unaquaque hora laborabat, in cathedra quotidie sederet, & à Medicis telictus separationem animæ à corpore expectaret. Hac miseria tanquam mortuum se curandum mihi commisit, post sex septimanas illum hoc Magisterio Lunæ restitui sanitati, appetitum reddidi, somno fruebatur salubri, & quod maximum est, munia consueta publica obire potuit. Abhibui etiam corroborativa: quæ tamen ita accipi nolim, quasi ab omnibus malis symptomatis tam brevi spatio liberatus fuerit, tibiæ enim adhuc exulceratæ manebant, propter abundantiam aquæ, quam natura in centrum educere non potuit, ut eo pacto per altum ejiceret. Sed hoc modo rem perfeci, vulnerum autem curam chirurgo commisi. Non est igitur, quod Lavaterus ignorantiam hydropis mihi objiciat, ac si causam & curam illius morbi ignorem, re ipsa me contrarium demonstrasse confido. Annum à cura patiens vixit, postea obiit; nam contra vim mortis non crescit medicamen in hortis. Ego & quidam ex parentibus meis hoc Magisterium sumpsimus, qui tamen super-

sed à vi magnetica & occulta qualitate provenit. Ad secundam vero quod attinet disceptationem, acrimonia illa suspicienda, haud suspectanda est, hæc enim facultate in detergendo crasso phlegmate, seu frigido coagulato præcipue nititur. Et hoc insuper apud omnes Medicos observatum est, cathartica quæ acidam vel acrem possident qualitatem, à purgatione vim astringentem relinquunt, quæ stomachum & interiora viscera roborat & confortat. Qualem operationem in vitriolo Veneris, calchanto, sale vitrioli videmus. Et hæc tamen medicamina non solum Spagyrici, sed ii etiam, qui Galeni castra sequuntur, magna dosi etiam in pueris, non infeliciter adhibent & administrant: acrimonia igitur Magisterii criminis non est insimulanda. Tertia & ultima quæ restat controversia plus ponderis in se habet, tamen si rem penitus introspicias, spiritum aquæ fortis jam in Magisterio cum argento conjunctum, non male mereri judicabis. Spiritus enim nitrales hac conjunctione refixi, (ut observatum est:) nitrum fiunt, neque vim corrodendi aut subtiliter penetrandi, (quæ in aqua forti fuerat:) jam nunc retinent, sed pristinam naturam salis petræ iterum nacti sunt. Si usum igitur salis petræ internum non veremur, sed bono animo ad drachmam usque pro vice in obstructione urinæ, colica, ardore febrili, prunella, peste, magno ægroti adjumento quotidie damus, ita ut modo inter remedia quæ vulgo nota sunt communiter censeatur, quod paucis ab hinc annis inter corrosiva lethifera annumerabatur, cur usum ejus cum optimo argenti corpore conjuncti respuamus, præcipue cum videamus, naturam nitri, quamvis subtiliorem, ei restitutam. Et certe verendum non erat, si modo qualitas erodens in Magisterio remanserit, quippe quod vires in materiam peccantem sibi contrariam exercet, in quo virus suum, si quod est, longe lateq; dispergit & dissipat, sicuti in vino, in quo dissoluta fuerat, prius fecerat. Cæterum ipsimet spiritus aquæ fortis externè corpori humano nullam injuriam inferunt, sicuti varia corrosivorum genera faciunt. Et ii etiam qui rebus talibus operantur, hoc observarunt; quod etsi horum spirituum penetratio aliquantisper caput perturbet, tamen mox humido genuino nostro, quod sal est, sunt misti, & tum continuo eorum vires & natura corrosiva retunditur, uti videmus in oleo vitrioli & sulphuris, quorum acrimonia ita retardatur sale tartari & aliis vegetabilium salibus, quæ hominis humiditate miscentur, (quemadmodum in aqua sanguinis humani & urina percipitur:) ut primariam corrosivitatem nunquam post id acquirant.

Porro ut palam fiat, quam potentes & mirabiles effectus hoc argenti Magisterium habeat, Historias quasdam memoratu dignas in medium proferam.

Cura Prima.

Anno 1604. dum Vulturenæ habitarem, valle quadam, quæ ad Illustriss. Rhætiæ Dominos pertinet, in urbe Sondtio, Domina Lucretia Morona, mulier generosa hydropica vivebat, quæ ob ferociam morbi

morbi, tanquam incurabilis à Medicis derelicta, me ad auxilium vocabat. Ut rem verbo dicam: Primo in aurora Magisterii prædicti grana quinque vino rubro soluta exhibui, quæ ita gnaviter officio functa sunt suo, ut intra 24. horas ad minimum sedes medicas viginti habuerit ex sola aqua intercute. Et quod notatu dignum, absque dolore, vomitione, tormine, perturbatione, & quod maximum est, sine corporis debilitate. Interim optime nutriendam curavi, sæpe per vices, sed parum cibi exhibens, potus erat vinum rubrum. Interea temporis exsiccantibus, diaphoreticis, diureticis & confortationibus naturæ, ut res postulabat, usus sum. Septima jam appropinquante septimana ad pristinam sanitatem rediit. Tunc temporis 44. ætatis annum agebat, ante annos duos vixit, & quod scio, nunc etiam pancratice valet.

Cura Secunda.

Nobilissima Matrona, Domina Maria Guizardi in civitate Pont, quæ in iisdem Rheriæ vallibus sita est, circiter trium horarum itineris spatio à domo mea, specie phrenitidis aut dementiæ laborabat, & suspicio erat, illud ei è lamiarum maleficio accidisse. Mulier erat mediæ ætatis & corpore paulo habiliori. Ego illuc à doct. & experto Medico, Domino D. Merlo, qui ægrotæ sanitatem plus quam superbiam aut ambitionem suam æstimavit, accersitus, Magisterium Argenti continuo dedi. Ipsa & per secessum & per vomitum, (quod inter 100. millia hominum huic uni contigit:) maximam humorum mirabilium ejecit copiam, & eo pacto à gravissimis illis symptomatis liberata est.

Cura Tertia.

Anno 1607. decumbebat in civitate Frauenfeld in comitatu Turgau, nobilis & strenuus Antonius, tunc temporis Præfectus provincialis prædicti Comitatus, hydropicus erat, & à capite ad plantas pedum intumefactus, scrotum ei erat capite majus, & tandem adeo in angustias res redacta erat, ut propter tussim, halitus difficultatem, & deliquium animi, quo unaquaque hora laborabat, in cathedra quotidie sederet, & à Medicis relictus separationem animæ à corpore expectaret. Hac miseria tanquam mortuum se curandum mihi commisit, post sex septimanas illum hoc Magisterio Lunæ restitui sanitati, appetitum reddidi, somno fruebatur salubri, & quod maximum est, munia consueta publica obire potuit. Abhibui etiam corroborativa: quæ tamen ita accipi nolim, quasi ab omnibus malis symptomatis tam brevi spatio liberatus fuerit, tibiæ enim adhuc exulceratæ manebant, propter abundantiam aquæ, quam natura in centrum educere non potuit, ut eo pacto per altum ejiceret. Sed hoc modo rem perfeci, vulnerum autem curam chirurgo commisi. Non est igitur, quod Lavaterus ignorantiam hydropis mihi objiciat, ac si causam & curam illius morbi ignorem, re ipsâ me contrarium demonstrasse confido. Annum à cura patiens vixit, postea obiit; nam contra vim mortis non crescit medicamen in hortis. Ego & quidam ex parentibus meis hoc Magisterium sumpsimus, qui tamen super-

sed à vi magnetica & occulta qualitate provenit. Ad secundam vero quod attinet disceptationem, acrimonia illa suspicienda, haud suspectanda est, hæc enim facultate in detergendo crasso phlegmate, seu frigido coagulato præcipue utitur. Et hoc insuper apud omnes Medicos observatum est, cathartica quæ acidam vel acrem possident qualitatem, à purgatione vim astringentem relinquunt, quæ stomachum & interiora viscera roborat & confortat. Qualem operationem in vitriolo Veneris, calchanto, sale vitrioli videmus. Et hæc tamen medicamina non solum Spagyrici, sed ii etiam, qui Galeni castra sequuntur, magna dosi etiam in pueris, non infeliciter adhibent & administrant: acrimonia igitur Magisterii criminis non est insimulanda. Tertia & ultima quæ restat controversia plus ponderis in se habet, tamen si rem penitus introspicias, spiritum aquæ fortis jam in Magisterio cum argento conjunctum, non male mereri judicabis. Spiritus enim nitrales hac conjunctione refixi, (ut observatum est:) nitrum fiunt, neque vim corrodendi aut subtiliter penetrandi, (quæ in aqua forti fuerat:) jam nunc retinent, sed pristinam naturam salis petræ iterum nacti sunt. Si usum igitur salis petræ internum non veremur, sed bono animo ad drachmam usque pro vice in obstructione urinæ, colica, ardore febrili, prunella, peste, magno ægroti adjumento quotidie damus, ita ut modo inter remedia quæ vulgo nota sunt communiter censeatur, quod paucis ab hinc annis inter corrosiva lethifera annumerabatur, cur usum ejus cum optimo argenti corpore conjuncti respuamus, præcipue cum videamus, naturam nitri, quamvis subtiliorem, ei restitutam. Et certe verendum non erat, si modo qualitas erodens in Magisterio remanserit, quippe quod vires in materiam peccantem sibi contrariam exercet, in quo virus suum, si quod est, longelateq; dispergit & dissipat, sicuti in vino, in quo dissoluta fuerat, prius fecerat. Cæterum ipsimet spiritus aquæ fortis externè corpori humano nullam injuriam inferunt, sicuti varia corrosivorum genera faciunt. Et ii etiam qui rebus talibus operantur, hoc observarunt; quod etsi horum spirituum penetratio aliquantisper caput perturbet, tamen mox humido genuino nostro, quod sal est, sunt misti, & tum continuo eorum vires & natura corrosiva retunditur, uti videmus in oleo vitrioli & sulphuris, quorum acrimonia ita retardatur sale tartari & aliis vegetabilium salibus, quæ hominis humiditate miscentur, (quemadmodum in aqua sanguinis humani & urina percipitur:) ut primariam corrosivitatem nunquam post id acquirant.

Porro ut palam fiat, quam potentes & mirabiles effectus hoc argenti Magisterium habeat, Historias quasdam memoratu dignas in medium proferam.

Cura Prima.

Anno 1604. dum Vulturenæ habitarem, valle quadam, quæ ad Illustriss. Rhætiæ Dominos pertinet, in urbe Sondrio, Domina Lucretia Morona, mulier generosa hydropica vivebat, quæ ob ferociam morbi

morbi, tanquam incurabilis à Medicis derelicta, me ad auxilium vocabat. Ut rem verbo dicam: Primo in aurora Magisterii prædicti grana quinque vino rubro soluta exhibui, quæ ita gnaviter officio functa sunt suo, ut intra 24. horas ad minimum sedes medicas viginti habuerit ex sola aqua intercute. Et quod notatu dignum, absque dolore, vomitione, tormine, perturbatione, & quod maximum est, sine corporis debilitate. Interim optime nutriendam curavi, sæpe per vices, sed parum cibi exhibens, potus erat vinum rubrum. Interea temporis exsiccantibus, diaphoreticis, diureticis & confortationibus naturæ, ut res postulabat, usus sum. Septima jam appropinquante septimana ad pristinam sanitatem rediit. Tunc temporis 44. ætatis annum agebat, ante annos duos vixit, & quod scio, nunc etiam pancratice valet.

Cura Secunda.

Nobilissima Matrona, Domina Maria Guizardi in civitate Pont, quæ in iisdem Rhetiæ vallibus sita est, circiter trium horarum itineris spatio à domo mea, specie phrenitidis aut dementiæ laborabat, & suspicio erat, illud ei è lamiarum maleficio accidisse. Mulier erat mediæ ætatis & corpore paulo habiliori. Ego illuc à doct. & experto Medico, Domino D. Merlo, qui ægrotæ sanitatem plus quam superbiam aut ambitionem suam æstimavit, accersitus, Magisterium Argenti continuo dedi. Ipsa & per secessum & per vomitum, (quod inter 100. millia hominum huic uni contigit:) maximam humorum mirabilium ejecit copiam, & eo pacto à gravissimis illis symptomatis liberata est.

Cura Tertia.

Anno 1607. decumbebat in civitate Frauenfeld in comitatu Turgau, nobilis & strenuus Antonius, tunc temporis Præfectus provincialis prædicti Comitatus, hydropicus erat, & à capite ad plantas pedum intumefactus, scrotum ei erat capite majus, & tandem adeo in angustias res redacta erat, ut propter tussim, halitus difficultatem, & deliquium animi, quo unaquaque hora laborabat, in cathedra quotidie sederet, & à Medicis relictus separationem animæ à corpore expectaret. Hac miseria tanquam mortuum se curandum mihi commisit, post sex septimanas illum hoc Magisterio Lunæ restitui sanitati, appetitum reddidi, somno fruebatur salubri, & quod maximum est, munia consueta publica obire potuit. Abhibui etiam corroborativa: quæ tamen ita accipi nolim, quasi ab omnibus malis symptomatis tam brevi spatio liberatus fuerit, tibiæ enim adhuc exulceratæ manebant, propter abundantiam aquæ, quam natura in centrum educere non potuit, ut eo pacto per altum ejiceret. Sed hoc modo rem perfeci, vulnerum autem curam chirurgo commisi. Non est igitur, quod Lavaterus ignorantiam hydropis mihi objiciat, ac si causam & curam illius morbi ignorem, re ipsa me contrarium demonstrasse confido. Annum à cura patiens vixit, postea obiit; nam contra vim mortis non crescit medicamen in hortis. Ego & quidam ex parentibus meis hoc Magisterium sumpsimus, qui tamen super-

morbi, tanquam incurabilis à Medicis derelicta, me ad auxilium vocabat. Ut rem verbo dicam: Primo in aurora Magisterii prædicti grana quinque vino rubro soluta exhibui, quæ ita gnaviter officio functa sunt suo, ut intra 24. horas ad minimum sedes medicas viginti habuerit ex sola aqua intercute. Et quod notatu dignum, absque dolore, vomitione, tormine, perturbatione, & quod maximum est, sine corporis debilitate. Interim optime nutriendam curavi, sæpe per vices, sed parum cibi exhibens, potus erat vinum rubrum. Interea temporis exsiccantibus, diaphoreticis, diureticis & confortationibus naturæ, ut res postulabat, usus sum. Septima jam appropinquante septimana ad pristinam sanitatem rediit. Tunc temporis 44. ætatis annum agebat, ante annos duos vixit, & quod scio, nunc etiam pancratice valet.

Cura Secunda.

Nobilissima Matrona, Domina Maria Guizardi in civitate Pont, quæ in iisdem Rhetiæ vallibus sita est, circiter trium horarum itineris spatio à domo mea, specie phrenitidis aut dementiæ laborabat, & suspicio erat, illud ei è lamiarum maleficio accidisse. Mulier erat mediæ ætatis & corpore paulo habiliori. Ego illuc à doct. & experto Medico, Domino D. Merlo, qui ægrotæ sanitatem plus quam superbiam aut ambitionem suam æstimavit, accersitus, Magisterium Argenti continuo dedi. Ipsa & per secessum & per vomitum, (quod inter 100. millia hominum huic uni contigit:) maximam humorum mirabilium ejecit copiam, & eo pacto à gravissimis illis symptomatis liberata est.

Cura Tertia.

Anno 1607. decumbebat in civitate Frauenfeld in comitatu Turgau, nobilis & strenuus Antonius, tunc temporis Præfectus provincialis prædicti Comitatus, hydropicus erat, & à capite ad plantas pedum intumefactus, scrotum ei erat capite majus, & tandem adeo in angustias res redacta erat, ut propter tussim, halitus difficultatem, & deliquium animi, quo unaquaque hora laborabat, in cathedra quotidie sederet, & à Medicis relictus separationem animæ à corpore expectaret. Hac miseria tanquam mortuum se curandum mihi commisit, post sex septimanas illum hoc Magisterio Lunæ restitui sanitati, appetitum reddidi, somno fruebatur salubri, & quod maximum est, munia consueta publica obire potuit. Abhibui etiam corroborativa: quæ tamen ita accipi nolim, quasi ab omnibus malis symptomatis tam brevi spatio liberatus fuerit, tibiæ enim adhuc exulceratæ manebant, propter abundantiam aquæ, quam natura in centrum educere non potuit, ut eo pacto per altum ejiceret. Sed hoc modo rem perfeci, vulnerum autem curam chirurgo commisi. Non est igitur, quod Lavaterus ignorantiam hydropis mihi objiciat, ac si causam & curam illius morbi ignorem, re ipsa me contrarium demonstrasse confido. Annum à cura patiens vixit, postea obiit; nam contra vim mortis non crescit medicamen in hortis. Ego & quidam ex parentibus meis hoc Magisterium sumpsimus, qui tamen super-

cum debilitate & ægritudine languescunt, epitulantur, & sicut planetæ superiores in inferiora Metalla vires & proprietates suas imprimunt, & eo pacto adjuvant ac fovent, pari modo quodvis Metallorum specificum suum adjumentum parti microcosmi, qua cum convenit, ægrorǽ & male affectæ commũicat, & speciatim robur suũ felli ad morbos vi & armis ejiciendos mutuo dat. Et hic obiter notandum est illud celebre Medicorum, Contraria Contrariis curantur, nullo modo à sensu Paracelsi, similia similib⁹ gaudent, norunt & curãtur, esse dissonum. Quod prudentissimus medicus Fernelius lib. 1. method. medendi cap. 2. de remedii intentione optime observavit.

De Marte rubificato.

Varios parandi ferri modos tentarunt Spagyrici, extractionem tincturæ, separationem Mercurii vivi, eductionem olei, irreducibilia in corpus, sed frustra. Usi sunt eo autem utiliter non solum infusione vel in vino, vel aliis liquoribus, sed in forma Magisterii sive croci. Præparandi varietas multa est, scopus vero in quem collimant omnes unus. Formulas igitur præparationum, quas certas & bonas esse novimus, primo in Magisterio, dein in infusione, breviter describemus, aliis suas feliciter utendas relinquentes, nostras nobis usu approbatas proponentes.

℞. Martis laminati quater aut quinquies purificati, h. e. igne ad rubedinem accensi malleati & in frusta rupti, uncias quatuor. Pone has in alembicum, eumque colloca in arena ad destillationem parata, eum superinfunde aquæ fortis, quod capite præcedenti descripsimus, uncias duas vel tres, & imposito capitello absque igne aut quovis calore dissolvatur. Ubi spiritum à labore & agitatione cessare videbis, iterum novam infunde aquam, eadem tamen mensura, aliter enim vitrum disrumperet, tanta est operationis violentia. Hoc iterabis op⁹, donec uncias sexdecim aquæ fortis infuderis. Hac dissolutione peracta, primo aquam ab agitatione spirituum & calorem astralem hujus corporis constellati exstillatam sume, & residentiæ conjũge. Secundo autem quicquid est aquæ cum bina cohibitione, calore leni distillare facito. In fine destillationis ignem tanto gradu multiplicato, ut tota spirituum copia vi ignis ejiciatur. Cave autem sis ne alembico argilla haud munito utaris; eo enim pacto cum urinale ex arena erigere conaberis, & Martem & fundum vasis illic relinques. Instrumentis refrigeratis extrahe Martem subrubrum, & ponatur 40. horas in reverberatorio vel in fornace, ubi oleum vitrioli tum temporis paras, habes pulverem instar coralli rubicundum, hunc servato.

Virtus.

In dysenteria, profluvio menstruorum, fluxu sanguinis & diarrhœa utiliter adhibetur, sistit etiam sanguinem in vulneribus venas ruptas tam interne quam externe curat & conglutinat, in hydrope exsiccando optime prodest à granis 3. ad 10. in saccharo rosarum rubrarum cum diacydoniato simplici in forma boli, vel cum liquoribus appropriatis aut extractis specificis, ut cum Magisterio & radicibus Tormentillæ optimo cum successu exhibetur.

Vinum Martiale.

℞ Vini Malvatici, sive cujusvis generosi albi ℔.8, medicinales, Limaturæ ferri purificati vel chalybis ℔j. ponatur vinum in lagena terrea ventre sphærico & collo oblongo, tum in crucibulo incandescat limatura, quam mox ut accensam videbis, projice in fictile, ubi vinum continetur, & orificium obtura, ne spiritus aufugiat. Notandum autem vas ad tertiam tantum esse implendum. Hoc opus ter iterabis, postea quod ultimum est, subsideat per horas 24. & ad usus servetur.

Observationes.

1. Etsi corpus ferri adeo fixum est, ut absq; corrosivo, puta acedo vel re tali, quibus hic non utimur, dissolvi non possit, tamen huic vino proprietates aliquas largitur; & periculo facto, in hoc vino nihil invenies, quod substantia martis merito dici possit.

2. Vinum hoc Martiale varios humores alvum subducendo corruptos educit, specialiter flavam & atram bilem, humores terrestres, ponderosos & tenaces aliis medicamentis haud facile ejectos aut exstirpatos.

Cura Prima.

In Vulturena, de qua capite priori locuti sumus, in oppido pont. uxor charissima nobilissimi Camilli Quadrini, quæ à matrimonio per novennium, ob superfluam matricis humiditatem, (aliud enim symptoma non apparuit:) sterilis permanserat, cum hoc vino per multos dies, (quod ei præscripserat Doctiss. Dn. Placeus Medicus ordinarius:) usa fuisset, talem matricis temperiem adepta est, ut post id mundum fœcundo utero ter beaverit, tot enim formosos natos in lucem edidit, qui per aliquot annos superstites fuere, nunc autem cum matre vita functi sunt. Hanc rem accepi non solum à medico ipso, sed ab ipso nobili.

Cura Secunda.

Aliam curam observatu dignam, ab eodem medico effectam mediante eodem vino ipse etiam vidi. In oppido Sondrio, ubi per aliquod tempus habitabam, inerat quidam incola ex oppido Bornis, qui graviter & periculose cacochymia, corruptione stomachi & defluxione capitis, quæ novilunio semper pectus opplebat, diu laborabat, qui morbus adeo misere hominem afflixit, ut pene illum suffocarit, donec natura insurgens materiam corruptam vomitu ejecisset, tum enim per aliquot dies meliusculese habuit. Multum pecuniæ aliis medicamentis utendo, aquas minerales ebibendo, thermas Sulphureas frequentando consumpserat, nihil tamen ei profuere. Tandem pristinæ sanitati usu vini hujus martialis restitutus est, unde medicus maximam gloriam adeptus est. Modum autem utendi si quæris, hic est, unciæ duæ vel 3. in aurora administrantur, ante gressó convenienti aliquo cathartico.

Vinum Martiale compositum nostrum.

℞. Vini albi opt. ℔. septem, succi cydoniorum ℔j. limaturæ chalybis ℔j. infundantur modo supradicto.

Nota

Nota. Quamvis ſuccus cydoniorum propter eam, quam poſſidet, acrimoniam, vino contrarius eſſe videatur, in hoc tamen negotio res aliter ſe habet: Acrimoniam enim, in ferrum agens, quemadmodum acetum facit, quo multi utuntur, penitus amittit. Hoc interim ex eo boni, partem corporis Metalli diſſolvit, & eo pacto vinum majorem copiam virtutis nanciſcitur.

Ut autem vinum Martiale perficias, ſume ℔. vini infuſionis, quo Tincturam horum quæ ſequuntur, extrahas:

℞. Rad, Gentianæ ſemiunciam, rad. Carlinæ drachm. 3. rad. Zedoar, dr, ij. Caryophyll. ligni aloes ana drachmam, croci drachm. ſem. Tincturam in Balneo extractam exprime, & adjūge reliquo vino. Serva vinum ſic paratum ſine ſegregatione chalybis. Uſus vini hujus chalybati, ut paucis perſtringam, hic eſt: In obſtructione hepatis, ſplenis & matricis ſingulare eſt remedium. Morbum regium & nigrum & flavum, cardialgiam, cordis tremorem, colicam & iliacam paſſionem adjuvat. Contracturæ, vomitui, tertianæ & quartanæ, ſi proveniant ex intemperie Martis microcoſmi, hoc eſt, fellis, opitulatur. Ultimo medicamen eſt eryſipelatis, macularum & inflammationum è vaporibus bilioſis ſanguinis. In Hydrope etiam exſiccativum, & in catarrho exiſtit. Modus autem adminiſtrandi ſic eſt: Centro corporis ſpecifico mundato purgativo, uncias duas vel tres exhibemus, obſervato & curæ & adminiſtrationis tempore. Diæta quoque, quæ nunquam prætereunda, hic maxime obſervanda eſt.

Emplaſtrum Stiċticum Martiale.

℞. Magiſterii Martis rubificati drachm. quem extracti lachrymæ draconis, vernicis benzoini, ſucci verbenæ condenſati, ſucci è radicibus tormentillæ exſiccati, ſanguinis humani exſiccati, gummi laccæ, ana drachm. ſeptem, cum ſcrupulis duobus therebinthinæ laricis, ceræ, colophoniæ, ana unc. 4. gummi Ammoniaci & galbani, ſingulorum unc. duas & ſemis, fiat emplaſtrum ſecundum artem.

Compoſitio.

Primo extractum lachrymæ fit, ea in ſpiritu vini diſſoluta, & ad conſiſtentiam picis liquidæ redacta, & eodem modo fit vernix benzoini, ſic dicta, quoniam ad inſtar vernicis eſt. 2. Lacca & ſanguis humanus in ſubtilem pulverem reducendi ſunt. 3. Gummata ſolvenda ſunt in aceto virtute ex floribus perſicariæ maculatæ imprægnato, & iterum ad conſiſtentiam reducenda. Ultimo quod reſtat, cujusque eſt cognoſcere, fiat ſecundum artem.

Virtus.

Mundificat & abſtergit abſque eroſione, carnem bonam producit, ad cicatricem provehit, ſiſtit ſanguinem. Verbum ſapienti ſatis eſt.

DE MERCURIO.

HYdrargyrus, vulgo argentum vivum, à Philoſophis modo Mercurius ter-

restris,modo Metallorum, duobus præcipue nominibus, appellatur. Terrestris nominatur ob analogiam & similitudinem, quam cum Mercurio Planeta cælesti habet,non solum in subtilitate & mobilitatis vivacitate,quibus eum ad vivum exprimit, sed etiam in proprietatibus actionum, & virtutum similitudine, in quibus non inepte à Philosophis conferuntur. Rationem autem si quæras posterioris, hanc habe. Hoc ipso nomine innuunt Spagyrici,Mercurium hunc Metallorum alium esse à forma,qualitate & virtute,à Mercurio, sive aquosa substantia reliquorum terrestrium, neque ad ea pertinere, sed ad Metalla solum, quæ cum perfectione operis cæteris antecellunt, principia quoque habent perfectiora, quam in hoc ipso spermate videmus, in quo adeo incorruptibilis & immortalis extat natura,ut nullus id calor materialis extinguat, frigus nullum coagulet, quid?quoniam,ut loquitur Paracelsus, calor & frigus Mercurii,calor est cœlestis,& aqua cœlestis uno corpori inclusa, non communi, sed spirituali: & ideo quemadmodum ignis Mercurialis aquam cœlestem non absumit,neque aqua terrestris ignem extingit cœlestem, pari modo neque adimunt qualitates Mercurii. Cæterum quoniam Deo creaturis cœlestibus majorem perfectionis gradum concedere placuit,& Merc. Planeta vires & virtutes suas specialiter infundit huic corpori, cur cæteris liquoribus Mercurialibus non antecelleret, & ea propter cœlestis appellaretur? Hoc Metallum, seu aqua Metallorum, si officium spectes,ad pulmores refertur,quæ iccirco nomine Mercurii microcosmi, & spiraculi vitæ insigniuntur. Et hinc colligunt,Mercurium esse specificum medicamen morborum,qui aut corrumpunt, aut suffocant vitæ spiraculum quavis corporis parte, & omnium insuper symptomatum Mercurialium.

Observationes.

1. Argentum vivum, etsi crudum & simplex intro sumatur, nihil detrimenti naturæ adfert humanæ,quidam enim Medici vivum administrant contra vermes, idque sine nocumento, & in quibusdam locis Germaniæ in aulis principum asseclæ & calones,hilaritatis ergo inebriatis rusticis id vino vel cerevisia permixtum, pondere drachmarum duarum vel trium,haud inita dosis ratione joco propinant, unde tamen nihil detrimenti existit.

2. Argentum vivum per sublimationem vel alium modum spiritibus salium corrosivis conjunctum, corpori humano fit venenum.Hoc autem è mixtione, non è Mercurio solo provenit, ut imperiti quidam judicant.Si de ea re hæsitas,sume sublimatum pulverisatum,&projice in aquam calidam, huic infunde paulum salis tartari resoluti, hic sal spiritum salis à Mercurio resoluto separatum enecat, ita ut Mercurium,in forma pulveris flavi, in fundo vasis reperias, quo tuto pro vomitorio & cathartico uti possis.Et hinc obiter concludi possit, sal tartari non minimum esse arcanum adversus sublimatum intro sumptum.

3. Argentum vivum in unguentis adversus luem veneream usurpatum, ut varii imperiti Chirurgi faciunt, in corpus

per

per poros penetrat, ibique sæpe resuscitatur, unde dolores pessimi, & varia symptomata, ut tremor, consumptio & corruptio nervorum emergunt. Et fumigatio qua quidam utuntur, quæ ex Mercurio, sulphure & sale sublimatis conficitur, cerebrum & pulmones inficit. Unde ubertim paralysis, lethargia, phthisis, & alii affectus exoriuntur. In Rhetia quendam mercium conductorem vidi, (qui Mercurio eo modo curatus:) cui mandibulæ ita cecidere, ut necesse esset, dentes ei elimare, ut eo pacto cibum & potum acciperet. Jam aliquot annos adeo misere vixit, ut os aperire non possit, nec distincte loqui ut intelligatur.

4. Observatum est etiam talem Mercurio proprietatem à natura esse inditam, qualem in vipera repertam scribunt, & ob id therion minerale nominatur. Quemadmodum enim caro viperina optime præparata non solum præparativum sui ipsius veneni præstat, similiter hydrargyrus, artificiose, & ut decet, & opus est, paratus maximum alexipharmacum, & ad curandum morbos mercuriales, quorum maximus existit numerus, partim ex malo & indocto ipsius usu, partim ex contractione corporis ejus, vel in mineris, vel in fusione Metallorum. Fumus enim qui ab eo surgit, alte penetrat, & sicut fuligo Mercurii ferrum, chalybem & reliquorum Metallorum nervos frangit, ita vires microcosmi frangit & sensus suffocat, dejicitque super omnes omnium mineralium species, uno excepto Arsenico. Quo autem gradu corpus lædit morbos inducendo, eodem hominem restituit, non solum affectus ex se procreatos, sed alios etiam Vegetabilibus incurabiles debellando expellendoque.

Propter maximos autem Mercurii usus variis laboribus & modis variis subtiliorem ipsius præparationem indagarunt, adhuc tamen quicquid inventum fuit uno sensu non incongrue Magisterium Mercurii dici potuit, quoniam totum Mercurii corpus sub præparato continetur. Imo quod magis est, etsi salubre medicamentum fuit, & tanto gradu fixum atque coagulatum, ut artifex peritissimus efficere potuit, in Mercurium tamen currentem & vivum reduci potest, ut talis revivificatio cuivis experto Chymico nota est. Communiter vero præparatur ad usum internæ medicinæ duobus modis, primo in forma præcipitati, vel simplicis & per se, quæ aquila rubea à nonnullis appellatur, vel cum aqua forti, oleo sulphuris & aliis corrosivis, additis correctoriis, sed hæ omnes ad unum redeunt præcipitatum, etsi variis nominibus insignitæ. Secundo autem ita præparatione fixatum, ut licet igne violento reverberetur, integrum tamen examen spagyricum pati non possit, sed hoc parce utuntur Medici, quoniam nihil quicquam purgat. In Bohemia & Saxonia 3. vel 4. Spagyros Mercurium sic parasse vidi: Argenti vivi & Mercurii sublimati æquales partes sumunt urinali alto & angusto orificio aperto sexies sublimant, & hoc peracto Mercurius evadit insipidus. Pars enim corrosivi sublimato inclusi argento vivo diminuitur, pars quædam tenues evanescit in

in auras. Hujus cathartici, sic enim est, triginta grana una dosi exhibent, quod benigne & placide satis corpus per alvum emundat, citius tamen ad vitam reducitur quam præcipatatum. Alii præcipitatum cum oleo satis parant, alii extracto præcipitati, quod aqua quadam minerali elicitur, legitime & probe utuntur. Oblatis enim octo vel decem granis ad instar resinæ scammomi artificiose correcti, utiliter per sedem purgat. Sed quo vado? Si omnes enim Mercurii præparationes recenserem, justum librum adimplerem. Rem igitur aggredior. Quoniam hæc aqua metallorum præcipuas suas virutes, quibus varios affectus è microcosmo propellit, actu vomitionis perficit, nos forma vomitivi & cathartici h.e. tali præparatione usi sum⁹, quæ sine detrimento corporis & per os, & per alvum humores peccantes ejiceret. Et in iis quibus vomitum non provocat, extracto aliquo ex rebus vegetabilibus jucundo utimur, quæ efficacius humores cujuscunq; generis purgant & abstergent, quam Mercurius catharticus, ut sæpe observatum fuit.

Hoc autem loco, priusquam disceptationem præparationis ejusmodi tradamus, aliquid de vomitoriis dicendum est. Multi enim superciliosi, ratione & argumentis destituti, hoc medendi genus criminis insimulant, cogitantes secundum eorum Phantasiam naturam adigere, ut per sentinam communem humores peccantes & inordinatos ejiciat, quos ipsa prudenter œconomiæ microcosmi consulens, per os evacuare & tutius potest & magis multo cupit. Hos autem, ut tandem sapiant, rogatos velim, ut illud optimi & experti Medici Fernelii, legant & meditentur. Hæc sunt ipsissima verba: Qui vero vomitionem intelligit, si facilis & moderata obtigerit, salubertima est, & purgationum omnium præstantissima. Noxios quippe humores ex ipsis fontibus sinceros elicit, & vacuat, omnem quæ in ventriculi capacitate ejusve tunicis hæret illuviem imprimis expurgat, è præcordiorum membranis, è cavis jecoris ac lienis, & ex pancrea omnis generis humores noxios sinceros elicit, quos plerumque nec hiera, nec aliud vehementissimum ullum, etiam frequens pharmacum in alvum exturbare potest. In ventriculum enim ex his locis viæ breves & expeditæ, magis quam in alvum directę sunt, per quas facilis est vomitio. Quanquam autem primum ab interioribus evellit, consequutione tamen caput reliquumque corpus levat. Quocirca omnibus opitulatur affectibus qui à præcordiorum impuritate ortum acceperunt, Languenti appetentiæ, nauseæ, cibi fastidio, crebræ vomitioni, ventriculo, præcordiisque distentis, ictero, cachexiæ, suffusioni, omnibusque capitis affectibus, qui à præcordiorum sympathia contracti sunt, & quos è præcordiis in reliquum corpus effusa impuritas protulit. In quocunque igitur affectu languescit appetentia, & nausea, vomendique desiderium fatigat, si pharmaco non satis fit, vomitione curandum. Nam quæ purgatio non eluit exstirpat vomitio, & quæ illinc non facile labuntur in alvum, prompte in ventriculum remeant: tanti igitur vomitionis vis æstimanda. Hoc Fernelii judicium eis os obturabit qui rationales appellantur, nisi ra-

tione insaniant, ne immerito rationales appellari videantur. Qui enim opprobrium in vomitoria conjiciunt, ea bestiarum pharmaca, non hominum nominantes, hoc triplici ratione faciunt: Primo quia rationem utendi vomitivis non norunt: dein quoniam delicatulis ægrotis inserviunt, catharticis levioribus curam procrastinantes, quæ radices morbi nunquam evellent. Tertio autem quia vomitivum tale, quod vomitionem facilem & moderatam, sicut naturæ necessitas exigit, tuto provocet, eos latet. Dum enim aqua & aceto, aut aqua & oleo utuntur, quæ humores in summo orificio stomachi movent, non expellunt, nisi patiens humorem in arenam digito, aut alio modo provocet, difficilis & periculosa fit vomitio. Aut si adeo audaces se præbent, ut usum ellebori albi, aut esulæ & talium causticorum vegetabilium venenatorum admittunt, more antiquorum, quorum præparationes ignorant, vitam ægrotorum sæpe in periculum vocant, semper de corio ludunt humano & ita curant aliquem, ut cum morbo ægrum è vita tollant. His igitur missis, omnium, quæ usquam extant, præstantissimorum vomitoriorum, unum breviter exhibemus, quod universim omnes humores putridos, venenosos, terrestres, viscosos & contumaces funditus exstirpat, eos partim per os, qui secundum materiæ situationem, corporis constitutionem, & naturæ necessitatem per istud emunctorium evacuandi sunt, partim per alvum, sine corporis perturbatione, ejiciens & pellens, & tale ex Mercurio vivo præparatur.

De Mercurio aurato nostro, vomitivo cathartico.

Qui Mercurium ita præparare volet, u absque symptomate malo operetur, is ne laboribus, nec sumptibus parcat oportet ejus præparandi ratio hæc esto:

℞. Argenti vivi non adulterati, terræ sigillatæ Silesicæ vel medicatæ, an. ℔ j. Terra redigatur in pulverem in mortario lapideo, & reducatur in formam electuarii liquidam cum sufficienti quantitate oxymellis scyllitici, deinde cum ea amalgametur Mercurius diligenter, quem sic mixtum per retortam cum collo alto destilla, hanc destillationem, terram & oxymel renovando, ter repetito, postea Mercurium separa, eumque bis terve per corium trajice. Hoc pacto Mercurium satis purgatum & ab omni spurcitie & fœce liberatum habes. Color ei erit cælestinus. Hæc fuit purificatio, jam sequitur præcipitatio.

℞. Argenti vivi purificati unc. ʒ. aquæ fortis capite de Luna descriptæ ℔. medicinalem, destillentur una per arenam ad siccitatem semper, usque in tertiam cohobationem. Ultimo vero continuetur ignis vehemens horas 6. Circa fundum luto obducatur urinale, refrigeratis instrumentis extrahe præcipitatum, ut supra laminam ferri igni admotam, si quid spiritus aquæ fortis à destillatione remanserit, eo modo exhalet. Quando fumum ascendentem non videris flavum, remove ab igne, satis est quod sufficit.

Jam habes præcipitatum, quid insuper faciendum quæris? Lava inquam, hoc modo. Primo misce cum uncia salis tartari, clari & rectificati, irrorando species cum aquâ tepida melissæ, donec consistentiam mellis nactæ sint, tum enim imponendæ sunt vitro, & sic horas 40. in calore nativo relinquendæ. Secundo autem sic elue salem aqua communi destillata, ut nulla salsedo appareat. Nihil jam restat, nisi ut exsiccetur, & ad usum reponatur Magisterium vomitivo-catharticum Mercurii.

Quoniam verò necessarium, ut purgantia non solum vim evacuandi, sed vires & partes internas à purgatione corroborandi refocillandique habeant, correctionem sive additionem Mercurii hîc opponam, quæ è minera petenda est. Quamvis enim paria genera corroborantium, & malignitates corrigentium in hortulis & pacuis reperiantur, nullam tamen analogiam ut conformationem cum Mercurio vel gradu virium vel signaturâ proprietatis habent. Hac igitur sequente utor, quæ certo & indubitabiliter malignitati Mercurii, qua est, strenuè adversatur.

℞. Mercurii præparati partes quatuor, uti diaphoretici, martis rubificati, cujusque sesquipartem, misce in vitreo mortario, dein vase ex vitro probe obrurato, ad usum servetur.

Hic est Mercurius noster auratus qui cum summa diligentia paratus, ob maximas virtutes & vires præstantissimus, pluris quam aurum æstimandus est.

Ejus Virtus.

Mercurius iste est attractivum specificum, quippe quod humores corruptos ex unaquaque corporis parte, absque periculo aut magna virium alteratione, in centrum stomachi ubertim attrahit, attractis vero quidquid est phlegmatis, aut flavæ bilis in superiore ventriculi parte fluctuans per gulam ejicit, reliquum autem, scilicet atram bilem & sanguinis corruptiones per alvum evacuat.

Observationes.

1. Mercurius sic paratus non semper adeo distinctè operatur, modo enim per vomitum, modo per sedem plus minus agit, prout humores paratos, materiæ situationem & corporis constitutionem invenit.

2. Mercurius vomitivus correctus ad sanguinem nunquam purgat, neque symptomata periculosa inducit, ut quædam ex officina vegetabilium faciunt. Cura tamen adhibenda est, ut cum discrimine personarum & ægritudinum præbeatur, quod judicio Medici rationalis relinquendum est. In catarrhis & capitis defluxionibus præstantissimum est remedium, quod in Epilepsia aërea cum convulsione membrorum dici potest. In corruptione stomachi, lue venerea, podagra, chiragra & omni morbo articulari est appropriatum. Febribus intermittentibus ex superabundantia bilis flavæ aut atræ, putridis etiam & pestilentiali ex venenosa influentia Martis, Veneris & Lunæ, medetur. Sicut enim Mercurii fuli-

go

go frangit ferrum, pari modo Mercurius præparatus venenum astri Martis retundit & repellit. In obstructione menstruorum & secundinæ reductione, ne ultra quæras. Vermium est medela optima. Adversus symptomata veneni, & in dysenteria utiliter pro vomitivo exhibetur. Dosis à granis 5. ad 10. in vino generoso, vel ovo sorbili, vel in forma boli, aut sacchara rosato, Conserva florum borraginis, &c. vel in pilulis aut aloë lora administratur.

De unguento Mercuriali.

℞. Pulveris Mercurii dulcificati drach. 4. unguenti Rosati unc. 3. cum semisse, succi Mercurialis condensati semiunciam, fiat mixtio in mortario vitreo, & servetur.

Mercurius dulcificatus sic paratur: ℞. Mercurii vivi unc. j. quam dissolve in quatuor unciis aquæ fortis communis, dissolutum per arenam destilla, ad extractionem mediæ partis, tunc adde ei drachmam salis Ammoniaci aqua communi dissoluti, eo enim pacto Mercurius in forma pulveris albi fundum vasis perit, quem separabis & eo usque lavabis, aqua fontana, dum ei disperear salsedo. Postea sume pulverem sic paratum & exsiccatum, & in bociam impone cum unciis octo aceti fortissimi destillati, quod cum duabus unciis lithargyrii auri horas 40. in infusione steterit, & per chartam trajectum fuerit: colloca bociam in arena, & destilla acetum cum quarta aut quinta cohobatione ad siccitatem. Ultimo exime pulverem dulcem propter spiritum Saturninum, quem acetum ex lithargyrio abstraxerat. Hic est pulvis Mercurii in unguento superiori utendus, qui malignam corrosivitatem in vulneribus & inflammatione reprimit & in ulceribus venereis super omnia mineralia utilis est.

Virtus unguenti.

In ulceribus venereis, pustulis & scabie, cæterisque corrosivis ulceribus ad miraculum operatur, Dulcificat enim & lenit eorum defluxiones, abstergitque corrosivitatem, mitigat etiam ardores & inflammationes. Sed ablata corrosionis & inflammationis malitia ulcera consolidanda sunt aliis unguentis.

DE STANNO.

Rationem nominis Spagyrici explicaturo, analogia stanni cum Jove, (sic enim Chymice appellatur:) breviter enarrāda est. Ab Astrologis observatur Planetam Jovis benignum esse, facile se cuiq; applicārem, cum bonis bonum, cum malis malum. Eodem modo de stanno recte judicandum est. Inter imperfecta enim & bonitate & benignitate naturæ facile principatum tenet, fusile, malleabile, clarum, purum. Hic Jupiter ex se bonus est, & cum bonis bonus est. Quam facile autem se aliis applicet, hinc constat. Vasa non solum ex re domestica in cisternas, caldaria, lebetes, despumatoria, sed etiam arma è re bellica, ut manubria, sive capulos gladiorum & sicarum, parmas & thoraces, sive ex ferro, aut chalybe, sive ex ære aut cupro confecta; stanno obducimus, ne æruginem

aut ferruginem contrahant. Vasa autem instannata, quibus in medicamentis servandis utimur, circumspecte usurpanda sunt. Mercurius enim & Sulphur embrii hujus Metalli non sunt adeo perfecte concocta, fixa & colligata, atque duorum perfectorum Principia, unde aliquis metus & periculi & veneni, si acerosa, salina aut corrosiva pharmaca tali vasorum genere contineantur. Si dubites an sit venenum in stanno, quære ab iis qui embryonem fundunt ac purgant, aut ab iis qui calcinant stannum; magno cum suo malo dicent:

Frigidus, ô pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.

Hoc Metallum ad Jecur humanum refertur, quod Hermetici vocant Jovem microcosmi, partem equidem cæteris officio obsequentem, iis enim non solum nutrimentum, quod exigit, à stomacho, amanter & liberaliter distribuit, sed concordiam & sanitatem impetit. Sed si semel à malignitate humoris aut intemperie materiæ evicta fuerit, reliquis fit periculosa, morbis & affectibus procurandis, aliter natura benigna est ad Venerem aut Martem collata.

Alchymistæ varias rationes tentarunt, ut ad perfectionem & dignitatem Lunæ stannum adducerent, sed incassum. Nunquam enim Dianam aliter atque pedissequa hoc usam vidi, & si favorem ab aliis mutuaverat, hoc est, cum aliis mineralibus Alchymistice conjunctum fuerat, quo pacto splendorem & apparentiam speciosam habuit.

Medici utuntur stanno in forma Magisterii, sicut cæteris Metallis, non aliter. Quam præparationem sincerus & expertus medicus Osvval. Crollius tradidit ex Jove calcinato, per se & à fæce per acetum destillatum liberato. Specificum suffocationis uterinæ non opus est ut exscribam. Ophthalmicum hic tantum à me probatum hoc loco adjungam, intra corpus enim stanno nunquam usus sum.

Ophthalmicum Joviale.

℞. Jovis Anglici per se calcinati unc. tres, aquæ mellis virginei unc. 12. circuletur in fimo caballino mensem integrum, dein paretur subtile à spisso, & servetur ad usum. Visum senibus præservat, si bis vel ter in septimana cum æquali parte vini albi sumatur, inflammationes & epiphoram, hoc est, defluxionem corrosivam sistit & curat, delet item maculas externas.

CUPRUM.

ÆS ab insula Cypro in qua laudabile & copiosum eruitur, cuprum vulgò dictum, vel aurei coloris est, ob id & multis aurichalcum dictum, vel ad rubedinem accedit, & absolute æs dicitur; utrumque autem apud Spagyricos Venus à venustate nominatur, quam enim observamus in Planeta Veneris pulchritudinem, eadem cupro non inepte tribui potest. Quæ sit externa facies & quam gloriosa, vides quisquis es. Spagyricus autem, qui internam potius naturam rimatur, intus esse viridem tibi dixerit colorem equidem omnium cuivis animanti gratissimum, non solum

pro-

propter pulchritudinem quæ maxima eſt, ſed etiam propter voluntatem, & utilitatem, quibus animalia capiuntur; propter voluptatem inquam, quoniam delectantur aſpectu herbarum, fruticum & majorum arborum, quæ vere pullulant, & gemmulas ſuas, & folia protrudunt viriditate tincta, quæ diu nimis ſepulchro Saturni, hoc eſt, hyemis mortua latuerant. Ex viriditate autem utilitatem concipiunt, hinc enim colligunt pabulum ſecuturum, ex quo nutriuntur & vivunt. Malignitas vero huic ineſt Metallo, atque cæteris impuris, cui fidem facit eorum teſtimonium, qui eo purificanda, & ære viridi conficiendo operam conſumunt ſuam.

Qui anatomiam majoris & minoris mundi reſpiciunt, æs renibus conferunt, qui ſunt Venus microcoſmi, quod enim eſt officium Veneris in majore mundo, id renum eſt in minore. Qui oriuntur ex hoc membro affectus, fere, imo maxima ex parte ſunt periculoſi & lethales.

Chymici ſubtilitatis artifices, non ſolum exaltationem præparationis cupri maximo ſumptu tentaverunt, ſed & ſummo cum diſpendio & bonorum & vitæ, æs in argentum purum transmutandi periculum fecere. Quamvis enim curioſo pingendi artificio, optato ſimplicitatis candore faciem ei obducas, intra parvum tamen temporis ſpatium meretriciam & adulterinam complexionem manifeſtabit, unde in ejus amatores patibulum ſæpe, propudium ſemper redundavit. In uſu vero Medico non parvam ſuis gloriam conciliavit, præcipue morbis ventriculi & affectis renibus, externe & in ulceribus putridis. Ex qua varii authores modum reducendi Venerem in vitriolum ſcriptis tradidere. Nos autem, quoniam vitriolum Veneris, & calchantum vulgare in medendo unum & idem reperiuntur fere, vitriolo præparato, ſicut libro de anatomia vitrioli ſcripſimus, quotidiana praxi utimur. Nihil igitur illinc accerſito, unicum hic ophthalmicum admirandarum virium trademus.

℞. Cupri flavi bracteati uncias tres vini Malvatici ſesquilibram medicinalem. Circulentur ad Solem vitro bene clauſo, donec liquor viridis & transparens inſtar Smaragdi fiat. Hæc recepta brevis eſt, & compoſitio ſimplex, virtus autem nec brevis nec ſimplex eſt. In omni enim ulcere maligno oculorum & macula delenda medium eſt certiſſimum. Imo ſi læſione aliqua ex capſula exciderit, in locum reſtituit. Verbo, qui uſum novit, efficiet miracula. Varias curas hoc ipſo medio feliciter exactas vidimus, quæ relatione tædium offerrent, unam tamen palam faciam A. 1610. Noribergæ juvenis quidam lithotomus ex urbe Baſilea luſu gladiatorio ſerio oculum dextrum effoſſum habuit, ita ut ex capſula ad longitudinem nucis propenderet. Concionatoris uxor in locum repoſuit oculum propendulum, & talis adjumento liquoris fixum reddidit & ſanum intra 14. dies, viſum tamen amiſit, nam ex ictu exciderat pupilla. Hanc vidi & ad utilitatem publicam in medium profero.

DE PLUMBO.

Quam analogiam in cæteris ad rationem nominis declarandam obſervavimus,

vimus, hic etiam enarranda est, ut appareat filiis artis, veteres non sine ratione plumbum Saturnum appellasse. Hoc autem breviter ut omnia faciemus. Saturnus frigidus & ignobilis est Planeta, hæc prima est similitudo, quam plumbum metallorum infirmum & frigidissimum Saturnum æmulatur. Et quidem conjunctio Saturni cum cæteris planetis varios morbos & periculosa sympromata procreat & excitat, eodem modo spiritus aquæ Saturninæ cū reliquis metallis iis non leves affectus procreat, qui ob purgationem auri & argenti laborant, eos enim ictéritia nigrâ consumtione & melancholia mala laborare videmus.

Hoc metallum refertur Saturno microcosmi, hoc est, spleni, quæ viscerum pars extat frigidissima, & reliquarum servus, ad eorum fæces, præcipuè Solis, Lunæ & sanguinis evacuandas si qua tamen laborat dyscrasia, aut ad summum malignitatis exaltatus fuerit. Ut plumbum in cæmentis, auri & argenti splendorem eorum obumbrat ita lien spiritus vitæ & rationis in fonte ipso, id est, corde & cerebro obtenebrat, imo totum microcosmi cælum cæca caligine obducit, quod cum sit agens in terram microcosmi, id est corpus elementare, non mirum si sterilitas corporis & virium sequatur debilitas usque ad consumptionem ossium. Nam ut loquitur Salomon, melancholia, id est, tristitia consumit medullas ossis. Quemadmodum enim inferior pars mundi superiori agenti non resistit, ita pars elementaris microcosmi cælesti qualitati & facultati Planetarum in homine haud reluctatur. Homo enim ex duplicī constat natura, cœlesti & terrestri, aliter microcosmus, quinta Essentia mundi, Rex creaturarum omnium realiter dici non potest. Affectus igitur splenis non appellabuntur melancholia, hæc enim est accidens tantum morbi, sed ex causa prima nomen sortietur, hoc est, proprietate Saturni. Ergo sunt morbi Saturnini, quod in reliquis sex Planetis microcosmi intelligitur. Talis theoria morborum etsi à Philosophia naturali, & consideratione physica procedit, apud multos, qui opus microcosmi simplici elementari corpori & compositis animalium irrationalium conferunt, tanquam fabula & insomnium æstimatur. Proprietates enim spirituum, quæ suos procreant morbos, non admittunt, sed qualitates naturæ morborum causas statuunt. Revera autem quanta distinctio naturæ qualitatis & proprietatis inter corpora constellata Metallorum, & simplicia elementarium creaturarum statuitur & observatur, tanta differentia naturæ, qualitatis, proprietatis & officii viscerum principalium & simplicium elementarium humorum ponenda est, & si uni mundo implantata sunt, hoc est, microcosmo.

De situ Saturni in cælo septimo, & quatuor coloribus quæ pertinent ad fabricam lapidis Philosophorum in eo apparentibus, subtiles & acutæ sunt Alchymistarum speculationes. Primus enim color qui reperitur est niger, quem caput corvi, conjunctionem corporum, embryonem, fermentationem spermatum, & aliis no-

nominibus appellarunt. Secundus autem albus, Filius Regis, Jupiter, Mercurius regeneratus vita Solis, splendor Lunæ, draco, &c. nominatur. Tertius est flavus splendor Solis & initium maturationis dictus. Ultimus vero est subrubeus, & hunc maturationem perfectam, Imperatorem rerum, Lapidem Philosophorum, breviter Pellicanum nominarunt, quoniam sanguine suo, hoc est, superabundanti tinctura Metalla imperfecta, quasi pullos suos nutrit, & ad perfectionem suam educit. Hi omnes in uno hoc plumbi corpore apparent, ideoque non parvum laborem collocarunt in conficiendo lapide ex hoc minerali, vel saltem ut Mercurius currens è frigido sepulchro Saturni, ut à morte resuscitatus vitam & calorem internum argenti vivi recuperaret. Sed ita natura mortuus est, ut ad vivos eum reducere longe futurum sit difficilimum, nisi argenti vivi quid excidat in sepulchrum ejus. Et hic creduli indagatores invenirent quid pro quo, & si invenient genuinum Mercurium Saturni, ecquid erit pretii? Dubia erit quæstio, an quidquam possit ultra vires vulgaris Mercurii. In Medicina Magisterium Saturni ultima est præparatio, quæ efficitur aceto destillato fortissimo supra cerussam, minium, vel limaturam plumbi infuso, tum relinquitur in digestione per aliquod tempus, postea filtratur, coagulatur, & in formam salis Crystallini reducitur. Hoc est saccharum Saturni à multis descriptum. Alii subtiliores Magisterium sic paratum in retortam injiciunt, & spiritum aceti eliciunt, amissa aciditate fit spiritus ardens instar spiritus vini, quod est magnum Naturæ arcanum, & hunc appellarunt spiritum Saturni, sed inepte. Quantitas enim eadem Saturni, quæ mediante aceto in forma salis existebat, in fundo vasis post destillationem instar pulveris subtilis remanet. Virtutes vero hujus Magisterii rite præparati multæ sunt; in scirrho enim & splenis obstructione specificum est medicamen; concordat & coercet omnem omnium humorum acrimoniam in stomacho, colicam & iliacam Passionem ex corrosione salis resoluti integre sanat. Punctiones hepatis, & renum dolores ex mordacitate & resolutione tartari acuti mitigat. In cancro, lupo, & igne Persico est anodynum appropriatum, dolores tollendo, diminuendoque malignitates; omnem enim aliorum dulcedinem vi leniendi supereat. Et Medicus qui eo uti cum ratione norit, cognita causa symptomatis, constitutione corporis ætate & tempore administrandi miracula faciet.

Dosis internè à granis 2. ad quinque, pro vice cum liquoribus vel aliis vehiculis appropriatis, in specie vero spleneticis in vino albo vel Magisterio Melissæ exhibetur, mundato priùs stomacho. Hic est usus internus.

Extra.

Uti poteris externe in forma linimenti cum unguento vel oleo rosato contra scabiem serosam & serpiginem. In maculis etiam ex variolis mistum cum oleo vitellorum ovorum absque adustione expresso. Adversus defluxionem calidam oculorum,

 dolo-

dolores dentium ex nimio calore, vel aſperitate defluxionum in eryſipelate, & omni inflammatione ulcerum; non ſolum enim reſtinguit ardores, & eos mitigat, ſed, quod plus eſt, reſolvit, ut videmus in laminis plumbi ſimplicibus, quæ applicatæ quamvis carnoſam excreſcentiam ſine eroſione reſolvunt & conſumunt. Ut verbo rem concludam, Saturnus eſt columna Chyrurgiæ. Presbyterum quendam magnum in Germania novi, qui liberavit ſe à dolore maximo & corruptione corporis, quæ alias ei contigerat ex ulcere maligno, ſub mamilla ſiniſtra incurabili, utebatur quavis ſeptimana mane hoc Magiſterio, quo tanquam elixere ſpecifico munitus, etſi non à morbo liberatus, à ſymptomatibus tamen tutus vixit, & tandem ſenex obiit ex aliis accidentibus.

Hæc breviter de naturis, proprietatibus & præparationibus ſeptem Metallorum ad uſum Medicinæ declaravimus. Si minus ſumus aſſecuti, quam pro noſtra civili juvandi ſtudio ſumus conati, in eam accipies partem, quæ tuum decet candorem. Hęc ni fallor, tibi uſui fuerint, interim dùm idoneus aliquis author curioſius ea penicillo ſubtili pinxerit. Nos enim & Rhetorices & Logices artificio deſtituti ſumus, quod fecimus, Deo adjuvante, natura duce perfecimus.

FINIS.

CHRY-

CHRYSOLOGIA,

SEU

EXAMEN AURI CHYMICUM.

In quo demonstratur, auro nec inesse substantiam aliquam potabilem: nec illud Arte Spagyrica transmutari posse in substantiam aquosam, oleosam vel salinam; & quid proprie intelligatur per aurum potabile,

CHRYSOLOGIÆ SECTIO PRIMA.

CAP. I.

De natura Artis Spagyricæ, deque ejus Potentia & Terminis, quibus omnes in universum ejusdam operationes circumscribuntur.

QUum propositum nobis sit hoc libro agere de materia, quæ ab evidenti examine & demonstratione Artis Spagyricæ tota propemodum pendet: non equidem nullum operæ pretium sumus facturi, si hujus ipsius naturam initio paulo altius à sua origine arcessamus. Est enim hoc totius operis quoddam quasi fundamentum futurum, quo primum jacto, in progressu deinceps de quæstionibus controversis judicium facilius fieri potest; prorsus ut in aliis Disciplinis omnibus usu venire videmus, in quibus, si quæ nascitur controversia, eam ex cujusque disciplinæ principiis decidi oportere, in confesso est apud omnes.

Constat autem ex Paracelso Chymiatrorum facile principe, quod Ars Spagyrica sit illa Chymiæ pars, quæ pro subjecto habet corpora naturalia Vegetabilium videlicet, Animalium, ac Mineralium: in quibus quicquid operatur, id ad utilem in Medicina finem tendit: quo sensu quibusdam etiam Chymiatria sive Chymia Medicinalis dicitur.

Multiplices illa habet operandi modos, variasque encheireses exercet, quæ tamen in universum omnes ad tres præcipue scopos collineant: nimirum I. ad SEPARATIONEM. II. SUBTILIA-

 TIO-

TIONEM, ac III. SUBLIMATIONEM sive EXALTATIONEM.

Ac primo quidem Separare, est dividere, dispartiri & resolvere corpora in diversas substantias ex quibus naturaliter sunt composita. E. G. ex omnibus Vegetabilibus & Animalibus, Bitumine item, Asphalto, Succino, Gummatis, Resinis, &c. separat artifex spagyrus, Aquam, Oleum, Tincturas, Extracta, sales cum volatiles, tum fixos: Ex Corallis, Perlis, Matreperlarum, & aliis consimilibus separat similiter partem quandam aquosam, simul & oleosam relicta calce alba & levi. Ex salibus separat spiritus acidos & solventes, relicta parte aliqua illorum terrestri. Ex Alumine ac Vitriolo similiter spiritus acidos protrahit, relicta terra utriusque minerali. Ita quoque ex Sulphure spiritum fuliginosum salinum separat, qui per haustam à circumfuso aëre humiditatem abit in liquorem acidum, ardere nescium, minus proprie Oleum sulphuris vocatum. Ex Auripigmento, Antimonio, Macrasitis, Plumbo, Stanno, Cupro, Ferro, aliisque præterea corporibus Metallicis, quæ quidem in igne consumi possunt, separat substantias Mercuriales & Sulphureas in forma fuliginis sive pulveris subtilissimi, aridi, & sicci, relictis illorum cineribus & salibus fixis, qui neque sapore præditi sunt, neque in aqua solubiles.

II. Subtiliare sive attenuare dicitur ars spagyrica, quando dissolvit, dilatat, & discontinuat soliditatem, compactionem & fixitatem corporum Metallicorum & Lapideorum, interventu humoris cujusdam acidi & solventis, atque ita illa redigit in formam magis subtilem & penetrabilem, pristinæque multum dissimilem: eamque vel liquidam, vel salinam, quæ facilime dissolvatur ac diffluat in quocunque liquore aquoso, non minus quam vel Saccharum, vel Sal: vel pulveream etiam. Posset quidem hæc eadem operatio etiam Conjunctio dici, siquidem per eam volatile cum fixo, liquidum cum solido, & corporale cum spirituali conjungitur. Verum propriissime non nisi Subtiliatio vocanda est.

III. Denique Sublimare artem dicimus, quando vel separatas dictorum corporum substantias, vel corpora solida attenuata rectificat, & ad nobiliorem puritatis, subtilitatis, & perfectionis gradum elevat.

Ex quibus satis, opinor, adparet, quod omnia Medicamenta Chymica sint, aut substantiæ, separatæ seu extractæ ex supradictis corporibus: aut Magisteria, id est, corpora solida per forinsecus accedens additamentum adtenuata. Addimus & hoc, Artis vi effici non posse, ut una substantia transmutetur in aliam, id est, ut substantiæ Mercuriales aquosæ, Sulphureæ oleosæ, & Salinæ revera salsæ & solubiles Vegetabilium & Animalium similes fiant substantiis Mercurialibus & Sulphureis fuliginosis & terrestribus, salibusque insipidis & insolubilibus corporum Metallicorum: ac e converso horum substantiæ similes Vegetabilibus & Animalibus: utque in unum omnia conferam, non potest ars reapse transsubstantiare lapidem in aquam, ista enim metamorphosis miraculi loco sit futura, non ab artis potestate profecta putan-

tanda. Et, si quis aliter affirmet, nisi ab ignorantia sua patrocinium petat, nihil profecto eum ab extrema absurditate defendere queat. Atque sic quidem quænam Artis spagyricæ fundamenta sint, quæ bases, termini, pomætia, breviter declaravimus: ex quibus de quæstionibus in Chymia controversis judicari debet, sive eæ anatomiam alicujus corporis, sive ejusdem subtiliationem concernant.

CAP. II.

De Essentia, consistentia, & formis substantiarum Metallicarum.

QUamquam supra obiter de forma & consistentia substantiarum Metallicarum ejusmodi mentionem injecimus, ut iis, qui artis & naturæ metallorum non penitus sint ignari, potuerimus satisfecisse, neque opus proin videatur, plura in hanc rem verba facere: Nihilo tamen minus, quum res sit maximi in Chymia momenti, cujus exactissimam rationem habere oporteat Chymiatrum, qui cum ratione in artis operibus versari velit; non possumus non prolixiorem de ea tractationem instituere.

Quod si ergo penitius in consistentiam ac formam substantiarum Metallicarum intueamur, deprehendemus profecto non minus has à substantiis Vegetabilium ac Animalium differre, quam terram ab aqua. Hujus pronunciati veritas patebit, si eas inter se contulerimus: facto abs Mercurio sive parte rerum aquosa initio. Sumat quis e.g. Argentum vivum, quod ex sententia Hermeticorum est Aqua Metallica, & ipsius Essentiam, formam, & consistentiam cum Aqua cujusvis Vegetabilis aut Animalis comparet; Deum immortalem quanta dissimilitudo, quanta inæqualitas ac disparitas primo statim intuitu utrinque sese obferet! Aqua enim Vegetabilium ac Animalium deprehendetur levis, rara & transparens: Argentum vivum è contrario solidissimum, densissimum, gravissimum, & inita mensuræ ratione, decuplo fere aliis aquis ponderosius. Quod qualitates porro alias adtinet, Argentum vivum non madefacit digitos, nullam frigoris vim aut conglaciationem expetitur, neque temporis injuria & longitudine corrumpitur aut mucescit, quæ aliis aquis obtingunt omnia.

Sic Sulphur Minerale, Resina illa sive Axungia terrestris, cum Sulphuribus Vegetabilium ac Animalium hoc fere solum commune habet, quod instar rei oleosæ & pinguis, in igne reapse comburatur. Cætera immane quantum differat à Resinis, Axungiis, Oleis aut Substantiis Sulphureis Vegetabilium ac Animalium! Has enim, quis non vidit esse leves, aquæ innatantes, unctuosas, si tangantur, corruptioni denique & situi obnoxias, quum Sulphur Minerale contrario sese modo habeat? Lapidis enim instar ponderosum est, & in aquam projectum derepente fundum petit, aridum & siccum, nec digitos imbuit, tantumque abest, ut corruptioni subjaceat, ut non sese solummodo ipsum semper, sed & alias res, ut ligna, quam diutissima à corruptione sartas tectas conservet. Differentia quin etiam horum ex eo efflorescit quod ex sulphure mi-

tali nequeat Oleum sive liquor vere oleosus & pinguedinosus prolectari, contra nã fit ex aliis rebus Sulphureis. Hæ ipsæ etiam, si comburantur, fuliginem quamdam igneam in altum emittunt, quæ recollecta, instar subtilissimi pulveris de carbonibus, denuo conflagrare apta nata est. Sulphur vero minerale exustum fuliginem quamdam candidam, eamque acerrimam, & nares impensè vellicantem ex sese effundit; quæ ipsa modo supra explicato in liquorem fatiscit, igni extreme contrarium.

Denique inter cineres corporum Metallicorum & aliorum, non minor diversitas occurrit, eos inter sese accuratius conferenti. Si quis enim pro Exemplo accipiat cineres Antimonii, Marcasitarum, Plumbi, Stanni, &c. qui post cujusque horum in igne vehementissimo anatomiam, & ablationem partium Mercurialium & Sulphurearum residui facti sunt: videbit liquidissimò, in quo hisce conveniat, cum cineribus Vegetabilium & Animalium, vel nihil esse, vel nimis quam parum. Etenim Vegetabilium Animaliumque cineres sunt leves, & ex illis lixivium confit, per quod substantia salsa & in aqua solubilis extrahitur, cineres vero Metallici multo visuntur ponderosiores. Ac Sales quidem hi suorum corporum sunt, non tantum per definitionem Salis Paracelsicam, quæ illis ad amussim competit; sed & per id, quod facili negotio fundi, & in vitrum, experientia teste, duci queant, quod ipsum Salis proprium esse in quarto, uti loquuntur, modo, quivis per se facile intelligit. Interim tamen etiamsi illi ipsi cineres Metallici vel per integrum annum in aqua macerarentur, ne atomus quidem Salis vere salsi inde extraheretur. Non sum nescius reperiri, qui beneficio aceti destillati aut alius alterius liquoris acidi, istiusmodi salem elicere glorientur: Sed & hoc scio, oppido tum falli ipsos, tum alios æque fallere. Nec enim quod ipsi pro Sale obtrudunt, id revera horum corporum sal est, sed Spiritus Solventium, qui cum parte cinerum Metallicorum coaluerunt in istiusmodi massam salinam, Vulcano teste, qui Spiritus coagulatos segregare rursus potest à cineribus Metallicis, sicut hi ad solidam suam & in aqua indissolubilem formam & consistentiam, spiritibus destituti redeant. Unde breviter colligere est, utut Metalla in prima sua origine dubio procul ex substantiis elementaribus spirituosis, & mollibus, dicantur procreata: minime tamen propterea statuendum esse, istas substantias tales, quales initio fuerint, deinceps perstitisse, sed accedente longa diutinaq; digestione, mixtione, & coctione à calore naturali subterraneo celebrata, aliam & priori longe dissimilem, consistentiam, dispositionem, & qualitatem, uti hactenus demonstravimus, adquisiisse.

CAP. III.

De substantiali compositione Auri, deque causa compactionis ejusdem, ponderositatis, ac durabilitatis in igne.

Demonstraturi quousque ad Aurum medico usui accommodandum Artis

Spa-

Spagyricæ potentia ſeſe extendat, nolumus curioſe inquirere, qualisnam res Aurum in primo ſuo ente extiterit, & num materia mollis & ſpirituoſa ante fuerit, quam ad veram conſiſtentiam Metallicam devenerit. Iſtiusmodi enim profundam, obſcuram ac intricatam quæſtionem, iis qui ob lapidem Philoſophorum follesnoctes diesque motant, & metallorum transmutationi inhiant, relinquentes: id ſolum excutiemus, in quonam tum compoſitio, tum excellentia auri conſiſtat, poſteaquam jam à natura coctum ſit & elaboratum, inq; verum viſibile & tangibile Metallum formatum.

Statuendum ergo eſt, id quod nemo etiam negare vel debet vel poteſt, Aurum, quia Metallum ſit, neceſſario etiam tribus iſtis ſubſtantiis Metallicis communibus ad cæterorum Metallorum compoſitionem concurrentibus, conſtare. Subſtantias vero iſtas, eo ſe modo habere, quem capite præcedenti explicuimus. Nunc ut res clarior & evidentior evadat, viſum fuit, adducere aliquot ſententias Paracelſi, qui veluti Metallorum naturam, ſi quisquam alius, fuit doctiſſimus, ita totum hoc, quod de compoſitione Metallorum ſcitu neceſſarium eſt, in ſuis ſcriptis plene planeque eſt perſequutus.

Primo, quantum Mercurii ſive Argenti vivi in Metallorum omnium compoſitione concurſum attinet, de eo ſcribemus verba ejus clariſſima ex lib. 2. de generatione rerum. **Nec minus verum eſt (inquit) quod Mercurius vivus Mater eſt omnium ſeptem Metallorum, & recte Mater Metallorum, vocari debet. Nam veluti is in ſe habet omnes colores, quos in igne de ſe videndos** præbet: Ita etiam abſcondita in ſe habe omnia Metalla quæ & ipſa extra ignem de ſe non præbet.

In cœlo ſuo Philoſophorum, Regula prima de Mercurii natura & proprietate Omnia ſunt in omnibus abſcondita: Unus ex illis omnibus eſt eorum abſconditor & corporale vas externum viſibile & mobile. Fluxus omnes manifeſti ſunt in vaſe hoc. Nam vas hoc corporeum eſt ſpiritus. Quare omnes coagulationes & fixiones in ipſo captivæ ſunt & concluſæ, cum fluxu adeptæ, circumdatæ, & comprehenſæ &c.

In Theſſalo 2. hoc eſt, de gradibus & compoſitionibus capite 10. Mercurius inter Metalla ſupremus eſt, & corpus quoddam rerum ſubſtantialium in quatuor iſtis elementis. Ille ipſe etiam ſingularem ſibiq; propriam in ſe naturam habet, frigidam & calidam, & illa adimi ipſi nequit. Et paulo poſt: Si jam ex illo generatur Metallum; videlicet ex Mercurio corporali, per transmutationem Archæi in ferrum ſive plumbum, aurum, aut argentum, tum ſimul cum hiſce naturis adſumit aliam novamque complexionem ſine perditione aut deſtructione complexionis prioris. Et ita duæ naturæ erunt in una ſubſtantia, ex ſolis viribus Mercurii cum unione ſulphuris & ſalis. Quare ulterius plumbum loco Mercurii eſſe poteſt aut argentum aut aurum, &c.

In Scholiis in lib. de gradib. & Compoſit. Medicam. Unumquodque Metallum eſt Mercurius coagulatus.

Lib. 3. de Morbis Mineralib. cap. 2. **Unumquodque coagulatum Metallum**

n se habet naturam Mercurii: Sed quia coagulatum est, ideo ista vis nunquam ibi est. Nam in media generatione, & usque ad mediam generationem omnia Metalla sunt Mercurius. Et paulo inferius: Ideo notanda hic est differentia, si de Mercurio dici debet, natura hæc, quod non perfecte generetur: sed servat in se naturam & proprietatem vivam & Essentialem, quam reliqua Metalla mortuam in se habent.

Tractatu primo de mineralib. Ita etiam est hujus Metalli natura, quæ neque malleo tractari potest, neque fundi, & est mineralis aqua Metallorum: Veluti alias aqua subest rebus aliis, ita hæc Metallis. Et in eodem capite: Nam mirabilis ejus natura multiplex est, nec parvo labore investigabilis.

Hæc hactenus de generali concursu argenti vivi ad productionem Metallorum Paracelsus: De ejusdem porro speciali in Auri compositionem ingressu, notari possunt quæ sequuntur:

De cœlo Philosophorum c. 3. Septimum Metallum ex sex illis fluxum, corporaliter est Aurum, & in se ipso nihil aliud est, quam purus ignis. Quod vero ab extra pulcrum, flavum, visibile, tangibile, ponderosum, frigidum, & solidum corpus visitur & sentitur, causa est, quod coagulationem reliquorum sex Metallorum in se habeat, qua cum compactum & comprehensum est in corpus externum. Quod vero ab elementari igne funditur, ratio hæc est, quia fluxum habet à Mercurio, à pisce, & aquario spiritualiter in ipso absconditis. Quod etiam externe hic deprehenditur, quia Mercurius promptissime auro adhæret, ipsique permiscetur corporaliter.

Lib. 3. de Morbis Mineralib. c. 2. Aurum tantum est Mercurius.

Quia vero, quando in textu prætallegato aurum in seipso dicitur nihil esse aliud quam merus ignis, dubium suboriri cuipiam possit, ad qualitatem Mercurii respicienti, qui frigidus vulgo judicatur. Ideo non abs re fuerit videre, quomodo ipse Auctor hîc sese explicet, libro de cœlo Philosoph. ubi de qualitatibus Mercurii agens, Victi sunt, inquit, qui de Mercurio statuunt, quod humidæ aut frigidæ naturæ sit, aut esse debeat; quod non est. Verum immensi caloris & humiditatis plenus est, qui calor & humiditas natura ipsi inest, causa perpetui fluxus, in quo est. Nam si frigidæ & humidæ naturæ esset, aquæ congelatæ similis esset, oportet, & semper fixus & durus maneret, & primo per calorem ignis, ut alia Metalla, in fluxum adduceretur. Hoc autem non opus habet, quia fluxum suum jam anteà calore habet, qui eum in fluxu detinet, à quo semper debet vivere, & non mori, neque immobilis fieri, neque congelari, &c.

Quod vero argentum vivum vehementi calore interno polleat, non uno argumento colligitur. Primo enim si ad debitum tempus in peculiari vitro, satisq; intenso arenæ calore detineatur, liquido constiterit, hanc suam formam nobilem & liquidam mutari in pulverem coloris sanguinei, physicum complexionis igneæ indicium. Deinde iste pulvis interne datus, aut externe in usu Cheirurgico adhibitus, effectus rei, non frigidæ, sed calidæ habet. Neque tamen propterea negat Paracels. quin frigidæ etiam naturæ sit Mercurius, habi-

bo

to nimirum respectu ad qualitatem ejus externam; quin potius hoc ipsum elegantissime confirmat Tractat. 2. de Morbis Mineralib. cap. 2. Ita etiam hoc est in hyeme terræ, quæ sola est Mercurius vivus, hoc est, Argentum vivum. Ille, qua omnes proprietates Luna est, & qua omnem naturam hyems. In ipso jacent omnes stellæ hybernæ, naturæ hyemalis, & quod ad hanc rem facit. Et paulo ulterius: Nam Mercurius secundum suam naturam rectius vocaretur Luna, recte hyems, recte nox, frigus, glacies. Verumtamen quia non est compactus, sed Metallum apertum, nomen ejus manet.

Hasce sententias hoc in negotio adscribere libuit: ex quibus omnibus satis superque videre est, Paracelſ. velle, Aurum ex Metallicis substantiis, ipsi cum reliquis Metallis communibus, compositum esse. Quarum licet Princeps sit & præcipua Mercurius, per hoc tamen non stat, quin reliquæ etiam duæ, sulphur nempe, & sal, mineralia, admitti una debeant, quum is sine horum interventu soliditatis & compactionis Metallicæ nequeat fieri particeps, id quod non uno in loco Parac. in suis scriptis declarat.

Quod porro in auro Mercurium prædominari dicimus, nemini mirum videri debet, sententiam saltem consideranti Philosophorum Peripatheticorum, qui perfectionem auri esse statuunt à conjunctione quatuor elementarium qualitatum, perfectissime invicem combinatarum. Materiem quidem ipsam in specie non exprimunt: sed nos nullam Mercurio in universa rerum natura aptiorem melioremque dari credimus, quippe in quo, ut ostensum hactenus, quatuor istæ qualitates, aquæ scilicet & aëris quoad extra, interne vero terræ & ignis, omnium quasi oculis clarissime subjiciantur, quæ ipsæ amplius ita unitæ, ita invicem concatenatæ sunt, ut, licet Mercurius corpus mobile, Metallumque inchoatum & immaturum sit, nequaquam tamen propterea ignis vi dividi & dissolvi queat, quin semper artifex eum in naturalem suam consistentiam retrahat.

Cæterum, quod aurum sit tam compactum Metallum magis quam alia omnia; quod instar Solis splendeat, spurcitiei odorisque omnis expers & ab omni parte temperatum; quod item quemcunque ignem triumphet, ac rubiginem nesciat: id duabus potissimum causis acceptum est referendum, Prima auctore Paracelso (Tractat. 1. de Mineralib. cap. 2. de Procreat. Metallor.) est, quod substantiæ auri, Mercurius scilicet, sulphur & sal, sunt à natura exquisitissime defœcatæ, depuratæ, & ab omni materia corruptionis capace sequestratæ. Altera causa est, earumdem substantiarum conjunctio, unio, & combinatio arctissima, per longam ac diutinam eamq; accuratissimam concoctionem facta, sine interventu alicujus rei, quæ qualitatibus ipsarum adversetur. Unde nulla inter eas diversitas animadvertitur, sed una substantia, non tres esse videntur. Et hæ sunt causæ qualitatis, temperamenti, & excellentiæ ipsius Auri.

CAP. IV.

In quo disquiritur, an ex Auro possit elici substantia bibi apta.

INitio prætermittimus, quod omnes in rerum natura substantiæ potabiles, in duplici differentia constituantur: Aut enim sunt actu, inque se ipsis liquidæ: ut liquores tam oleosi, quam aquosi: aut sunt potentia liquidæ, sive ex accidenti, videlicet per additamentum: ut est substantia rerum salina, quæ etsi non sit actu liquida, neque proin per se bibi possit; quia tamen in liquoribus aquosis liquatur, penitusque diffluit, ut tum non aliam quam liquoris formam præ se ferat, non refragantur Chymiatri, quin suo quoque modo potabilis hæc adpelletur.

Jam si quis scire velit, num ex auro hujuscemodi substantiarũ aliqua educi queat, is duo consideret: Ipsam videl. naturã auri; & deinde Artis Spagyricæ potentiam. Quoad primum, si quæ de substantiarum Metallicarum forma & consistentia hactenus exposuimus, repetantur, simulque ad perfectam maturationem & compactionem, quam eædem substantiæ in compositione auri nactæ sunt, respiciatur; nullo profecto negotio colligi potest, ejus quidem substantiæ, quæ secundum dictorum modorum alterutrum potabilis nuncupari debeat, nihil in auro reperiri.

Ars vero ipsa substantias corporum divisibilium separare quidem potest, easq; in actum, idque in tali consistentia, qualem natura sua obtinet, educere: Verum, ut supra quoque diximus, hautquaquam valet transmutare substantias fuliginosas, aridas, & siccas, in substantias liquidas, aquosas, & oleosas; nec vice versa, has in illas. Unde facile intellectu est, etiamsi maxime Chymia posset corpus auri dividere, & ex eo substantias, quibus constat, separare, veluti facit in Plumbo, Cupro, Stanno, Ferro, Antimonio, Marcasitis, &c. Quod tamen propterea illæ ipsæ substantiæ à sua naturali arida & sicca consistentia, in aliam humidam & potabilem minime gentium essent abituræ; non certe magis, quam aliorum corporum mineralium supra nominatorum substantiæ, quæ, experientia teste, aridæ semper sunt & siccæ, neque in aqua simplici ullo modo liquefiunt. Quin potius verisimile est, substantias auri separatas, tanto solidiores & fixiores futuras, quanto id præ reliquis hisce corporibus solidius, compactius, fixius, ac ponderosius corpus nactum est. Tantum etiam abest, ut ars ex auro substantiam quamdam liquidam & potabilem, tam longè à natura auri dissitam, eliquare valeat, ut ne quidem in istas, quibus natura conflatum est, substantias illud ipsum rescindere potis sit. Vanissima ergo est hæc de substantia potabili ex auro secernenda persuasio, quæ multorum quidem animos occupavit, sed à veritate est alienissima; id quod in genere hactenus demonstratum sectione sequenti specialius producto in medium exemplo sumus confirmaturi.

CHRY-

CHRYSOLOGIÆ SECTIO SECUNDA.

Qua indistincte & accurate examinatur processus Chymicus Francisci Antonii Londinensis, Doctoris Medici, quo Essentiam & Realem Tincturam ex auro se extrahere gloriatur, vendens indies & dispensans sub isto nomine duo medicamenta.

SAtis hodie duobus medicamentis, quæ pro veris ex auro substantiis vendit ac dispensat, per universam ferme Europam innotuit Franciscus Antonius Londinensis, Doctor Medicus, cujus famæ & existimationi neque nos invidemus, utpote quibus cum persona ipsa nequaquam litem esse sancte protestamur. Rem ipsam spectamus: in qua ut cum eo sentiamus, non possumus, veritatis vi adacti, à nobis impetrare. Qui potius, ut eorum, quæ præcedenti sectione adtulimus, magis magisque inclarescat veritas, & dubitandi omnis occasio præcidatur, nihil vel præter rem vel inique fecerimus, si errorem ejus, quem publice non disseminare tantum, sed & edita Apologia strenue defendere conatus est, publice quoque detegamus, & detrahamus ipsi larvam hanc, qua speciose tectus, toti imponit mundo. Sequemur autem presso pede eundem ordinem, quo libri sui Medicinæ Chymicæ, & veri potabilis auri adsertio, dicti, capite quarto, processum suum ipse auctor describit. Quumque is tribus distinctis operationibus 1. videlicet Auri calcinatione, 2. ejusdem calcinati solutione, 3. denique tincturæ ex eodem dissolut extractione contineatur; Nos quoque tribus hisce partibus secundam hanc sectionem absolvemus.

PARS PRIMA.

De Calciatione Auri.

EAm quidem hunc in modum describi noster: Corpus auri solidum indige præparatione longa, atque operation continua: Ut primo calcinetur, postea sol vatur. Calcinatum enim corpus quod so lidum prius erat, jam discontinuatum eva dit & veluti impalpabile quoad tactum magis quam prius solutionis susceptivum Non calcinatum solutioni nimis erit con tumax. Neque tamen cum rebus corro dentibus, aut humanæ naturæ infestis cal cinationem moliri debemus: ut vulgo fie ri solet per aquas (nimirum) fortes ex Vitri olo, Alumine, Nitro, & similibus. Ablu tiones enim licet vigesies repetantur, vene natas impressiones aquarum fortium auf ferre nequeunt. In vera ac Philosophic calcinatione, nullæ recidivæ fiunt crudita tes, aut venenatæ impuritates, vomitio num, resolutionum, palpitationum cordi procreatrices. Cavendum semper ne ex hu jusmodi malitia aliquid in medicandc damni patiamur.

Hæc hactenus de calcinatione Antonius noster. Circa quam tria movemus 1. Quid per calcinationem Philosophicam intelligat: 2. An in ista calcinatione Auri forma penitus destruatur: 3. Denique annon in eadem calcinatione accedat ad aurum

es quædam peregrina, per quam simplices stius qualitates alterentur?

Quod primò calcinationem ipsam idtinet, ejus duplex est apud chymicos significatio: Propria videlicet, & impropria. Proprie calcinatur corpus minerale, quando mediante igne solo, humidis suis & glutinosis substantiis privatur, inque cinerem seu calcem levem & aridam redigitur, ita, ut redintegrari ac in primam suam formam reduci nequeat. Exemplum vulgo obvium est in calce lapidum, qua utuntur cæmentarii; quæ istis suis substantiis ignis vi destituta, in formam lapidis pristinam omnino est irrevocabilis. Improprie vero calcinari dicuntur eadem corpora mineralia, quando interveniente aliqua materia acri & salsa, per viam vel solutionis vel teverberationis, discontinuantur, & in subtilissimum, tenuissimum & impalpabilem pulverem adtenuata, veræ calcis formam mentiuntur, licet vere ac realiter calcinata minime sint, sed formæ suæ pristinæ adhuc capacia.

Jam quum præter hosce duos calcinationis modos nullum alium dare vel comminisci queat noster, quæro, Utrum is per calcinationem suam Philosophicam velit intellectum? Certe non nisi secundum, puto: idquod duæ evidentissimæ rationes evincunt: 1. est, quod unanimi omnium consensu aurum nulla ignis vi devastari possit: 2. quod si vel vere calcinari statueretur, consequens necessario esset, quoniam in illa calcinatione, substantiæ humidæ & glutinosæ, sive mercuriales & sulphureæ auri deperderentur, substantiaque tantum salina cum terra aridissima, & siccissima ac qualitatibus ignis abunde imbuta, reliqua fieret: quod aurum ita Mercurio suo & sulphure spoliatum, etiam virtutum, quæ ab optima compositione & temperamento substantiarum invicem, conjunctarum, pendent, una fieret vacuum: id quod intentioni auctoris nostri cumprimis adversaretur, utpote qui in suo auro potabili, veras auri qualitates easque integras, sine ulla earum vel imminutione vel jactura, conservare fatetur. Calcinatio ergo illa Philosophica nulla alia est, quam secundi, ut diximus, modi.

Neque obstat, quod quis posset objicere, eam ipsam per res salsas & acres instituі, quam ob id non videatur intendere noster, quippe qui aquas fortes ex vitriolo, alumine, nitro & similibus præparatas, tanquam res corrodentes, humanæque naturæ infestas rejiciat. Facilis enim est responsio, quod, quantumvis has propter igneam penetrantiam à compositione & destillatione ortam, proscribat: non possit tamen eapropter vel res, ex quibus istæ aquæ factæ sunt, proscribere, quum quam egregia inde medicamenta præparentur, elegantiorum quidem Medicorum nemo hodie ignoret, vel etiam omnes materias salsas & acres gradibus & qualitatib. aquarum fortium commensurare. Per enim magna utique est corrosivorum diversitas & latitudo, neque de omnibus, quod humanæ naturæ infensa sint, promiscue dici debet. Nam quis vel è media plebe, salem, quo quotidie cibos condimus, acetum, aliasque res acidas, quibus non minus utimur,

mur, venenatas aut corporibus nostris inimicas, ac non potius salutares, imo ad sustentandam sanitatem necessarias, fateatur? Quid dicemus de salibus Spagyricis cum Animalium tum Vegetabilium? ii, tantum abest, ut humanæ naturæ venenata quadam qualitate insidientur, ut ex opposito vim alexiteriam possideant, humorumque internorum corruptioni, bonis sæpe ægrorum rebus, resistant. Et tamen si qualitates solventes, incisorias, detersorias, acrimoniamque tam horum salium, quam salis ipsius vulgaris, aceti item, succi de citro, aliorumque consimilium consideremus, ratio nulla erit, quare ex numero corrosivorum hæc debeant excludi, præsertim quum multa corpora mineralia illorum vi corrodi & dissolvi, ipsa nos edoceat experientia.

Ut ergo, quod res est, edisseramus, calcinationem suam hoc modo noster instituat, oportet: Accipit. quantum placet auri, cui addit salem quendam usualem, (qui corrosivus quidem est, sed non tale corrodens, quale ab opere suo excludit, id est, humanæ naturæ noxium:) duo hæc in reverberium collocat, adhibito tali ignis gradu, ne aurum fundatur, sed ut spiritus salis istius acres & soluti vi duntaxat excitētur, qui ita sensim circa Metalli corpus tam intra quam extra coëunt & concentrantur, ejusque fixitatem Metallicam, vi acrimoniæ suæ disrumpunt, & per minima dirimunt, neque non instar spongiæ rarefaciunt & emolliunt, ut evadat pulvis subtilissimus, levissimus, & tantum non inpalpabilis, terræ sigillatæ colore, vel, (pro natura scilicet salis, & modo reverberationis) etiam alio aliquo conspicuus. Calcem hanc, quam vocant, à reliquiis salis, si quæ adhæserunt, ablutam exsiccat, inque suos usus reponit. Et hoc est aurum ipsius Philosophice calcinatum: per salem nempe quemdam, qui, communi omnium Philosophorum sententia, verum elixir, & Balsamus est naturæ universalis, utraque materia, per quam ad usum medicum corpora omnia Metallica dissolvi debent & adtenuari. Aurum inprimis, cum quo intimior ipsi cognatio, quam cum aliis Metallis, intercedit. Possemus de hoc ipso vel sexcenta auctorum testimonia adducere, nisi magis adtenderemus ad id, quod agant isti artifices, quam quid loquantur.

Secundum, quod circa calcinationem artificis nostri discutiendum, est, An aurum calcinatum, (intellige per salem aut aliud additamentum) ita possit destrui, ut evadat irredivivum? Cujus quidem quæstionis facilis est decisio, ab experientia & proba artis. Certo enim certius est, quod aurum quidem, per reverberationē cum materiis salinis aut sulphure factam, quoad externam figuram ita immutari queat, ut aurum non amplius appareat, imo in vehementissimo quoq, igne fusionem respuat. At hoc minime impedit, quin si in manus experti artificis incidat, per additamentum conveniens, à spiritibus salium & sulphuris adpactis, liberari possit, & deinde pristinæ suæ formæ, sine ulla qualitatum suarum læsione, restitui. Quin omnino tam dictu quam creditu foret absurdissimum, spiritus cujuscunque etiam vel salis vel materiæ acris hoc in negotio ipsi præpollere

re igni; quem videmus Cuprum, Ferrum, tannum, Plumbum aliaq; multa minera a revera incinerare, calcinare, & vitrifica e, sic ut prorsus ad pristinam Essentiam re iuci nequeant: Id quod neque ullum, ne que aqua ulla fortis aut regalis, aut quicun que alius spiritus, etiam vehementissime corrosivus, præstare valeat. Etiamsi enim corpora metallica per hæc corrosiva dis solvantur, & quam subtilissime pulverentur, facile nihilominus reductu esse & permanere, unicuique experto Spagyrico est perspectissimum. Et hoc fundamento infe rimus ulterius: Si corrosiva vehementissima nequeunt reapse destruere corpora Metallorum imperfectorum, multo minus corrosivum mediocre, sal, videlicet aliquod usuale, poterit destruere corpus auri, Metalli, usque adeo fixi & perfecti. Unde consequens fuerit, aurum calcinatum nostri Philosophi reductile esse, id quod credo, neque ipse diffiteatur, quippe qui nihil aliud se hac calcinatione agere prohibeat, quam ut aurum magis solutionis susceptivum reddat.

Ultima quæstio est de eo; An videlicet aurum ita calcinatum simplex sit, subsistens in seipso solo, sine additione? Ad quam uti negativè respondeamus, tribus indiciis apodicticis adigimur: quorum primum est ipse COLOR. Quia enim splendoris sui usque adeo factum orbum est, ut terram quamdam potius, quam seipsum referat, id profecto vel ab igne fit; vel ab additamento. Non ab illo: In quo, ut sæpius dictum est, invictus iste terrestris Sol, splendore etiam luculentiore, jubilat; Ergo ab hoc, quod erat demonstrandum. 2. Levitas quæ non aliunde procedit, quam ab additis spiritibus peregrinis, qui corpus auri per minima divellentes, ipsi sese una affricant, atque ita efficiunt, uti pondus ejus multo levius adpareat, quantitatis nimirum respectu: quæ ipsa auctior tum multo conspicitur. 3. Sapor: Gustatum quippe sapore quodam adstringente cum acrimonia quadam conjuncto linguam adficiet: qui quidem sapor neque est auri proprius, neque ab ipso simpliciter proficiscitur. Accedit hisce omnib⁹ ocularis evidentia, ab ipso Vulcano petita. Sume enim Calcem istam, inque crucibulo positam committe Igni Fusionis; fundet se instar salis, & fumos spiritusque ex Calce manifeste effumantes, tum naribus hauries, tum oculis usurpabis; usque quo istis consumptis Aurum ad sese redeat.

Hisce itaque argumentis irrefragabiliter demonstratur, Aurum calcinatum non esse simplex, sincerum, & impermixtum Aurum, sed particulam quampiam additamenti istius, quo cum calcinatum est, penitissime sese cohibere. Quod ipsum postea caussa est, ut ista calx, in liquore quopiam acidulo medicinali, neque multum corrosivo, facilime dissolvatur, quod cæteroqui factu esset impossibile. Neque etiam alia est auctoris nostri intentio, utcunque eam in ipso textu vel dissimulet, vel subticeat: Qui si simplicem tantum Auri attenuationem spectaret, nullamque additionis, quam in Reverberatione id adquirit, haberet rationem, utique subtilissimis istis Auri atomis, quibus utuntur Picto-

ctores, & in quos aurum minimo tempore, fine ullo igne redigitur, abunde sibi satisfacere posset, atque adeo labore Reverberationis omnino supersedere.

SECTIONIS SECUNDÆ

PARS SECUNDA,

De Auri Calcinati solutione.

HAbita Calcinatione Auri, progreditur porro noster ad ejusdem solutionem hoc modo: Calcinatum, inquit, hoc corpus Spagyrico ritu in vase vitreo collocamus. Cui affundimus Aquam cœlicam Raymundinam dictam: quam protinus ebullire conspicies, & in altum ascendere, absque alio calore. Cessante ebullitione & juncturis peroptimè clausis, ne quid respiret, in temperato calore per aliquot dies statuimus. Ita sensim aqua hæc nostra flavo colore tingitur, ac si croco perfunderetur. Quod clarum est vacuamus in aliam ampullam per inclinationem cautè ne turbentur fæces. Aliam affundimus aquam priori similem iteratis semper vicibus, usque dum alterius non coloretur aqua. Omnes coloratas has aquas simul collectas, per lentissimum Balnei calorem edistillamus. Exit aqua clara, (ut prius:) materia Auri soluta subsidet in vitri fundo Mellis instar, solubilis in quocunque liquore. Subnectit postea, quibus rem plausibilus exaggeret: Dura illa compages jam soluta est, & Metallica Auri forma omnino destructa: adeout in nullum ulterius Metallum reduci possit. Interim tamen nulla ignis violentia devastari potest hæc substantia, aut in favillam aduri, quod perfectionis Auri certissimum est signum. Ista enim solutio est sub conservatione suæ speciei, & est solennis ac verè philosophica, non corrosio illa sophistica, &c. Plura qui velit, adeat Auctorem ipsum.

Nos omissis variis curiosis inutilibusque altercationibus, quibus, quæ jam allegavimus, exagitari possent; id tantum, in quo rei cardo vertitur, arripimus, ipsam videlicet Auream materiam, melleæ consistentiæ, in corpus metallicum irreductilem: de qua, num ita sese, ut Auctor tradit, habeat, inpræsentiarum cognoscemus,

Ac de nomine quidem initio: quum materia isthæc Auri soluta duplicem sensum gignat in mente concipientis. Per eam enim intelligere potest Auctor noster, vel absolutam, realem, & perfectam solutionem integri corporis aurei: vel subtilem quamdam substantiam ex Auro separatam, tractam in menstruum illud sive Aquam Raymundinam in forma extracti, qualis ex corporibus Vegetabilium beneficio tum Aquæ vitæ, tum aliorum solventium appropriatorum elici consuevit. At fallor ego, aut materia isthæc primo sensu venit acceptanda, id quod tum titulus ipse allegato textui præpositus innuit: Mysterium Auri solvendi, & per alembicum elevandi: tum præterea sententiæ istæ significant: Ista enim solutio est sub conservatione suæ speciei &c. &c: Præterea suum humidum primigenium conservatur, &c. Ex quibus conjectura iniri potest, quod

ſecundum ipſum iſthæc materia nihil ſit aliud, quam Aurum deſtructum, & realiter forma ſua metallica, ſine ſubſtantiarum ſuarum diviſione, privatum, perfecte apertum & præparatum, ut ex illo Tincturam aut Eſſentiam extrahere, ut libeat, liceat, de quo poſtea. Idem etiam hæc ſententia confirmat, quando dicit: Dura illa compages jam ſoluta eſt, &c. Immo vero omnino hæc eſt ejus opinio, quandoquidem tam bene, ac ungues ſuos novit illud calcinati Auri, peracta ſolutione, reſiduum, in optimum, quale antea erat, Aurum reduci poſſe: proinde nimis temerarium foret, aſſeverare, iſtam materiam melleam quandam eſſentiam, aut ſubſtantiam ex Auro ſeparatam eſſe. Id enim in omni omnino ſolutione obtingit, ut corpus, ex quo fit alicujus ſubſtantiæ extractio, ſubſtantialiter omni ex parte alteretur, id quod hic non evenit, quia, ut diximus, quædam Auri pars in forma adhuc metallica ſe exhibeat videndam. Quare ulterius in quæſtionem venit, An dicta iſthæc materia ſolubilis, ſit ſimplex Aurum realiter ſolutum & in formam irreductilem traductum, ſubſiſtens ita ſimpliciter, circa ullum aliud additamentum?

Solutio hujus peti poteſt, vel ex jam dictis. Quia enim liquidiſſimo demonſtravimus, neque actualem ignem, neque potentialem, id eſt, vehementiſſima corroſiva, ita poſſe deſtruere Aurum, quin in ſuam formam metallicam ſit denuo revocabile: facile fuerit conjicere, quod id ipſum multo minus efficere valeat liquor inſipidus, non corrodens, ſed undiquaque temperatus, qualem bonus ille vir vult eſſe Aquam ſuam Raymundinam. Neque enim in Phyſicis tantum principiis fundatum eſt, ſed & in ipſa arte uſu longo obſervatum, quod ſolutio, aut realis deſtructio cujuſcunque corporis nequeat fieri, niſi per vim & vehementiam qualitatum contrariarum: quum qualitates contemperatæ & proportionatæ corpora conſervent, potius quam deſtruant: Ipſeque adeo Spagyrus noſter, Menſtruum ſuum, propterea, quod eo Aurum conſervetur, tantopere commendet, proſcritis & in exilium actis, aquis fortibus omnibus, aliiſque ſimilibus corroſivis, quæ, contra omnem tum rationem tum experientiam, Aurum realiter corrumpere opinatur. Non dicemus de eo, quam ſibi conſtet Auctor dicens, Aquam ſuam Raymundinam tum deſtruere Aurum ut Metallum eſſe deſinat; tum etiam ſimul ejusdem temperamentum perfectè incorruptum conſervare. Id hujus loci proprium eſt, demonſtrare, quod materia iſthæc non ſit revera ſimplex Aurum deſtructum & diſſolutum, ſine additione ſubſiſtens; quod ſequentibus demonſtrationibus palam faciemus.

1. à CONSISTENTIA. Quia enim liquida eſt & mellis inſtar humida, non poteſt eſſe verum Aurum, quod oſtendimus minimè gentium actualem quandam humiditatem in ſe complecti, & ut maximè diſſecaretur, non tamen niſi in conſiſtentia arida, fixa, & ſicca, ejus ſubſtantias adparituras.

2. à PONDERE. Ponamus namque caſum, quod ea Aurum ſit realiter diſſolutum, eumque ad modum, quo Auctor tradit, immutatum: Conſequens tum fuerit,

fuerit, ut certum pondus, quod certo modo priori ponderi proportionatum sit, retineat. Ita E. G. videre est in Auro subtiliter lævigato, quod licet quoad adparentiam seipso non lævigato levius videatur, nihilominus metallis omnibus similiter lævigatis præponderat. Isthæc autem materia aurea ponderi Auri, secundum proportionem, nullo pacto respondere potest, eam quidem ob causam, quod humiditate aliena & peregrina abundat, non diffitente Auctore ipso parte tertia Apologiæ contra Gvvinium: quando inquit: Primo quando solutio Auri est facta suo proprio menstruo, tum menstruo detracto usque ad consistentiam gummi liquidi, coloratissimi, &c.

3. à DISPOSITIONE SOLUBILI. Dissolvitur isthæc materia promptissime in aqua, ut mel: quod non tantum non cadit in Aurum, sed ne quidem in multo molliores & volatiliores corporum Metallicorum substantias: quas etsi vel integro anno in aqua digereres, nihil tamen earum, nisi accedente fortean re aliqua falsa & acida, dissolveretur.

4. à COLORE. Etsi enim dicta materia est coloratissima, veluti Author loco supra citato asserit, nequaquam propterea iste color simpliciter est ab Auro, sed à mixtura rerum adjunctarum: per hoc quidem argumentum, quod igne vehementissimo exsiccata illa, coloris istius jacturam faciat: quemadmodum illud quoque medicamentum, quod pro Essentia Auri vendit alibi Auctor, longè alius, vide Apologiæ partem 3. pagina 187. quam aurei coloris esse, vel sexcenti homines, qui id viderunt, mecum testari poterunt: prorsus contra naturam Auri, quod in nullo ignis examine colorem suum mutat.

5. ab ODORE. Aurum quidem prorsus inodorum est: at materia isthæc rei alicujus acris & acutæ odorem præ se fert: quæ, credo, causa potissimum fuit, quod eam cum Spiritu Vini rectificandam censuerit, utpote qui proprietatem habet, Apolog. pag. 168. odores istos spirituum acrium contemperandi & emendandi, odoremque conciliandi gratiorem.

6. à SAPORE: qui in Auro nullus, in materia isthac nō minus acris, quam in Magisteriis, cum aceto distillato præparatis persentiscitur: quod ne Author quidem ipse ibit inficias.

7. ab aliis QVALITATIBUS. Materia isthæc habet qualitatem manifestam, calefaciendi, exsiccandi, detergendi, incidendi, aperiendi, per sudores, urinam, aliasque interdum vias evacuandi, uti ipse ex variis curationibus annotavit: quæ qualitates tam procul sunt à natura Auri,

------ *quàm distant candida nigris.*

Id enim Metalli omnibus suis partibus temperatissimum est, in quo manifestarum qualitatum nulla prædominari animadvertatur, & quod cor confortet, id non ab aliqua evidente qualitate provenit, sed, omnium Hermeticorum consensu, est hæc ejus proprietas ἀυτοφυὴς specifica, magnetica, occulta, à forma, vel tota potius substantia originem referens.

Hæc indicia suffecerint, opinor, ad probandum, quod toties nominata materia hautquaquam sit Aurum purū, realiter

dissolutum, ut Author persuadere conatur: simul etiam ex iis colligitur, quod solvens illud sive Aqua Raymundina neque absolutam habeat potestatem solvendi Auri: (Nam quorsum alias adjiceret, calcinare primum per istam, quam diximus additionem?) neque amplius, æquale & simile Auro temperamentum, veluti idem ad ravim usque vociferatur. Etenim si hoc esset, certè Aurum non ita alteraret eadem, sed potius Medicamentum benignissimum & temperatissimum, temperamento Auri omnibus modis respondens produceret: Neque etiam opus tum foret, ut vel dicta materia per Spiritum Vini rectificaretur, vel, ut hic pro vehiculo ipsi adjungeretur, quod facere Auctorem videmus in sua Apologia. Quod si enim Aqua Raymundina tam est temperata, quare non ipsa vehiculi loco est, potius quam Spiritus Vini, qui propter violentam caliditatem & penetrabilitatem, tam longe à tempetie Auri diffidet, multisque modis corpori nocere sæpè potest?

Quamobrem, ut quid de solutionis hujuscemodi Apotelesmate, statui tandem debeat, in unum conferamus, omnino tenendum est, materiam istam, cujus vel centies jam meminimus, nequaquam esse rem simplicem, sed compositam ex Sale, cujus tinctura partim à calcinatione prima adhæsit, partim à Spiritibus solventis est, qui sese coagularunt cum particula aliquota Auri, quod propterea ita adtenuatum est & dispersum, ut amplius Aurum non adpareat, licet manu dextri Artificis possit resuscitari, & formæ suæ Metallicæ reddi. Neque verò aliud nomen isthæc materia meretur, quam Magisterii, quale ipsi quoque defert Auctor Assertionis suæ cap. 7. Nostrum, ajens, Magisterium ex Auro, de quo jam habetur quæstio &c. Qui quotiens eandem, Essentiam Auri vocat, totiens vel in vocabulo ludit, vel vim facit veritati.

SECTIONIS SECUNDÆ

PARS TERTIA,

De Elevatione Auri per Alembicum.

Superest ultima & suprema tum Processus Antoniani, tum sectionis hujus pars de Elevatione Auri per Alembicum: de qua splendidè Auctor declamat. Verba ejus sunt: Coloratas illas superius aquas, non in Balneo destillamus, (ut supra) usque dum deveniat Aurum in formam mellis, sed per cineres elevamus, quæ fortiorem sustinent ignitionem. Ita anima Auri, quæ in spiritu dicti menstrui hospitatur, (vehiculo inquam suo proprio,) veluti in ventre venti portatur. Ascendit in caput Alembici, & guttatim decidit in Recipiens vas sub colore rubicundissimo. Terram autem Auri in vitri fundo conspicies nigram & siccam, veluti rem mortuam, spongiosam item & levem. Non tamen projicias has terras, quæ sunt nigræ & siccæ, ut suadet Philosophus.

Destillatum hoc Menstruum, & unà cum Essentia Auri mixtum, in cucurbita vitrea munda, cum suo Alembico ac Recipiente, juncturis optime sigillatis collocamus in Balneo tepido: Blando hoc calo-

calore distillabitur tibi aqua clarissima. In vitri fundo remanebit Tinctura, quam optas. Tincturam hanc per spiritum Vini solvimus: spiritum separamus alternis vicibus: & in hunc modum colorem illius clarificamus, (ut Philosophi verbis utar,) hoc est, ad gradum puritatis summæ exaltamus, &c.

(Nimirum nervus totius sententiæ is est, quod Auctor veram ac realem ex Auro Tincturam, quam Animam Auri nuncupat, se segregare prolixè profiteatur: de qua videbimus utique,

Quid tanto dignum ferat hic promissor hiatu?)

Equidem initio videtur nobis pro uno eodemque habere, Elevationem Auri per Alembicum, quam in Titulo capitis promittit, cum Tincturæ ejusdem Extractione. Quasi vero difficile sit expertis Chymiatris, mediante additione convenienti Aurum subtiliare, dissolvere, & per Alembicum evehere. Quæ tamen operatio non statim Tincturæ extractio est, etiamsi id, quod elevetur, colore aureo altissimè tinctum visatur. Color enim iste tum est à corpore integro aureo per alembicum adscendente, non à Tinctura quadam segregata: idque manifesto demonstrabit Reductio: & nos supra abundè evicimus, neque per ignem neque per Additionem formam Auri posse realiter destrui. Noster tamen, quo plus sibi hac in parte scientiæ, quam aliis Chymicis relictum testetur, contrariam tenet opinionem, Liquorem scilicet suum dictum, non esset nisi vera Tinctura animaque Auri coloratum: qua 1. Liquor ipse ruber sit, & 2. quia residuum destillationis materia sit spongiosa, levis & nigra, instarque terræ aut capitis mortui. Sed toto cœlo errat. Quia enim, quod materia ipsius toties nominata non sit simpliciter Aurum sed mixtura quædam; quodque pauculum illud Auri, ex quo constat, facile in Aurum reduci possit, ex abundanti supra demonstravimus, nulla non dicam ratio, sed ne verisimilitudo quidem est, qua persuadeamur, quod mutato duntaxat, à Balneo ad cineres, ignis gradu, particula illa Auri moriatur, & Tincturam suam animamque deponat, quæ deinceps per Alembicum subvolet, ut Chrysostomus noster adserit. Est ergo ut diximus, non vera Tinctura Auri hîc color cum menstruo elevatus, sed à sola permixtione: quæ quomodo sese habeat, quomodo item ex accidenti variorum colorum procreatrix exsistat, majoris evidentiæ ergo, aliquot convenientibus exemplis declarabimus.

Accipe Cerussam, cui superfunde Acetum destillatum, pone ad digerendum in Balneo per aliquot dies: Videbis Acetum flavescere, instar Auri. Liquorem per inclinationem separa, destilla per Balneum, ad partem quartam præter propter, restabit in fundo materia coloratissima, mellis adinstar, & dulcissima. Materiam istam destilla per cineres, in fine destillationis exibit Liquor sanguinis in morem ruber, residua materia nigra, spongiosa, levi, ad modum Capitis Mortui. Quum tamen interim quin Cerussa lactis instar candescat, Acetumque destillatum instar aquæ clarum sit, nemo ignoret. Quod si jam quis affirmare vellet, Liquorem istum rubrum esse Tincturam sive animam ipsius Plumbi, ex quo

mur, venenatas aut corporibus nostris inimicas, ac non potius salutares, imo ad sustentandam sanitatem necessarias, fateatur? Quid dicemus de salibus Spagyricis cum Animalium tum Vegetabilium? ii, tantum abest, ut humanæ naturæ venenata quadam qualitate insidientur, ut ex opposito vim alexiteriam possideant, humorumque internorum corruptioni, bonis sæpe ægrorum rebus, resistant. Et tamen si qualitates solventes, incisorias, detersorias, acrimoniamque tam horum salium, quam salis ipsius vulgaris, aceti item, succi de citro, aliorumque consimilium consideremus, ratio nulla erit, quare ex numero corrosivorum hæc debeant excludi, præsertim quum multa corpora mineralia illorum vi corrodi & dissolvi, ipsa nos edoceat experientia.

Ut ergo, quod res est, edisseramus, calcinationem suam hoc modo noster instituat, oportet: Accipit quantum placet auri, cui addit salem quendam usualem, (qui corrosivus quidem est, sed non tale corrodens, quale ab opere suo excludit, id est, humanæ naturæ noxium:) duo hæc in reverberium collocat, adhibito tali ignis gradu, ne aurum fundatur, sed ut spiritus salis istius acres & soluti vi duntaxat excitẽtur, qui ita sensim circa Metalli corpus tam intra quam extra coëunt & concentrantur, ejusque fixitatem Metallicam, vi acrimoniæ suæ disrumpunt, & per minima diriмunt, neque non instar spongiæ rarefaciunt & emolliunt, ut evadat pulvis subtilissimus, levissimus, & tantum non inpalpabilis, terræ sigillatæ colore, vel, (pro natura scilicet salis, & modo reverberationis) etiam alio aliquo conspicuus. Calcem hanc, quam vocant, à reliquiis salis, si qua adhæserunt, ablutam exsiccat, inque suos usus reponit. Et hoc est aurum ipsius Philosophice calcinatum: per salem nempe quemdam, qui, communi omnium Philosophorum sententia, verum elixir, & Balsamus est naturæ universalis, utraque materia, per quam ad usum medicum corpora omnia Metallica dissolvi debent & attenuari. Aurum inprimis, cum quo intimior ipsi cognatio, quam cum aliis Metallis, intercedit. Possemus de hoc ipso vel sexcenta auctorum testimonia adducere, nisi magis adtenderemus ad id, quod agant isti artifices, quam quid loquantur.

Secundum, quod circa calcinationem artificis nostri discutiendum, est, An aurum calcinatum, (intellige per salem aut aliud additamentum) ita possit destrui, ut evadat irredivivum? Cujus quidem quæstionis facilis est decisio, ab experientia & proba artis. Certo enim certius est, quod aurum quidem, per reverberationẽ cum materiis salinis aut sulphure factam, quoad externam figuram ita immutari queat, ut aurum non amplius appareat, imo in vehementissimo quoq; igne fusionem respuat. At hoc minime impedit, quin si in manus experti artificis incidat, per additamentum conveniens, à spiritibus salium & sulphuris adpactis, liberari possit, & deinde pristinæ suæ formæ, sine ulla qualitatum suarum læsione, restitui. Quin omnino tam dictu quam creditu foret absurdissimum, spiritus cujuscunque etiam vel salis vel materiæ acris hoc in negotio ipsi præpollere

:e igni;quem videmus Cuprum,Ferrum, :annum,Plumbum aliaq; multa minera- ı revera incinerare,calcinare, & vitrifica- ;,fic ut prorſus ad priſtinam Eſſentiam re- uci nequeant: Id quod neque ullum,ne- ue aqua ulla fortis aut regalis,aut quicun- ue alius ſpiritus, etiam vehementiſſime orroſivus,præſtare valeat. Etiamſi enim orpora metallica per hæc corroſiva diſ- olvantur, & quam ſubtiliſſime pulveren- ur,facile nihilominus reductu eſſe & per- nanere, unicuique experto Spagyrico eſt ɔerſpectiſſimum. Et hoc fundamento infe- imus ulterius:Si corroſiva vehementiſſima nequeunt reapſe deſtruere corpora Metal- orum imperfectorum, multo minus cor- oſivum mediocre,ſal,videlicet aliquod u- ſuale,poterit deſtruere corpus auri, Metal- li,uſque adeo fixi & perfecti. Unde conſe- quens fuerit, aurum calcinatum noſtri Phi- oſophi reductile eſſe, id quod credo, ne- que ipſe diffiteatur, quippe qui nihil aliud ſe hac calcinatione agere prohibeat, quam ut aurum magis ſolutionis ſuſceptivum reddat.

Ultima quæſtio eſt de eo; An videlicet aurum ita calcinatum ſimplex ſit, ſubſiſtens in ſeipſo ſolo, ſine additione? Ad quam uti negativè reſpondeamus, tribus indiciis a- podicticis adigimur: quorum primum eſt ipſe COLOR. Quia enim ſplendoris ſui uſque adeo factum orbum eſt,ut terram quamdam potius,quam ſeipſum referat, id profecto vel ab igne fit; vel ab additamen- to.Non ab illo: In quo, ut ſæpius dictum eſt,invictus iſte terreſtris Sol,ſplendore et- iam luculentiore, jubilat; Ergo ab hoc, quod erat demonſtrandum. 2. Levitas quæ non aliunde procedit,quam ab additis ſpi- ritibus peregrinis,qui corpus auri per mini- ma divellentes,ipſi ſeſe una affricant, atque ita efficiunt,uti pondus ejus multo levius adpareat, quantitatis nimirum reſpectu: quæ ipſa auctior tum multo conſpicitur. 3. Sapor: Guſtatum quippe ſapore quodam adſtringente cum acrimonia quadam con- juncto linguam adficiet: qui quidem ſapor neque eſt auri proprius,neque ab ipſo ſim- pliciter proficiſcitur. Accedit hiſce omnib⁹ ocularis evidentia,ab ipſo Vulcano petita. Sume enim Calcem iſtam, inque crucibu- lo poſitam committe Igni Fuſionis; fun- det ſe inſtar ſalis, & fumos ſpiritusque ex Calce manifeſte effumantes, tum na- ribus hauries, tum oculis uſurpabis; uſque quo iſtis conſumptis Aurum ad ſeſe redeat.

Hiſce itaque argumentis irrefragabi- liter demonſtratur, Aurum calcinatum non eſſe ſimplex, ſincerum, & impermix- tum Aurum, ſed particulam quampiam additamenti iſtius, quo cum calcinatum eſt, penitiſſime ſeſe cohibere. Quod ipſum poſtea cauſſa eſt, ut iſta calx, in liquore quopiam acidulo medicinali, neque mul- tum corroſivo, facilime diſſolvatur, quod cæteroqui factu eſſet impoſſibile. Neque etiam alia eſt auctoris noſtri intentio, ut- cunque eam in ipſo textu vel diſſimulet, vel ſubticeat: Qui ſi ſimplicem tantum Auri attenuationem ſpectaret, nullamque addi- tionis, quam in Reverberatione id adqui- rit, haberet rationem, utique ſubtiliſ- ſimis iſtis Auri atomis, quibus utuntur Pi- cto-

ctores, & in quos aurum minimo tempore, sine ullo igne redigitur, abunde sibi satisfacere posset, atque adeo labore Reverberationis omnino supersedere.

SECTIONIS SECUNDÆ

PARS SECUNDA,

De Auri Calcinati solutione.

HAbita Calcinatione Auri, progreditur porro noster ad ejusdem solutionem hoc modo: Calcinatum, inquit, hoc corpus Spagyrico ritu in vase vitreo collocamus. Cui affundimus Aquam cœlicam Raymundinam dictam: quam protinus ebullire conspicies, & in altum ascendere, absque alio calore. Cessante ebullitione & juncturis peroptimè clausis, ne quid respiret, in temperato calore per aliquot dies statuimus. Ita sensim aqua hæc nostra flavo colore tingitur, ac si croco perfunderetur. Quod clarum est vacuamus in aliam ampullam per inclinationem cautè ne turbentur fæces. Aliam affundimus aquam priori similem iteratis semper vicibus, usque dum alterius non coloretur aqua. Omnes coloratas has aquas simul collectas, per lentissimum Balnei calorem edistillamus. Exit aqua clara, (ut prius:) materia Auri soluta subsidet in vitri fundo Mellis instar, solubilis in quocunque liquore. Subnectit postea, quibus rem plausibilus exaggeret: Dura illa compages jam soluta est, & Metallica Auri forma omnino destructa: adeo ut in nullum ulterius Metallum reduci possit. Interim tamen nulla ignis violentia devastari potest hæc substantia, aut in favillam aduri, quod perfectionis Auri certissimum est signum. Ista enim solutio est sub conservatione suæ speciei, & est solennis ac verè philosophica, non corrosio illa sophistica, &c. Plura qui velit, adeat Auctorem ipsum.

Nos omissis variis curiosis inutilibusque altercationibus, quibus, quæ jam allegavimus, exagitari possent; id tantum, in quo rei cardo vertitur, arripimus, ipsam videlicet Auream materiam, melleæ consistentiæ, in corpus metallicum irreductilem: de qua, num ita sese, ut Auctor tradit, habeat, inpræsentiarum cognoscemus.

Ac de nomine quidem initio: quum materia isthæc Auri soluta duplicem sensum gignat in mente concipientis. Per eam enim intelligere potest Auctor noster, vel absolutam, realem, & perfectam solutionem integri corporis aurei: vel subtilem quamdam substantiam ex Auro separatam, tractam in menstruum illud sive Aquam Raymundinam in forma extracti, qualis ex corporibus Vegetabilium beneficio tum Aquæ vitæ, tum aliorum solventium appropriatorum elici consuevit. At fallor ego, aut materia isthæc primo sensu venit acceptanda, id quod tum titulus ipse allegato textui præpositus innuit: Mysterium Auri solvendi, & per alembicum elevandi: tum præterea sententiæ istæ significant: Ista enim solutio est sub conservatione suæ speciei &c. &: Præterea suum humidum primigenium conservatur, &c. Ex quibus conjectura iniri potest, quod

secundum ipsum isthæc materia nihil sit aliud, quam Aurum destructum, & realiter forma sua metallica, sine substantiarum suarum divisione, privatum, perfecte apertum & præparatum, ut ex illo Tincturam aut Essentiam extrahere, ut libeat, liceat, de quo postea. Idem etiam hæc sententia confirmat, quando dicit: Dura illa compages jam soluta est, &c. Immo vero omnino hæc est ejus opinio, quandoquidem tam bene, ac ungues suos novit illud calcinati Auri, peracta solutione, residuum, in optimum, quale antea erat, Aurum reduci posse: proinde nimis temerarium foret, asseverare, istam materiam melleam quandam essentiam, aut substantiam ex Auro separatam esse. Id enim in omni omnino solutione obtingit, ut corpus, ex quo fit alicujus substantiæ extractio, substantialiter omni ex parte alteretur, id quod hic non evenit, quia, ut diximus, quædam Auri pars in forma adhuc metallica se exhibeat videndam. Quare ulterius in quæstionem venit, An dicta isthæc materia solubilis, sit simplex Aurum realiter solutum & in formam irreductilem traductum, subsistens ita simpliciter, circa ullum aliud additamentum?

Solutio hujus peti potest, vel ex jam dictis. Quia enim liquidissimo demonstravimus, neque actualem ignem, neque potentialem, id est, vehementissima corrosiva, ita posse destruere Aurum, quin in suam formam metallicam sit denuo revocabile: facile fuerit conjicere, quod id ipsum multo minus efficere valeat liquor insipidus, non corrodens, sed undiquaque temperatus, qualem bonus ille vir vult esse Aquam suam Raymundinam. Neque enim in Physicis tantum principiis fundatum est, sed & in ipsa arte usu longo observatum, quod solutio, aut realis destructio cujuscunque corporis nequeat fieri, nisi per vim & vehementiam qualitatum contrariarum: quum qualitates contemperatæ & proportionatæ corpora conservent, potius quam destruant: Ipseque adeo Spagyrus noster, Menstruum suum, propterea, quod eo Aurum conservetur, tantopere commendet, proscriptis & in exilium actis, aquis fortibus omnibus, aliisque similibus corrosivis, quæ, contra omnem tum rationem tum experientiam, Aurum realiter corrumpere opinatur. Non dicemus de eo, quam sibi constet Auctor dicens, Aquam suam Raymundinam tum destruere Aurum ut Metallum esse desinat; tum etiam simul ejusdem temperamentum perfectè incorruptum conservare. Id hujus loci proprium est, demonstrare, quod materia isthæc non sit revera simplex Aurum destructum & dissolutum, sine additione subsistens; quod sequentibus demonstrationibus palam faciemus.

1. à CONSISTENTIA. Quia enim liquida est & mellis instar humida, non potest esse verum Aurum, quod ostendimus minimè gentium actualem quandam humiditatem in se complecti, & ut maximè dissecaretur, non tamen nisi in consistentia arida, fixa, & sicca, ejus substantias apparituras.

2. à PONDERE. Ponamus namque casum, quod ea Aurum sit realiter dissolutum, eumque ad modum, quo Auctor tradit, immutatum: Consequens tum fuerit,

fuerit, ut certum pondus, quod certo modo priori ponderi proportionatum sit, retineat. Ita E. G. videre est in Auro subtiliter lævigato, quod licet quoad adparentiam seipso non lævigato levius videatur, nihilominus metallis omnibus similiter lævigatis præponderat. Isthæc autem materia aurea ponderi Auri, secundum proportionem, nullo pacto respondere potest, eam quidem ob causam, quod humiditate aliena & peregrina abundat, non diffitente Auctore ipso parte tertia Apologiæ contra Gwinium: quando inquit: Primo quando solutio Auri est facta suo proprio menstruo, tum menstruo detracto usque ad consistentiam gummi liquidi, coloratissimi, &c.

3. à DISPOSITIONE SOLUBILI. Dissolvitur isthæc materia promptissime in aqua, ut mel: quod non tantum non cadit in Aurum, sed ne quidem in multo molliores & volatiliores corporum Metallicorum substantias: quas etsi vel integro anno in aqua digereres, nihil tamen earum, nisi accedente fortean re aliqua falsa & acida, dissolveretur.

4. à COLORE. Etsi enim dicta materia est coloratissima, veluti Author loco supra citato asserit, nequaquam propterea iste color simpliciter est ab Auro, sed à mixtura rerum adjunctarum: per hoc quidem argumentum, quod igne vehementissimo exsiccata illa, coloris istius jacturam faciat: quemadmodum illud quoque medicamentum, quod pro Essentia Auri vendit alibi Auctor, longè alius, vide Apologiæ partem 3. pagina 187. quam aurei coloris esse, vel sexcenti homines, qui id viderunt, mecum testari poterunt: prorsus contra naturam Auri, quod in nullo ignis examine colorem suum mutat.

5. ab ODORE. Aurum quidem prorsus inodorum est: at materia isthæc rei alicujus acris & acutæ odorem præ se fert: quæ, credo, causa potissimum fuit, quod eam cum Spiritu Vini rectificandam censuerit, utpote qui proprietatem habet, Apolog. pag. 168. odores istos spirituum acrium contemperandi & emendandi, odoremque conciliandi gratiorem.

6. à SAPORE: qui in Auro nullus, in materia isthac nō minus acris, quam in Magisteriis, cum aceto distillato præparatis persentiscitur: quod ne Author quidem ipse ibit inficias.

7. ab aliis QVALITATIBUS. Materia isthæc habet qualitatem manifestam, calefaciendi, exsiccandi, detergendi, incidendi, apetiendi, per sudores, urinam, aliasque interdum vias evacuandi, uti ipse ex variis curationibus annotavit: quæ qualitates tam procul sunt à natura Auri,

------ *quàm distant candida nigris.*

Id enim Metalli omnibus suis partibus temperatissimum est, in quo manifestarum qualitatum nulla prædominari animadvertatur, & quod cor confortet, id non ab aliqua evidente qualitate provenit, sed, omnium Hermeticorum consensu, est hæc ejus proprietas αὐτοφυὴς specifica, magnetica, occulta, à forma, vel tota potius substantia originem referens.

Hæc indicia suffecerint, opinor, ad probandum, quod toties nominata materia hautquaquam sit Aurum purū, realiter

dissolutum, ut Author persuadere conatur: simul etiam ex iis colligitur, quod solvens illud sive Aqua Raymundina neque absolutam habeat potestatem solvendi Auri: (Nam quorsum alias adhineret, calcinare primum per istam, quam diximus additionem?) neque amplius, æquale & simile Auro temperamentum, veluti idem ad ravim usque vociferatur. Etenim si hoc esset, certè Aurum non ita alteraret eadem, sed potius Medicamentum benignissimum & temperatissimum, temperamento Auri omnibus modis respondens produceret: Neque etiam opus tum foret, ut vel dicta materia per Spiritum Vini rectificaretur, vel, ut hic pro vehiculo ipsi adjungeretur, quod façere Auctorem videmus in sua Apologia. Quod si enim Aqua Raymundina tam est temperata, quare non ipsa vehiculi loco est, potius quam Spiritus Vini, qui propter violentam caliditatem & penetrabilitatem, tam longe à temperie Auri dissidet, multisque modis corpori nocere sæpè potest?

Quamobrem, ut quid de solutionis hujuscemodi Apotelesmate, statui tandem debeat, in unum conferamus, omnino tenendum est, materiam istam, cujus vel centies jam meminimus, nequaquam esse rem simplicem, sed compositam ex Sale, cujus tinctura partim à calcinatione prima adhæsit, partim à Spiritibus solventis est, qui sese coagularunt cum particula aliquota Auri, quod propterea ita adtenuatum est & dispersum, ut amplius Aurum non adpareat, licet manu dextri Artificis possit resuscitari, & formæ suæ Metallicæ reddi. Neque verò aliud nomen isthæc materia meretur, quam Magisterii, quale ipsi quoque defert Auctor Assertionis suæ cap. 7. Nostrum, ajens, Magisterium ex Auro, de quo jam habetur quæstio &c. Qui quotiens eandem, Essentiam Auri vocat, totiens vel in vocabulo ludit, vel vim facit veritati.

SECTIONIS SECUNDÆ

PARS TERTIA,

De Elevatione Auri per Alembicum.

Superest ultima & suprema tum Processus Antoniani, tum sectionis hujus pars de Elevatione Auri per Alembicum: de qua splendidè Auctor declamat. Verba ejus sunt: Coloratas illas superius aquas, non in Balneo destillamus, (ut supra) usque dum deveniat Aurum in formam mellis, sed per cineres elevamus, quæ fortiorem sustinent ignitionem. Ita anima Auri, quæ in spiritu dicti menstrui hospitatur, (vehiculo inquam suo proprio,) veluti in ventre venti portatur. Ascendit in caput Alembici, & guttatim decidit in Recipiens vas sub colore rubicundissimo. Terram autem Auri in vitri fundo conspicies nigram & siccam, veluti rem mortuam, spongiosam item & levem. Non tamen projicias has terras, quæ sunt nigræ & siccæ, ut suadet Philosophus.

Destillatum hoc Menstruum, & unà cum Essentia Auri mixtum, in cucurbita vitrea munda, cum suo Alembico ac Recipiente, juncturis optime sigillatis collocamus in Balneo tepido: Blando hoc calo-

calore distillabitur tibi aqua clarissima. In vitri fundo remanebit Tinctura, quam optas. Tincturam hanc per spiritum Vini solvimus: spiritum separamus alternis vicibus: & in hunc modum colorem illius clarificamus, (ut Philosophi verbis utar,) hoc est, ad gradum puritatis summæ exaltamus, &c.

(Nimirum nervus totius sententiæ is est, quod Auctor veram ac realem ex Auro Tincturam, quam Animam Auri nuncupat, se segregare prolixè profiteatur: de qua videbimus utique,

Quid tanto dignum ferat hic promissor hiatu?)

Equidem initio videtur nobis pro uno eodemque habere, Elevationem Auri per Alembicum, quam in Titulo capitis promittit, cum Tincturæ ejusdem Extractione. Quasi vero difficile sit expertis Chymiatris, mediante additione convenienti Aurum subtiliare, dissolvere, & per Alembicum evehere. Quæ tamen operatio non statim Tincturæ extractio est, etiamsi id, quod elevetur, colore aureo altissimè tinctum visatur. Color enim iste tum est à corpore integro aureo per alembicum adscendente, non à Tinctura quadam segregata: idque manifesto demonstrabit Reductio: & nos supra abundè evicimus, neque per ignem neque per Additionem formam Auri posse realiter destrui. Noster tamen, quo plus sibi hac in parte scientiæ, quam aliis Chymicis relictum testetur, contrariam tenet opinionem, Liquorem scilicet suum dictum, non esset nisi vera Tinctura animaque Auri coloratum: qua 1. Liquor ipse ruber sit, & 2. quia residuum destillationis materia sit spongiosa, levis & nigra, instarque terræ aut capitis mortui. Sed toto cœlo errat. Quia enim, quod materia ipsius toties nominata non sit simpliciter Aurum sed mixtura quædam; quodque pauculum illud Auri, ex quo constat, facile in Aurum reduci possit, ex abundanti supra demonstravimus, nulla non dicam ratio, sed ne verisimilitudo quidem est, qua persuadeamur, quod mutato duntaxat, à Balneo ad cineres, ignis gradu, particula illa Auri moriatur, & Tincturam suam animamque deponat, quæ deinceps per Alembicum subvolet, ut Chrysostomus noster asserit. Est ergo ut diximus, non vera Tinctura Auri hîc color cum menstruo elevatus, sed à sola permixtione: quæ quomodo sese habeat, quomodo item ex accidenti variorum colorum procreatrix exsistat, majoris evidentiæ ergo, aliquot convenientibus exemplis declarabimus.

Accipe Cerussam, cui superfunde Acetum destillatum, pone ad digerendum in Balneo per aliquot dies: Videbis Acetum flavescere, instar Auri. Liquorem per inclinationem separa, destilla per Balneum, ad partem quartam præter propter, restabit in fundo materia coloratissima, mellis adinstar, & dulcissima. Materiam istam destilla per cineres, in fine destillationis exibit Liquor sanguinis in morem ruber, residua materia nigra, spongiosa, levi, ad modum Capitis Mortui. Quum tamen interim quin Cerussa lactis instar candescat, Acetumque destillatum instar aquæ clarum sit, nemo ignoret. Quod si jam quis affirmare vellet, Liquorem istum rubrum esse Tincturam sive animam ipsius Plumbi, ex quo

Cerussa facta est: næ is in fœdissimum errorem præceps rueret. Quoniam primò plumbum non habet in se talem Tincturam, neque aliam aliquam substantiam aquosam: Deinde, quia Cerussa, quæ post solutionem reliqua fit, cum pauculo Saponis & pinguedinis ovinæ mixta, inque ignem fusionis posita, funditur rursus in Plumbum. Funditur eodem etiam modo materia illa cineritia, post destillationem residua, contra quam fieri oportet, siquidem Tinctura ex Plumbo esset educta. Nec enim fieri posset, quin tum substantialiter corpus Plumbi immutaretur. Quoniam, ut multoties jam dictum est, nulla potest fieri cujusdam substantiæ è corpore separatio, sine corporis ejusdem evidenti ac substantiali immutatione.

Iidem effectus, non in Cerussa tantum, sed & Ferro, Stanno, Antimonio calcinato, Marcasitis calcinatis, Crystallo & Lapidibus pretiosis calcinatis, Coralliis, Perlis, Oculis Cancri aliisque similibus corporibus adparent, quæ si eodem, quo Cerussa jam, modo tractentur, exibit semper in abstractione Aceti destillati Liquor non minus rubeus, quam qui ex solutione aureâ nostri Spagyri prodit. Eadem colorum ex permixtione varietas & multiplicitas per quam multis aliis exemplis esset demonstrabilis: Ut, quod Aurum in Aqua regiâ solutum rubro colore tingatur; Argentum, in Aquâ forti, nigro; Cuprum in liquoribus acidis, viridi; Et nihilominus unumquodque horum à Solventibus suis separatum ad pristinum colorem redeat. Sed hæc satis fuerint, ad declarandum, quomodo Author allucinetur, Liquorem suum rubrum veram ac essentialem Auri Tincturam esse opinatus.

Quem eundem errorem alio quoque in loco miserè errat Apologiæ vid. parte 3. pag. 186. & 187. ubi alterius Tincturæ Auri medicinalis mentionem facit, hisce verbis: Primo, quando solutio Auri est facta suo proprio menstruo, tum, menstruo detracto usque ad consistentiam Gummi liquidi coloratissimi, (ut Lullii verbis utar,) & unctuosissimi, affunditur spiritus Vini, qui hinc tingitur colore rubertimo, & separatis fæcibus albis manentibus in fundo conservatur per se in vitro, vocaturque Tinctura Auri Medicinalis. Hactenus ille. Ex quibus colligi potest, velle illum, quod in ista operatione spiritus Vini veram ex Auro Tincturam eliciat, relictis aliis hujus ejusdem substantiis in fundo, quod significantissimè insinuat per id, quod dicit: & separatis fæcibus albis manentibus in fundo. Sed non minus, quam antea, opinionis suæ fallitur, Etenim si spiritus ille Vini reapse esset reali, & per se subsistente, ac naturali Auri Tincturâ inprægnatus, tum eo per Balneum abstracto necessario relinqueretur in fundo substantia rubia, obscura, altiorisque tincturæ, quam quum erat adhuc in Liquore dispersa. Quemadmodum usu venire videmus in Tincturis Vegetabilibus: Alkermes, e. gr. ligni Brasiliensis, Coccognidiorum, Lacrymæ Draconis, Rosarum rubrarum, &c. Inprimis Croci, cujus Tinctura, dum in suo Solvente diffusa est, flavescit, inque consistentiam spissam coarctata, obscurissimè rubra adparet. Nostra

ſtra vero hæc Tinctura longè aliter ſeſe habet. Nam, quod ipſe etiam Antonius intus & in cute novit, ſi ſpiritum iſtum Vini ruberrimè tinctum, & Reſiduum ſolventis, per deſtillationem, modo, quem ipſe præſcribit, abſtraxeris, non relinquetur Tinctura, ſed Subſtantia quædam formam ſalinam obtinens, in aqua ſolubilis, colore ex pallido flaveſcente, ad modum Magiſterii ex Antimonio per Acetum deſtillatum præparati: Qui quidem color Tincturæ Auri rubræ, ſi quæ talis eſſet, ad conſiſtentiam ſolidam redactæ tam bellè convenit, quam

Candida cum nigris, & cum candentibus atra.

Et hæc fortaſſean cauſa eſt, quod tum aureæ eſſentiæ nomine uti homo callidus malit, quam Tincturæ: Dignum mediusfidius patellâ operculum adaptans.

Conſtat ergò hactenus, tum quod color iſte ruber, quo ſpiritum Vini inficidicit Autor, non ſit vera Tinctura Auri: tum quod in genere omnia Medicamenta aurea Antoniana non ſint veræ & ſinceræ ſubſtantiæ ex Auro extractæ, ſed res compoſitæ; Quorum Conſiſtentia, Color & Qualitates ex permixtione rerum extranearum cum Auro, nequaquam ab hoc ſimpliciter, proficiſcantur.

CHRYSOLOGIÆ

SECTIO III.

Continens quæſtionum aliquot & dubiorum, quæ ex dictis oriri poſſent, reſolutionem.

CAP. I.

Vtrum Aurum in Medicina utile eſſe queat, an ſecus?

QUi Aurum ab uſu Medico proſcribunt, nihil ferè aliud habent, quo ſe tueantur, quam ipſius fixitatem, ac ſubſtantiarum ejusdem perfectam combinationem, quæ cauſa ſit, ut nullo pacto Stomachus noſter id ipſum concoquere, immutare, aut tantillum ſucci inde eliquare queat. Sed nimis ruinoſo tibicine videntur hi opinionem ſuam ſtatuminare. Nam eodem nos medio idem de multis aliis corporibus penitus indigeſtibilibus concluſerimus, quæ tamen experientia ipſa humano corpori perquam ſalutaria & cumprimis efficacia eſſe teſtatur. Chalybs duriſſimum illud, aridumque & ſiccum Metallum in obſtructionibus viſcerum, Cachexia, Icteritia, aliisque quamplurimis affectibus prorſus θεῶν χεὶρ eſſe videtur. Lapis Lazuli in Melancholia, Mania & Epilepſia Catharticum eſt omnibus aliis prævalens. Vitrū Antimonium ἄνω καὶ κάτω omnis generis colluviem ex corpore propellit. In Cryſtallo, Nephriticis; In magnete Hyſtericis, poſita ſunt præſidia præſentiſſima. Sunt-

Suntque alia præterea corpora Mineralia quamplurima penitus indigestibilia, quæ evidentissimos in nobis effectus medicinales præstent. Quamobrem non dubitavimus, quin Aurum suis quoque virtutibus medicinalibus dotatum sit, & quin Archæus Naturæ noster per certam potentiam occultam eas in actum magnetice deducere, & beneficio corporis nostri adplicare valeat, etiamsi illud Metallum per calorem nostrum neque digestibile sit, neque mutabile.

Quod portò in Auro non tam evidentes, quam in multis aliis similis naturæ corporibus Metallicis, operationes conspiciantur, id perfectissimo illius temperamento tribuendum est, per quod Aurum cor solummodo confortat, non per evidentem quamdam & prædominantem, vel frigidam, vel calidam, vel quamcunque aliam qualitatem, quum è contrario aliorum corporum intemperatorum, in evacuando, expellendo, aut aliter corpus alterando, manifesta deprehendatur energia. Neque verò vel temerè vel casu factum putemus, quod Medici dogmatici tam vetusti, quam recentiores, Aurum inter res cordiales retulerint, neque nullo non in pretio habuerint, & adhuc habeant: idque non scriptis tantum suis testentur, sed quotidiana insuper medicamentorum Cordialium, quæ Aurum semper ingreditur, dispensatione comprobent. Tacemus, quantum simplex ejus usus commodi habeat, quam periculosissimis affectibus, per solam viam extinctionis in Vino & Aquis destillatis factam, illud medeatur: ut ratio nulla sit, quare non suus ipsi in Medicina locus sit relinquendus.

CAP. II.

An Aurum, propter Symbolismum vel Analogiam, quam cum Sole habet, sit subjectum vel Materia Medicinæ Universalis adversus omnes humani corporis morbos?

QVisquis ex Symbolismo Auri cum Sole argumentum ducere velit, ad demonstrandum, quod Aurum sit Medicinæ Universalis subjectum: is ita arguetur, oportet: Quod videlicet veluti Sol sit fons omnium Elementorum, à cujus regimine & influentia totius Universi conservatio tota pendeat: Eodem modo Aurum cum ipso symbolizans esse conservando Microcosmo, omni intemperiei ejusdem elementari corrigundæ, omnique infirmitatis materiæ tollundæ. In qua quidem ratiocinatione, quod pro Hypothesi de Sole pronunciatur, falsum est. Is enim, quantumvis sit nobilissima in firmamento Creatura, ut eam ob causam Anima majoris mundi Philosophis vocetur, non tamen propterea non est ea nobilitas certis limitibus & terminis constricta: neque latius se extendit, quam ut calorem & siccitatem in globum hunc inferiorem infundat, atque ita generationem & conservationem rerum promoveat. Harum autem omnium essentia & vita non pendent solum à calore & siccitate; sed etiam à frigore & humiditate; neque

alio

alio fine omnipotens conditor Lunam in firmamento collocavit, quam ut veluti Sol caloris & ſiccitatis auctor eſt, ita hæc frigoris & humiditatis cauſa exſiſteret. Quia ergo Sol per iſtas quatuor qualitates pariter in res influere nequit, non poterit etiam omni intemperiei & diſſolutioni, quæ ex earum diſſidio provenit occurrere. Fruſtra enim quis à Sole per ſe beneficium vel pluviæ vel roris nocturni, ſi alterutrum deſiat, exſpectet, qui potius per calorem ſuum magis magisque exſiccaret, & quaſi conſumeret omnes fructus terræ. Unde amplius ratiocinamur: Si Sol res tam ſpiritnoſa & actuoſa, quæ 23. horis circuitum mundi abſolvit, non poteſt omnes defectus & intemperantias majoris mundi emendare: multo minus futurum eſt, ut Aurum omnes intemperantias Elementares minoris mundi, illas omnium infirmitatum procreatrices, corrigat; Ipſumque illud, licet ſplendore quidem ſolari effulgeat, interim tamen corpus ſolidum eſt, ponderoſum, mortuum, nullius per ſe efficaciæ, niſi, ut dictum eſt, ab Archæo Microcoſmico magnetice excitetur. Ipſæ deinde infirmitates, quia à diverſiſſimis cauſis oriuntur, diverſiſſima quoque remedia, experientia teſte, efflagitant. Neque valet, quod quis objiciat, per id, quod Aurum fontem caloris nativi roboret, naturam excitari, ut cauſis morbificis fortiter tum obſiſtere, tum easdem excutere valeat. Etenim, ut non negemus, naturæ robur vel primum eſſe, ad quod in curatione Medico reſpiciendum ſit: hinc tamen nequaquam adſtruendum, quod ipſa duntaxat confortata morbos debellet: Quin potius in plerisque morbis cogimur eam Diæta, Purgationibus, Phlebotomia, aliisq; ſanitatis recuperandæ auxilis non leviter ſæpe debilitare, priusquam æger ſalutis ſuæ, nos finis noſtri compotes reddamur. Quod, quum omnibus omnino dogmaticis Medicis perſpectiſſimum ſit, nolumus hîc loci prolixius exaggerare.

CAP. III.

De Auro potabili Hermeticorum antiquorum, qualenam illi habuerint?

PHiloſophi Hermetici antiquiores quin Aurum potabile habuerint, legenti illorum ſcripta dubium eſſe nequit. Id tantummodo in quæſtionem venit, qualenam illud Aurum fuerit, vel, quid per illud intellexerint: Utrum, quod à ſua forma Metallica in aliam liquidam, terreſtris & Metallicæ corporalitatis penitus expertam realiter tranſierit? vel, quod ſit ſubſtãtia quæpiam ab Auro ſeparata, ſimpliciter per ſe ſine additione ſubſiſtens, veluti Aqua quædam, aut Oleum aut Sal ex Vegetabilibus elicitum? Certe neutrum intellexiſſe exiſtimandi ſunt; quum veriſimile minime ſit, qui Artem ipſam nobis tradiderunt, eò eſſe abſurditatis prolapſos, ut, quod impoſſibile eſſe Ars demonſtrat, id ipſi præſtare ſe profiterentur. Itaque aliter longe, quam imperiti Spagyrici factitant, quæ de Auro potabili iſti prodidere, ſunt interpretanda: nimirum vel de nobiliſſima quapiam

Suntque alia præterea corpora Mineralia quamplurima penitus indigestibilia, quæ evidentissimos in nobis effectus medicinales præstent. Quamobrem non dubitavimus, quin Aurum suis quoque virtutibus medicinalibus dotatum sit, & quin Archæus Naturæ noster per certam potentiam occultam eas in actum magnetice deducere, & beneficio corporis nostri adplicare valeat, etiamsi illud Metallum per calorem nostrum neque digestibile sit, neque mutabile.

Quod portò in Auro non tam evidentes, quam in multis aliis similis naturæ corporibus Metallicis, operationes conspiciantur, id perfectissimo illius temperamento tribuendum est, per quod Aurum cor solummodo confortat, non per evidentem quamdam & prædominantem, vel frigidam, vel calidam, vel quamcunque aliam qualitatem, quum è contrario aliorum corporum intemperatorum, in evacuando, expellendo, aut aliter corpus alterando, manifesta deprehendatur energia. Neque verò vel temerè vel casu factum putemus, quod Medici dogmatici tam vetusti, quam recentiores, Aurum inter res cordiales retulerint, neque nullo non in pretio habuerint, & adhuc habeant: idque non scriptis tantum suis testentur, sed quotidiana insuper medicamentorum Cordialium, quæ Aurum semper ingreditur, dispensatione comprobent. Tacemus, quantum simplex ejus usus commodi habeat, quam periculosissimis affectibus, per solam viam extinctionis in Vino & Aquis destillatis factam, illud medeatur: ut ratio nulla sit, quare non suus ipsi in Medicina locus sit relinquendus.

CAP. II.

An Aurum, propter Symbolismum vel Analogiam, quam cum Sole habet, sit subjectum vel Materia Medicinæ Universalis adversus omnes humani corporis morbos?

QVisquis ex Symbolismo Auri cum Sole argumentum ducere velit, ad demonstrandum, quod Aurum sit Medicinæ Universalis subjectum: is ita arguretur, oportet: Quod videlicet veluti Sol sit fons omnium Elementorum, à cujus regimine & influentia totius Universi conservatio tota pendeat: Eodem modo Aurum cum ipso symbolizans esse conservando Microcosmo, omni intemperiei ejusdem elementari corrigundæ, omnique infirmitatis materiæ tollundæ. In qua quidem ratiocinatione, quod pro Hypothesi de Sole pronunciatur, falsum est. Is enim, quantumvis sit nobilissima in firmamento Creatura, ut eam ob causam Anima majoris mundi Philosophis vocetur, non tamen propterea non est ea nobilitas certis limitibus & terminis constricta: neque latius se extendit, quam ut calorem & siccitatem in globum hunc inferiorem infundat, atque ita generationem & conservationem rerum promoveat. Harum autem omnium essentia & vita non pendent solum à calore & siccitate; sed etiam à frigore & humiditate; neque

alio fine omnipotens conditor Lunam in firmamento collocavit, quam ut veluti Sol caloris & ficcitatis auctor eſt, ita hæc frigoris & humiditatis cauſa exſiſteret. Quia ergo Sol per iſtas quatuor qualitates pariter in res influere nequit, non poterit etiam omni intemperiei & diſſolutioni, quæ ex earum diſſidio provenit occurrere. Fruſtra enim quis à Sole per ſe beneficium vel pluviæ vel rotis nocturni, ſi alterutrum deſiat, exſpectet, qui potius per calorem ſuum magis magisque exſiccaret, & quaſi conſumeret omnes fructus terræ. Unde amplius ratiocinamur: Si Sol res tam ſpirituoſa & actuoſa, quæ 23. horis circuitum mundi abſolvit, non poteſt omnes defectus & intemperantias majoris mundi emendare: multo minus futurum eſt, ut Aurum omnes intemperantias Elementares minoris mundi, illas omnium infirmitatum procreatrices, corrigat; Ipſumque illud, licet ſplendore quidem ſolari effulgeat, interim tamen corpus ſolidum eſt, ponderoſum, mortuum, nullius per ſe efficaciæ, niſi, ut dictum eſt, ab Archæo Microcoſmico magnetice excitetur. Ipſæ deinde infirmitates, quia à diverſiſſimis cauſis oriuntur, diverſiſſima quoque remedia, experientia teſte, efflagitant. Neque valet, quod quis objiciat, per id, quod Aurum fontem caloris nativi roboret, naturam excitari, ut cauſis morbificis fortiter tum obſiſtere, tum easdem excutere valeat. Etenim, ut non negemus, naturæ robur vel primum eſſe, ad quod in curatione Medico reſpiciendum ſit: hinc tamen nequaquam adſtruendum, quod ipſa duntaxat confortata morbos debellet: Quin potius in plerisque morbis cogimur eam Diæta, Purgationibus, Phlebotomia, aliisq; ſanitatis recuperandæ auxilis non leviter ſæpe debilitare, priusquam æger ſalutis ſuæ, nos finis noſtri compotes reddamur. Quod, quum omnibus omnino dogmaticis Medicis perſpectiſſimum ſit, nolumus hîc loci prolixius exaggerare.

CAP. III.

De Auro potabili Hermeticorum antiquorum, qualenam illi habuerint?

PHiloſophi Hermetici antiquiores quin Aurum potabile habuerint, legenti illorum ſcripta dubium eſſe nequit. Id tantummodo in quæſtionem venit, qualenam illud Aurum fuerit, vel, quid per illud intellexerint: Utrum, quod à ſua forma Metallica in aliam liquidam, terreſtris & Metallicæ corporalitatis penitus expertam realiter tranſierit? vel, quod ſit ſubſtātia quæpiam ab Auro ſeparata, ſimpliciter per ſe ſine additione ſubſiſtens, veluti Aqua quædam, aut Oleum aut Sal ex Vegetabilibus elicitum? Certe neutrum intellexiſſe exiſtimandi ſunt; quum veriſimile minime ſit, qui Artem ipſam nobis tradiderunt, eò eſſe abſurditatis prolapſos, ut, quod impoſſibile eſſe Ars demonſtrat, id ipſi præſtare ſe profiterentur. Itaque aliter longe, quam imperiti Spagyrici factitant, quæ de Auro potabili iſti prodidere, ſunt interpretanda: nimirum vel de nobiliſſima quapiam

Suntque alia prætetea corpora Mineralia quamplurima penitus indigestibilia, quæ evidentissimos in nobis effectus medicinales præstent. Quamobrem non dubitavimus, quin Aurum suis quoque virtutibus medicinalibus dotatum sit, & quin Archæus Naturæ noster per certam potentiam occultam eas in actum magnetice deducere, & beneficio corporis nostri adplicare valeat, etiamsi illud Metallum per calorem nostrum neque digestibile sit, neque mutabile.

Quod porrò in Auro non tam evidentes, quam in multis aliis similis naturæ corporibus Metallicis, operationes conspiciantur, id perfectissimo illius temperamento tribuendum est, per quod Aurum cor solummodo confortat, non per evidentem quamdam & prædominantem, vel frigidam, vel calidam, vel quamcunque aliam qualitatem, quum è contrario aliorum corporum intemperatorum, in evacuando, expellendo, aut aliter corpus alterando, manifesta deprehendatur energia. Neque verò vel temerè vel casu factum putemus, quod Medici dogmatici tam vetusti, quam recentiores, Aurum inter res cordiales retulerint, neque nullo non in pretio habuerint, & adhuc habeant: idque non scriptis tantum suis testentur, sed quotidiana insuper medicamentorum Cordialium, quæ Aurum semper ingreditur, dispensatione comprobent. Tacemus, quantum simplex ejus usus commodi habeat, quam periculosissimis affectibus, per solam viam extinctionis in Vino & Aquis destillatis factam, illud medeatur: ut ratio nulla sit, quare non suus ipsi in Medicina locus sit relinquendus.

CAP. II.

An Aurum, propter Symbolismum vel Analogiam, quam cum Sole habet, sit subjectum vel Materia Medicinæ Universalis adversus omnes humani corporis morbos?

QVisquis ex Symbolismo Auri cum Sole argumentum ducere velit, ad demonstrandum, quod Aurum sit Medicinæ Universalis subjectum: is ita arguetur, oportet: Quod videlicet veluti Sol sit fons omnium Elementorum, à cujus regimine & influentia totius Universi conservatio tota pendeat: Eodem modo Aurum cum ipso symbolizans esse conservando Microcosmo, omni intemperiei ejusdem elementari corrigundæ, omnique infirmitatis materiæ tollundæ. In qua quidem ratiocinatione, quod pro Hypothesi de Sole pronunciatur, falsum est. Is enim, quantumvis sit nobilissima in firmamento Creatura, ut eam ob causam Anima majoris mundi Philosophis vocetur, non tamen propterea non est ea nobilitas certis limitibus & terminis constricta: neque latius se extendit, quam ut calorem & siccitatem in globum hunc inferiorem infundat, atque ita generationem & conservationem rerum promoveat. Harum autem omnium essentia & vita non pendent solum à calore & siccitate; sed etiam à frigore & humiditate; neque alio

alio fine omnipotens conditor Lunam in firmamento collocavit, quam ut veluti Sol caloris & ſiccitatis auctor eſt, ita hæc frigoris & humiditatis cauſa exſiſteret. Quia ergo Sol per iſtas quatuor qualitates pariter in res influere nequit, non poterit etiam omni intempeiei & diſſolutioni, quæ ex earum diſſidio provenit occurrere. Fruſtra enim quis à Sole per ſe beneficium vel pluviæ vel rotis nocturni, ſi alterutrum deſiat, exſpectet, qui potius per calorem ſuum magis magisque exſiccaret, & quaſi conſumeret omnes fructus terræ. Unde amplius ratiocinamur: Si Sol res tam ſpirituoſa & actuoſa, quæ 23. horis circuitum mundi abſolvit, non poteſt omnes defectus & intemperantias majoris mundi emendare: multo minus futurum eſt, ut Aurum omnes intemperantias Elementares minoris mundi, illas omnium infirmitatum procreatrices, corrigat; Ipſumque illud, licet ſplendore quidem ſolari effulgeat, interim tamen corpus ſolidum eſt, ponderoſum, mortuum, nullius per ſe efficaciæ, niſi, ut dictum eſt, ab Archæo Microcoſmico magnetice excitetur. Ipſæ deinde infirmitates, quia à diverſiſſimis cauſis oriuntur, diverſiſſima quoque remedia, experientia teſte, efflagitant. Neque valet, quod quis objiciat, per id, quod Aurum fontem caloris nativi roboret, naturam excitari, ut cauſis morbificis fortiter tum obſiſtere, tum easdem excutere valeat. Etenim, ut non negemus, naturæ robur vel primum eſſe, ad quod in curatione Medico reſpiciendum ſit: hinc tamen nequaquam adſtruendum, quod ipſa duntaxat confortata morbos debellet: Quin potius in plerisque morbis cogimur eam Diæta, Purgationibus, Phlebotomia, aliisq; ſanitatis recuperandæ auxilis non leviter ſæpe debilitare, priusquam æger ſalutis ſuæ, nos finis noſtri compotes reddamur. Quod, quum omnibus omnino dogmaticis Medicis perſpectiſſimum ſit, nolumus hîc loci prolixius exaggerare.

CAP. III.

De Auro potabili Hermeticorum antiquorum, qualenam illi habuerint?

PHiloſophi Hermetici antiquiores quin Aurum potabile habuerint, legenti illorum ſcripta dubium eſſe nequit. Id tantummodo in quæſtionem venit, qualenam illud Aurum fuerit, vel, quid per illud intellexerint: Utrum, quod à ſua forma Metallica in aliam liquidam, terreſtris & Metallicæ corporalitatis penitus expertam realiter tranſierit? vel, quod ſit ſubſtãtia quæpiam ab Auro ſeparata, ſimpliciter per ſe ſine additione ſubſiſtens, veluti Aqua quædam, aut Oleum aut Sal ex Vegetabilibus elicitum? Certe neutrum intellexiſſe exiſtimandi ſunt; quum veriſimile minime ſit, qui Artem ipſam nobis tradiderunt, eò eſſe abſurditatis prolapſos, ut, quod impoſſibile eſſe Ars demonſtrat, id ipſi præſtare ſe profiterentur. Itaque aliter longe, quam imperiti Spagyrici factitant, quæ de Auro potabili iſti prodidere, ſunt interpretanda: nimirum vel de nobiliſſima qua-

Suntque alia præterea corpora Mineralia quamplurima penitus indigestibilia, quæ evidentissimos in nobis effectus medicinales præstent. Quamobrem non dubitavimus, quin Aurum suis quoque virtutibus medicinalibus dotatum sit, & quin Archæus Naturæ noster per certam potentiam occultam eas in actum magnetice deducere, & beneficio corporis nostri adplicare valeat, etiamsi illud Metallum per calorem nostrum neque digestibile sit, neque mutabile.

Quod porrò in Auro non tam evidentes, quam in multis aliis similis naturæ corporibus Metallicis, operationes conspiciantur, id perfectissimo illius temperamento tribuendum est, per quod Aurum cor solummodo confortat, non per evidentem quamdam & prædominantem, vel frigidam, vel calidam, vel quamcunque aliam qualitatem, quum è contrario aliorum corporum intemperatorum, in evacuando, expellendo, aut aliter corpus alterando, manifesta deprehendatur energia. Neque verò vel temerè vel casu factum putemus, quod Medici dogmatici tam vetusti, quam recentiores, Aurum inter res cordiales retulerint, neque nullo non in pretio habuerint, & adhuc habeant: idque non scriptis tantum suis testentur, sed quotidiana insuper medicamentorum Cordialium, quæ Aurum semper ingreditur, dispensatione comprobent. Tacemus, quantum simplex ejus usus commodi habeat, quam periculosissimis affectibus, per solam viam extinctionis in Vino & Aquis destillatis factam, illud medeatur: ut ratio nulla sit, quare non suus ipsi in Medicina locus sit relinquendus.

CAP. II.

An Aurum, propter Symbolismum vel Analogiam, quam cum Sole habet, sit subjectum vel Materia Medicinæ Universalis adversus omnes humani corporis morbos?

QVisquis ex Symbolismo Auri cum Sole argumentum ducere velit, ad demonstrandum, quod Aurum sit Medicinæ Universalis subjectum: is ita arguetur, oportet: Quod videlicet veluti Sol sit fons omnium Elementorum, à cujus regimine & influentia totius Universi conservatio tota pendeat: Eodem modo Aurum cum ipso symbolizans esse conservando Microcosmo, omni intemperiei ejusdem elementari corrigundæ, omnique infirmitatis materiæ tollundæ. In qua quidem ratiocinatione, quod pro Hypothesi de Sole pronunciatur, falsum est. Is enim, quantumvis sit nobilissima in firmamento Creatura, ut eam ob causam Anima majoris mundi Philosophis vocetur, non tamen propterea non est ea nobilitas certis limitibus & terminis constricta: neque latius se extendit, quam ut calorem & siccitatem in globum hunc inferiorem infundat, atque ita generationem & conservationem rerum promoveat. Harum autem omnium essentia & vita non pendent solum à calore & siccitate; sed etiam à frigore & humiditate; neque alio

alio fine omnipotens conditor Lunam in firmamento collocavit, quam ut veluti Sol caloris & ficcitatis auctor est, ita hæc frigoris & humiditatis causa exsisteret. Quia ergo Sol per istas quatuor qualitates pariter in res influere nequit, non poterit etiam omni intemperiei & dissolutioni, quæ ex earum dissidio provenit occurrere. Frustra enim quis à Sole per se beneficium vel pluviæ vel roris nocturni, si alterutrum desiat, exspectet, qui potius per calorem suum magis magisque exsiccaret, & quasi consumeret omnes fructus terræ. Unde amplius ratiocinamur: Si Sol res tam spirituosa & actuosa, quæ 23. horis circuitum mundi absolvit, non potest omnes defectus & intemperantias majoris mundi emendare: multo minus futurum est, ut Aurum omnes intemperantias Elementares minoris mundi, illas omnium infirmitatum procreatrices, corrigat; Ipsumque illud, licet splendore quidem solari effulgeat, interim tamen corpus solidum est, ponderosum, mortuum, nullius per se efficaciæ, nisi, ut dictum est, ab Archæo Microcosmico magnetice excitetur. Ipsæ deinde infirmitates, quia à diversissimis causis oriuntur, diversissima quoque remedia, experientia teste, efflagitant. Neque valet, quod quis objiciat, per id, quod Aurum fontem caloris nativi roboret, naturam excitari, ut causis morbificis fortiter tum obsistere, tum easdem excutere valeat. Etenim, ut non negemus, naturæ robur vel primum esse, ad quod in curatione Medico respiciendum sit: hinc tamen nequaquam adstruendum, quod ipsa duntaxat confortata morbos debellet: Quin potius in plerisque morbis cogimur eam Diæta, Purgationibus, Phlebotomia, aliisq; sanitatis recuperandæ auxilis non leviter sæpe debilitare, priusquam æger salutis suæ, nos finis nostri compotes reddamur. Quod, quum omnibus omnino dogmaticis Medicis perspectissimum sit, nolumus hîc loci prolixius exaggerare.

CAP. III.

De Auro potabili Hermeticorum antiquorum, qualenam illi habuerint?

PHilosophi Hermetici antiquiores quin Aurum potabile habuerint, legenti illorum scripta dubium esse nequit. Id tantummodo in quæstionem venit, qualenam illud Aurum fuerit, vel, quid per illud intellexerint: Utrum, quod à sua forma Metallica in aliam liquidam, terrestris & Metallicæ corporalitatis penitus expertam realiter transierit? vel, quod sit substãtia quæpiam ab Auro separata, simpliciter per se sine additione subsistens, veluti Aqua quædam, aut Oleum aut Sal ex Vegetabilibus elicitum? Certe neutrum intellexisse existimandi sunt; quum verisimile minime sit, qui Artem ipsam nobis tradiderunt, eò esse absurditatis prolapsos, ut, quod impossibile esse Ars demonstrat, id ipsi præstare se profiterentur. Itaque aliter longe, quam imperiti Spagyrici factitant, quæ de Auro potabili isti prodidere, sunt interpretanda: nimirum vel de nobilissima quapiam

alio fine omnipotens conditor Lunam in firmamento collocavit, quam ut veluti Sol caloris & ſiccitatis auctor eſt, ita hæc frigoris & humiditatis cauſa exſiſteret. Quia ergo Sol per iſtas quatuor qualitates pariter in res influere nequit, non poterit etiam omni intemperiei & diſſolutioni, quæ ex earum diſſidio provenit occurrere. Fruſtra enim quis à Sole per ſe beneficium vel pluviæ vel rotis nocturni, ſi alterutrum deſiat, exſpectet, qui potius per calorem ſuum magis magisque exſiccaret, & quaſi conſumeret omnes fructus terræ. Unde amplius ratiocinamur: Si Sol res tam ſpirituoſa & actuoſa, quæ 23. horis circuitum mundi abſolvit, non poteſt omnes defectus & intemperantias majoris mundi emendare: multo minus futurum eſt, ut Aurum omnes intemperantias Elementares minoris mundi, illas omnium infirmitatum procreatrices, corrigat; Ipſumque illud, licet ſplendore quidem ſolari effulgeat, interim tamen corpus ſolidum eſt, ponderoſum, mortuum, nullius per ſe efficaciæ, niſi, ut dictum eſt, ab Archæo Microcoſmico magnetice excitetur. Ipſæ deinde infirmitates, quia à diverſiſſimis cauſis oriuntur, diverſiſſima quoque remedia, experientia teſte, efflagitant. Neque valet, quod quis objiciat, per id, quod Aurum fontem caloris nativi roboret, naturam excitari, ut cauſis morbificis fortiter tum obſiſtere, tum easdem excutere valeat. Etenim, ut non negemus, naturæ robur vel primum eſſe, ad quod in curatione Medico reſpiciendum ſit: hinc tamen nequaquam adſtruendum, quod ipſa duntaxat confortata morbos debellet: Quin potius in plerisque morbis cogimur eam Diæta, Purgationibus, Phlebotomia, aliisq; ſanitatis recuperandæ auxilis non leviter ſæpe debilitare, priusquam æger ſalutis ſuæ, nos finis noſtri compotes reddamur. Quod, quum omnibus omnino dogmaticis Medicis perſpectiſſimum ſit, nolumus hîc loci prolixius exaggerare.

CAP. III.

De Auro potabili Hermeticorum antiquorum, qualenam illi habuerint?

PHiloſophi Hermetici antiquiores quin Aurum potabile habuerint, legenti illorum ſcripta dubium eſſe nequit. Id tantummodo in quæſtionem venit, qualenam illud Aurum fuerit, vel, quid per illud intellexerint: Utrum, quod à ſua forma Metallica in aliam liquidam, terreſtris & Metallicæ corporalitatis penitus expertam realiter tranſierit? vel, quod ſit ſubſtātia quæpiam ab Auro ſeparata, ſimpliciter per ſe ſine additione ſubſiſtens, veluti Aqua quædam, aut Oleum aut Sal ex Vegetabilibus elicitum? Certe neutrum intellexiſſe exiſtimandi ſunt; quum veriſimile minime ſit, qui Artem ipſam nobis tradiderunt, eò eſſe abſurditatis prolapſos, ut, quod impoſſibile eſſe Ars demonſtrat, id ipſi præſtare ſe profiterentur. Itaque aliter longe, quam imperiti Spagyrici factitant, quæ de Auro potabili iſti prodidere, ſunt interpretanda: nimirum vel de nobiliſſima quapiam

piam materia medicinali, naturæ ſpirituoſæ,& conditionis potabilis, cui ob prærogativam, qua præ omnibus aliis medicamentis,veluti inter Metalla Aurum,elucet, id nominis imponere voluerint: Aut, ſi Aurum potabile Metallicum intellexerint, id non aliud eſſe cenſuerint, quam quoad conſiſtentiam ſuam Metallicā ſubtiliſſimè diſcontinuatum, & citra hujus ipſius ſubſtantialem deſtructionem,reſolutum: merito ſolventis adpropriati in formam potabilem redactum: in qua cum conſiſtit, quid vetet,quo minus potabile adpellandum veniat? Facit huc ipſa auctoritas Philoſophi,quem allegat auctor noſter ajens: Apolog.pag.96.Nullum eſt dubium, quin illa Medicina,quæ fit ex auro naturæ, (ut Arnoldus de Villa nova extollit:) ſoluto abſque ullis corroſivis in ſubſtantiam melleam & medicinalem, potabilem & ſolubilem in omni liquore, fit præſtantiſſima, Aurumque potabile verum & genuinum dicendum & habendum:Per hoc,inquam, ſententia noſtra admodum confirmatur: Aurum enim nunquam poteſt eo adduci, ut in forma mellea, per ſe ſine additione ſubſiſtat; per quam quidem etſi apprime attenuetur, & occultetur ipſa forma Metallica,ut inſtar Tartari in transparente vino hoſpitantis ſeſe habeat: non tamen ob id plane tollitur, Aurumque ſubinde ſemper eſt,manetque Aurum.Cæterum quando iidem Philoſophi dicunt,Aurum ita debere reſolvi,ut irrepivivum fiat,ea irreductilitas non eſt artis reſpectu accipienda, ſed reſpectu caloris Stomachi noſtri,quod videlicet ita Aurum cum debito ſibi menſtruo conjungi debet, ut ne calor internus poſſit ea rurſus ſegregare: Neque aliter ea de re judicare poterit,quisquis tum ſcripta eorum legerit,tum ſimul potentiam Artis conſideraverit.

CAP. IV.

Num Philoſophi potuerint Aurum Potabile conficere ſine Corroſivo?

QUandoquidem eſt certiſſima & irrefragabilis,inque arte perpetuo obſervata maxima,quod penitus impoſſibile ſit, Corpora Metallica & lapidea in formam liquidam reſolvere, abſque menſtruo manifeſto acri & corrodente:Certum eſt, neque Philoſophos ſine hoc ſolvere aurum potuiſſe:id quod ne ipſi quidem inficias ibunt. Unus Paracelſus ſit inſtar omnium, qui id aperte teſtatur, in ſequentibus.

In lib.de Vita longa, ubi de præparatione Elixiris Auri,ſive Auro Potabili, hæc de ſolutione habet: Reſolve Aurum una cum omni ſubſtantia Auri, corroſivo, & idipſum tantiſper,dum fiat idem cum corroſivo. Neque interim abhorreat animus ab iſta tractandi ratione: Aurum enim quatenus Aurum eſt, corroſivum præſtat, & citra corroſivum mortuum eſt. Quare quintam Eſſentiam Auri citra corroſivum inutilem eſſe adſerimus,&c.

In Fragm.ad lib.de Grad.& Compoſition.Fragm.2. de præparatione & adminiſtratione remediorum: Quod autem ex Metallis eſt, id hac via tractari debet, ut Metalla reſolvantur in liquorem per Salina,(puta ſpiritus Salinos,qui certe in rebus

cor-

corrodentibus numerantur:) & ut in corporibus suis maneant, quia corpus illorum Mercurius est, & est eorum vis. Quare non debet quæri modus quintæ Essentiæ extra corpus, sed corpus est id ipsum.

Ex quibus textibus liquet, Paracelsum non tantum in solutione Metallorum menstruum corrosivum requirere, sed docere insuper, ut integra eorum corpora dissolvantur, neque separationi cujusquam ex iis Essentiæ incumbatur: Ut dubium proin nullum sit, quin Philosophi in solutione quoque Auri menstruum tale putarint usurpandum. Qui sicubi fortean videantur à suis præparationibus corrosiva amandare, tum secundum differentiam graduum corrosivorum sunt intelligendi, & de corrosivis noxiis & vehementissimis: non de corrosivis medicinalibus & innoxiis. Ut e. g. non de Sale, quem edimus cottidie, sed de Sale cauteriali; non de spiritu Vitrioli simplice, sed de Aqua forti; non de Aceto destillato, sed de Spiritu Nitri acutissimo: Quæ distinctio in hoc negotio ut omnino necessaria est: ita diligenter animadvertenda.

CAP. V.

Num quam utilitatem in præparatione Auri Chymia præstet?

POsteaquam ostensum hactenus est, Aurum in formam potabilem sine additione redigi non posse; quippe quod quoad substantiam suam immutabile sit, & in quovis examine Aurum maneat: si jam porro quæras, Num nihilominus Ar Spagyrica id possit præparare, Medicina bono? Parata statim est responsio: videlice quando per Menstruum adpropriatum solvitur, & in formam potabilem concin natur Aurum, quod tum corpus aureum aperiatur, atque adeo de potentia in actum tractæ ejus virtutes manifestentur multo hercle efficacius & potentius, quam quum in simplice sua forma consistebat, ipsa id experientia manifestissimè comprobante Neque est, quod quis istos effectus ad solum solvens referat: quum nullum solvens in dissolutione Auri adhibitum, istos effectus seorsim & præcise producere queat quin potius statuendum est, ex unione & permixtione Auri cum Spiritibus Solventis id medicamenti oriri, quod neque ut simplex Aurum, neque ut Solvens per se sed veluti tertium quid, ex utrisque inter se artificio mixtis, operetur. Declarabimus hoc exemplo Plumbi: quod ipsum in formam Magisterii beneficio Aceti destillat reductum, non agit ut Plumbum solum vel ut Acetum destillatum simplex: sed u res quædam ex duobus hisce commixta & combinata: in qua qualitates Plumbi minime obliteratæ & quasi consopitæ delitescant, sed manifestatæ & exaltatæ magis magisque vigeant. Plura quidem exempla non aggerimus, quum eam rem in Lib. suo de Magisteriis, qui sextus est Archidoxorum, satis superque explicatam dederit Paracelsus: quo etiam Lectorem remittimus Satis ex hisce, quæ attulimus, constare rati quod Ars etiamsi Aurum dispartiri nequeat, frustra tamen nequaquam sit in eju præparatione.

CAP. VI.

An Philosophi Hermetici omnibus morbis solo Auro Potabili, exclusis aliis medicamentis, potuerint mederi?

SUnt hac tempestate Spagyrici bene multi, qui affirmare non vereantur, Philosophos Hermeticos, solo Auro potabili omnes omnino morbos curare potuisse: Quibus tamen insignem illi injuriam faciunt. Legantur saltem scripta quatuor illorum per Europam celeberrimorum Philosophorum Hermeticorum, Arnoldi de Villa nova, Raymundi Lullii, Isaaci Hollandi & Theophrasti Paracelsi: patebit, quod Vomitoriis, Catharcticis, Diaphoreticis, Diureticis, Anodynis, Somniferis, Stipticis, Alexitericis, aliisque quampluri mis Medicamentis, sed artificiose præparatis, non minus tribuerint, quam ipsi Auro potabili. Quod ipsum, adversus eos, qui Aurum potabile pro universali Medicina abs antiquis habitum putant, Achillei instar sit argumenti. Quod si namque id omnibus Indicationibus curativis satisfacere scivissent, crudeles hercle fuissent tam in posteros, quibus legitimam ac veram descriptionem non reliquissent: quam in discipulos suos iniqui, quos per tam facilem, securam, certam, & compendiosam curandi viam noluissent longæ illius difficilis, intricatæ & periculosæ Methodi vulgaris onere sublevare. Veluti autem utrumque de iis asserere inhumanum sit indubitato verum, illos neq; per Aurum potabile omnium medicamentorum vires potuisse supplere, neque proin eodem pro Panacæa fuisse usos.

PORISMATA.

Quibus, quæ integro libro prolixe hactenus pertractavimus, summatim recolliguntur.

I. In Anatomia corporum, sive, quanam forma eorum substantiæ consistant; sive, an ea ipsa Analysin sustineant; quæstio si incidat: ad ipsam artem recurrendum est protinus, non vanis alicujus imaginationibus, nugis & phantasmatis superstitiose inhærendum.

II. Quoniam Aurum ex substantiis solidis, aridis, siccis, & compactis est compositum, frustra quis fuerit in eruenda ex eo substantia potabili.

III. Quia substantiæ Auri à natura tam perfecte unitæ sunt, & combinatæ invicem ut nulla potentissimorum corrosivorum violentia dirimi ab invicem possint: Admodum ridiculum sit, & vesaniæ proximum, velle, cum menstruo insipido, non corrosivo, sed qualitatibus Auri proportionato, vel Essentiam, vel Tincturam ex Auro extrahere.

IV. Quicunque vult in formam potabilem Aurum redigere; is per menstruum acre, corrodens, id dissolvat, oportet; absq; quo sit, Æthiopem dealbaverit.

V. Aurum in formam potabilem per menstruum conveniens reductum, non abiit realiter à sua consistentia Metallica, sed hanc solummodo abscondidit, diffusum quippe ac per minima in subtilissimos atomos dispersum: qui tamen ipsi conjungi & uniri utique possunt, Auro ad suam consi-

sten-

ſtentiam Metallicam revertente. Ac ſiquidem in tali forma conſiſtit aurum, rectius Magiſterium aureum, quam vel Aurum Potabile, vel Eſſentia, vel Tinctura Auri, nuncupetur.

VI. Magiſterium Auri ita accurate præparatum, poterit eſſe loco egregii Bezoartici, reſpectu Auri, tum primæ notæ Diaphoreticum reſpectu ſpirituum ſolventis adſociatorum: At propterea pro Medicina Univerſali haberi minime debet, quum in morborum curatione aliis præterea quamplurimis Medicamentis peropus ſit, nimirum pro cauſſarum morbificarum varietate & exigentia, & Methodi Hippocraticę Indicationibus curativis multiplicibus.

VII. Non eſt Auri Magiſterium, quod non interdum tam nocere, quam juvare poſſit, ſi ejus manifeſtæ qualitates, doſis, rectusque uſus negligantur.

VIII. Quisquis Medicamentum in forma potabili aut ſalina præparatum, pro vera, reali & ſimplice auri ſubſtantia vendit ac diſpenſat; is & proximum fallit, & in artem Spagyricam, vel per ignorantiam, vel per malitiam, inſigniter eſt injurius, lucellique, quam propriæ conſcientiæ amantior.

Atque hæc ſunt, Benevole Lector, quæ de Auro hoc libro ſcribere placuit, non ſine aliqua, credo, utilitate tua. Quia enim, quid de Auro potabili ſtatuendum ſit, liquido demonſtravimus: poterunt jam Artis ſtudioſi & cavere ſibi ab impoſturis aliorum, & tam ſumptibus quam tempori deinceps, in re nihili parcere. Quod ſi quis ſit, qui materiam hanc melius, quam nos intelligere, & contrarium hiſce, quæ adtulimus, oſtendere præſumat: edat, quæſumus, ſuæ transmarinæ ſapientiæ ſpecimen, ac non ſtreperarum nugarum, non futilium Phantaſmatum larva perſonatus, ſed evidentibus Artis exemplis & probis munitus in ſcenam prodeat contra nos paratiſſimos παλινῳδεῖν ſiquidem erroris fuerimus convicti. Tu vero, Benevole Lector, in bona noſtra voluntate acquieſcas, rogamus: qui ſi in præſentiarum varias Auri præparationes non deſcribamus: quippe quarum alii libri ſint pleniſſimi: non omittemus tamen, prima quaque occaſione data, alia majoris momenti Secreta noſtra in lucem emittere: publico, uti ſperamus, bono, cui nos noſtraq; omnia & addiximus hactenus, & deinceps ſemper ſumus, cum Deo, addicturi.

FINIS.

APHORISMORUM CHYMIATRICORUM SYNOPSEOS

SECTIO PRIMA.

Aphorismus I.

BOna omnia sui auctorem conservatoremque habent Deum, quippe qui ens est entium, fons solus & unicus omnis boni, cui proin soli gloria gratesque æternæ debentur.

Aphorismus II.

Quicunque in intima naturæ secreta sive arcana penetrare animatus est, eum oportet præ omnibus mentem rectà ad Deum convertere, & ab eo sapientiam suppliciter petere. Is namque & creavit naturam, & creatam consilio regit immutabili: unde liberrimam potestatem habet revelandi effectus operum suorum, cuicunq; velit, id quod ex admiranda ejus providentia cottidie licet animadvertere.

Aphorismus III.

Quemadmodum luci adversantur tenebræ, ita & veritati bellum indixit error. At vero ut tenebris opposita lux clarius emicat: ita errorum obtentu veritas illustrior fit, atque conspectior.

Aphorismus IV.

Sicuti inter fruges bonas plantasque utiles, uberrimus sæpe est zizaniorum, urticarum ac spinarum proventus: ita & artes erroribus, imposturis, præpostero denique hominum usui sunt expositæ. Veruntamen quemadmodum propter zizania à laboribus suis non deterretur agricola: Ita neque vir sapiens ab erroribus, fraudibus, & abusu male feriatorum transversum se patitur rapi, ut illorum causa artes bonas vel neglectui habeat, vel contemptui.

Aphorismus V.

Quicunque Medici vere rationalis nomen mereri discupit, sepositis omnibus affectibus, artis Chemicæ cognitionem sibi acquirat, tribus hisce rationibus potissimum intentus, quarum prima est, ut in rebus, quas cognoscit, bonum discernere sciat à malo. Altera, ut in occultas illas inquirat, modo terminisque, quos Deus ipse præfinivit. Tertia, ut, malis rejectis, res bonas suscipiat, & quo quamque loco habere debeat, discat, neque pluris eas minorisve æstimet, quam mereantur ipsæ.

Aphorismus VI.

Chemia, non tantum ars est ποιητικὴ sive

sive effectrix, sed & insuper theorica. Etenim & modum tradit resolvendi in sua Principia unumquodque mixtum, & occultas naturæ vires detegit, humanumque intellectum jucundissima mysteriorum naturalium cognitione explet. Unde fit, ut & acutius videat Physicus, & rationes suas firmare melius & munire sciat.

Aphorismus VII.

Chemia, impura medicamenta defæcando, iisque imbecillioribus vires acuendo, sapore atque aspectu inamabili præditis gratiam conciliando, non tantum decus atque utilitatem magnam parti medicinæ pharmaceuticæ confert; verum etiam multis utilissimis arcanis, quæque veteres dogmatici penitus ignoraverunt, medicinam locupletat.

Aphorismus VIII.

Chemia suas operationes omnes duobus instrumentis aggreditur & perficit: quorum alterum ignis est, alterum solvens, quod menstruum Chemici nominitant. Horum beneficio illa verum à falso, ac possibile discernit ab impossibili.

Aphorismus IX.

Universus Chemiæ ambitus tribus principibus terminis, ad quos omnes ejus actiones unice collineant, circumscribitur, quorum primus est, in suas partes Essentiales unumquodque corpus, quod dividi hoc modo aptum natum est, distribuere, illas à se invicem separare, & ab omni superfluitate venditare. Secundus, easdem has substantias puriores, subtiliores ac efficaciores reddere. Tertius denique, corpora fixa, & ad dissecandum inidonea, ope convenientium menstruorum in formam Magisterii vertere.

Aphorismus X.

Corpora omnia, in quæ suas operationes exercet Chemia, in tres quasi classes commode dispescuntur, suntque aut vegetabilia, aut animalia, aut mineralia.

Aphorismus XI.

Eadem hæc corpora naturaliter sunt composita ex tribus substantiis elementaribus, sulphure videlicet, Mercurio & Sale.

Aphorismus XII.

Dictæ substantiæ, forma, pondere, consistentia, proprietate, actione & virtute sunt inter se dispares, idque pro differentia corporum; quanquam hæc omnia in potentia nihil sunt aliud, quam sulphura Mercurii & salia.

Aphorismus XIII.

Calor omnis, quo quid calefieri, digeri, aut coqui potest, communi ignis nomine continetur, cui soli hos effectus præstare competit, idque vel modo viaque naturali, vel interventu alicujus materiei, ut lignorum, olei, & quæ sunt ejus generis.

Aphorismus XIV.

Etsi autem ignis, ratione diversorum graduum, effectum etiam diversorum auctor exsistit: nihilo tamen minus ejus qualitates istis sunt limitibus coërcitæ, ut frigidum quid aut humidum producere nequeat,

nequeat. Imo nec compositum quoddam, quin semper maneat calidus & siccus: quæ perpetua ejus natura est, omnis mutationis expers. Ea propter neque suppeditare alicui corpori humorem potest, quem nullum habet, neque rei sua natura siccæ & aridæ formam dare liquidam & aquosam, quantumvis multi ita falso sint persuasi.

Aphorismus XV.

Res, quæ in igne tractantur, omnes alterationem subeant, & de naturalis sui temperamenti statu quodammodo dejiciantur, necesse est. Ac magis quidem, si vel vehementissimum eum vel diutius sustinere cogantur: minus, si remissior fuerit, moraque in eo brevior.

Aphorismus XVI.

Quicunque liquores vim habent corpora fixa & densa attenuandi & dissolvendi, eos non injuria solventia quis vocaverit.

Aphorismus XVII.

Hos in tria genera recte dispartimur, ut quidam eorum sint aquosi & insipidi: alii acuti & corrosivi: reliqui oleosi & sulphurei.

Aphorismus XVIII.

Qui primo genere comprehenduntur, & revera sunt insipidi, illi Vegetabilia, substantiasque animalium, vel per decoctionem, vel infusionem, saccharum item & salia, quæ ipso actu sint salia, dissolvendi facultatem obtinent, ultra quos fines vires suas non exporrigunt. Nolim autem hoc ita accipi, quasi omnia hæc solventia substantias sulphureas rerum, in quibus sulphur prævalet, elicere possint. Aquæ enim cum oleo, quod ipsum igneæ naturæ est, sympathia nulla vel affinitas intercedit.

Aphorismus XIX.

Solventia acuta recludunt & dissolvunt corpora Metallica & lapidea, vi corrosiva spirituum acrium, qui propter similem quandam ac homogeneam naturam, sal potentiale, quod in se reliquæ Metallorum, lapidumque substantiæ unitæ continent, dissolvunt. Ac huic dissoluto cum corpore suo aquoso, non secus atque oleum ceræ adhærescentes, transformant ea accidentaliter, vel in liquores, vel pulveres subtilissimos, vel sali similes substantias, plane ad arbitrium Chemici. Nec vero sine corrosivo dissolvi Metalla lapidesve ullo pacto possunt.

Aphorismus XX.

Omnia Metalla, marcasitæ lapides, conchylia, simul ac vel liquidam vel salinam formam sunt adepta, simplicia esse desinunt, vereque dici res compositæ merentur, quandoquidem absque adjectione solventium in his formis neque consistere, neque persistere diu possunt usque adeo, ut si illis priventur, has quoque pari ratione deponant, & tanquam postliminio redeant ad consistentiam solidam priorem.

Aphorismus XXI.

Solventium alia in formam liquidam resolvunt mineralia: alia in pulverem subtilissimum ea præcipitant. Et, quæ solvunt unum corpus, intactum sæpe relinquunt alterum. Quæ se sali associant, ab iis bona pax est Mercurio. Neque, quod

quod huic amicum est, cum sulphure quoque conspirat. Qua de causa arbitramur, non dari in rebus naturalibus sive menstruum sive solvens, quod naturaliter & convenienter omnia corpora dissolvere, multo minus proprietates eorum naturales & facultates integras, in una essentia, conjunctas, extrahere queat.

Aphorismus XXII.

Quicunque fusus supra corpus minerale fixum vel lapideum liquor, id in formam liquidam solvendo, aut in pulverem subtilissimum præcipitando agitatur atque effervescit: is corrosivis, quæ verè ac realiter talia sint, meritò accensetur. Atque hæc quidem non sunt eadem atque uniusmodi, sed tam solvendi potentiâ, quam qualitatibus specificis mirum in modum inter se dissident. Alia enim corrosiva sunt de genere vegetabilium, alia ex substantiis animalium, alia ex mineralibus. Quædam naturalia, quædam naturalia atque artificialia simul: simplicia item & composita: horum est usus intra corpus humanum, illorum secus. Neque desunt, quæ, instar ignis, usui sint, & quæ damno, habita nimirum ratione doseos & modi utendi. Reperiuntur denique, quæ specificè sint venenosa.

Aphorismus XXIII.

Quicunque in liquore realiter insipido, nulliusque omnino acredinis participe, metallicum vel lapideum corpus solvere se posse jactitat, omniaque peræque corrosiva, posthabitâ distinctione & respectu eorum, quæ supra diximus, damnat; is aut crassam suam in arte ignorantiam, aut studium arcana occultandi, aut denique strenuum se impostorem eo ipso evidenter prodit, qui in gratiam eorum, qui corrosiva sine ratione detestantur ac extremè exsecrantur, tale quid comminiscatur.

Aphorismus XXIV.

Omnes spiritus acidi possunt in formam scissilem condensari, coagulari ac in pulverem verti eorum, quin etiam quidam ita fixari, ut examen vehementissimi etiam ignis sustinere valeant, ut vel hinc, cujus illi sint naturæ, & ex quanam substantia compositi, satis superque colligere liceat sapientibus.

Aphorismus XXV.

Solventibus sulphureis sive oleosis & combustibilibus nulla est cum metallis & lapidibus convenientia; etiamsi quidam Chymicorum in spiritu terebinthinæ, aut aliis oleis stillatitiis, modo non minus ridiculo, quam è principiis veræ artis alieno, hæc & solvere, & tincturis suis exuere posse splendidè glorientur.

Aphorismus XXVI.

Aqua vitæ rectificata, & ab omni aquositate liberata, quam spiritum vini vulgo vocant, est liquor sulphureus, multum subtilis, diaphanus, naturæque cœlestis inter omnia alia sulphura. Is utut possit substantias lignosas atque resinosas dissolvere: Sal tamen & saccharum sunt ejus potestati exempta: atque idcirco multo etiam magis metalla, nisi imbuta prius atque imprægnata sint humore quopiam corrosivo. Experiatur quivis, quos velit, modos, sive ii in oculos incurrant, sive minus, & vera hæc esse cognoscet.

Aphorismus XXVII.

Acetum destillatum, quando supra corpus quoddam lapideum non fixum, coralla, perlas, oculos cancri, ferrum item, stannum & plumbum fusum est, spiritus ejus acidus separatur, atque se his corporibus affricat, & si iterum ab iis abstrahitur, mutatur pars ejus in spiritum, instar spiritus vini, ardentem, quem spiritum stanni, plumbi &c. ardentem appellare Chymicis solenne est, quum tamen ipsissimus sit spiritus aceti, hunc in modum alteratus.

Aphorismus XXVIII.

Sunt liquorum quidam, qui infusi supra corpora quædam mineralia rubri evadant, aut aliter colorentur, id quod accidentaliter iis obtingit, non quod tincturam quandam ex corporibus his adtrahant.

Aphorismus XXIX.

Aquas tam vegetabilium, quam animalium, si rectè se habere debent, necesse est prævia conveniente digestione, & sine aquæ additione destillari, adque tempus circulari. Alioquin minoris erunt efficaciæ, temporisque injuriis magis obnoxiæ. Ac notatu dignum est, partem earum, quæ primum prodit, bonitate reliquis præcellere.

Aphorismus XXX.

Quædam sulphura sunt adeò subtilia & volatilia, ut, addita aqua, salvo nativo odore & sapore, à corporibus suis separari possint: è contrario quædam ita crassa, terrestria, & ponderosa, ut sine empyreumatis nota non destillentur: unde pessimum sæpe retinent odorem, qui nequaquam est perfectè emendabilis.

Aphorismus XXXI.

Substantiæ sulphureæ, resinosæ, atque oleosæ, sive vegetabiles, sive animales in tria diversa olea per destillationē dividuntur: quorum primum leve, & subtilissimum quamproximè à natura aëris abest: alterum crassius est & tinctum: ultimum viscosum, rubrum, ponderosum, vim exsiccandi habens, quam cætera majorem.

Aphorismus XXXII.

Benzoinum gummi est odoratum, & sulphureum in modum resinæ combustile; ex eo flores aridi, iterumque instar resinæ fusiles per sublimationem conficiuntur. Magna est nullibi non chartarum Chymicarum copia, quæ modos illud destillandi, toto, ut dicitur, horreo nobis admetiantur. Quorum tamen omnium vi compulsum discerptumque Benzoinum, ne guttulam quidem veri gratiq; odoris olei per se reddet, & quicquid hoc nomine venditatum hactenus est, tametsi odorem Benzoini mentitur, nihil tamen aliud, quam latibulum quoddam est, sub quo Benzoinum alienis liquoribus adulteratum occulitur.

Aphorismus XXXIII.

Salia vegetabilium possunt à propriis suis succis sine calcinatione separari. Interim tamen, quæ ex cineribus in propria sua aqua instar granulorum coagulatis, & à residentia sive parte caustica, quam combustioni vel calcinationi debent, separatis, extrahuntur: illa Salibus succorum, splendore, siccitate, saporis bonitate & virtutibus

bus ne latum quidem, ut ajunt, unguem cedunt. At, quæ obscura sunt, urinam odore, sapore calcem referunt, linguam corrodunt, instarque tartari calcinati in aëre colliquantur; ea & minus valent, & plus nocent reliquis.

Aphorismus XXXIV.

Sanguis, caro atque ossa animalium, præter sal fixum, quod sali vegetabilium simile est, insuper, & volatile quidpiam, quemadmodum & succinum, possident.

Aphorismus XXXV.

Calidi & humidi, debitæque digestionis beneficio salia quædam fixa, volatilia reddi possunt ac apta, ut sublimentur.

Aphorismus XXXVI.

Tartarum hypostasis, sive sedimentum vini est, & si ratio habeatur ejus, quod in ipso prædominatur, sal quoddam vegetabile, mixtum terræ cuidam subtilissimæ, seu parti lutosæ, quam fructificationis tempore vitis ad se allicuit, largius nimirum vel parcius, pro diversitate soli, in quo eadem educatur. Manifestò namque usu venit, quod sint vina, quæ plus minusve Tartari, quam alia, contineant, & consimiliter unum Tartarum magis lucidum, granulosum, salinumque sit altero. Ipsum hoc, quem tradimus, modo compositum esse, reapse deprehendet, quisquis ad depurationem ejus oculos convertit. Nam per hanc secreta illa parte fæculentâ, lucidum evadit tartarum, instarque salis crystallinum. Neque tamen ideò purum est merumque sal, quemadmodum sunt salia per medium calcinationis à vegetabilibus separata, sed alias adhuc in se substantias complectitur, quod duabus potissimum rationibus palam fit. Nam neque in aqua frigida, ut alia salia, liquatur vel dissolvitur: & si igni submittatur, aqua una cum oleo exibit, ac ex calce in fundo residua sal parabis, album, & facultatis admodum corrodentis. Hoc humiditatem aëris in loco humido ad se pertrahendo, in liquorem detergentem unctuosumque resolvitur, quæ ejus natura quibusdam imposuit, ut oleum id tartari appellarent, quum tamen nihil aliud sit, quam sal tartari resolutum. Dixi suprà, pro diversitate terræ, diversas quoque in tartaro crudo qualitates reperiri: addo, non raro etiam perversas. Quapropter censendum est, non propter abundantiam tantum tartari, sed & alias hujus pernitiosas qualitates, vini usum corporibus sæpe damnosum esse: ex quo varios morbos, variis in locis, homines invadere, etiam experientia perhibet. Tartarum est quoddam quasi vini fermentum. Sal ipsius prædictum qualitate terrestri & spongiosa, cujus beneficio spiritus acres ab omnibus omnino liquoribus avocat ac imbibit, cumque iis penitissimè se unit. Atque hac de causa appropriatum est instrumentum, metalla aliaque corpora fixa, à liquore, in quo soluta sunt, modo jam commemorato, liberandi, ut in forma pulveris subtilissimi in fundo subsidant. Mercurio hostiliter est inimicum, qui Chymice fixatus, inque formam pulveris aut aliam quampiam redactus, ut ut fortissimum etiam ignem ferat, si tamen cum sale hoc misceatur, Vulcanoque denuo subjiciatur, in formam derepente pristinam redivivus prosiliet.

Aphorismus XXXVII.

Quemadmodum ſal princeps corporum baſis eſt & balſamus: ita & Chymiæ in nobiliſſimorum & pretioſorum medicamentorum præparatione, ſi quid aliud, utiliſſimè inſervit. Advertendum eſt; ſuam cuique ſali eſſe proprietatem, quæ ad illius differentiam quoque variet. Sali, non ignis vehementia, non multæ magnæque ſufflationes, neque etiam inſtrumentorum varietates ſuum balſamum extorquent: ſed artificis dexteritas, temporisque non interrupta continuatio cœleſtem illum ſpiritum de potentia in actum deducunt, ut, per inviſibilem tranſitum, in gremium adamatæ ſibi nymphæ ſe inſinuet.

Aphorismus XXXVIII.

Sal Armoniacum, quo uti Chymia conſuevit, duabus partibus eſt compactum, ſale videlicet volatili, quod in fuligine lignorum, ſanguine item, atque urinis animalium reperitur; & ſale communi. Id quod evidenter apparebit, ſi partem ſalis volatilis cum debita ſpiritus ſalis communis quantitate ad artis præſcriptum miſceas: ſal inde Armoniacum, ejusdem cum ſale Armoniaco vulgari qualitatis conficiens. Quoniam ergo ſal Armoniacum ex duabus tam acutis, ſubtilibus & penetrabilibus ſubſtantiis conflatur, mirum non eſt, ſpiritum nitri, aliasque aquas fortes ita ab eo exacui, ut aurum in liquorem transparentem, veluti experientiâ conſtat, reſolvant. Idem ſal cum metallis ac marcaſitis commixtum, partem eorum in forma ſubtiliſſimæ fuliginis ſecum in alembicum evehit. Liquor ex illo deſtillari nullus poteſt, ſed ſemper in ſua conſiſtentia ſicca in altum exſilit, niſi forte an extraneus quidam liquor ipſi accedat.

Aphorismus XXXIX.

Non eſt ſal, in quo plus myſteriorum, quam in nitro natura recondiderit. Ipſo ortu eſt mirabile. Nam, præterquam quod ex proprio ſuo ente, ut alia ſalia, creſcat, inſuper etiam ex urina animalium, quæ in bonam quandam atque umbroſam terram continuo cadit, procreatur: atque hoc bonitate & viribus differt, ut ipſa animalia. Evulſo ſemel ex terra nitro, reſtibile manet ſemen, ſive materia quædam generans, ex qua communibus elementis innutritâ, id renaſcitur atque augeſcit, ut ad tempus debitum viciſſim poſſit inde erui. Ab externis recrementis & ſordibus depuratum, Alabaſtri inſtar ſplendeſcit. In omnis generis figuras transformatur, easque non minus nitidas & puras, quam ſi ex albiſſima cera forent. In laminas ductum tenuiſſimas, ut metallum, tinnit: diſſolutumque poſtea in convenіente aquæ quantitate redit in lapillos. Foris ſignaturam aquæ, & qualitatem quandam glaciei inſtar frigidam præ ſe fert, quantumvis linguam acriter feriat & mordicet: intus verò ad igneam naturam penitus concedit, atque idcirco, quando deſtillatur, ſpiritus ejus exæſtuat, atque in modum flammæ penetrat in ſubjectum vas, facitque inibi reflexionē, qualem Sol, quando veſperi ad occaſum properans rubicundiſſimo colore cœlum inficit. Ardet hic in potentiâ, ut ignis, diſſolvitque metalla, vel in pulveres ſubtiliſſimos vel liquo-

liquores transparentes, id quod ipsi etiam igni negatum est, ac, quod magis, vim nullam formæ illorum essentiali infert. Mercurii fluxitatem ad certum usque gradum cohibet, atque in hujus consortio nobile quoddam efficax, ac tutissimum diaphoreticum producit, ita aliis corporibus juncto illi, alii sunt effectus accepti referendi. Idem ille spiritus addito metallo fixo, formam Nitri vicissim induit, atque in igne revera ardet, & vice versa ita fixatur, ut ad vehementissimi etiam ignis insultus integer obduret. Tam multis, tamque præclaris, iisque beneficio Chymiæ manifestatis arcanis dotatum est nitrum, ut cuicuique in rerum natura, Sali, Mercurio, Sulphuri, hoc nomine palmam, si non præripiat, ambiguam profecto faciat.

Aphorismus XL.

Corallia, Perlæ, oculi cancri, mater Perlarum, omniaque conchylia, & alia similia corpora, quæ mediæ sunt inter ossa & lapides naturæ, marina, aut in aliis aquis nascentia, aquam in se, oleumque combustile, licet non tam copiosum, quam ligna, continent. Horum cinis conformis est calci lapidum, ex quo, quod vegetabilium salibus simile sit, sal extrahi nullum potest. Tantum substantia est terrestrior, gustui, ut calx, apparens: non facilè solvitur: neque, ut alia salia solent, in granula compingitur. Corallos hos perlasque cum spiritu aceti in forma salina præparatas Chymicorum bona pars, sal corallorum perlarumve vocat, quum tamen realiter non sint sal, sed corpora integra soluta, beneficio spiritus aceti adhærescētis in tali formâ subsistētia. Et, quum dicunt per multas cum aqua destillata evaporationes dictos spiritus exhalare, sicut à corporibus his acrimonia omnis exsulet, crassissimum errorem committunt, quem, si gustum tantummodo suum, libram, ignemve consulant, facili negotio ipsimet sint agnituri.

Aphorismus XLI.

De corallis & perlis nullam substantiam separat aut educit vel spiritus aceti, vel alia solventia: sed corpora eorum interius permeando dissolvunt. Aliud autem est dissolvere, aliud separare.

Aphorismus XLII.

De Corallis non potest extrahi tinctura, quæ realis ac sincera sit subsistens in seipsa, quemadmodum verbi gratiâ sunt tinctura rosarum, croci, &c. quæ revera à corporibus suis separantur, ut neque tincturæ, neque qualitatum principum, quas possidebant, in his quicquem remaneat. Occlamitet huic aphorismo, quicunque voluerit: integra semper illi sua constabit veritas, neque ullo contrario exemplo poterit convelli.

Aphorismus XLIII.

De lapidibus pretiosis non potest separari tinctura, liquor, aut sal. Qui eos in vehementissimo igne cum sulphure, nitro, aut aliis salibus stratificatos calcinant, & postmodum eorum substantias separare, vel in loquorem reducere satagunt, duobus modis turpiter hallucinantur. Primò enim calcinatione hac omnem iis tincturam adimunt, & temperamentum naturale alterando, proprietates illorum specificas deprædantur. Id quod in magnete

videre eſt, qui calcinatus virtutem adtractivam omnino deperdit. Secundo, ex illis hoc modo calcinatis extrahunt aut diſſolvunt partem ſalis extranei, quod corpora, cum quibus calcinati ſunt, illis appegerunt, quodque tam acutum eſt, tamque corrodens, ac calcinatum tartarum. Atque illud demum eſt, quod olei, ſalis, eſſentiæ lapidum pretioſorum nomine magnificè inſigniunt. Quod tamen non magis ipſi competit, quam veriſimile eſt, rem ſua natura atque intrinſecus inſipidam ſal habere corroſivum. Par eorum error eſt, qui ex cryſtallis oleum extrahere annituntur.

Aphoriſmus XLIV.

Talcum album eſt minerale, formam habens lapidis, ſquamoſum, lucidum, reſplendens, ut perlæ: guſtui inſipidum occurrit, tactui molle atque unctuoſum, odoris expers eſt, ponderoſum: in igne permanet incombuſtile, deſtillatum, non plus liquoris, quam Aurū emittit; non diſſolvitur in ſpiritu aceti, ſucco citri, ſpiritu vitrioli, ſulphuris nitri, aqua forti, regia, multo etiam minus in inſipida. Non deſunt tamen, qui ſe ex illo liquorem temperatiſſimum extrahere poſſe arroganter perhibeant, qui cum bellam fœminarum faciem illibatam conſervet, tum etiam rugis obſitam, aliiſque vitiis dedecoratam emendet. Verum infelicem eorum errorem ſucceſſus optati fruſtratio ſatis coarguit. Ridiculum certè eſt, talcum eos in fornace vitrificatoria, aliiſque vehementiſſimis ignibus, quam maximè poſſunt, calcinare, & nihilominus ab eo liquorem ſollicitare, quem, etiam cum crudum erat, negabat. Nonne rationi eſt conſentaneum, quem ante calcinationem obtinere ab eo non poſſunt, liquorem, eundem, illa peracta nunquam datum iri?

Aphoriſmus XLV.

Vitriolum compoſitum quiddam eſt, quod in imis terræ viſceribus accidentaliter ex fortuito cohæſu trium ſubſtantiarum ſpiritus nimirum ſulphuris mineralis, aquæ communis, & ferri ſive cupri, cum ſuperfluitate ex illorum minera, generatur, quod ad oculum ejus monſtrabit diſſectio, quam nos peculiari tractatu, anatomia vitrioli dicto, perſpicuè tradidimus. In illo non eſt vel ſulphur, vel alumen actuale, quod ocularitér demonſtrari poſſit; ipſum etiam alumen ex concurſu aquæ, ſpiritus ſulphuris, corporiſque lapidei coaluit, quorum hoc efficit, ut forma, colore, & guſtu à vitriolo differat. Sed neque ſal eſt, neque rectè in ſalibus numeratur vitriolum. Subſtantia, quæ ex eo ad colorem purpureum reverberato extrahitur, non eſt propriè ſal, ſed ſpiritus ſulphuris coagulatus, qui beneficio Vulcani, à reſidentia mineræ vitrioli maximam partem ſecretus, in forma ſalis cum aqua ſeparatur, eaque, ſi deſtilletur, præter pauculum tantum reſidentiæ mineralis, tota abit in ſpiritus. A vitriolo nequit ſeparari ſubſtantia, quæ de natura ſua ſine additione aut artificio extrinſecus accedente ſomnum provocare, ſopire dolores, omneſque ardores internos extinguere, vel aliorum nobilium anodynorum vegetabilium loco eſſe poſſit. Pulvis iſte ſubviridis vel flavus, quem Chymici quidam, medi-

mediante præcipitatione, vel attractione per laminas ferri facta, separant, non est sulphur, sed pars mineralis & fixa vitrioli, cui nomen sulphuris vitrioli anodyni nequaquam debetur. Spiritus vitrioli acidus, sive primus ille subtilis, sive ultimus, oleum vitrioli dictus, sine additione non potest eò adigi, ut acrimoniam suam & facultatem corrodentem, solventemque cum dulci & saccharino sapore commutet, & si id fieri posset, proprietates tamen alias una accerseret. Quum dubio procul res dulcis per proprietatem acidam, & vice versa operari nequeat. Qui in hoc laborant, ii animo suo vanis speculationibus dedito, magis velificantur, quam ut arcanorum virtutes, certis suis finibus à Deo destinatas, in gradum suæ perfectionis eminentiorem evehere contendant. A vitriolo viridis quidam liquor abstrahitur, quæ tamen viriditas non est ipsi spiritualiter atque indivisum, ut aqua alteri aquæ, permixta: potius accidentalis quædam res & subtilissima fuligo cuprea, ab eo vicissim separabilis, sic ut liquor is clarus limpidusve evadere possit. Idque per hanc irrefragabilem maximam, quod nihil sit in vitriolo, aquam ipsius aut liquorem tingens, quam cuprum.

Aphorismus. XLVI.

Quanquam sulphur minerale ad ignem quemadmodum resina dissolvitur, & ob suam unctuositatem etiam comburitur: interim tamen non est artifex, qui ex illo per destillationem oleum separare possit, aut, si id tentet, nihil aliud in alembico suo vel recipiente inveniet, quam purum putumque sulphur. Nec verò etiam acida illa substantia, quæ per combustionem ab eo separatur, oleum est, sed sa ejus fuliginosus, qui fumi adinstar in aerem ascendit, meritoque attractæ ab illo humiditatis dissolvitur in liquorem. Cui, cum neque combustilis sit, neque igni materiali minus, quam aquæ contrarius, non rectè olei nomen vulgus imposuit.

Aphorismus XLVI.

Antimonium, minerale est, compositum in natura ex sulphure combustili, Mercurio metallico fusili & fuliginoso, & sale quodam vitrificante: non est in eo tinctura substantialis, ab his substantiis distincta; sed varios, quos induere potest, colores igni potissimum debet: non aliter, quam quum ex Mercurio, sale & sulphure minerali invicem mixtis, ac concorporatis, pulverem rubicundissimum, cinnabrium dictum, conficimus. Quod ipsum tamen non obstat, quin iterum se jungi possint, ac Mercurius in pristinam suam formam prorumpere. Non itaque separari à corpore potest, quod in eo nullum est, neque eadem sunt, separare colorem, & artificialiter colorare. Cætera neque liquorem in se habet antimonium, nisi accidentaliter, comburendo nimium sulphur illud combustile, in certis instrumentis destillatoriis aërem attrahere aptis. Tum namque salsa illa fuligo in liquorem dissolvitur, non alio modo, quam de sulphure simplici suprà dictum est. Sunt hodieque subtilia quædam ingenia, quæ dejectorium illud reddere conantur, ita, ut more quorundam benignorum catarcticorum vegetabi-

getabilium hunc in finem à Deo præcipuè productorum, benigne, securè, & sine omni malæ alterationis periculo, semper atque in omnibus corporibus, humores purgandos per inferiora tantum deducat. Verùm omnes isti processus, quos hanc in rem hactenus scripserunt, si cum proprietatibus simplicissimorum etiam purgantium rosæ ac senæ comparentur, in nullo vel loco vel pretio poterunt consistere.

Aphorismus XLVIII.

Mercurius mineralis sive argentum vivum, substantiæ est inter res naturales maximè admirabilis. Extra, aeri atque aquæ assimilatur, intra, ignem terramque refert. Equidem compositum quiddam est, nihilominus tamen in destillatione tam se heterogeneum, quam aqua, exhibet, neque ars eum vel dissecare, vel diversas ab eo substantias separare valet. Potest quidem sub variis formis delitescere, & diversarum facultatum medicamenta ex illo confieri: at hoc non impedit, quin primam suam formam repetere semper possit. Chymici certe, qui eum fixum reddere adlaborarunt, quum se in hoc frustra esse animadverterent, nomen servi fugitivi appositè ipsi indidere.

Aphorismus XLXIX.

Plumbum non habet in se sal, quod actualiter, quoad calorem, gustum & qualitatem sal sit, sed sal quoddam vitrificans, multo verò minus saccharum in eo reperire est. Unde forma hæc plumbi præparati, quam sal aut saccharum Saturni vocant, nihil aliud est, quam plumbum mediante aceto destillato dissolutum, ac in talem formam adductum, ex qua mixtione sapor hic nascitur, salvo interim plumbo, quod intra spacium quadrantis horæ reduci integrum potest. Par est de similibus, stanni, ferri, chalybis & cupri præparationibus judicium.

Aphorismus L.

Ex argento non potest extrahi tinctura cærulea, sed alicujus additionis interventu in pulverem cæruleum vertitur à quo argentum semper repeti potest. Omne etiam vitriolum, sal, aut crystalli argenti, res sunt compositæ, quæ ab hoc simpliciter non procedunt.

Aphorismus LI.

Ab Auro non potest segregari substantia quædam porabilis, sed quomodocunque præparetur, redit denuo in aurum. Hujus assertionis inconcussam veritatem, uti & Auri utilitates, modumque, quo Chymice id præparatur, plenè planeque demonstrabit tractatus noster, qui sub Chrysologiæ nomine lucem propediem videbit.

APHORISMORUM CHYMIATRICORUM SYNOPSEOS

SECTIO SECUNDA.

UNiversum genus humanum, propter transgressionem primi nostri parentis Adami, variis atque innumeris miseriis ac afflictionibus, morti denique ipsi est expositum. Miseriarum principes sunt, nuditas, fames, sitis, frigus, calor, morbi

morbi, &c. Quorum his potissimum præ aliis Deus opt. max. tanquam virgis utitur, quibus in homines tam universim quam particulatim severè animadvertit, quibusque maximã eorum partem enecat & perimit. Atque id quidem non sacra tantùm scriptura testatur, sed & longa temporum observatione ita comprobatum est, ut, qui id inficias ire ausit, eorum, qui Christiani sint, & sapiant, futurum putem neminem.

Aphorismus II.

Quandoquidem ergo morborum omnium, mortisque ipsius origo prima à peccato est, constitutumque per immutabile & ineluctabile Dei decretum, (præter cujus voluntatem ne folium quidem ex arbore decidit) ut hæc in homines grassentur, eosque non meritò solùm primigeniæ & nativæ corruptelæ, sed & quotidianorum peccatorum causa, ad finem usque mundi, variis modis adficiant: necessum est, in vana sua atque stulta opinione oppidò fallantur, quicumque ordinem hunc Dei per rem quandam naturalem interpellari, ac citra illius voluntatem sanitatem humanam sartam tectam conservari, protrahi denique vitam ipsam posse, existimant.

Aphorismus III.

Pendent itaque, tam sanitas & vita, quàm mors morbiq; non à natura sed à sola atque unica voluntate & arbitrio Dei: Jobo etiam teste, quando inquit: Ipse DEUS vulnerat & medetur; percutit & manus ejus sanabunt. Et Amos dicit: Non est malum in civitate, quod Dominus non fecerit. Atque hac inevitabili necessitate comparatum est, ut & patiatur homo, & moriatur postmodum. Unde consequens est, quod medicamenta, quæ nihil aliud sunt, quam media naturalia, morbis, non secus ac fami cibus, potusque siti opposita, non possint magis vel sanitatem conservare, vel sanare ægritudines, quam beneplacitum benedictioque divina illis permittunt. Non alia profectò ratione, quam de cibo dicit Scriptura: quod homo non vivat de pane solo, sed de verbo, quod exit ex ore Dei.

Aphorismus IV.

Hac de causa morborum alii sunt curabiles, & breves, alii curabiles & longi; eorum, qui curationem respuunt, quidam diuturni, qui non nisi cum vita ipsa ab homine recedunt: quidam acuti, qui non ita multis diebus, maximam partem eorum, quos adorti fuerint, conficiunt: quidam acutissimi, qui homines vel desubito, vel paucis horis, longoque ante tempore, quam iis possit medicamentis succurri, è medio tollunt.

Aphorismus V.

Ex quo illud conficitur, officium Medici his quasi finibus terminari, ut videlicet aut morbos, qui curationem admittunt, quam potest, cito, tum & jucunde, ad præscriptum Regularum canonumque medicinalium curet: aut incurabiles diuturnosque palliet, ac ex parte levet: semper deniq; pio suo & bono consilio præsto sit, ad supremam benedictionem, quicquid agit, referendo.

Aphorismus VI.

Atque hæc licet ita sese habeant, nihil

getabilium hunc in finem à Deo præcipuè productorum, benigne, securè, & sine omni malæ alterationis periculo, semper atque in omnibus corporibus, humores purgandos per inferiora tantum deducat. Verùm omnes isti processus, quos hanc in rem hactenus scripserunt, si cum proprietatibus simplicissimorum etiam purgantium rosæ ac senæ comparentur, in nullo vel loco vel pretio poterunt consistere.

Aphorismus XLVIII.

Mercurius mineralis sive argentum vivum, substantiæ est inter res naturales maximè admirabilis. Extra, aeri atque aquæ assimilatur, intra, ignem terramque refert. Equidem compositum quiddam est, nihilominus tamen in destillatione tam se heterogeneum, quam aqua, exhibet, neque ars eum vel dissecare, vel diversas ab eo substantias separare valet. Potest quidem sub variis formis delitescere, & diversarum facultatum medicamenta ex illo confieri: at hoc non impedit, quin primam suam formam repetere semper possit. Chymici certe, qui eum fixum reddere adlaborarunt, quum se in hoc frustra esse animadverterent, nomen servi fugitivi apposité ipsi indidere.

Aphorismus XLXIX.

Plumbum non habet in se sal, quod actualiter, quoad calorem, gustum & qualitatem sal sit, sed sal quoddam vitrificans, multo verò minus saccharum in eo reperire est. Unde forma hæc plumbi præparati, quam sal aut saccharum Saturni vocant, nihil aliud est, quam plumbum mediante aceto destillato dissolutum, ac in talem formam adductum, ex qua mixtione sapor hic nascitur, salvo interim plumbo, quod intra spacium quadrantis horæ reduci integrum potest. Par est de similibus, stanni, ferri, chalybis & cupri præparationibus judicium.

Aphorismus L.

Ex argento non potest extrahi tinctura cærulea, sed alicujus additionis interventu in pulverem cæruleum vertitur à quo argentum semper repeti potest. Omne etiam vitriolum, sal, aut crystalli argenti, res sunt compositæ, quæ ab hoc simpliciter non procedunt.

Aphorismus LI.

Ab Auro non potest segregari substantia quædam potabilis, sed quomodocunque præparetur, redit demum in aurum. Hujus assertionis inconcussam veritatem, uti & Auri utilitates, modumque, quo Chymice id præparatur, plenè planeque demonstrabit tractatus noster, qui sub Chrysologiæ nomine lucem propediem videbit.

APHORISMORUM CHYMIATRICORUM SYNOPSEOS

SECTIO SECUNDA.

UNiversum genus humanum, propter transgressionem primi nostri parentis Adami, variis atque innumeris miseriis ac afflictionibus, morti denique ipsi est expositum. Miseriarum principes sunt, nuditas, fames, sitis, frigus, calor, morbi

morbi, &c. Quorum his potissimum præ aliis Deus opt. max. tanquam virgis utitur, quibus in homines tam universim quam particulatim severè animadvertit, quibusque maximã eorum partem enecat & perimit. Atque id quidem non sacra tantùm scriptura testatur, sed & longa temporum observatione ita comprobatum est, ut, qui id inficias ire ausit, eorum, qui Christiani sint, & sapiant, futurum putem neminem.

Aphorismus II.

Quandoquidem ergo morborum omnium, mortisque ipsius origo prima à peccato est, constitutumque per immutabile & ineluctabile Dei decretum, (præter cujus voluntatem ne folium quidem ex arbore decidit) ut hæc in homines grassentur, eosque non meritò solùm primigeniæ & nativæ corruptelæ, sed & quotidianorum peccatorum causa, ad finem usque mundi, variis modis adficiant: necessum est, in vana sua atque stulta opinione oppidò fallantur, quicumque ordinem hunc Dei per rem quandam naturalem interpellari, ac citra illius voluntatem sanitatem humanam sartam tectam conservari, protrahi denique vitam ipsam posse, existimant.

Aphorismus III.

Pendent itaque, tam sanitas & vita, quàm mors morbiq; non à natura sed à sola atque unica voluntate & arbitrio Dei: Jobo etiam teste, quando inquit: Ipse DEUS vulnerat & medetur; percutit & manus ejus sanabunt. Et Amos dicit: Non est malum in civitate, quod Dominus non fecerit. Atque hac inevitabili necessitate comparatum est, ut & patiatur homo, & moriatur postmodum. Unde consequens est, quod medicamenta, quæ nihil aliud sunt, quam media naturalia, morbis, non secus ac fami cibus, potusque siti opposita, non possint magis vel sanitatem conservare, vel sanare ægritudines, quam beneplacitum benedictioque divina illis permittunt. Non alia profecto ratione, quam de cibo dicit Scriptura: quod homo non vivat de pane solo, sed de verbo, quod exit ex ore Dei.

Aphorismus IV.

Hac de causa morborum alii sunt curabiles, & breves, alii curabiles & longi; eorum, qui curationem respuunt, quidam diuturni, qui non nisi cum vita ipsa ab homine recedunt: quidam acuti, qui non ita multis diebus, maximam partem eorum, quos adorti fuerint, conficiunt: quidam acutissimi, qui homines vel desubito, vel paucis horis, longoque ante tempore, quam iis possit medicamentis succurri, è medio tollunt.

Aphorismus V.

Ex quo illud conficitur, officium Medici his quasi finibus terminari, ut videlicet aut morbos, qui curationem admittunt, quam potest, cito, tum & jucunde, ad præscriptum Regularum canonumque medicinalium curet: aut incurabiles diuturnosque palliet, ac ex parte levet: semper deniq; pio suo & bono consilio præsto sit, ad supremam benedictionem, quicquid agit, referendo,

Aphorismus VI.

Atque hæc licet ita sese habeant, nihil ta-

getabilium hunc in finem à Deo præcipuè productorum, benigne, securè, & sine omni malæ alterationis periculo, semper atque in omnibus corporibus, humores purgandos per inferiora tantum deducat. Verùm omnes isti processus, quos hanc in rem hactenus scripserunt, si cum proprietatibus simplicissimorum etiam purgantium rosæ ac senæ comparentur, in nullo vel loco vel pretio poterunt consistere.

Aphorismus XLVIII.

Mercurius mineralis sive argentum vivum, substantiæ est inter res naturales maximè admirabilis. Extra, aeri atque aquæ assimilatur, intra, ignem terramque refert. Equidem compositum quiddam est, nihilominus tamen in destillatione tam se heterogeneum, quam aqua, exhibet, neque ars eum vel dissecare, vel diversas ab eo substantias separare valet. Potest quidem sub variis formis delitescere, & diversatum facultatum medicamenta ex illo confieri: at hoc non impedit, quin primam suam formam repetere semper possit. Chymici certe, qui eum fixum reddere adlaborarunt, quum se in hoc frustra esse animadverterent, nomen servi fugitivi appositè ipsi indidere.

Aphorismus XLIX.

Plumbum non habet in se sal, quod actualiter, quoad calorem, gustum & qualitatem sal sit, sed sal quoddam vitrificans, multo verò minus saccharum in eo reperire est. Unde forma hæc plumbi præparati, quam sal aut saccharum Saturni vocant, nihil aliud est, quam plumbum mediante aceto destillato dissolutum, ac in salem formam adductum, ex qua mixtione sapor hic nascitur, salvo interim plumbo, quod intra spacium quadrantis horæ reduci integrum potest. Par est de similibus, stanni, ferri, chalybis & cupri præparationibus judicium.

Aphorismus L.

Ex argento non potest extrahi tinctura cærulea, sed alicujus additionis interventu in pulverem cæruleum vertitur à quo argentum semper repeti potest. Omne etiam vitriolum, sal, aut crystalli argenti, res sunt compositæ, quæ ab hoc simpliciter non procedunt.

Aphorismus LI.

Ab Auro non potest segregari substantia quædam potabilis, sed quomodocunque præparetur, redit denuo in aurum. Hujus assertionis inconcussam veritatem, uti & Auri utilitates, modumque, quo Chymice id præparatur, plenè planeque demonstrabit tractatus noster, qui sub Chrysologiæ nomine lucem propediem videbit.

APHORISMORUM CHYMIATRICORUM SYNOPSEOS

SECTIO SECUNDA.

Universum genus humanum, propter transgressionem primi nostri parentis Adami, variis atque innumeris miseriis ac afflictionibus, morti denique ipsi est expositum. Miseriarum principes sunt, nuditas, fames, sitis, frigus, calor, morbi

morbi, &c. Quorum his potissimum præ aliis Deus opt. max. tanquam virgis utitur, quibus in homines tam universim quam particulatim severè animadvertit, quibusque maximā eorum partem enecat & perimit. Atque id quidem non sacra tantùm scriptura testatur, sed & longa temporum observatione ita comprobatum est, ut, qui id inficias ire ausit, eorum, qui Christiani sint, & sapiant, futurum putem neminem.

Aphorismus II.

Quandoquidem ergo morborum omnium, mortisque ipsius origo prima à peccato est, constitutumque per immutabile & ineluctabile Dei decretum, (præter cujus voluntatem ne folium quidem ex arbore decidit) ut hæc in homines grassentur, eosque non meritò solùm primigeniæ & nativæ corruptelæ, sed & quotidianorum peccatorum causa, ad finem usque mundi, variis modis adficiant: necessum est, in vana sua atque stulta opinione oppidò fallantur, quicumque ordinem hunc Dei per rem quandam naturalem interpellari, ac citra illius voluntatem sanitatem humanam sartam tectam conservari, protrahi denique vitam ipsam posse, existimant.

Aphorismus III.

Pendent itaque, tam sanitas & vita, quàm mors morbiq; non à natura sed à sola atque unica voluntate & arbitrio Dei: Jobo etiam teste, quando inquit: Ipse DEUS vulnerat & medetur; percutit & manus ejus sanabunt. Et Amos dicit: Non est malum in civitate, quod Dominus non fecerit. Atque hac inevitabili necessitate comparatum est, ut & patiatur homo, & moriatur postmodum. Unde consequens est, quod medicamenta, quæ nihil aliud sunt, quam media naturalia, morbis, non secus ac fami cibus, potusque siti opposita, non possint magis vel sanitatem conservare, vel sanare ægritudines, quam beneplacitum benedictioque divina illis permittunt. Non alia profectò ratione, quam de cibo dicit Scriptura: quod homo non vivat de pane solo, sed de verbo, quod exit ex ore Dei.

Aphorismus IV.

Hac de causa morborum alii sunt curabiles, & breves, alii curabiles & longi; eorum, qui curationem respuunt, quidam diuturni, qui non nisi cum vita ipsa ab homine recedunt: quidam acuti, qui non ita multis diebus, maximam partem eorum, quos adorti fuerint, conficiunt: quidam acutissimi, qui homines vel desubito, vel paucis horis, longoque ante tempore, quam iis possit medicamentis succurri, è medio tollunt.

Aphorismus V.

Ex quo illud conficitur, officium Medici his quasi finibus terminari, ut videlicet aut morbos, qui curationem admittunt, quam potest, cito, tum & jucunde, ad præscriptum Regularum canonumque medicinalium curet: aut incurabiles diuturnosque palliet, ac ex parte levet: semper deniq; pio suo & bono consilio præsto sit, ad supremam benedictionem, quicquid agit, referendo.

Aphorismus VI.

Atque hæc licet ita sese habeant, nihil

getabilium hunc in finem à Deo præcipuè productorum, benigne, securè, & sine omni malæ alterationis periculo, semper atque in omnibus corporibus, humores purgandos per inferiora tantum deducat. Verùm omnes isti processus, quos hanc in rem hactenus scripserunt, si cum proprietatibus simplicissimorum etiam purgantium rosæ ac senæ comparentur, in nullo vel loco vel pretio poterunt consistere.

Aphorismus XLVIII.

Mercurius mineralis sive argentum vivum, substantiæ est inter res naturales maximè admirabilis. Extra, aeri atque aquæ assimilatur, intra, ignem terramque refert. Equidem compositum quiddam est, nihilominus tamen in destillatione tam se heterogeneum, quam aqua, exhibet, neque ars eum vel dissecare, vel diversas ab eo substantias separare valet. Potest quidem sub variis formis delitescere, & diversatum facultatum medicamenta ex illo confieri: at hoc non impedit, quin primam suam formam repetere semper possit. Chymici certe, qui eum fixum reddere adlaborarunt, quum se in hoc frustra esse animadverterent, nomen servi fugitivi appositè ipsi indidere.

Aphorismus XLXIX.

Plumbum non habet in se sal, quod actualiter, quoad calorem, gustum & qualitatem sal sit, sed sal quoddam vitrificans, multo verò minus saccharum in eo reperire est. Unde forma hæc plumbi præparati, quam sal aut saccharum Saturni vocant, nihil aliud est, quam plumbum mediante aceto destillato dissolutum, ac in talem formam adductum, ex qua mixtione sapor hic nascitur, salvo interim plumbo, quod intra spacium quadrantis horæ reduci integrum potest. Par est de similibus, stanni, ferri, chalybis & cupri præparationibus judicium.

Aphorismus L.

Ex argento non potest extrahi tinctura cærulea, sed alicujus additionis interventu in pulverem cæruleum vertitur à quo argentum semper repeti potest. Omne etiam vitriolum, sal, aut crystalli argenti, res sunt compositæ, quæ ab hoc simpliciter non procedunt.

Aphorismus LI.

Ab Auro non potest segregari substantia quædam potabilis, sed quomodocunque præparetur, redit denuo in aurum. Hujus assertionis inconcussam veritatem, uti & Auri utilitates, modumque, quo Chymice id præparatur, plenè planeque demonstrabit tractatus noster, qui sub Chrysologiæ nomine lucem propediem videbit.

APHORISMORUM CHYMIATRICORUM SYNOPSEOS

SECTIO SECUNDA.

UNiversum genus humanum, propter transgressionem primi nostri parentis Adami, variis atque innumeris miseriis ac afflictionibus, morti denique ipsi est expositum. Miseriarum principes sunt, nuditas, fames, sitis, frigus, calor, morbi

morbi, &c. Quorum his potissimum præ aliis Deus opt. max. tanquam virgis utitur, quibus in homines tam universim quam particulatim severè animadvertit, quibusque maximã eorum partem enecat & perimit. Atque id quidem non sacra tantùm scriptura testatur, sed & longa temporum observatione ita comprobatum est, ut, qui id inficias ire ausit, eorum, qui Christiani sint, & sapiant, futurum putem neminem.

Aphorismus II.

Quandoquidem ergo morborum omnium, mortisque ipsius origo prima à peccato est, constitutumque per immutabile & ineluctabile Dei decretum, (præter cujus voluntatem ne folium quidem ex arbore decidit) ut hæc in homines grassentur, eosque non meritò solùm primigeniæ & nativæ corruptelæ, sed & quotidianorum peccatorum causa, ad finem usque mundi, variis modis adficiant: necessum est, in vana sua atque stulta opinione oppidò fallantur, quicumque ordinem hunc Dei per rem quandam naturalem interpellari, ac citra illius voluntatem sanitatem humanam sartam tectam conservari, protrahi denique vitam ipsam posse, existimant.

Aphorismus III.

Pendent itaque, tam sanitas & vita, quàm mors morbiq; non à natura sed à sola atque unica voluntate & arbitrio Dei: Jobo etiam teste, quando inquit: Ipse DEUS vulnerat & medetur; percutit & manus ejus sanabunt. Et Amos dicit: Non est malum in civitate, quod Dominus non fecerit. Atque hac inevitabili necessitate comparatum est, ut & patiatur homo, & moriatur postmodum. Unde consequens est, quod medicamenta, quæ nihil aliud sunt, quam media naturalia, morbis, non secus ac fami cibus, potusque siti opposita, non possint magis vel sanitatem conservare, vel sanare ægritudines, quam beneplacitum benedictioque divina illis permittunt. Non alia profectò ratione, quam de cibo dicit Scriptura: quod homo non vivat de pane solo, sed de verbo, quod exit ex ore Dei.

Aphorismus IV.

Hac de causa morborum alii sunt curabiles, & breves, alii curabiles & longi; eorum, qui curationem respuunt, quidam diuturni, qui non nisi cum vita ipsa ab homine recedunt: quidam acuti, qui non ita multis diebus, maximam partem eorum, quos adorti fuerint, conficiunt: quidam acutissimi, qui homines vel desubito, vel paucis horis, longoque ante tempore, quam iis possit medicamentis succurri, è medio tollunt.

Aphorismus V.

Ex quo illud conficitur, officium Medici his quasi finibus terminari, ut videlicet aut morbos, qui curationem admittunt, quam potest, cito, tum & jucunde, ad præscriptum Regularum canonumque medicinalium curet: aut incurabiles diuturnosque palliet, ac ex parte levet: semper deniq; pio suo & bono consilio præsto sit, ad supremam benedictionem, quicquid agit, referendo.

Aphorismus VI.

Atque hæc licet ita sese habeant, nihil

morbi, &c. Quorum his potissimum præ aliis Deus opt. max. tanquam virgis utitur, quibus in homines tam universim quam particulatim severè animadvertit, quibusque maximā eorum partem enecat & perimit. Atque id quidem non sacra tantùm scriptura testatur, sed & longa temporum observatione ita comprobatum est, ut, qui id inficias ire ausit, eorum, qui Christiani sint, & sapiant, futurum putem neminem.

Aphorismus II.

Quandoquidem ergo morborum omnium, mortisque ipsius origo prima à peccato est, constitutumque per immutabile & ineluctabile Dei decretum, (præter cujus voluntatem ne folium quidem ex arbore decidit) ut hæc in homines grassentur, eosque non meritò solùm primigeniæ & nativæ corruptelæ, sed & quotidianorum peccatorum causa, ad finem usque mundi, variis modis adficiant: necessum est, in vana sua atque stulta opinione oppidò fallantur, quicumque ordinem hunc Dei per rem quandam naturalem interpellari, ac citra illius voluntatem sanitatem humanam sartam tectam conservari, protrahi denique vitam ipsam posse, existimant.

Aphorismus III.

Pendent itaque, tam sanitas & vita, quàm mors morbiq; non à natura sed à sola atque unica voluntate & arbitrio Dei: Jobo etiam teste, quando inquit: Ipse DEUS vulnerat & medetur; percutit & manus ejus sanabunt. Et Amos dicit: Non est malum in civitate, quod Dominus non fecerit. Atque hac inevitabili necessitate comparatum est, ut & patiatur homo, & moriatur postmodum. Unde consequens est, quod medicamenta, quæ nihil aliud sunt, quam media naturalia, morbis, non secus ac fami cibus, potusque siti opposita, non possint magis vel sanitatem conservare, vel sanare ægritudines, quam beneplacitum benedictioque divina illis permittunt. Non alia profectò ratione, quam de cibo dicit Scriptura: quod homo non vivat de pane solo, sed de verbo, quod exit ex ore Dei.

Aphorismus IV.

Hac de causa morborum alii sunt curabiles, & breves, alii curabiles & longi; eorum, qui curationem respuunt, quidam diuturni, qui non nisi cum vita ipsa ab homine recedunt: quidam acuti, qui non ita multis diebus, maximam partem eorum, quos adorti fuerint, conficiunt: quidam acutissimi, qui homines vel desubito, vel paucis horis, longoque ante tempore, quam iis possit medicamentis succurri, è medio tollunt.

Aphorismus V.

Ex quo illud conficitur, officium Medici his quasi finibus terminari, ut videlicet aut morbos, qui curationem admittunt, quam potest, cito, tum & jucunde, ad præscriptum Regularum canonumque medicinalium curet: aut incurabiles diuturnosque palliet, ac ex parte levet: semper deniq; pio suo & bono consilio præsto sit, ad supremam benedictionem, quicquid agit, referendo,

Aphorismus VI.

Atque hæc licet ita sese habeant, nihil ta-

tamen obstat, quin res naturales certis sint ordinibus gradibusque distinctæ, ac medicamenta bonitate & præstantia, tam ab insita virtute, quam modo præparandi profecta invicem se excedant. Certum namq; est, quemadmodum mustum turbidum impurumque longe est infra vinum: ac, ut panis ex pura farina confectus beneque coctus granum crudum exsuperat: ita consimiliter medicamentum subtile, purum, beneque præparatum, ei, quod minus tale est, merito venire anteponendum. Etenim in pura & spirituali rerum substantia, propriisque earundem elementis, non in terrestri illo corporis crassamento, impuritatibus multis & superfluitatibus referto, vis medicatrix residet. Per quam rationem colligitur, medicaměta chymica in universũ omnia puritate, subtilitate, penetrantia, ac proin quoque efficacia, longe esse supra vulgarium, quæ crasse præparantur conditionem. In his enim purum cum impuro permiscetur, ac per longam decoctionem pars subtilis in auras subvolat, deniq;, quod reliquum est, pravam quandam, à vasis cupreis, in quibus coquitur, qualitatem sortitur.

Aphorismus VII.

Medicamenta illa generalia, sive quomodocunque ea quis appellare velit, quibus tanquam basibus, pars medicinæ Pharmaceutica universa innititur, qualia sunt Vomitoria, Catarctica, Sudorifera, Diuretica, Cordialia, Alexiteria & Anodyna, si diligentissime secundum ordinem artis chemicæ præparentur, tam in curandis morbis sanabilibus, quam insanabilibus palliandis, operationes suas multo promtius feciliusvé, quam Medicamenta ordinaria, perficiunt. Quin etiam in morbis desperatis, atque ubi de ægri salute fere conclamatum est, præcipue vero in acutis, malignam horum subtilissimamque materiam peccantem edomando, naturæque ad hos expellendum suppetias ferendo, præsentiori sunt, quam hæc, auxilio. Eodem sane modo, quo, de Scripturæ etiam testimonio, vinum subtile & fragrans calorem nativum conservat & cor reficit, multo, quam aqua communis, efficacius. Nolo hîc quicquam derogare Medicis illis, qui chemiæ cognitione destituti, aliis medicamentis uti coguntur: potius eos, ut chemiæ operam dent, serio velim commonitos. Sed neque animus est ab usu Medico excludere particularia medicamenta, in quacunque forma exsistant, quam vel necessitas, vel longo usu experientia commonstrata eorum virtus requisiverit.

Aphorismus VIII.

Sicut morbi à variis diversisque causis oriuntur: ita in eorundem curatione, quemadmodum supra quoque dictum est, diversa adhibeantur medicamenta oportet. Naturam quippe ipsam videmus, non per unum emũctorium, degenerem in corpore humano materiã, corruptosq; humores exturbare. Qui se Medicinam universalem omnium omnino morborum, tam curabilium, quam incurabilium domitricem possidere profitentur, neque reipsa & effectis hanc comprobant, ii & ingrati sunt in Deum, & in proximum insigniter crudeles. Hoc agere debebant isti nugivenduli, si tam

tam divinum ipsis donum esset concessum ut clarissima eorum in ægros exstarent merita, nomenque operum & curationum magnitudine inclaresceret, quod editis, de re, quam nullam habent, libris conspicuum reddere frustra affectant. Nam quemadmodum militum bonum judicamus, qui arma bene tractare noverit: ita & Medici præstantia omnis ex curationibus elucet.

Aphorismus IX.

Omnia medicamenta, sive simplicia, sive composita, generalia vel particularia, quomodocunque præparata, cum ratione, modoque principiis Hippocraticis consentaneo usurpanda sunt. Neque enim in quatuor istis matricibus sive elementis reperitur, neque artis beneficio fieri potest substantia tam temperata, quæ non offendere naturam possit, si temere & sine accurato judicio ea quis utatur.

Aphorismus X.

Quandocunque Chymicus corpus dividit, atque ex eo substantias separat, unà etiam proprietates à naturali compositione proficiscentes dividit & separat. Unde quisquis has integras servare velit, illas etiam ab se invicem non divellat necesse est.

Aphorismus XI.

Aquæ simplices vegetabilium destillatæ, non habent in se qualitatem prædominantem virtutesq; corporum, à quibus eliciuntur. Albæ enim quum exsistant & insipidæ, facile dispicitur, quod sulphure sint & sale destitutæ, quæ tum proprium sunt virtutum principum domicilium, tum colorem mixtis, saporemque contribuunt. Tametsi autem sint aquæ, quæ odorem corporum suorum referant, ut sunt aquæ rosarum, majoranæ, rorismarini, lavendulæ, organi & aliæ: multum tamen illis deest eorum, quibus integra perfectaque corporum Essentia completur. Tantum sulphur subtilissimum, oleumve volatile, quo vegetabilia hæc prædita sunt, secum avehunt, tinctura aliisque substantiis post se relictis. Atque idcirco non quasi integrorum, à quibus eductæ sunt corporum virtutes exæquent, sed effectuum, qui per certam experientiam innotuerunt, habita ratione, usurpari debent. Inserviunt medicinæ potissimum pro vehiculis, ut ad præparandum alia medicamenta, ut decocta, infusiones, extracta.

Aphorismus XII.

Olea omnium vegetabilium sive herbarum sint, sive seminum, radicum, aut aromatum &c. per vesicam aut alio modo destillata, quæ proprium suorum corporum odorem saporemve habent, sunt multo, quam olea per expressionem aut infusionem, calidiora, subtiliora & penetrantiora. Administraturus ea interne omnium primo & maxime de dosi solicitus esse debet, quum ab una gutta olei cinnamomi, perperam sumta, vehementius, quam à drachma integra pulveris ejusdem, inflammetur corpus & incalescat. Deinde de vehiculo conveniente sibi prospiciat, non solum, ut calorem eorum immodicum attemperet, sed & vim penetrandi nimiam infringat, omniaq; ad differentiam oleorũ

habetque in se vim conglutinandi, ratione cujus subtiles istos ac acres spiritus, qui sua mordacitate cerebrum vellicando & compungendo Paroxysmos Epilepticos caussantur, condensat ac repellit: id vero de oleo nequaquam affirmari potest. Unde rectius sibi consulerent, ut pro eo in forma pulveris subtilissimi, non tamen calcinati, cranio uterentur, aut id cum spiritus Vitrioli modica quantitate, sic, ut acrimoniam nullam nancisceretur, attenuarent. Par est de aliis quoque ossibus judicium.

Aphorismus XVIII.

Impossibile est olea à sanguine & carnibus quorumcunque etiam animalium sine adustione destillare. Neque virtutibus corporum suorum olea hæc respondent. Propter deterrimum putidissimumque odorem usus eorundem internus sit interdictus. Externe quidem, propter facultatem, quam habent, salinam detersivam ac penetrantem usurpari poterunt: at vero, quoniam natura abunde remediorum, quæ iisdem, quibus olea hæc viribus instructa sint, produxerit, iis uti consultius erit, fœtentibus istis oleis, qui spiritus gravissime perturbant, ægrosque sæpe non parum lædunt, penitus atque penitus exsulare jussis. Possunt nihilominus sanguinis caroque, vel per extractionem, vel per reductionem in mumiam, atque inde in pulverem, nostris usibus commode adaptari.

Aphorismus XIX.

Spiritus aquosus & salinus, qui per destillationem ex sanguine prodit, substantiarum omnium, quæ per artem chemicam ex partibus animalium separantur, est utilissimus, quum sal in se contineat volatile multo, quam reliqua salia omnia, subtilius ac spiritualius, instarque spiritus vini in Balneo Mariæ elevetur, facile à calore nostro concitari poterit, ut venas ac arterias omnes aliosque corporis meatus, qui aliis medicamentis ita pervii sunt, facultate sua detergente aperiente, vel ocissimo quasi impetu, pervadat. Unde multorum acutorum & periculosissimorum affectuum, vel solitario, vel aliorum medicamentorum consortio, præsentaneum est remedium, ultra quam credant ii, qui nullam inde experientiam sunt consecuti. Quanquam autem destillari nequit, quin empyreuma quodpiam sapiat: interim tamen ita potest rectificari, ut vel nihil vel minimum odor iste offendat &, si quam forte offensiunculam delicatioribus adferat, ea tamen cum utilitatibus, quæ ab eo redundant plurimæ maximæq;, nequaquam veniat comparanda. Hoc modo ut præparetur spiritus iste, cum singulari quadam in Chymicis experientia, requiritur etiam, ut quis naturas rerum diversas non vulgariter, sed exactissime cognoscat.

Aphorismus XX.

Omnia salia volatilia aut fixa vegetabilium aut animalium instructa sunt qualitate, non minus calida & sicca, quam detergente & aperiente, unde in expulsione humorum superfluorum naturæ non parum auxilii conferunt. Quanquam autem negari nequit, reservari in sale aliquid proprietatum ejus rei, à qua separatum est, integras tamen illas, quemadmodum de aqua oleis-

que supra etiam diximus, nequaquam obtinent. Salia instar granulorum conformata, gustuique non inconvenientia recte intra corpus sumuntur. Verum, quæ calci sunt similia, atque in aere dissolvuntur, caustica, ac magnopere corrodentia, ea usui tantummodo chirurgico destinantur.

Aphorismus XXI.

Aquæ vitæ nomen à triplici potissimum ratione deducitur: Quarum prima est, quod in eam corruptio nihil juris habeat, quæ tamen alias aquas liquoresq; depopulatur. Etiamsi autem in auras exhalet, ac evanescat, non tamen corrumpitur. Secundo omnium omnino vegetabilium quoddam est quasi Balsamum. Tertio, denique vitam ipsam conservat ac tuetur, non tantum quod cor exhilarare, caloremque nativum roborare valet, sed quod & cujuslibet grani, ex quo ad vitæ sustentationem panis conficitur, princeps est & primaria substantia. Facile comburitur, igneæque est naturæ, cujus si magnam etiam quantitatem sub campana incendas, nulla tamen ex ea prodibit fuligo: unde & subtilitas ejus puritasque conspicitur, neque injuria sulphuris cœlestis nomen ipsi à chymicis fuisse inditum. Qualitas ejus immutabilis est. Nam, quanquam vinum meritò contrariatum substantiarum, ex quibus, (quemadmodum in Anatomia mea antimonii ostendi:) compositum est, calefacit & refrigerat, idem tamen aquæ vitæ attribui nequit: cujus, si pura sit ac à phlegmate omnino secreta, calida perpetuo & penetrans facultas deprehenditur. Quicunque aqua vitæ pro vehiculo omnium omnino medicamentorum abutuntur, eamque in omnibus morbis, sine causarum eorundem distinctione, in omni corpore, tempore & loco propinant, sibique stulte imaginantur, quod qualitatem calidam occultet, cumque rebus, quibus jungitur, in diversas causas morbificas, tam calidas, & siccas, quam frigidas & humidas conspiret: illi vehementissime errant, suaque culpa sæpicule committunt, ut aqua potius mortis, quam vitæ dici mereatur. Ex illa variis herbis aromatisque associata variarum etiam virtutum usuumque aquæ compositæ emergunt. Quarum tamen nimius abusus fraudi sæpe est vitæ multorum, præsertim eorum, qui debilissimæ sunt constitutionis, calidi siccique temperamenti, cerebri infirmi, qui extenuari febribus, internis diuturnisque obstructionibus, corruptioni & inflammationi partium nobilium obnoxii, Epileptici item, & temulenti, & qui cordis palpitatione infestantur, &c. Ancillatur chemiæ in extractione substantiarum vegetabilium, inque variorum medicamentorum præparatione. Res quasdam meliores reddit, corrigitque, ut: Extracta scammonii, colocynthidis, aliorumque purgantium acrium. Nam quando evaporat, aufert secum una substantias volatiles malignas, acutaque eorum & corrosiva salia post se relinquit: è contrario autem aliorum, ut Senæ, Aloes, Rosarum, Rhabarbari & similium purgantium benignorum facultatem deterit, eam quidem ob causam, quod sulphur eorundem volatile perdat, & bonum tantum sal reliquum faciat, in quibus junctis vis purgatrix benigna sita erat. Quamobrem cautum esse ratione que duci oportet, eum, qui aqua vitæ uti velit: cultelli acuti exemplo munitus, qui per abusum

usum plus officit, quam proficit, si dextre usurpetur.

Aphorismus XXII.

Acetum destillatum, utut qualitatis sit frigidæ & siccæ, primaque sponte adstringat & repellat, quemadmodum de eo aliisque liquoribus acidis communis fert medicorum opinio: nihilominus tamen pro certo habent experti chymiatri, quod à parte aquosiore separati illius spiritus, inq; consistentiam salinam cum corpore quopiam lapideo aut minerali, nihil minus frigido & sicco, coagulati, aperire possint, sudoresque concitare fortius, quam res aliqua amara, atque evidenter calidæ qualitatis. Notandum, quod ab aceti destillati simplicis solitarii ve usu interno penitus sit abstinendum.

Aphorismus XXIII.

Tartarum crudum per viam ebullitionis aut infusionis depuratum, reductumq; in cremorem, crystallos, aut subtilissimum; albissimumque pulverem, acidum Tartari nobis vocatum, acrimoniam habet gustui nominabilem. Detersivum est, aperitivum, facultatisque laxantis. Feliciter usurpatur vel solitarie vel in linctibus, confectionibus & apozematis ad aperiendum, detergendum, atque ex parte confortandum. Quin etiam medicamenta purgantia leviora, ut Rhabarbarum, acuit, corrigit, saporemq; iis conciliat, gratiorem, quumq; incidat, non communiter tantum, ut res acidæ, sed & insuper ut salinæ assolent: in quibus illud morbis, quibusque corporum constitutionibus, conveniat, nec ne, accurate videndum. Ejus calcinati usus intra corpus per se nullus, sed mixti cum spiritu vitrioli. Tum enim duo hæc corrosiva se invicem mitigant, & quasi exarmant, compositumq; inde nascitur, quod salis Tartari vitriolati nomine venit, inservitque Medicinæ pro sudorifero & diuretico, quemadmodum ab aliis quoque chymicis scriptum est. Spiritus, qui ex tartaro abit aquosus, licet empyreumatis nota ipsi inusta sit, nequaquam tamen hac de causa usus ejus internus suspectus esse debet: securissimum quippe est, & efficacissimum medicamentum diaphoreticum, subtile & penetrabile, multis morbis accommodatum, modo, quem nullibi non inculcant chymici.

Aphorismus XXIV.

Spiritus salis communis acidus, purus, atque apprime rectificatus exquisitissimum est diureticum, ac præterea aperitivum, detersivumq; universale, ut non viscerum tantum regionem obstructam aperire possit & detergere, sed & sanguinem grumosum venis, locisq; è centro etiam remotissimis infarctum attenuare & dissolvere. Putredini mirabiliter resistit, naturamque collabescentem in diversissimis morbis recreat ac erigit. Neque tamen intereanon requirit medicum prudentem & circumspectum, qui eum caute & convenienter administrare noverit.

Aphorismus XXV.

Sal armoniacum salium omnium subtilissimum est, quodque magis, quam ullum aliud penetret ac corrodat, ut aquæ forti

forti admixtum aurum etiam, ut priore sectione dictum est, dissolvat. Quidam id dant intra corpus: neq; ego reluctor, quin, si aliquoties cum sale communi sublimatum sit, in certis casibus intro possit sumi: nihilominus tamen, tam aliis de causis, quam quod spiritibus admodum corrosivis, atque odore & qualitate spiritibus vitalibus inimica præditum est, usum ejus internum reprobo, aliis medicamentis, naturæ humanæ familiarioribus, ejus in locum surrogatis.

Aphorismus XXVI.

Nitrum commune depuratum chymiceque præparatum, ac in formam, quam sal prunellæ vocant, adductum, etsi qualitatis est, ut reliqua salia, detergentis atque exsiccantis, nihil tamen hoc impedit, quin evidentissimum sit refrigerium ac sitis levamentum, neque non ardores immensos in febribus ardentibus, Ungaricis & malignis extinguat, consopiatque dolores è magna inflammatione caloreque interno ortos, plusquam aliud aliquod medicamentum. Mirum est, quod Medicis quibusdam scrupulosioribus in mentem venerit, ut, impulsu levium quarundam rationum, quas ex qualitate nitri siccante & detergente exsculpsere, usum salis prunellæ in dictis morbis formidarent, aliisque superciliose interdicerent, jacturam suæ auctoritatis potiorem æstimantes ægrorum salute.

Aphorismus XXVII.

Magisterium perlarum crudarum, cum spiritu aceti in talem formam reductum, ut in aqua dissolvatur, melius est iis; quæ vel cum solventibus mineralibus, vel ex perlis calcinatis, quarum per calcinationem virtus excellentior omnis intercidit, elaborata sunt. Merito quidem id reponendum est in censum pretiosorum Bezoarticorum cordialium, quod non solum sit cordi confortando, verum etiam in conveniente dosi datum putrefactioni à venenis calidis resistat, & quod errabundos in corpore malignos vapores, qui in febribus putridis, continuis, malignis & pestilentialibus spiritus vitales inficere ac labefactare minantur, coerceat, eosque per sudores ac insensibilem transspirationem manifestò consumat. At quod Phthisicis & Hecticis, respectu febris & ariditatis, auxilii quicquam conferat, irrorando scil. cerebrum, humidum radicale restaurando, calorem præternaturalem extinguendo, idque instar rerum frigidarum, quales & perlas esse vane quidam sibi imaginantur, quum tamen Medicorum uno omnium ore frigidæ & siccæ pronuncientur: id vero nullum est. Quin potius ægris his damno sunt, non ratione perlarum, quarum est qualitas temperata, sed ex accidente ratione nimirum spirituum acrium ipsius aceti, qui perlis adhæserunt, tantumque abest, ut humectent, aut restaurent, ut contrarios effectus præstent, incidant sudoresq; causentur: per quos consumptus humor alimentarius deperit, quem sartum potius tectumque servare oportebat. Et si maxime vis quædam humectans in perlis deprehenderetur, quisquis tamen eas in Magisterium liquoremque penitus insipidum, omnisq; alienæ acrimoniæ expertem reducere nesciret: is quantum dictos quidem morbos attinet, perlis super porphyrium,

riùm, modo vulgari ſubtiliſſime tritis, cumque aqua roſatum combibitis, multo uteretur laudabilius, quam vel Magiſterio cum ſpiritibus acribus præparato, vel pulvere earundem, cum ſale tartari, poſteaquam in ſpiritu aceti ſolutæ prius fuerant, præcipitatarum. Qui quidem pulvis etſi guſtui evidenter acrem ſe non exhibeat, ſummaque cum induſtria lavetur, ſemper tamen partem quampiam ſpirituum aceti ſaliſque tartari furtim occulrat, ſibique reſervat. Quicunque negant, pulverem perlarum modo communi præparatum, eſſe cujusdam efficaciæ, in gravi hærent errore, cujus eos non experientia tantum ipſa, ſed & ratio evidentiſſima convicerit. Nam ex eo, quod perlæ, ſi ſuper parvum ignem in copia comburantur, alterantur fumumque reddunt ac aquam, evidens fit, eſſe in iis partem, quam calor fermentativus ſtomachi, qui cum ſalſedine quampiam & acrimonia conjunctus ſemper eſt, digerere poſſit. Commentum itaque alchymiſticum hoc eſt, opinioque erronea, cujus me quoq; aſſeclam olim profeſſus ſum. Nunc vero rationes has experientia conſequutus, alius ſum mentis, agnitæq; veritati, cui ſancte nemo non medicorum obſtrictis eſſe debet, manus dudum dedi.

Aphoriſmus XXVIII.

Varias corallorum præparandorum rationes paſſim tradunt chymici, quarum omnium optima eſt, quæ corallos crudos, per acetum deſtillatum in Magiſterium reducit, hoc namque modo longe efficacius & manifeſtius principales ſuas facultates, quę ipſis tribuuntur exſerunt coralli: qui cum calcinantur, inque liquoribus corroſivis cum ſpiritu vini mixtis diſſolvuntur, vires alias à natura ſua longiſſime diſſitas naciſcuntur.

Aphoriſmus XXIX.

Etſi oleum, vel aqua, vel ſal, vel tinctura de lapidibus pretioſis extrahi nequit: nihil tamen obſtat, quin ope quorundam ſolventium congenerum, poſſint inde nobiliſſima Magiſteria cordalia confici: quorum granum unum notioris eſt in multis morbis efficaciæ, quam grana triginta & ultra, eorundem vulgariter præparatorum. Verum res hæc uti ab uſu communi eſt remota, ita neque cuivis chymico obvia.

Aphoriſmus XXX.

Talcum, quomodolibet etiam præparatum, effectus iſtos, quos in facie perpolienda, de ipſo quidam perhibent, nequaquam præſtat: multo vero minus ad maculas omnes tollendum emendandumq; faciem gen[illegible]ſt præſidium. Nam quum diverſis de cauſis tam generalibus quam particularibus, neq; temperamentis, neque ætatibus, neque circumſtantiis iisdem facies vitietur, remedia quoque non eadem atque uniusmodi perpetuo requirit.

Aphoriſmus XXXI.

Vitriolo duo principalia remedia accepta ferimus, quorum primum, quod ex eo de ſua terra minerali defæcato, & in formam ſalis granulati candidi ſive incarnati reducto conficitur, præſtantiſſimum eſt & ſecuriſſimum expectorans, & vomitorium deterſivum, multis morbis accommodatum, quemadmodum fuſius

forti admixtum aurum etiam,ut priore sectione dictum est, dissolvat. Quidam id dant intra corpus:neq; ego reluctor,quin, si aliquoties cum sale communi sublimatum sit,in certis casibus intro posſit sumi: nihilominus tamen, tam aliis de causis, quam quod spiritibus admodum corrosivis,atque odore & qualitate spiritibus vitalibus inimica præditum est,usum ejus internum reprobo,aliis medicamentis,naturæ humanæ familiarioribus, ejus in locum surrogatis.

Aphorismus XXVI.

Nitrum commune depuratum chymiceque præparatum,ac in formam,quam sal prunellæ vocant,adductum, etsi qualitatis est,ut reliqua salia,detergentis atque exsiccantis, nihil tamen hoc impedit,quin evidentissimum sit refrigerium ac sitis levamentum,neque non ardores immensos in febribus ardentibus,Ungaricis & malignis extinguat, consopiatque dolores è magna inflammatione caloreque interno ortos, plusquam aliud aliquod medicamentum. Mirum est,quod Medicis quibusdam scrupulosioribus in mentem venerit, ut, impulsu levium quarundam rationum, quas ex qualitate nitri siccante & detergente exsculpsere,usum salis prunellæ in dictis morbis formidarent, aliisque superciliose interdicerent, jacturam suæ auctoritatis potiorem æstimantes ægrotum salute.

Aphorismus XXVII.

Magisterium perlarum crudarum, cum spiritu aceti in talem formam reductum,ut in aqua dissolvatur,melius est iis; quæ vel cum solventibus mineralibus, vel ex perlis calcinatis,quarum per calcinationem virtus excellentior omnis intercidit,elaborata sunt.Merito quidem id reponendum est in censum pretiosorum Bezoarticorum cordialium,quod non solum sit cordi confortando, verum etiam in conveniente dosi datum putrefactioni à venenis calidis resistat,& quod errabundos in corpore malignos vapores,qui in febribus putridis,continius, malignis & pestilentialibus spiritus vitales inficere ac labefactare minantur, coerceat, eosque per sudores ac insensibilem transspirationem manifestò consumat. At quod Phthisicis & Hecticis, respectu febris & ariditatis, auxilii quicquam conferat,irrorando scil.cerebrum, humidum radicale restaurando,calorem præternaturalem extinguendo,idque instar rerum frigidarum,quales & perlas esse vane quidam sibi imaginantur,quum tamen Medicorum uno omnium ore frigidæ & siccæ pronuncientur:id vero nullum est.Quin potius ægris his damno sunt,non ratione perlatum, quarum est qualitas temperata,sed ex accidente ratione nimirum spirituum acrium ipsius aceti,qui perlis adhæserunt,tantumque abest,ut humectent,aut restaurent, ut contrarios effectus præstent,incidant sudoresq; causentur:per quos consumptus humor alimentarius deperit, quem fartum potius tectumque servare oportebat. Et si maxime vis quædam humectans in perlis deprehenderetur, quisquis tamen eas in Magisterium liquoremque penitus insipidum,omnisq; alienæ actimoniæ expertem reducere nesciret: is quantum dictos quidem morbos attinet, perlis super porphyrium,

rium, modo vulgari subtilissime tritis, cumque aqua rosarum combibitis, multo uteretur laudabilius, quam vel Magisterio cum spiritibus acribus præparato, vel pulvere earundem, cum sale tartari, posteaquam in spiritu aceti solutæ prius fuerant, præcipitatarum. Qui quidem pulvis etsi gustui evidenter acrem se non exhibeat, summaque cum industria lavetur, semper tamen partem quampiam spirituum aceti salisque tartari furtim occultat, sibique reservat. Quicunque negant, pulverem perlarum modo communi præparatum, esse cujusdam efficaciæ, in gravi hærent errore, cujus eos non experientia tantum ipsa, sed & ratio evidentissima convicerit. Nam ex eo, quod perlæ, si super parvum ignem in copia comburantur, alterantur fumumque reddunt ac aquam, evidens fit, esse in iis partem, quam calor fermentativus stomachi, qui cum salsedine quampiam & acrimonia conjunctus semper est, digerere possit. Commentum itaque alchymisticum hoc est, opinioque erronea, cujus me quoq; asseclam olim professus sum. Nunc vero rationes has experientia consequutus, alius sum mentis, agnitæq; veritati, cui sanctè nemo non medicorum obstrictis esse debet, manus dudum dedi.

Aphorismus XXVIII.

Varias corallorum præparandorum rationes passim tradunt chymici, quarum omnium optima est, quæ corallos crudos, per acetum destillatum in Magisterium reducit, hoc namque modo longe efficacius & manifestius principales suas facultates, quę ipsis tribuuntur exserunt coralli: qui cum calcinantur, inque liquoribus corrosivis cum spiritu vini mixtis dissolvuntur, vires alias à natura sua longissime distitas nanciscuntur.

Aphorismus XXIX.

Etsi oleum, vel aqua, vel sal, vel tinctura de lapidibus pretiosis extrahi nequit: nihil tamen obstat, quin ope quorundam solventium congenerum, possint inde nobilissima Magisteria cordalia confici: quorum granum unum notioris est in multis morbis efficaciæ, quam grana triginta & ultra, eorundem vulgariter præparatorum. Verum res hæc uti ab usu communi est remota, ita neque cuivis chymico obvia.

Aphorismus XXX.

Talcum, quomodolibet etiam præparatum, effectus istos, quos in facie perpoliendа, de ipso quidam perhibent, nequaquam præstat: multo vero minus ad maculas omnes [illegible]llendum emendandumq; faciem gen[illegible]st præsidium: Nam quum diversis de causis tam generalibus quam particularibus, neq; temperamentis, neque ætatibus, neque circumstantiis iisdem facies vitietur, remedia quoque non eadem atque unius modi perpetuo requirit.

Aphorismus XXXI.

Vitriolo duo principalia remedia accepta ferimus, quorum primum, quod ex eo de sua terra minerali defæcato, & in formam salis granulati candidi sive incarnati reducto conficitur, præstantissimum est & securissimum expectorans, & vomitorium detersivum, multis morbis accommodatum, quemadmodum fu-

forti admixtum aurum etiam, ut priore sectione dictum est, dissolvat. Quidam id dant intra corpus: neq; ego reluctor, quin, si aliquoties cum sale communi sublimatum sit, in certis casibus intro possit sumi: nihilominus tamen, tam aliis de causis, quam quod spiritibus admodum corrosivis, atque odore & qualitate spiritibus vitalibus inimica præditum est, usum ejus internum reprobo, aliis medicamentis, naturæ humanæ familiarioribus, ejus in locum surrogatis.

Aphorismus XXVI.

Nitrum commune depuratum chymiceque præparatum, ac in formam, quam sal prunellæ vocant, adductum, etsi qualitatis est, ut reliqua salia, detergentis atque exsiccantis, nihil tamen hoc impedit, quin evidentissimum sit refrigerium ac sitis levamentum, neque non ardores immensos in febribus ardentibus, Ungaricis & malignis extinguat, consopiatque dolores è magna inflammatione caloreque interno ortos, plusquam aliud aliquod medicamentum. Mirum est, quod Medicis quibusdam scrupulosioribus in mentem venerit, ut, impulsu levium quarundam rationum, quas ex qualitate nitri siccante & detergente exsculpsere, usum salis prunellæ in dictis morbis formidarent, aliisque superciliose interdicerent, jacturam suæ auctoritatis potiorem æstimantes ægrorum salute.

Aphorismus XXVII.

Magisterium perlarum crudarum, cum spiritu aceti in talem formam reductum, ut in aqua dissolvatur, melius est iis; quæ vel cum solventibus mineralibus, vel ex perlis calcinatis, quarum per calcinationem virtus excellentior omnis intercidit, elaborata sunt. Merito quidem id reponendum est in censum pretiosorum Bezoarticorum cordialium, quod non solum sit cordi confortando, verum etiam in conveniente dosi datum putrefactioni à venenis calidis resistat, & quod errabundos in corpore malignos vapores, qui in febribus putridis, continuis, malignis & pestilentialibus spiritus vitales inficere ac labefactare minantur, coerceat, eosque per sudores ac insensibilem transspirationem manifestò consumat. At quod Phthisicis & Hecticis, respectu febris & ariditatis, auxilii quicquam conferat, irrorando scil. cerebrum, humidum radicale restaurando, calorem præternaturalem extinguendo, idque instar rerum frigidarum, quales & perlas esse vane quidam sibi imaginantur, quum tamen Medicorum uno omnium ore frigidæ & siccæ pronuncientur: id vero nullum est. Quin potius ægris his damno sunt, non ratione perlarum, quarum est qualitas temperata, sed ex accidente ratione nimirum spirituum acrium ipsius aceti, qui perlis adhæserunt, tantumque abest, ut humectent, aut restaurent, ut contrarios effectus præstent, incidant sudoresq; causentur: per quos consumptus humor alimentarius deperit, quem sartum potius tectumque servare oportebat. Et si maxime vis quædam humectans in perlis deprehenderetur, quisquis tamen eas in Magisterium liquoremque penitus insipidum, omnisq; alienæ acrimoniæ expertem reducere nesciret: is quantum dictos quidem morbos attinet, perlis super porphyrium,

rium, modo vulgari subtilissime tritis, cumque aqua rosatum combibitis, multo uteretur laudabilius, quam vel Magisterio cum spiritibus acribus præparato, vel pulvere earundem, cum sale tartari, posteaquam in spiritu aceti solutæ prius fuerant, præcipitatarum. Qui quidem pulvis etsi gustui evidenter acrem se non exhibeat, summaque cum industria lavetur, semper tamen partem quampiam spirituum aceti salisque tartari furtim occultat, sibique reservat. Quicunque negant, pulverem perlarum modo communi præparatum, esse cujusdam efficaciæ, in gravi hærent errore, cujus eos non experientia tantum ipsa, sed & ratio evidentissima convicerit. Nam ex eo, quod perlæ, si super parvum ignem in copia comburantur, alterantur fumumque reddunt ac aquam, evidens fit, esse in iis partem, quam calor fermentativus stomachi, qui cum salsedine quampiam & acrimonia conjunctus semper est, digerere possit. Commentum itaque alchymisticum hoc est, opinioque erronea, cujus me quoq; asseclam olim professus sum. Nunc vero rationes has experientia consequutus, alius sum mentis, agnitæq; veritati, cui sancte nemo non medicorum obstrictis esse debet, manus dudum dedi.

Aphorismus XXVIII.

Varias corallorum præparandorum rationes passim tradunt chymici, quarum omnium optima est, quæ corallos crudos, per acetum destillatum in Magisterium reducit, hoc namque modo longe efficacius & manifestius principales suas facultates, quę ipsis tribuuntur exserunt coralli: qui cum calcinantur, inque liquoribus corrosivis cum spiritu vini mixtis dissolvuntur, vires alias à natura sua longissime dissitas nanciscuntur.

Aphorismus XXIX.

Etsi oleum, vel aqua, vel sal, vel tinctura de lapidibus pretiosis extrahi nequit: nihil tamen obstat, quin ope quorundam solventium congenerum, possint inde nobilissima Magisteria cordalia confici: quorum granum unum notioris est in multis morbis efficaciæ, quam grana triginta & ultra, eorundem vulgariter præparatorum. Verum res hæc uti ab usu communi est remota, ita neque cuivis chymico obvia.

Aphorismus XXX.

Talcum, quomodolibet etiam præparatum, effectus istos, quos in facie perpoliendа, de ipso quidam perhibent, nequaquam præstat: multo vero minus ad maculas omnes tollendum emendandumq; faciem gen[illegible]st præsidium. Nam quum diversis de causis tam generalibus quam particularibus, neq; temperamentis, neque ætatibus, neque circumstantiis iisdem facies vitietur, remedia quoque non eadem atque uniusmodi perpetuo requirit.

Aphorismus XXXI.

Vitriolo duo principalia remedia accepta ferimus, quorum primum, quod ex eo de sua terra minerali defæcato, & in formam salis granulati candidi sive incarnati reducto conficitur, præstantissimum est & securissimum expectorans, & vomitorium detersivum, multis morbis accommodatum, quemadmodum fusius

forti admixtum aurum etiam, ut priore sectione dictum est, dissolvat. Quidam id dant intra corpus: neq; ego reluctor, quin, si aliquoties cum sale communi sublimatum sit, in certis casibus intro possit sumi: nihilominus tamen, tam aliis de causis, quam quod spiritibus admodum corrosivis, atque odore & qualitate spiritibus vitalibus inimica præditum est, usum ejus internum reprobo, aliis medicamentis, naturæ humanæ familiarioribus, ejus in locum surrogatis.

Aphorismus XXVI.

Nitrum commune depuratum chymiceque præparatum, ac in formam, quam sal prunellæ vocant, adductum, etsi qualitatis est, ut reliqua salia, detergentis atque exsiccantis, nihil tamen hoc impedit, quin evidentissimum sit refrigerium ac sitis levamentum, neque non ardores immensos in febribus ardentibus, Ungaricis & malignis extinguat, consopiatque dolores è magna inflammatione caloreque interno ortos, plusquam aliud aliquod medicamentum. Mirum est, quod Medicis quibusdam scrupulosioribus in mentem venerit, ut, impulsu levium quarundam rationum, quas ex qualitate nitri siccante & detergente exsculpsere, usum salis prunellæ in dictis morbis formidarent, aliisque superciliose interdicerent, jacturam suæ auctoritatis potiorem æstimantes ægrorum salute.

Aphorismus XXVII.

Magisterium perlarum crudarum, cum spiritu aceti in talem formam reductum, ut in aqua dissolvatur, melius est iis, quæ vel cum solventibus mineralibus, vel ex perlis calcinatis, quarum per calcinationem virtus excellentior omnis intercidit, elaborata sunt. Merito quidem id reponendum est in censum pretiosorum Bezoarticorum cordialium, quod non solum sit cordi confortando, verum etiam in conveniente dosi datum putrefactioni à venenis calidis resistat, & quod errabundos in corpore malignos vapores, qui in febribus putridis, continuis, malignis & pestilentialibus spiritus vitales inficere ac labefactare minantur, coerceat, eosque per sudores ac insensibilem transspirationem manifestò consumat. At quod Phthisicis & Hecticis, respectu febris & ariditatis, auxilii quicquam conferat, irrorando scil. cerebrum, humidum radicale restaurando, calorem præternaturalem extinguendo, idque instar rerum frigidarum, quales & perlas esse vane quidam sibi imaginantur, quum tamen Medicorum uno omnium ore frigidæ & siccæ pronuncientur: id vero nullum est. Quin potius ægris his damno sunt, non ratione perlarum, quarum est qualitas temperata, sed ex accidente ratione nimirum spirituum acrium ipsius aceti, qui perlis adhærent, tantumque abest, ut humectent, aut restaurent, ut contrarios effectus præstent, incidant sudoresq; causentur: per quos consumptus humor alimentarius deperit, quem sartum potius tectumque servare oportebat. Et si maxime vis quædam humectans in perlis deprehenderetur, quisquis tamen eas in Magisterium liquoremque penitus insipidum, omnisq; alienæ actimoniæ expertem reducere nesciret: is quantum dictos quidem morbos attinet, perlis super porphyrium,

rium, modo vulgari subtilissime tritis, cumque aqua rosarum combibitis, multo uteretur laudabilius, quam vel Magisterio cum spiritibus acribus præparato, vel pulvere earundem, cum sale tartari, posteaquam in spiritu aceri solutæ prius fuerant, præcipitatarum. Qui quidem pulvis etsi gustui evidenter acrem se non exhibeat, summaque cum industria lavetur, semper tamen partem quampiam spirituum aceti salisque tartari furtim occultat, sibique reservat. Quicunque negant, pulverem perlarum modo communi præparatum, esse cujusdam efficaciæ, in gravi hærent errore, cujus eos non experientia tantum ipsa, sed & ratio evidentissima convicerit. Nam ex eo, quod perlæ, si super parvum ignem in copia comburantur, alterantur fumumque reddunt ac aquam, evidens fit, esse in iis partem, quam calor fermentativus stomachi, qui cum salsedine quampiam & acrimonia conjunctus semper est, digerere possit. Commentum itaque alchymisticum hoc est, opinioque erronea, cujus me quoq; asseclam olim professus sum. Nunc vero rationes has experientia consequutus, alius sum mentis, agnitæq; veritati, cui sancte nemo non medicorum obstrictis esse debet, manus dudum dedi.

Aphorismus XXVIII.

Varias corallorum præparandorum rationes passim tradunt chymici, quarum omnium optima est, quæ corallos crudos, per acetum destillatum in Magisterium reducit, hoc namque modo longe efficacius & manifestius principales suas facultates, quę ipsis tribuuntur exserunt coralli: qui cum calcinantur, inque liquoribus corrosivis cum spiritu vini mixtis dissolvuntur, vires alias à natura sua longissime dissitas nanciscuntur.

Aphorismus XXIX.

Etsi oleum, vel aqua, vel sal, vel tinctura de lapidibus pretiosis extrahi nequit: nihil tamen obstat, quin ope quorundam solventium congenerum, possint inde nobilissima Magisteria cordalia confici: quorum granum unum notioris est in multis morbis efficaciæ, quam grana triginta & ultra, eorundem vulgariter præparatorum. Verum res hæc uti ab usu communi est remota, ita neque cuivis chymico obvia.

Aphorismus XXX.

Talcum, quomodolibet etiam præparatum, effectus istos, quos in facie perpoliendа, de ipso quidam perhibent, nequaquam præstat: multo vero minus ad maculas omnes tollendum emendandumq; faciem gen[illegible]st præsidium. Nam quum diversis de causis tam generalibus quam particularibus, neq; temperamentis, neque ætatibus, neque circumstantiis iisdem facies vitietur, remedia quoque non eadem atque uniusmodi perpetuo requirit.

Aphorismus XXXI.

Vitriolo duo principalia remedia accepta ferimus, quorum primum, quod ex eo de sua terra minerali defæcato, & in formam salis granulati candidi sive incarnati reducto conficitur, præstantissimum est & securissimum expectorans, & vomitorium detersivum, multis morbis accommodatum, quemadmodum fusius

rium, modo vulgari subtilissime tritis, cumque aqua rosarum combibitis, multo uteretur laudabilius, quam vel Magisterio cum spiritibus acribus præparato, vel pulvere earundem, cum sale tartari, postea quam in spiritu aceti solutæ prius fuerant, præcipitatarum. Qui quidem pulvis etsi gustui evidenter acrem se non exhibeat, summaque cum industria lavetur, semper tamen partem quampiam spirituum aceti salisque tartari furtim occultat, sibique reservat. Quicunque negant, pulverem perlarum modo communi præparatum, esse cujusdam efficaciæ, in gravi hærent errore, cujus eos non experientia tantum ipsa, sed & ratio evidentissima convicerit. Nam ex eo, quod perlæ, si super parvum ignem in copia comburantur, alterantur fumumque reddunt ac aquam, evidens fit, esse in iis partem, quam calor fermentativus stomachi, qui cum salsedine quampiam & acrimonia conjunctus semper est, digerere possit. Commentum itaque alchymisticum hoc est, opinioque erronea, cujus me quoq; asseclam olim professus sum. Nunc vero rationes has experientia consequutus, alius sum mentis, agnitæq; veritati, cui sanctè nemo non medicorum obstrictis esse debet, manus dudum dedi.

Aphorismus XXVIII.

Varias corallorum præparandorum rationes passim tradunt chymici, quarum omnium optima est, quæ corallos crudos, per acetum destillatum in Magisterium reducit, hoc namque modo longe efficacius & manifestius principales suas facultates, quę ipsis tribuuntur exserunt coralli: qui cum calcinantur, inque liquoribus corrosivis cum spiritu vini mixtis dissolvuntur, vires alias à natura sua longissime dissitas nanciscuntur.

Aphorismus XXIX.

Etsi oleum, vel aqua, vel sal, vel tinctura de lapidibus pretiosis extrahi nequit: nihil tamen obstat, quin ope quorundam solventium congenerum, possint inde nobilissima Magisteria cordalia confici: quorum granum unum notioris est in multis morbis efficaciæ, quam grana triginta & ultra, eorundem vulgariter præparatorum. Verum res hæc uti ab usu communi est remota, ita neque cuivis chymico obvia.

Aphorismus XXX.

Talcum, quomodolibet etiam præparatum, effectus istos, quos in facie perpoliendа, de ipso quidam perhibent, nequaquam præstat: multo vero minus ad maculas omnes tollendum emendandumq; faciem gen[illegible] est præsidium. Nam quum diversis de causis tam generalibus quam particularibus, neq; temperamentis, neque ætatibus, neque circumstantiis iisdem facies vitietur, remedia quoque non eadem atque uniusmodi perpetuo requirit.

Aphorismus XXXI.

Vitriolo duo principalia remedia accepta ferimus, quorum primum, quod ex eo de sua terra minerali defæcato, & in formam salis granulati candidi sive incarnati reducto conficitur, præstantissimum est & securissimum expectorans, & vomitorium detersivum, multis morbis accommodatum, quemadmodum fusius

sius in Hemetologia mea explicui. Secundũ. spiritus ejus est, per destillationem ex eo elicitus, qui stomachum ac epar præcipue corroborat, putredini venisque resistit, extinguit sitim febrilem, febriumque ipsarum materiam potiorem absumit, multis deniq; aliis utilitatibus abundat, veluti id & apud omnes Chymicos in confesso est, & ego in anatomia mea vitrioli plenius ostendi. Usurpari debent duo hæc cum judicio non parum accurato, ac ad regulas medicinales composito. Non sunt namque panacææ, uti quidem sibi persuasere, quin propter qualitates acres & incisorias non possunt non graviter offendere, si dentur in corporibus, morbisque quibus non competunt.

Aphorismus XXXII.

Sulphur depuratum per sublimationem, ac attenuatum, Balsami adinstar corruptioni resistit, omnibusque infirmitatibus à causa frigida & humida profectis accommodum est: venenis ad[illegible]ur, & magis quam alia aliqua res a[illegible] infectum purgat. Balsamum ex floribus ipsis cum spiritu terebinthinæ præparatum non tantum affectibus supra dictis, sed & ulceribus putridis, aquosis & antiquis, rupturis intestinalibus, fracturis ossium, ani exitui, uteri procidentiæ; atq; aliis deniq; casibus multis adpropriatum est remedium. Spiritum acidum per campanam vitream destillatum non puto qualitatibus manifestis à spiritu vitrioli differre, nisi quod simpliciore gratioreque, quam hic, qualitate præditus videatur. In hoc enim si non accurate rectificatus sit, acrimonia instar rei metallicæ insuavis se offert, profecta, ut arbitror, à fuligine quadam Metallica, quæ in fine à vehementissimo igne compulsa, cum spiritibus prosilit in recipiens. Cui tamen malo diligenti rectificatione facile occurri poterit.

Aphorismus XXXIII.

Antimonium, tametsi id multi Medici, qui proprietates ejus juxta cum ignarissimis sciunt, maledico ore cavillentur, dat nobis vomitorium, omnium quæ à primis usque temporibus ad hanc nostram ætatem in usu fuerunt, efficacissimum & tutissimum, quod nulla symptomata venenosa producit, neque ullo modo corpus lædit, nisi fortean præparatum sit cum rebus, quæ nocere possunt, aut administratum ab eo, qui Medicinæ ignarus. Beneficio aceti optimum nobis sudoriferum depromit, quod 4. vel 5. granorum pondere sudores fortiter prolicit, & in multis morbis multum conducit: usus præterea antimonii est in chirurgia. Quoniam autem hac de re fuse disserui in Anatomia mea antimonii, ne actum hic agere videar; hoc in loco operosius hæc repetere supersedebo.

Aphorismus XXXIV.

Argentum vivum, etiamsi ejus usu interno Medici antiqui abstinuerint, qua de causa hodieque à multis, tanquam venenum proscribitur, ac Chymia id ita mortificare nesciat, quin semper pristinæ suæ formæ possit restitui: mater tamen illa artium experientia nos edocuit, quod verum sit luis venereæ antidoton, potentissimum in chirurgia Medicamentum, quodque Chymia id usui nostro egregie norit accommodare; Ut vomitivum fiat, modus optimus præparandi est, cum antimonio id destillare, inque pulverem album & insipidum, quem

Mer-

Mercurium vitæ vulgo vocant, redigere. Quod attinet præcipitata Mercurii, eaque sive rubra, sive flava, turpetha mineralia appellata, quum per aquas fortes, spiritus sulphuris & vitrioli, qui acrimoniam suam ipsis communicant, præparatio eorundem instituatur; ideo multo vehementius, quam Mercurius vitæ corpus commovent, salivationemque insuper causantur. Usurus Mercurio præcipitato intra corpus, præfero illum, qui sine additione, solo ignis interventu, conficitur: Proximum illi locum tribuo, quem cum ferro & chalybe corrigit, & lapidis Philosophici nomine insignit Leonhardus Fioravanti, saltem bene præparetur, atque à spiritibus aquæ fortis corrosivis diligenter sequestretur. Mercurius sublimatus dulcis, tutissimum est medicamentum, & specificum purgans, pueris unice destinatum. Nam in adultioribus parum operatur, nisi in magna dosi exhibitum, ac tum solivationem facile concitat. Præcipitatum album, quod catharticum mercuriale vocant, in lue Venerea, aliisque morbis, quorum à tartaro aliisque fæcibus in regione viscerum corruptis origo est, tutissimo exhibetur. Vomere tamen non raientur cogit, materiamque commovendo, corpus perturbat, unde cum judicio administrandum est. Mercurius Diaphoreticus, tutissimum quidem est medicamentum; at pro Panacæa perperam venditatur.

Aphorismus XXXV.

Magisterium plumbi, quod sacchari Saturni nomen improprie sustinet, medicamentum est insignium in refrigerando, repellendo, desiccando virium. Usus ejus felicissimus in multis affectibus externis, qui qualitates istas desiderant. Non tamen idcirco cancrum, polypum, fistulam, lupumque curat, uti vero quidam falso putant. Acrimonia certe, quæ ipsi à spiritibus aceti adfixa est, efficit, ut in magnis ardoribus excoriati, & ab humore virulento afflicti membri, non sine causa suspectum sit. Aquæ, acetumve per campanam plumbeam destillata, quæ aquam Æsculapii Zapata appellitat, magno cum successu contra epilepsiam detur pituitosæ constitutionis corporibus, quippe quod facile & sine inflammatione interna, secus, quam vel euphorbium, vel aliud calidum medicamentum, humores cerebri & stomachi phlegmaticos per expuitionem eliminet. Caute tamen hic se gerere oportet unumquemq;, non minus quam in reliquis medicamentis vacuantibus omnibus.

Aphorismus XXXVI.

Magisterium stanni non desunt, qui interne sumptum suffocationi matricis mederi asserant. Mihi quidem experientia certi de eo nihil constat. Hoc affirmare possum, quod bonum Ophthalmicum, tollendis oculi suffusionibus externis idoneum, de se præbeat, præditum iisdem propemodum cum plumbo viribus.

Aphorismus XXXVII.

Cuprum, quocunque etiam modo præparatum, intro sumere sit religio. Et tametsi sunt Empirici quidam chymici, qui id hoc modo usurpent, curationesque recenseant, quas hujus ope perfecerint: malorum tamen vel meminisse, vel ea non ignorare debebant, quæ ægris attulerunt plurima. Magisterium cupri cum aceto destillato confectum inter medicamenta chirurgica locum non ultimum obtinet: ulcera putri-

da abstergit & mundificat: saniem ex profundo fistularum attrahit, excrescentias aut carnositates consumit, corruptelam prohibet, desiccat, bonamque carnem producit. Verumtamen quoniam operationes has suas cum acrimonia quadam calida & mordace exserit; judicium requiritur, ut cui casui, quibus adfectibus conveniens sit dispiciatur. Alioquin partibus, quibus sine ratione applicatur, inflammationem ac dolorem posset accersere.

Aphorismus XXXIIX.

Chalybs Metallum est, ab omni qualitate maligna alienum, multis proprietatibus atque utilitatibus refertum, cujus rei Medici hac tempestate omnes testimonium ferre possunt. Chalybe abstrictorio usuro!; croceus ejus per reverberationem confectus, præ aliis præparandi modis omnibus, sit commendatus. At contra obstructionem crudus præparetur subtilieturque tantummodo, aut cum vino, aceto, succis herbarum, aut salibus appropriatis, prout cuivis Medico visum fuerit, in formam Magisterii adducatur. Oportet tamen, methodi, qualitatumque manifestarum in ejus administratione ratio habeatur, utque detur in morbis & corporibus non disconvenientibus.

Aphorismus XXXIX.

Ex argento præparatur Magisterium hydragogum, quemadmodum in libello meo Septem Planetarum terrestrium Spagyrica recensio, dicto, commemoravi, & in Ternario Bezoarticorum repetii. Ejus ope quanquam multas curationes, cujus rei mihi testis Deus est, felicissime perfeci: quia tamen & tempus longum requiritur, ut corrosivi specifici spiritus bene illi uniantur, idque usui interno reddatur idoneum; & non semper æque feliciter hoc obtingat, quin acrimoniam inamabilem sæpe retineat; & si non bene præparatio cesserit, nocendi sit, quam juvandi potestate instructius; usum ejus internum omisi, aliisque nunc hydragogis, gustui gratioribus, tutioribus, nostræque naturæ familiarioribus utor; quod ut alii quoque faciant, candide moneo. Quidam ex argento profitentur se educere posse somniferum & anodynum: plane contra rationem. Nam neq; substantia ab eo separari ulla potest, ut priore sectione diximus; neque in mineralibus reperitur, quod facultate somnifera atque anodyna specifica præditum sit, ut in opiologia mea ostendi. Alii Magisterium sive vitriolum Lunæ ostentant, quod omnibus epilepsiæ speciebus medeatur: quorum tamen verbis magnificis effectum fuisse minorem semper deprehendi. Interim non eo inficias, esse in eo proprietatem quandam cephalicam specificam; at vero ea, ut aliæ facultates medicamentorum, suis est terminis comprehensa.

Aphorismus XL.

Auri Magisterium cum suo proprio solvente præparatum, recte dicitur Aurum potabile. Et, quanquam aurum in eo semper aurum manet nihilominus quando hoc modo subtiliatur, & quasi recluditur, vires ejus de potentia in actum prorumpunt, ignis adinstar, qui è lapide elicitus, & de potentia in actum deductus, interventu cujusdam olei vel sulphuris, similis sibi naturæ, quamdiu cum his unitus subsistit, ardet. Atque uti consumto isto subjecto, ille quoque una consumitur, ita separatum à suo Magisterio aurum, atque à spiritibus sol-

solventibus sejunctum, est quasi mortuum. Ipsum quidem Magisterium est præstantissimum cordiale Bezoarticum, & quemadmodum in Chrysologia mea fusissime ostendo, inter omnia, quæ hoc nomine commendantur, Bezoartica, facile obtinet principatum.

Aphorismus XLI.

Auctarii vel superpondii loco addo, studiosum Medicinæ boni judicii, atq; impigrum, intra menses sex prærerpropter tantum in chymia posse addiscere, quantum ad usum medicum satis sit: saltem veris artis, quæ his Aphorismis comprehenduntur, fundamentis innixus, rectam viam ineat, caveatque sibi ab his, qui, proprii lucelli amore, artem faciunt longam, inutilibusq; speculationibus ac spinosis disputationibus miserrime intricant rem, quæ manualis tota est, ac in evidentibus artis exemplis consistit.

Habes hic, candide lector, fundamenta Chymiatriæ, quibus ejus in Medicina usus utilitasque ostenditur, & ad quæ, quia generalia sunt, omnes operationes Spagyricæ particulariores exigi possunt. Ego hic finio, Deumq; veneror, ut laboribus meis benedicere, eosq; in sui honorem, proximi, meumq; ipsius emolumentum cedere omnes velit.

FINIS.

PROCESSUS

De

AURO POTABILI, NOVO, PAUCISQUE ADHUC COGNITO:

Cui quidam alii ex Basilii Valentini, Iosephi Quercetani, Portæ, & aliorum scriptis excerpti, cum Commentariolis propter affinitatem ut adjungerentur, non inconsultum visum fuit.

AD LECTOREM BENEVOLUM.

VArii, amice lector & amator Secretorum chymicorum, de auro potabili conficiendo, atque præparando, modi ac processus sunt publicati, ac circumferuntur etiam secretiores scripti. Inter quos hic præsens, Angeli Salæ, ut fertur processus, non postremas partes obtinet, ut qui non tantum Spagyricus sit, sed etiam Philosophiam magnam redoleat. Hunc igitur in gratiam Spagyrorum publici Juris reddere, & unà cum aliis quibusdam Processibus secretis iisque eximiis propter affinitatem adjungere placuit. Quin & clavem tibi, in qua totus rei cardo vertitur & versatur, revelare non dubitavi, alias nullius usus futurus. Vale lector amande, & in tuum commodum utere.

GEBER ARABS.

In Sole & Sale naturæ sunt omnia.

AURUM quonam & modo & methodo, formam medicamentosam, in quovis liquore solubilem induat, atque adeo bibi aptum, quod potabile vulgo vocant, reddatur, ex intimis Spagyrices principiis, vivaque αὐτοχειρίᾳ demonstraturus, initio præsuppono hoc: Quod videlicet id, nisi beneficio menstrui, fieri nequaquam possit.

De hoc autem liquore convenit inter omnes

omnes, primò, quod ille uniri auro rite nequeat, nisi interventu tum solutionis, tum coagulationis. Ex quo duos actus, quibus aurum ποτιμον principaliter reddatur, & conficiatur, emergere nemo non videt.

Secundò: quod idem ille liquor solutionis, coagulationisque opifex, quam maxime fieri possit temperatus, ac blandus esse debeat.

Talis vero liquor, quia in aurum, quatenus ☉ agere nequit, ideo adhuc alius actus, isque minus principalis, prærequiritur, per quem ☉ ita præparetur, uti solutionem promptissime suscipiat.

Calcinationem Chymici improprie quidem, attamen significanter nuncupant. Itaque totus processus ☉ potabilis elaborandi, absolvitur tribus hisce distinctis, subordinatisque actibus;

Calcinatione,
Solutione Magistrali,
Et denique *Coagulatione*,

De quibus omnibus nos ordine videbimus.

Calcinatio.

Calcinationem ☉ quod attinet, ea nihil aliud est, quam actus, per quem corpus ☉ attenuatur, subtiliatur, emollitur, in indivisibiles atomos disrumpitur, inque pulverem impalpabilem redigitur, hoc quidem fine, uti ad suscipiendam in sese solventis Magistralis actionem, habile fiat ac idoneum.

Hæc calcinatio, duobus in universum modis, fieri consuevit, vel per humidum, vel per siccum.

Calcinatio in humido vulgariter fit, in aqua Chrysulca, quam regiam alias seu solarem nominant.

Constat hæc ex aqua forti & sale Armoniaco:

Capio aquæ fortis ex duabus partibus vitrioli & una parte nitri distillatæ, exempli g. libram 1. in qua dissolvo Salis Armoniaci summe depurati uncias duas.

Hæc est aqua Regia vulgaris, in qua pro instituta calcinatione dissolvo aurum laminatum, & frustillatim concisum, id quod leni calore, non sine tamen ebullitione dissolvitur.

Solutionem claram & flavescentem, in Bociam satis capacem, lixivio Tartari limpidissimo, ad dimidium, repletam, pedetentim, & fere guttatim instillo, quibus invicem confusis, prævio crepero ebullitionis strepitu, & mirabili exæstuatione, Sol instar limi procumbit in fundum, hoc facto & repercusso omni ex parte Sole, aqua calida eluo salsedines, donec nihil amplius acrimoniæ appareat.

Tum limum illum auri eximo & siccescere facio calore, vel levissimo, vel potius nullo, atque ita habeo præcipitatum Ceraunochryson, uti vocant Solis, sclopetantem, fulminantem, ita dictum, quod ejus grana duo vel tria, igni exposita, ubi flammam conceperint, concipiunt autem promptissime, similem bombardæ explosæ sonum faciant, operatione tamen pulveri pyrio contraria, quum non uti hic sursum sed deorsum versus, impetum suum omnem convertant.

Vidi ego (SALA) satis magnum mar-

mor,

ior, vi hujus calcis casu accensæ, in tustilla disjectum, non sine astantium periculo.

Cæterum ad calcis modo dictæ partes duas, conjungo florum sulphuris pulllimorum 1. partem. Hisce permixtis in crucibulo comburo sulphur, atque ita calx illa, acquiret colorem boli Armenæ, & vim sclopetandi omnem amittet.

Hujus calcinationis, aqua chrysulca, alia ratione pro alio itidem fine à me paratur.

Accipe exempli gratia aquæ fortis uncias octo, Salis armoniaci, & nitri depuratorum ana uncias tres, misce & per cornutam, servatis ex arte ignis gradibus distilla; elicies aquam, quam ob igneam penetrabilitatem, & corrosivitatem stygiam ego appello, de qua quia vulgaris illa, instituto nostro apprimè satis facit, pluribus hic agere supervacaneum puto: nisi fortean hoc quis notare velit, quòd in illa ipsa solutum, præcipitatumque aurum nullam vim sclopetandi habere deprehendatur.

Sed redeamus ad priorem calcinationem, factam in aqua Regia vulgari, & circa ejus Historiam quæramus,

Primò, Num illa calcinatio accurato Chymiatro sit admittenda, & non potius damnanda, & execranda, utpote quæ per aquam tam corrosivam, & humanæ naturæ infestam, instituatur?

Secundò, an possit solvi sine sale Armoniaco?

Tertiò, quænam subsit causa, quare calx auri vim inflammabilem & sclopetantem acquirat?

Quartò, num eadem illa calx intra corpus exhibita, vim habeat diaphoreticam?

Quintò, quomodo eadem cum sulphure igni exposita, non conflagret, & cum strepitu dispereat?

Ad singula quæsita breviter respondebo, & quidem ad primum: Chymiatros, (cũ iis enim mihi res est:) non magis vel posse vel debere damnare istiusmodi calcinationem, quam damnent Mercurium Diaphoreticicum ipsum, quem autor Basilicæ Chymicæ Osvvaldus Crollius antimonium Diaphoreticum, inepte nuncupat, ut qui minimè gentium ex antimonio, sed Mercurio constante manifesta reductione præparetur; Illum inquam Mercurium Diaphoreticum, quem partim ex spuma illa venenosa, (quam butyrum Antimonii vulgo, ego rectius Mercurii, vocant:) partim ex spiritu nitri, exercitatissimi quique chymiatri conficiunt. Et nihilominus tanquam arcanum summum, medicamentum maxime polychreston, alexiterium item minerale, summis laudibus deprædicare minime dubitent.

Equidem quare nostræ huic calcinationi magis, quam suæ dicam scribant, nihil profecto causæ video. Certe eadem utrobique Calcinationis ratio est: utrinque res agitur corrosivis, imo ab illorum parte magis, quam à nostra. Itaque si sua probant uti certe merito probanr, nostra quoque non improbent. Quod enim pro se respondebunt, in sua illa Calcinatione, ignis vehementis interventu, evanescere corrosiva: idem nos, de nostra quoque calcinatione, vere affirmabimus, in qua aqua regis separe & enervet lixivium, eluant iteratò affusæ aquæ.

aquæ. Ignis denique ipse superveniens exurat penitus, atque auferat.

Qua de re quisquis gustum solummodò suum, consuluerit, atque exactam una, ponderis rationem inierit, dubitare nemo poterit.

In secunda quæstione dudum fateor hæsi, donec experientia, mihi aliud tum quærenti, omnem dubitationem exemit. Aurum cum æquali parte Lunæ fudi, commixta hæc duo metalla, & in lamellas diducta, inundavi spiritu nitri acerrimo, in quo solutum prius erat nitri resinati tantum, quantum potuerat ille combibere, vidi solutum Aurum, argento prorsus intacto.

Tertia quæstio nihil difficultatis præbitura est, ad occultas proprietates, hoc in negotio, quemadmodum in plerisque aliis naturæ effectis mirabilibus confugienti.

Nam quod Crollius, Salis Armoniaci percussionis ipsius causam existimat esse, nihilo fit doctior, & ad idem, hoc ignorantiæ nostræ, asylum, protipere sese cogitur, siquidem quis porrò quærat undenam eam proprietatem, Sal Armoniacus habeat? Sed & ipsa ratio Crollii, utut speciosa appareat, penitiùs tamen inspecta, videbitur prorsus imaginaria. Nam quare magis contrarietas tartari cum Sale Armoniaco, quàm ejusdem cum spiritu, vel vitrioli, vel nitri, quo utroque Aquafortis componitur, repugnantia causetur percussionem? Æque enim vel nitri vel vitr. spiritus, æquè Aquæ fortis, atque Salis Armoniaci adversatur tartaro.

Quin imò omnibus solventibus acidis, & corrosivis, hostiliter inimicum esse, experietur, quisquis in metallorum, gemmarum, coralliorum, concharum, congenerumque corporum, solutionibus & præcipitationibus, aliquantulum fuerit versatus. Quid? Quod ipsa solventia corrosiva, quotquot sunt, per se cum sale tartari liquefacta, confusa, manifestissimè conspiciantur, hostili confestim pugna, ab utraque parte inter se congredi?

Itaque non valet primò, quod supponit Crollius, ex mutua pugna tartari cum Sale Armoniaco cadere Aurum, Nam quid quæso idem Aurum præcipitet in solo nitri spiritu, modo supra indicato solutum? Nullum ibi est Sal Armoniacum, & tamen præcipitatio ipsius sensibus obvia. Quid præcipitat Lunam solutam in aqua forti, in qua ne vel hilum quidem est Salis Armoniaci, vel esse per naturam potest. Siquidem argentum solvere debeat? Sed demus verum esse, quod vult Crollius, nihil eo aliud confecerit, quam hoc quod videlicet, mutua illa pugna, causa sit præcipitationis Solis. Atqui nemo tum non videbit, vim auri sclopetantem & percutientem, adhuc manere prorsus indemonstratam, quum diversissima sint, præcipitatio Solis, & vis ejus fulminans. Neque vel hilum eo juvatur, quod argutari pergit, Oleum tartari percutere spiritum nitri, summè purificatum, qui se in illo conflictu, cum sulphure Solis suo adversario conjungat, & quia sulphur illud Solis à natura summè depuratum sit & vulgari nostro sulphure longe subtilius, ideò valentius, & minore quantitate, operationes suas potenter efficere, videlicet quia Sal Armoniacus, pro constituenda percussionis causa adæquata, minimè sufficere videbatur, ideò de causa adjuvante

cogitandum erat Crollio, quam video esse sal nitrum percussum, ab oleo tartari, & conjunctum cum sulphure Solis.

At verò non tantum nitrum, sed universum sal corrosivum, quod in aqua regia continetur, percutitur, idque ex æquo, nec magis unum quàm alterum. Atque hoc ipsum universum junctimque percussum, non magis sese sociat sulphuri auri, quàm ejusdem hujus Mercurio. In calce enim Solis, teste reductione, subsistit aurum corporaliter totum secundum se totum, nulla ejus pars subsistit ibi seorsim, nulla istic facta est sulphuris separatio. Itaque quicquid indidem, cum auro unitur, cum toto auro uniri dicendum est, non cum sulphure seorsim.

Quod si vim φλογιςὴν, calcis auri, cujus ne verbo quidem meminit, à spiritu nitri, deduxisset causatus, quemadmodum omnis res natura ortus sui quasi memor, perpetuò redire desiderat, ad id ex quo fuit orta. Ita quoque in calce auri, spiritum nitri ad naturam nitri inflammabilem redire, non aliter atque usu venit, Quando idem spiritus cum argento est, in magisterium crystalloides exaltatus, tametsi vel sic quoque res ad occultas proprietates rediisset, aliasque quàm plurimas difficultates suggessisset, tum etiam vis sclopetandi sive percutiens, ipsi de integro probanda restitisset, aliquid tamen probabilitatis, adspersum fuisset, illi ratiunculæ, quæ sanè ut prorsus nulla esse cognoscatur, lubet eam irrefragabili experimento penitus evertere. Cape lamellas chalybis, solve in aqua regia, solutionem habebis flavescentem, & colore prorsus aureo, præcipita solutionem cum lixivio tartari, & procede eodem omnino modo, atque in calce Solis parandâ fecisti: perfecto opere dicat mihi Crollius, quare Sal Armoniacus tartarum, & spiritus nitri ipsum Martem, qui tamen secundum Philosophiam Chymicorum, ipsaque attestante experientia, plusquam aliud metallum ullum sulphuris habet. Quare inquam illa omnia, Martem non potuerint eò adigere, ut quemadmodum calx Solis, ita calx quoque chalybis percussionem illam, aliqua saltem ex parte ederit, vel imitaretur?

Sed pergamus ad quartam quæstionem, cujus affirmativam miror, quare Crollius, eumque securi alii sint professi. Ego certè ternis experimentis, etiam in me ipso didici, calci auri, non nisi vim catharticam, eamque sine ulla vel nausea, vel vomitu inesse, quòd ipsa mineras præsertim flatulentas, educat per alvum.

Neque res hæc analogismo caret rationabili. Quemadmodum enim in aërem macrocosmi, agit ab externo calore, in actum deducta calx, consimili ratione, à calore interno actuatam, par erat agere, in aërem ipsius microcosmi.

Quintam denique quæstionem facile expediemus, si, quod studiosè fortean occultavit Crollius, & plerique alii, nos manifestemus, calcem Solis cum floribus sulphuris permixtam, priusquam igni exponas, humecta, & quasi impasta, cum spiritibus, vel salis, vel vitrioli, vel sulphuris, vel quibuscunque aliis acidis liquoribus, & omne periculum effugies: & tantum de calcinatione in humido.

Cæterum in sicco calcinatur aurum, quando vel cum sulphure, vel cum sale quopiam, mixtim coagmentatur, seu uti barbarè

barbarè quidem, attamen significanter loquuntur, stratificatur, & in igne reverberii adhibito tali caloris moderamine, ne aurum fluat, subtilissimè pulveratur.

De hac calcinatione oritur exigui momenti dubitatio: num ea fiat sine corrosivo. Dubitationis causam præbuit Crollius, qui quum hujus ipsius calcinationis per sulphur minerale institutæ beneficio, ex Marte & Venere vitriolum doceret conficere, disertè professus est, sese hoc sine corrosivo facere. Nec videtur Crollius ratione destitui. Sulphur enim non est corrosivum. Ergo neque per sulphur quæ perficitur calcinatio, fiet per corrosivum. Ego tamen ut ostendam, quod sese facere negat Crollius, id omnium maximè facere, distinguo corrosiva in ea, quæ actu ipso & absolutè talia sunt, & quæ potentia. Sulphur actu quidem ipso, & quatenus sulphur est, nullam certè vel admodum obscuram vim corrodendi habet, sed accedente igne, in actum erodendi prorumpit, spiritus ejus fuliginosus & salinus, quem quisquis corrosivum esse neget, næ is dignus sit, cui oculos ille & palatum indesinenter mordicet. Per hunc spiritum sulphuris quum illa quoque calcinatio Crolliana perficiatur, utique negandum minimè est, eam per corrosivum peragi atque absolvi. Simile est de similibus calcinationibus judicium.

Superest adhuc alius calcinationis auri modus, à duabus illis, humida & sicca, distinctus, nisi quis eum malit, ad humidum referre, videlicet corrosio auri per Mercurium. Qui tamen modus quum Chrysopœiæ magis, quàm medicinali inserviat, eum tanquam à proposito nostro alienum inpræsentiarum dimittimus. Itaque hactenus tradidimus modos auri duplici via calcinandi, humida & sicca. Quarum alterutra, si nostro proposito accommodetur, saltem quasi rude quoddam initium calcinationis utraque est futura. Etenim utriusque generis calces, si menstrui nostri magistralis actionem commodam suscipere debeant, necessum est, ulteriùs adhuc, idque operosius, subigi ac elaborari. Quod quàm convenienti ratione ego faciam, est operæ pretium breviter indicare.

Calcinatio ulterior.

Est in rerum natura liquor, neque ex vegetabilium, neque animalium, neque mineralium, familia præcisè oriundus, de quo tamen nullum, sive vegetabile, sive animale, sive minerale non participet. Is arte spagyrica ad summum exaltatus, evadit plane spirituosus, aereus, diaphanus, subtilis, penetrabilis: ejus in solvendo & coagulando, vires expertus sum planè mirabiles, quas non tantum in rebus extra microcosmum, verùm etiam in ipso microcosmo potenter exerit. Magnaque cum admiratione & ipsius microcosmi commodo singulari. Receptus enim intra corpus humanum, statim vim suam spiritualem, ex centro, ad ipsam usque περιφέρειαν explicat, quascunque tartari microcosmici in visceribus præsertim, coagulationes efficaciter resolvit, separat resolutas, & mu-

& mumiam vitæ, quibuscunque tincturis venenatis, malignis, pestilentialibus, putredinosis infectam insigniter rectificat.

Hunc liquorem (cui nomen ego dedi, Mercurii Philosophici) commodissimum judicavi, qui inchoatæ calcinationis negotium perficeret atque absolveret. Itaque calcem Auri supra paratam, in hoc liquore solvi, solutam coagulavi, idque multoties repetii, donec tandem Sol ille terrestris, duodecim signis Zodiaci (i. e. bidui spatio) sui binies evolutis, devenisset in calcem subtilissimam, rarissimam, spongiosam & impalpabilem aptam jam solutioni, quam & ipsam breviter exhibebo.

SOLUTIO MAGISTRALIS.

Postequam ex laboriosissimo calcinationis opere sumus eluctati, faciliora deinceps, in solutione magistrali omnia sunt futura. Est autem hæc nihil aliud, quàm actus ille, quando liquor solvens magistralis, in calcem Auri ritè prædispositam agit, eamque sibi pemtissimè & secundum minima naturalia, concorporatam combibit. Hoc quidem fine, ut ex intima illa utriusque conjunctione accedente postmodum coagulatione debita, corpus Auri formam acquirat medicamentosam, in quovis liquore solubilem, & potabilem.

Modus solutionis hic est: cape liquorem nostrum magistralem limpidissimum, eumque funde super calcem. Videbis ex actione menstrui in calcem Auri minimè levem ebullitionem, atque exæstuationem, pone in balneo, & digere per triduum, solutio flavescet, quam per declinationem effunde, affunde iterum de solvente, & solve donec super fusus calci liquor, desinat ebullire, solutiones omnes collige & serva.

Hæc videlicet est solutio magistralis, ad ejus exactiorem cognitionem, tria pulcherrima problemata discutiemus.

Primum est, an illa solutio possit fieri sine corrosivo?

Secundum, utrum in illa solutione forma Auri metallica realiter destruatur, vel possit ita destrui per artem. Quæremus ultimò, an propterea negandum sit, in ejusmodi solutione aurum exaltari.

Ad primum problema respondeo ita, solutio calcis aurea, non potest fieri sine menstruo.

Illud verò menstruum, aut erit merè aqueum, & insipidum, cujusmodi est aqua vulgaris, & aquæ distillatæ vegetabilium. Aut erit sulphureum, cujusmodi est Spiritus vini terebintinæ, olea aromatum stillatitia &c. aut erit salinum, cujusmodi est, e. g. Spiritus vitrioli, sulphuris, salis, aceti distillati, mellis, succi limpidi citriorum, limonum &c. Quartum dari nequit, sed hisce tribus generibus, tota solventium familia continetur.

Menstruum aqueum, nihil de calce auri solvet, nisi fortè adhærescentis salis extranei quicquam eluat. Menstrua quoque sulphurea, intactam relinquent calcem auri, idque adeò verum est, uti ipse Crollius istiusmodi solutiones, deliramenta vocare non dubitet.

Reliquum est ergo, uti menstruum solutivum sit è genere salium atque adeò corrosivum. Nullum enim menstruum salinum, agit in calcem metallicam, nisi

corro-

corrodendo. Ratio hæc tam certa est, ac evidens, ut ipse Paracelsus disertè affirmarit, Aurum nisi corrosivo nequaquam solvi. At obstat quidam magni nominis Spagyrus in Anglia, qui Aurum suum potabile, quod conficit, cum solvente corrosivo conficere masculè inficiatur.

Verùm is convincitur 1. à sapore sui Auri potabilis, id enim tam acre est, quàm sunt ipsa magisteria coralliorum, perlarum, concharum, gemmarum cum spiritu aceti præparata. Secundò à modo actionis menstrui in calcem ☉. Nam quòd ipse disertis verbis fatetur, solutio calcis Auri fit, non nisi cum insigni ebullitione. At quid hoc est aliud, quàm corrodere & corrodi?

Tertiò denique ab eo, quod aurum suum potabile, aëri frigidiusculo vel humidiusculo expositum facilimè colliquescat, quæ sanè res character est corrosivi minimè dubius, siquidem Paracelso credendum. Neque verò tamen est, ut audito corrosivi nomine, statim quis cohorrescat. Quemadmodum enim in arte Medica, purgantia tripliciter distinguuntur, in fortissima, valida & benigna: perinde in Chymia quoque convenit, solventia corrosiva in tria ejusmodi genera dispesci. Ad primam classem referimus, aquas fortes, regias, Spiritum nitri, aliosque liquores præditos vi erodente ignea, & humanæ naturæ infesta.

Secundi generis sunt spiritus vitrioli, salis, sulphuris, aceti radicati, atque alii, qui quidem facultatem corrodendi minimè debilem possident, interim tamen naturæ nostræ non ita adversantur.

In tertio verò & benignorum ordine, collocamus, spiritum aceti simplicem mellis, aquam quercus, succum limpidissimum citriorum, arantiorum, limonum &c. Nos primi generis corrosiva quin etiam secundi, à solutione nostra penitùs amandamus. Et solo benigno liquore corrosivo rem conficimus, qu acrimonia sua, ipsum acetum destillatum minimè excedat, acetum autem ipsum certa quoque sua corrosivitate minimè destitui experientia docet. Quandoquidem illud ipsum corrodendo, non tantùm corallia, perlas, conchas, verùm etiam corpora metallica, chalybem, plumbum, stannum, cuprum in liquores resolvere valeat.

Quod si jam quis distinctione nostra susque deque habita, omnia in universum corrosiva, promiscuè proscribere præsumat, is etiam atque etiam videat, ne ipsum unà acetum, aliosque succos, naturæ nostræ familiarissimos exulare pariter jubeat.

Secundum problema bimembre est primò enim quæritur, num in solutione calcis solis, forma metallica destruatur?

Ad quod respondeo, eam minimè gentium destrui realiter. Quod si namque verè destructa esset, non posset reduci.

Nam quod semel corruptum est, idem numero redire nequit. Atqui ex solutione illa, idem numero Aurum, difficulter quidem, reducitur tamen: Ergo in illa solutione, Aurum non est destructum realiter. Anglus tamen ille, cujus supra memini, gloriatur, Aurum verè ac realiter in sua solutione destrui: At hoc ipsum contra veritatem, conscientiam, & experientiam. Ipsum namque ejus Aurum potabile, quomodo interventu salis tartari,

per ignem primò reverberationis, deinde fusionis reducatur, possum ad oculum ego demonstrare quàm miserè se involvat idem, quando ait, in solutione sua auri, destrui formam metallicam, & nihilominus in eademmet solutione aurum sub sua specie conservari. Ita certè per illum, unum idemque aurum simul erit & non erit aurum, erit & non erit metallum. Veruntamen negandum non est, in auro soluto metallicam formam certo modo destrui, videlicet non quoad esse intrinsecum metalli, sed duntaxat, quoad ipsius esse extrinsecum. Rectius non destrui quidem ipsam formam metallicam, sed superventu solventis, in cujus quasi gremio, penitissimè reconditum aurum delitescat, ut non nisi difficulter, inde protrahi possit, solummodò obliterari.

Alterum secundi problematis membrum est, num possibile sit, solvere ita aurum, ut forma metallica prorsus destruatur.

Qua quidem in re, etiamsi omnes Chymicos ferè sim contradicentes habiturus, ipse tamen propendeo in sententiam negativam, donec viva atque oculari apodixi, contrarium quis infallibiliter mihi demonstraverit. Ita namque existimo, quum ignis non possit destruere corpus auri metallicum, multò minus idem destrui poterit abs liquore solvente, & ratio est, quia id quod magis valet destruere corpora metallica, non potest aurum destruere, multo minus potest corpora metallica destruere, quam potest ipsum menstruum, quod sic probo, e. g. Sume plumbum, in igne reverberii per se calcina, calcinationem continua, usque quo in scorias vitrificantes plumbum abeat, tum videbis plumbum verè ac realiter, secundum suam substantiam metallicam esse destructum, vi videlicet ipsius ignis. Ab altera parte sume aliud plumbum, redige in cerussam, solve cum spiritu aceti, mellis, salis, sulphuris, vitrioli, aquæ Regis, aquæ fortis, aliisque quibuscunque liquoribus, etiam vehementissimè erodentibus. Hac quidem via nunquam eò adduces plumbum, quin id petita artificis manu queat ex solutionibus illis reduci. Ex quo opinor liquet majorem esse vim ignis, ad destruendam ipsam metallorum substantiam, quàm sit solventium quorumcunq; etiam corrosivorum. Quamobrem argumentum meum repeto. Si ignis non potest destruere corpus auri metallicum, multò minus poterit idem destruere menstruum sive solvens, ut non sine causa pronunciarit antiquus ille Spagyrus Rogerius Bacchon: Facilius est aurum facere quam destruere. Atque hæc quæ diximus adeò vera sunt, ut ipse Crollius, vim, aurum physicè sive radicaliter, id est, cum destructione formæ metallicæ solvendi, menstruis in universum omnibus detraxerit, excepto solo menstruo universali. Qui si in vivis adhuc esset, facilè cum eo pacisceremur, ut sententiæ nostræ interea omni ex parte subscriberet, quoad usque probatum daret, fontem illum menstrui universalis, non esse rem imaginariam, sed revera alicubi in rerum natura scaturire.

Ostendi hactenus in solutione magistrali, neque destrui corpus auri metallicum, neque destrui posse: Quomodo ergo inquies per eam aurum exaltabitur? Crollius postquam dixisset, calcem auri

in

in oleo salis instar butyri liquescere, subjungit, hanc tamen non esse veram, & radicalem solutionem, quia iterum in corpus reduci possit. Quod autem in corpus redigitur (uti & ipse philosophatur alicubi,) hoc ipsum crudum & indecoctum est. Natura enim bonum in melius, per alterationis modum transfert.

Atque aurum quod ita tractatur, neque alterationem passum est, neque solutionem physicam. In melius ergo non educitur. Ego verò mallem hæc ab alio quàm Crollio pronunciata. Causa quare solutio calcis aureæ, in oleo salis facta, non sit vera solutio, est, quod per illam solutionem, aurum minimè gentium acquirit formam in quovis liquore solubilem. Abstrahe enim spiritum salis, non nisi in forma calcis remanebit aurum. Non verò uti vult Crollius, veræ solutionis auri proprietas est, non posse reduci in corpus. Talis enim solutio, quia in rerum natura nec datur, nec dari potest, certe neque vera esse potest, ens enim & verum convertuntur, & æquè latè patent, unde si talis solutio est non ens, est quoque eadem minimè vera.

Pergit tamen nos urgere ratione Crollius, quam melioris intelligentiæ ergo, placet formaliter resolvere. Ita ergo ille ratiocinatur: Quod in corpus redigi potest, id non deducitur in melius. Aurum autem non radicaliter solutum redigi in corpus potest.

Ergo aurum non radicaliter solutum non reducitur in melius.

Propositio Major probatur. Quod crudum est & indecoctum, nullam alterationem, vel solutionem physicam passum, id non deducitur in melius. Ratiocinatio mehercule satis speciosa & plausibilis, in cujus tamen syllogismo priore, Majorem propositionem, ex ipso evertemus Crollio, subsumo enim, Antimonium Diaphoreticum (rectius Mercurius Diaphoret.) Crollii, omnesque aliæ Mercurii præparationes, ejusdem salia, coralliorum, perlarum, vitriolum artificiale, Veneris, saccharum Saturni: hæc inquam omnia, in corpus rediguntur suum. Mercurius nempe Diaphoreticus, aliæque Mercurii præparationes omnes, cum sale tartari commixtæ, ignique aperto in retortam submissæ, reddent in recipiens vas subjectum, vivum & corporalem Mercurium: Salia coralliorum, perlarum, in arena destillata liquorem quidem solventem, cum quo erant, in salis formam condensata, in receptaculum transmittent, ipsa verò corpora in forma lapidum pulveratorum remanebunt, in vase distillatorio. Vitriolum Vener. solve in aqua communi, præcipita cum lixivio tartari, præcipitatam ex viridi flavescentem funde in igne, & habebis corporalem Venerem. Saccharum Saturni intra quadrantem ♊ cum tartaro calcinato, ope ignis fusorii, redit in suum corpus. Quid itaque jam concludemus? Ergo hæ præparationes Mercurii, coralliorum, perlarum, Saturni, Veneris nullæ sunt, neque deducunt subjecta præparationi corpora in melius. Atque ita non tantum Crollio, ejusmodi præparationes summis laudibus extollenti, verum etiam ipsi experientiæ contradicemus.

dicemus. Atqui per Crollium non licet aliter, nisi hanc ipsius majorem, ingenua litura prorsus deleamus. Quam ipse fortè, tam inconsideratè non proposuisset, siquidem magisterii propriè ita dicti, in genere namque id nominis, quodcunque apotelesma spagyricum complectitur:) naturam exactiùs habuisset cognitam, videlicet finis Chymiæ, est exaltare corpora medicinalia. Hæc exaltantur, vel separatione partium purarum ab impuris, utilium ab inutilibus, cujus separationis exempla nulli non sunt obvia, vel citra sui separationem exaltantur, quod fit reductione in magisterium. Estque hoc, uti ex Paracelso alibi elucidavi, opus spagyrices, in quo corpus integrum citrà sui separationem substantialem, per conjunctionem menstrui appropriati, & convenientis exaltatur. Talia magisteria sunt illa Mercurii, coralliorum, perlarum, Veneris, Saturni, ex Crollio supra allatæ præparationes. Tale Aurum potabile Angli illius, tale quoque nostrum: Imò verò ipsa vera, & genuina, omnium tum metallorum, tum concharum, hisque affinium corporum, præparatio spagyrica, non nisi in magisterio sita est, ut rectè magisterium Solis, quintam essentiam Solis, esse Paracelsus affirmet.

Legat initium lib. 6. Archidoxorum Paracelsi, quisquis velit, tam magisterii in genere, quàm in specie magisterii aurei naturam, tum quomodo Paracelsus Crollio contradicat, & nobiscum omni ex parte faciat, rectè cognoscet.

Hæc tamen licet non aliter sese quàm quomodo dixi habeant, objici nihilominus potest, neque in magisteriis, exaltari isthæc corpora, sed qualitates omnes, omnemque agendi efficaciam, solis menstruis additis venire ascribendam.

Quòd si hoc inquam verum est, qui fit, quòd unum idemque menstruum cum diversis corporibus conjunctum non habeat tamen easdem qualitates, & proprietates: exemplis ad eam rem utar manifestissimis.

Quæro quare spiritus aceti, cum ♃ conjunctus, saccharinam dulcedinem præ se ferat, cum coralliis saporem amarum & minimè dulcem?

Quare spiritus nitri cum Luna conjunctus ardeat, Mercurio eò verò concorporatus sustineat ignis etiam vehementissimi examen?

Quare cum eadem Luna spiritus nitri hydragogum cum Mercurio Diaphoreticum utrumque certè, efficacissimum præbeat? Quare una eademque aqua regia, cum tartaro fulminare faciat, Mars minimè? Nisi fallor, hæ proprietates suo quæque magisterio, quatenus tali, non soli præcisè menstruò acceptæ referendæ?

Porrò in secundo syllogismo Crollii, quisquis majorem propositionem nolit simpliciter admittere, cum eo non multùm ego litigavero, certè præterquam quod in omnibus magisteriis, uti ex supradictis loquitur, corpora integra, & per consequens cruda & indecocta subsistant, etiam in ipsis Pharmacopoliis notum est, quod crudus chalybs per limaturam duntaxat, in pulverem redactus, agat efficacissimè in affectibus microcosmi, quod nequaquam idem faciat integer. Taceo quod frustraneæ sint futuræ plumbi in cerussam & minium redactiones, nisi per has

has plumbum deducatur in melius. Ego in propositione inficias eo, 1. quòd aurum non radicaliter solutum, nullam sit passum alterationem. Recognoscat quis mecum solummodò calcinationem, quàm ea operosa fuerit, quæ si una cum sequuta solutione magistrali, alteratio non fuit, eaque multiplex, ego quidem quid alteratio sit, juxta cum ignarissimis scio. 2. per solutionem physicam Crollius intelligit, vel talem solutionem, quæ fiat debita, convenientique applicatione, menstrui appropriati, ut agentis, cum calce solis rite elaborata, ut patiente pro hoc fine, ut inde emergat, Magisterium solubile & potabile, & tunc negamus solutionem nostram auri non esse Physicam, ubi namque Physica activa & passiva, naturaliter sibi invicem applicantur, quin ibi Physica quoque actio emergat, insani fuerit inficiari, aut intelligit solutionem, quam radicalem idem vocat, qua auri forma metallica, verè ac realiter destruatur, & tum principium petit Crollius, estque ipsi supra ex abundanti satisfactum. 3. Denique ex his consectarium deducimus.

Aurum nostrum potabile nactum esse certam perfectionem, ut non possit propriè crudum dici quum tot tantasque alterationes subierit, uti in formam medicamentosam secederet. Nec etiam tamen perfectè coctum dici posse. Quandoquidem in forma illa medicamenti subsistat corporaliter, sed hanc ejus præparationẽ, esse medio loco inter cruditatem & coctionem, medio dico, non per participationem, sed negationem utriusque extremi.

Atque hæc de solutione quoque sufficiant.

Coagulatio.

Restat coagulatio actus omnium facillimus & ultimus, per quem solutio auri magistralis reducitur, ad consistentiam solidam.

Solutio abstrahitur lento igne, quemadmodum fit in magisteriis Perlarum, Coralliorum & consimilibus. Ita in fundo relinquitur magisterium auri potabile, solubile in quovis liquore, ex pallido subobscurè flavescens, pretiosissimum naturæ arcanum. Quod quam mirabiles effectus, in microcosmo per sudores, urinam, insensibilem transpirationem, in febribus præsertim pestilentialibus, malignis petechialibus, variolis, peste ipsa, aliisque morbis, tam ἐπιδημικῶς quàm σποραδικῶς, grassantibus, tam ad præservandum, quam ad curandum, idque exigua dosi, à grano videlicet uno, ad grana septem sumptum habeat, id & in Anglia satis observatum est, & à proposito meo alienum, ulterius commemorare. Ego idipsum affuso Spiritu vini circulato ter rectifico, & ad usus in vitro bene obturato asservo.

Circa hanc coagulationem, operæ pretium fuerit, unicum duntaxat dubium movere, in gratiam præcipue Angli illius, cujus jam plus vice simplice memini. Is quum videret solutionem suam auream instar auri seu Croci colorari, cœpit inde ad extractam ex auro tincturam, argumẽtari, deceptus nimirum in eo, quod tincturam menstrui solventis, putavit esse tincturam rei solutæ. Qua de re vere scripsit Crollius (164.) Multa sunt menstrua quæ si stãt aliquamdiu in digestione per se

Sala à grano uno ad feptem exhibet, in liquore conveniente.

Aurum potabile aliud.

Primo aurum depurandum eft per Lupum πολυφάγον, lege artis. Secundo in aqua Valentiniana folvendum & præparandum per omnia, ut in tractatu Angeli Salæ indicatum. Ad effentiam verò inde extrahendam, fequens menftruum apparandum erit.

℞. Salis gemmæ, vel etiam, marini aut comunis præparati. q. v. 1. partem, & terræ figulinæ, aut boli armeni partes quatuor, (rectius opus perficies, fi ad l. falis, 1. fumpferis dimidiam libram aluminis optimè calcinati:) Sal pulverifa & cum terra, vel alumine mifce optimè, materiam utramque fic mixtam conjice in retortam, cui applica vas recipiens, & optimè l. a. obfirma, ubi factum diftillare incipe, primum igne leni ad expellendum phlegma: Tum ignem auge, non tamen nimium, nam parum fpiritus aut olei proliceres, fi vehementiore propellere velles, & fali ad fufionem anfam præberes, tandem igne in tantum aucto, ut retorta mediocriter candeat, & accipies oleum flavum.

Oleum quod exftillafti flavum, inde cucurbitæ humiliori vel retortæ convenienti colli fc. amplioris, & phlegma in B. M. vel fi retorta uteris, in capella vacua exftilla: Materiam quæ in fundo vafis tui remanferit, igne fortiore fublima, & fal quidam Armoniacus in alembicum elevabitur, fecibus fundo refidentibus, quæ, ut nullius pretii aut momenti rejiciendæ. (Nota fi diftillatio cum alumine perficitur, & quidem in retorta, tunc fal Armoniacus in collum retortæ fublimabitur, diftillatione femel peracta caput mortuum per tempus aliquod aëri humido exponitur, inde denuo retortæ injicitur & plus olei, atque falis Armoniaci accipietur, poterit ter, quaterve fieri.) Salem hunc Armoniacum exime, & in fpiritu vini optimè rectificato folve, & per octiduum in leni calore digere. Tum fpiritum vini exftilla, & fpiritus vini falem Armeniacum fecum in altum fublimabit, aut elevabit. Si prima vice non omnis fal afcenderit, fpiritus vini refidentiæ iterum affundendus & labor fublimationis iterandus, donec una cum fpiritu vini, omnis fal elevetur & tranfcendat.

Spiritus hic vini falis fpiritu imprægnatus, aurum non in totum folvit, ut docet Bafilius Valentinus, fed tantummodo animam feu fulphur auri attrahit, remanente folis corpore in fundo. Si menftruum prima vice fulphur auri non extraxerit, aliud menftruum affunde, tandem omnes extractiones conjunge. & in balneo unà exftilla & prodibit tinctura fanguinis inftar rubicunda.

Menftruum prædictum etiam infervit reliquis metallis, & mineris animam extrahendi.

Alia ratio præparandi aurum potabile.

℞. Salem communem cibarium, hunc funde in tigillo vel olla forti, poft effufionem contunde & tere minutiffime, vel fi volueris fumito Salem Armeniacum, vel falem petræ, cumq; cum calce viva calcina, ut moris eft, fufum & calcinatum in aqua diffolve, ut terra calcis refideat permitte, liquorē clarum & limpidū decanta & per chartam emporeticā trajice, poteris

eodem modo cum sale tartari & calce viva procedere, sed in hoc tantum mixtione & dissolutione opus est, ut sal tartari, & calcis vivæ uniantur. Filtratio hic locum non habet, propter enim nimiā corrosivitatem, omnem chartam perrumperet: tantum ut calcis terra residcat expectandum est & liquor clarus decantandus.

Ubi trajeceris, ut evaporet humiditas, & affusa aqua omnis da operam: Tum salem siccatum iterum pulverisa, & in locum humidum repone, ut in liquorem omnimodè resolvatur. Liquor hic Salinus in cucurbitam conjiciendus, cucurbita verò in Balneum cum alembico cœco reponenda, & ut putrefactio fiat per mensem curandum. Mense elapso, alembicus cum rostro cucurbitæ imponendus, & ex Balneo Mariæ phlegma extillandum: Quod in fundo restat, denuò per mēsem ut prius in putrefactionem collocandum, & in fūdo remanebit oleum, quod erit quinta essentia salis.

Hanc quintam essentiam Salis funde super calcem auri optimè præparatum & in digestionem colloca, ad extrahendam quintam auri essentiam. Extrahet autem secundum Portam tantum tincturam & corpus auri in fundo relinquet.

Quando essentia salis, anima solis fuerit imprægnata, tum decanta illam, & aliam affunde ad reliquam si qua in corpore solis erit essentia, extrahendam: ubi extracta fuerit iterum decanta, & cum priore conjunge.

Iam habeas in promptu essentiam vini optimè præparatam, & super extractam animam solis funde, & animam auri ad se trahet, relicta in fundo essentia salis. Essentiam, vini quod attinet, ab auri tinctura per Mariæ balneum separa, & ceu Thesaurum pretiosissimum serva.

Aliud aurum potabile Quercetani ex tetrad. fol. 440.

Aurum calcinetur more modoque philosophis usitato, sed prius adducatur ad summum puritatis gradum, per lupum incanum, seu multivorum, ubi purificatum, & calcinatum fuerit, tum immerge in aquam Regis, in qua aliquid de oleo antimonii glaciali solutum sit: Hoc ubi fiet, aurum eclipsin patietur & splendorem suum deponet, inque nigrum, lividum, & mortuum colorem mutabitur: Hæc autē mortificatio vitæ ipsius initium erit: Calci solis sic præparato, affunde aquam pluvialem destillatam, & ablue toties, donec rursus inclarescat, & fusco colore deposito splendidio reddatur. Nec quicquam periculi verendum, ex crebra illius ablutione; ut neque illius mortificatione.

Quo enim magis extinguitur, eo vitam splendidiorem, majoremque gloriam sibi comparabit, ex sulphureo & ardente liquore fructuum maturorum Iuniperi, qui ex sole, vitalem suum balsamum, & sanguinem exquisitissimum extrahit: Corpusque ejus album, pallidum, ac tanquam exanime, aut omni spoliatum vita relinquit. Hunc balsamum & sanguinem solis vitalem, si crebris cohobationibus ex spiritu flagrante Saturni per alembicum exercueris: exuperantem acquiret activitatem, ac operandi vim, virtutesque eximias, quibus Balsamum nostrum naturalem corroboret, ac potentiorem reddat,

reddat, sese omnibus hostibus suis expediendi,&c.

Tinctura Auri secundum eundem Quercetanum, ex lib. de Med. spagyr. de præparatione.

Primo aurum præparetur per ♄ ut moris est. Deinde cum floribus sulphuris reverberetur, amalgamatum prius cum Mercurio & hoc sæpius fiat reverberando illud, & præparando ut dictum tamdiu, donec leve, spongiosum, & irreductibile fiat,& purpureum acquirat colorem.

Ex hoc auro cum spiritu vini alcolisato,i.e.cum spiritu salis Armeniaci commixto,ut 4. digitos supernatet,extrahatur tinctura,in matratio hermeticè clauso, & postquam per mensem in balneo digestum fuerit, color cum spiritu vini commixtus separetur,sc.per Balneum.

Liquor hic tamdiu circuletur,donec fixus reddatur. Hujus tincturæ ℥j.mixta cum uncia j. aquæ theriacalis optimæ,ad scrupuli unius quantitatem mane jejuno stomacho sumatur, continueturq; decem dierum spatio. Medicamentum hoc Diaphoreticum est, expurgans universi corporis humores pravos & vitiosos.

Mercurius auri.

Auri album corpus, (quod est vera Luna fixa extracta sc. tinctura:) cum salibus resuscitativis,ut tibi constat,& cum aceto mellis, ut artis est, præparata digestione & sublimatione ab experto spagyro reducetur in Mercurium vivum & currentem paucorum dierum spatio. Mercurius hic in matratium conjectus per se percipitatur in furno Athanoris calore non magno sed mediocri,& fiet inde pulvis rubeus, de quo exhibentur grana octo cum vino aut aqua theriacali,ad hydropem curandam,& lucem veneream expellendam, per solum sudorem.

Præterea.

Si hunc Mercurium præcipitatum cum sua tinctura rursus conjuges, & debito tempore decoques in pulverem vel potius lapidem,habebis Medicinam omnium præstantissimam adversus lepram & sanguinem corruptum mundandum juventamque restituendam.

Aurum vitæ Quercetani in Sclopetario fol. 208.

Calcinatur aurum more spagyrico, ut levissimum & spongiosum reddatur, & quod reduci nequeat, à quo cum aceto dist. elicitur semen sive tinctura in Balneo, quod fit digestione, cujus tincturæ vires circulatione cum Spiritu vini ita augentur, ut ad innumerabiles morbos sanandos propemodum incredibiles videantur.

Aurum vitæ aliud præstantius eodem folio.

Aurum in tenuissimas bracteolas redigatur, & cum sale præparato toties calcinetur & reverberetur, donec impalpabile

reddatur. Salem ex Alcoole Solis separato solutionib. tum ipsum rursus calcinato sole candidissimo & Saccharino i.e. Saturini: Huic mixturæ affunde spiritus vini alcoolisati cum proprio sale, qui sc. in vino, non fecibus vini, trusen/latitat, ut ex artis præceptis traditur tantum ut quatuor digitos supernatet. Fac deinde ut accendatur & exardescat vini alcool, hocque sæpius reiterabis. Deinde novum affunde vini alcool, ac ritè & decenter omnia circulentur, quatuor dierum spatio, tum demum separetur distillatione competenti menstruum, novumq; rursus affundatur, totiesque circuletur & distilletur, ut factum est prius donec auri tota substantia per alembicum efferatur. Separato menstruo ut decet, remanebit in fundo Aurum vitæ omnium summum, & præstantissimum.

Aliud Aurum potabile ex cap. 29. tetrad. Quercetani.

Solvatur Sal marinus, Coloniensis seu qui ex aqua marina coaguletur ex arte. Solvatur autem cum proprio menstruo, id est, cum aqua pluviali, seu fontis distillata, idque fiat toties, donec ad summam purificationem ac claritatem perveniat. Hujus sic mundati & clarificati salis lib. 6 adjice dissolventis vitriolati & melliflui ex vegetabili & animali parati, it. aceti ex melle facti quod sufficit, ad majorem fermentationem, ac corroborationem, ut facta digestione convenientc, quam præiisse oportet (ideò additur acetum, ut ex eo expeditius & libentiùs spiritus salis per alembicum transeat:) usum vehiculi præbeat, (Sal enim si in distillatione vehiculo seu expulsore caret, difficulter spiritum prodire sint. Quare si quis salem in retortam conjicit & distillat, prodit aqua acida seu vitriolata. Quamprimum verò aqua seu phlegma in Sale latitans prodiit, Sal armoniacus quidam sublimatur: Quodsi verò à distillatione cesses & caput mortuum aliquâ aqua irriges, vel in locum humidum statuas, ad attrahendam aquam & rursus Salem illum in retortam conjicias & distilles, tum ut primùm spiritum acidum consequeris, hoc toties repetere potes, donec totum tuum salem, in spiritum convertas, qui postea in Balneo rectificandus) ad commodiùs, spiritus aqueos, sulphureos ac vitriolatos, dulces, acidosque, qui firmissimè sali illi reconditi inhærent, extrahendos. Quod in pixide Waldenburgica, hoc est, quavis retorta terrea firmissima, vel etiam vitrea luto probè munita & loricata, præstandum est.

In hoc versatur rei cardo, ut gradatim ignis admoveatur: in quam rem sedulo artifici, & in hujusmodi opere exercitato incumbendum est. Nec non & fornax reverberatoria Athanoris requiritur, in qua opus ex norma & mensura dirigatur. Oportet enim, vas incandescat, purpureo non claro calore, ne videlicet sal fluat, cujus fluxus Spiritus impediat, & retineat, ne copiosius & opportunè, ut decet, exstillent. In eo autem adæquato igne cornutam aut retortam immorari necesse est ad octo dies, quo tempore semper recipienti invigilandum erit, quod usque adeò & spissum

ſpiſſum & capax firmiſſimoque luto obvolutum vel obductum eſſe oportet, ne quid uſque exſpiret: quod & turbidum & ſpiritibus vaporoſis ac albis oppletum animadvertetur in quibus virtus & primum ens metallorum reſolutum eſt in aquam acidiſſimam. Poſt ſpiritus exhauſtos tandem ad collum & ſummitatem recipientis ſub finem diſtillationis ſublimabitur aut attolletur terra, quæ foliata dicitur, inſtar nivis albiſſimæ, vel etiam flava quę ei colloadærebit, qui mercurius aut ſulphur philoſophorum nuncupatur, quam utramque appellationem meritò & jure ſuo obtinet.

His itaque peractis & refrigeratis omnibus vaſculis, ut probè omnia conquieſcant, loricis vaſa erunt exuenda, conjunctaque per agitationem, utraque eſſentia ſalina ac ſpiritualis ſeu liquida in alembicum effundentur vitreum, ex qua tria principia ſummè ſpiritualia ſimpliciſſima ac efficaciſſima ſeu maximè penetrantia, quæ in ea continentur, ſeparanda erunt, ut ſeorſim ſingula ſeponantur, ut mox dicetur, quæque deinceps in unum corpus uniantur. Quod verè homogeneum eſt, ac nihil heterogenei retinens ſimpliciſſimum ac penetrantiſſimum efficaciſſimumque futurum eſt. Alembicus autem & recipiens firmiſſimè loricata in Balneo vaporoſo collocentur, ſuo quodque loco ac lentiſſimo calore inſipidum phlegma, aquæ tantum inutilis ſaporem referens ſeparetur. Quo ſeparato, ad juſtam ſatis quantitatem, idque lentiſſimo igne, ut dictum, alembicus frigori exponatur, ubi pellucidiſſimi Papilli Chryſtallini, guſtuique dulces formabuntur: Quibus ſemotis ac ſeorſim depoſitis, redditoque denuò balneo dulci alembico, ut rurſum ad lentū calorem inſipidum phlegma ſejungatur, ſi rurſum alembicus frigori exponatur, concreſcent iterum glaciales globuli, iidemque perdulces. Quæ quidem operatio toties repetenda eſt, dum nulli amplius lapilli emergant, & quicquid reſidui exſtillabit, non amplius phlegma inſipidum, ſed aciditatis vitriolatæ, quæ mordicationem ſummam linguæ inferat, inſtar acerrimi ſpiritus vitrioli guſtum inducat. Tunc verò ab operatione deſiſtendum, & in fundo alembici quærendum verum ſalis oleum vitriolatum, acidumque à quo omne inſipidum phlegma, & inutile extractum fuerit. Cryſtallini verò lapilli etſi ſapore dulces deprehendantur, admirandæ tamen ſunt virtutis, ut qui Soli vel auro ſeorſim, vel cum oleo ſuo, ad idoneam quantitatem permixti ſint verum terreſtris Solis menſtruum, ac diſſolvens. Ejus proprietates, ac virtutes vitales, vegetantesque locupletans ac exacuens. Liquor igitur iſte balſamicus, ex ſale eductus hoc ipſum poteſt, ſi ad debitam quantitatem, aquæ, aut paſſivi liquoris, qui ubique copioſus occurrit, commiſceatur. Iſta enim ſic diluuntur, ac contemperantur inter ſe idoneè mixta, ut hac mixtione roſæ, violæ, aliive flores, vel emarcidi ac ſicci, quique omni odore vitalique virtute, vel longo ante tempore exuti fuerint, perfuſi ac imbuti, priſtinum virorem ac vitales alias virtutes recipiant, ac in colorem genuinum, ac magis etiam flori-

floridum, quo vel dissolvens ipsum etiam tingetur, redintegrentur, ut nec majus, ex natura & verno sole, tot tamque elegātium sit feracior, quàm hyems ex artificiali nostro sole, ad radices herbarum effuso, fœcunda eniteat.

Hoc igitur modo, qui supra dictus est, si dulcedo illa crystallina salis, cum oleo, aut aciditate vitriolica propria, debita proportione conjungatur, Solque in eo philosophicè solutus, & in quintam ibi essentiam redactus omni sanguine rubicundiorem (quem colorem ex coctione aut digestione, proprioque calore sibi comparat) adjiciatur. Hinc universalis medicina nascetur admirandæ virtutis, quæ vellepram ipsam tum universalem, tum particularem totius corporis, Epilepsias, & id genus indomitos affectus, unius aut alterius tantum grani dosi, expugnare valeat.

Accepimus à docto quodam medico &c. quod Joannes Montanus Strigius, antiquus & magni nominis Medicus, ac singularis raræque in utraque medicina eruditionis, cum salis dulcibus istis crystallinis statim ex illis oleum rubicundum resolveret, quod in proprio vase solem in liquorem reduceret, unde præstantissima medicina oriretur, coctione omnium colorum discrimina experta. Cujus ad granum j. aut alterum, pro dosi, admiranda auxilia., adversus superiores morbos præberentur.

Laudanum Mercuriale Doct. Hartmanni Beyeri, ex quo aurum potabile.

Nonnulli secundum mentem Paracelsi, ex Chirurgiæ magnæ volumine tot locis colligunt, non contenti sublimatione, ulterius progrediuntur. Ex eodem enim mercurio plenè dextreque rubificato, conficiunt oleum, dulcissimi in Medicina usus. Sic

Imbibe Sublimatum cum spiritu vini ad modum pastæ, ut is tantum in vitro tres digitos emineat, post vitrum probè clausum in digestione fimi equini vel B. ad putrefactionem per mensem Philosophicum, i.e. per sex septimanas colloca, vel ut vertatur in mucilaginem oleaginosam, quo facto tolle spiritum vini ab eodem subtilissimè decantādo, & per filtrū trajiciendo, & distillando, lentissimo calore B. phlegma omne, ut restet in fundo oleum albissimum dulcissimumq;. Hoc postea igne arenæ vehementiore per retortam expulsum, abit in luteum quendam liquorem, & pars ipsius mercurii aliquota simul evocatur, quem repetita vice, cum oleo prædicto distilla denuò, revertuntur omnia in oleum grave, dulcissimi saporis & odoris fragrantissimi.

Hujus olei recipe uncias v. Solis per sulphur & mercurium optimè calcinati unc. ß. putrefac in phiala Hermetis signata, ad calorem cinerum, integrum octiduu. extrahitur tinctura solis instar sanguinis rubens, quæ relicto in fundo albicante solis corpore phiala Hermeticè occlusa, coagula lento igne Athanore in lapidem rubrum, quem super lapide porphyrio humido solve, in oleumq; denuò rejectis fecibus coagula. Tertiò eandem operam repete.

Ea summum Elixir vitæ & Laudanum mercu-

mercuriale, probe in vitro servandum. Ejus dosis est granum j. in haustu vini solutum, vel cum extracto Theriacæ, & pulvere liquiritiæ, quantum satis ad incorporamentum, in formam pillularem superbibito haustu vini, in quolibet morbo, repetitis dosibus, si necessitas exegerit, datur à grano sem ad granum j.

Aurum potabile compositum, idemque vere Spagyricum.

Primum fiat vitriolum ex calcinato cupro per sulphur, ut notum est, cum phlegmate vitrioli. Ex hoc autem vitriolo Veneris, fiat l.a. spiritus, & oleum. Deinde solvatur in hoc spiritu & oleo limatura martis optimi. Exinde rursus fiat l.a. vitriolum.

Vitriolum martis ubi paraveris faciendum est menstruum singulare ex spiritu salis, aceto destillato, & spiritu vini optime rectificato, aceti & spiritus vini sumantur partes æquales, spiritus salis autem quarta tantum pars. Hoc menstruum ter per alembicum est propellendum, ad tres spiritus istos uniendos.

In hoc menstruo, ut præceptum, parato dissolve vitrioli martis q. pl. Menstruum autem in Balneo rursus leniter abstrahe, postea per Retortam luto obductam & munitam, igne violentiori pelle, & transibit tinctura veneris & martis alembici finis, servato tamen debito regimine ignis, interdum instar fumi rubicundi nebulosi, qui fumus apud Basilium Valentinum materia prima tincturatum & perfectionis corporum mineralium nuncupatur,

Phlegma de hoc spiritu in Mariæ Balneo abstrahe, affunde spiritum vini rectificatum, & circula, & rursus separa, sic Medicinam habebis prorsus excellentem atq; admirandam: si vero placeat spiritum hunc tingentem, cum auro unire secundum Basilium Valentinum, tum aurum finum solvendum erit in oleo salis, solutio in Mariæ Balneo abstrahenda, in illa abstracta aqua solve duas partes tincturarum martis & veneris, rursus abstrahe, & cohoba, dum in distillatione omnino sentiatur acrimonia. Tunc recentes spiritus vel oleum recens salis superfunde auro, & quidem tantum, quantum pro solutione acceperas, in cineribus per aliquot dies leniter digere, deinde abstrahe ab iisdem aquam leniter. Aquam hanc abstractam in MB. tepidam prius redditam, rursus superfunde & destilla ut prius, in fine ignem aliquantulum augendo. Sic aliquid corporis solaris, qualibet destillatione elevatur. Sol hic cum marte & venere animatus & conjunctus, perpetuo irreducibilis existit. Abstrahe aquam in MB. ad siccitatem, imbibe cum oleo Tartari summe depurato, & in cella secunda vice resoluto, & probe filtrato, rursusq; exsicca, imbibitionem bis repete, tandem exsiccatum in cineribus phialæ immissum, fortiter fove, ut quasi coalescant, postmodum rursus pulverisa & resolve in cella, in oleum sanguineum, quod extrahe cum spiritu vini & serva ad usum.

Compendiosius sequenti modo hac peraguntur.

Ubi omnia Alembicum transcenderint,

bstrahe ad oleitatem,& superfunde spiritum vini rectificatum,cum sale urinæ acutum ut scis, & è vestigio omnes tincturas extrahet,pauco de corporis solis subalbido & omni tinctura exuto remanente. Spiritum hunc abstrahe per Alembicum & recentem non acuatum superfunde, ad oleitatem abstrahe, quam per Retortam pelle, sic habebis tincturam admirabilem ad omnes totius corporis affectus.

Spiritus Solis Domini Ioh. Osiandri præsulis Murbacensis.

Non minus artificiosa, quam Spagyrica & Philosophica est præparatio,spiritus auri,quæ fit & paratur ut sequitur.

Primum aurum in tenuissimas bracteolas redactum,cum Mercurio vivo amalgamandum est, & per corium rursus transigendum.

Secundò massa quæ in corio post transactionem Mercurii vivi relinquitur, in testa aliqua vitro obducta, sub pileo vitreo, ad excipiendum avolantem Mercurium prunis ardentibus imponitur,ut non segnitet in fugam se conjiciat.

Tertiò semper priusquam Mercurius ex dimidia parte, vel in totum expiret, removenda auri ab igne massa, & rursus terenda est,ne massa coëat,aut coalescat. Qua in parte sæpius,etiam ab optimo artifice peccatur,& à scopo aberratur.

Quartò Mercurio omni ex parte fugato, & expulso, cum calce reliqua novus Mercurius conjungendus,& semper idem per ignis vim rursus abigendus, donec eadem calx jam ægre Mercurium sibi jungi concedat.In labore hoc non opus est, ut Mercurius in amalgamando soli junctus prorsus fugetur ,non refert etiamsi aliquid cum auro maneat.

Quintò,quando jam calx solaris incipit, ægre atque difficulter Mercurium sibi commisceri ad faciendum amalgama,tamdiu procedendum est, donec calx Solis Mercurium vivum & currentem in consortium prorsus nolit amplius amplecti, (id quod ego inquit author processus multiplici experientia didici.) Neque refert hic, quantum Mercurii auro admisceat, nihil hîc periculi est,sed tantummodo caveatur, & prospiciatur, ne massa solaris in unum coalescat.

Sextò, quando calx solis Mercurium prorsus non vult admittere, vel ægerrime solummodo,tum Mercurius omnis expellitur per calorem ignis, sed interim providendum, ne calx fundatur, calx talis quodammodo rubet.

Septimò calci huic affundendum acetum destillatum,nullatenus autem radicatum, (hoc enim huic operi nihil conducit) & acetum illico calcem solarem hoc modo paratam aggreditur, priusquam in digestionem collocetur, & extrahit quandam Essentiam.Tum acetum decantatur, & aliud affunditur, rursus per 24. horas in digestionem collocatur, & tantum ex calce solari extrahet acetum,quantum ad solutionem Mercurius aptum reddidit: sed qui quantitatem molarem sibi imaginatur,profecto is sibi somnia fingit.

Octavò calci solari residuæ rursus adjungitur Mercurius vivus, vel prior qui in usum venerat, vel alius novus, non refert: Et

Et cum calx in continente cum Mercurio se copulare permittit, & quidem promtissime, & tum primi labores ordine repetuntur, donec tota calx solaris in Essentiam solvatur, quod tamen non nisi multis, & sæpius repetitis laboribus fiet.

Nonò omne acetum, quod in solutionem fuit adhibitum & decantatum conjungitur, & in cineribus lento igne evocatur, & in fundo residebit sal albicans, qui cum aqua pluviali distillata est indulcandus, statim vero in aqua solvitur.

Decimò, quod si sal talis diligenter in moderato calore fuerit exficcatus, tum Retortæ luto optime munitæ inditur, & magnum vas recipiens applicatur, & probe ad fugam spiritib⁹ intercludendam luto cavetur, per gradus ignis administratur & primum prodibit phlegma, hinc sequitur fumus, qui instar fili lanei ad fundum recipientis contendit. Tandem vero, ut in tinctura corallorum tam potens & copiosus sequitur fumus, qui nullo artificio tam arcte potest occludi, in recipiente Retortæ applicato, quin ejus odor nares feriat, & quidem instar croci.

Undecimò his peractis recipiens vas ut refrigescet cum Retorta permittitur, & diligenter colligitur.

Duodecimò hic spiritus potest rectificari, & quidem in tantum, ut subtilior fiat, quam spiritus aliquis vini.

Expertus sum inquit author processus, quod ejusmodi spiritus, si calci Lunari subtilissime tritæ affusus, quandam flavedinem extraxerit. Hæc oculis meis vidi, & manibus aliquoties tractavi, & scio processum esse verissimum, sed diligentem requirit Spagyrum, interim fateor esse labore[m] haud brevem, non exiguam partem calc[is] solaris requiri. Quandoquidem una vic[e] perparum extrahitur.

Princeps quidam cum hoc spiritu ho[minem] deploratæ valetudinis restituit, & multum cum eo præstitit, sed qua ration[e] intra & extra corpus debeat usurpari, & a[n] quoque ad Metallorum transmutationen[m] aliquid faciat, id mihi non constat, docti[s] & expertis id Philosophis ad experiundum relinquam. Hoc tantummodo notatu dig[num] est, quod solidissimum & perfectissimum corpus solis nullique igni cedens, i[n] tenuissimum, & subtilissimum spiritum possit reduci, id quod ego non semel, se[d] multis vicibus expertus sum.

Aliud

Aurum potabile, quod est desumptum ex Testamento Fratris Basil. Valentini.

Summum atque primum aurum potabile, quod DEUS OPT. MAX. in totam naturam collocavit, est probe excocta præparata & fixa substantia, lapidis nostri universalis, priusquam illa fermentetur nulla major, præstantior, & excellentio[r] Medicina universalis, & aurum potabile potest in tota natura per orbem universum terræ reperiri, aut in lucem proferri, cœleste siquidem est Balsamum, quoniam ipsiu[s] principia & prima exordia, ex cœlo originem sumunt, & in terra formantur, postea vero, post suam summam puritatem, a

summam perfectionem deducuntur. De quo primo exordio, primaque origine, hujus cœlestis substantiæ ego quidem fuse satis & quantum necessitas postulat, scripsi, ut hic repetitione non opus esse existimem.

Quemadmodum vero excocta ejusmodi & perfecta substantia, summa, principalis & maxima universalis Medicina microcosmi est, sic viceversa illa ipsa materia, post suam fermentationem etiam tinctura est, & summa, maxima, & potentissima est medicina, omnium Metallorum, quæ per hanc ad summam depurationem & valetudinem perfectam, nempe in purissimum aurum possunt transformari, & transmutari. Et sic hoc aurum potabile summum & maximum, atque universalis est medicina, totius mundi, de quo solo, multa librorum volumina possent produci. Quoniam ipsius præparatio antehac in tertia parte secundum omnes circumstantias est descripta, & docta, non operæ pretium arbitror, ulteriorem institutionem proponendam, sed in dictis acquiesco. Sed ulterius dicam & declarabo, una cum absoluto processu, quemadmodum verum aurum potabile, ex communi summe depurato, & perfecto auro possit fieri & comparari.

Recipe extractam ex auro animam sive Essentiam, quæ cum spiritu salis communis dulcifacta est, quemadmodum te in particulari docui, & corpus solis totum albicans comparuit, spiritum salis extilla, & animam solis, decem vel duodecim vicibus dulcifica, tandem probe exsicca, eamque pondera, & quatuor partes spiritus vitrioli Ungarici, dulcis scilicet affunde, bene obsigna, inque Balneum vaporosum colloca, putrefac lentissimo calore atque igne, & quidem tamdiu, donec totaliter solvatur, inque aquam, seu primam materiam reducatur, & ex ambobus illis, liquor sanguinis adinstar rubens, pellucidusque fiet, sic ut ejus cum rubedine nullus rubinus possit conferri.

Hoc interim observa, quod si anima solis ceperit dissolvi, & in primam materiam suæ substantiæ transiverit, quod in vitro primum ad spondilia circumcirca, ubi materia tenetur, circulus eleganter viridis conspiciatur, denique vero omnes colores arcus cœlestis coëunt, & comparent, qui tamen brevi tempore durant.

Quod si vero anima Solis jam plane fuerit soluta, & nihil ultra in vitri fundo conspicietur, duplum pondus spiritus vini optime rectificati affunde. Vitrum sigilla quantum poteris optime, digere, vel putrefac rursus una per duodecim, aut quindecim dies, tum unà educ per alembicum, & materia transcendet, in forma sanguinis absolutissimi & optimi, aurea tota, perspicua: Toties hanc eductionem & exstillationem itera, donec nihil amplius de corpore Solis in fundo remanserit: & tum habebis verum, & perfectum aurum potabile, quod in æternum nunquam poteris in corpus aliquod reducere. Interim notandum, quod corpus solare, antequam destruatur, & anima ejus extrahatur oporteat ad summam puritatem & perfectionem reduci,

Aurum

Aurum potabile Fr. Baſ. Val. alterum.

Aliud etiam aurum potabile fit, & arte ſingulari paratur, quod licet non pro perfecto omnibusque numeris abſoluto auro potabili poſſit divendi: tamen plus etiam eſt quam ſemiaurum potabile habendum, quoniam quoad virtutes & efficiam ſuam, potentiſſimas vires in multis morbis edit, quos alias natura vincere nequit, id quod experientia docuit & comprobavit.

Aurum vero potabile tale, duabus viis atque rationibus præparatur, ubi poſterior, priore præſtantior & efficacior eſt, ſed plus ad id faciendum temporis & laboris atque operæ, quam ad primum requiritur, primi vero præparatio talis eſt:

Recipe extractam animam Solis, quæ cum ſpiritu ſalis dulci parata eſt, quam optime & diligentiſſime dulcifica, denique eam ſiccari ſinas, atque in phiolam capaciorem immitte, vel etiam in cucurbitam, huic affunde oleum vitrioli rubeum, quod ab omni phlegmate ſit liberatum, & prius per Retortam ſit rectificatum, ut perſpicuum & clarum fiat, id eſt album, ut obſervare poſſis, cum animam Solis aggreditur, & ſolvit, ex qua in rubrum & amœnum colorem tranſit. Hujus vero olei tantam affunde quantitatem, ut ſulphur vel anima Solis, in eo ſolvi poſſit, tum in Mariæ Balneum pone, ad putrificandum, ſeu digerendum, & ignem paulo vehementiorem adhibe, donec videris animam auri diſſolutam & colliquatam, in oleo vitrioli. Si qu forte feces in fundo reliquerit, eas ſepai ab extracta anima, tum affunde ulterius & quidem in duplo pondere, Eſſentiæ vin vel ſpiritus vini optime rectificati, ut tei meo Teſtamento docui & inſtitui, vitrur ſigillo Hermetico obſigna, ne ſpiritus vir exitum ſibi quærere poſſit, & denuo in Balneum Mariæ colloca in putrefactionem moderatiſſimumque adhibe ignem, menſi unius ſpatio, & acrimonia olei vitrioli pe ſpirituum vini imminuitur, & ſuam acredinem amittit, ut una præſtantiſſima fiat Medicina. Hanc medicinam toties per alembi cum diſtilla, vel etiam per Retortam, donec nihil in fundo cucurbitæ, vel Retorta relinquatur. Et ſic acquires plusquam ſemiaurum potabile, in forma & colore ſumme flaveſcentis liquoris. Interim nota quod cum aliquibus Metallis etiam hac ratione proceſſus poteſt inſtitui, ut ſcilicet ex Metallo primum fiat vitriolum, ex quo ſpiritus diſtilletur, & hac ratione cum anima conjungatur, ſolvatur, & cum ſpiritu vini digeratur, donec omnia ſimul in adæquatam Medicinam tranſeant, ut docui, quæ ſuas quoque easque non parvas obtineat vires & virtutes.

Aliud ejusdem Fr. Baſilii, Valent.

Altera via ejusmodi ſemiaurum potabile præparandi, quod quidem plus non eſt aurum quam ſemiaurum potabile, virtute tamen & efficacia proxime deſcriptum multis paraſangis ſuperat, & longo poſt ſe intervallo relinquit, talis eſt, ut ſequitur.

Rec. animam auri extractam, de qua supra dictum, eam in phialam immitte, & superfunde extractum sulphur Philosophorum, quod cum spiritu Mercurii, id est, vitrioli ex terra Philosophorum extractum est, & Mercurius, sive spiritus Mercurii usque ad oleitatem, quæ sulphur est, rursus abstractus sit leniter, per modum distillationis. Hujus Sulphuris Philosophorum, affunde tum ut dictum antea, tantum, ut in eo anima solis solvi possit, & in leni Balnei calore ut requiescat permitte, donec talis solutio peracta sit, tunc plus affunde, optime & summe rectificati spiritus vini, digere porro leniter & una exstilla donec nihil in fundo amplius restet, & habebis Medicinam, quæ vero auro potabili haud multum præeminentiæ concedit. Et hæ sunt præcipuæ viæ, quibus corporale aurum potabile redditur. Hactenus Basili⁹.

Præparatio Auri ad Aurum potabile.

Recipe Metalli omnium præstantissimi, quod propter indesinentes hominum insidias, quæ ei struuntur pallet, quantum libet, vel quantum tua fert conditio, id funde ter per lupum incanum seu multivorum, ut ipsum Philosophorum Spagyricorum celeberrimus Fr. Bas. Val. nominat. Tum redigatur in tenues bracteolas, seu folia tenuissima, & solvatur in menstruo sequenti: Recipe spiritus aromatis nobilissimi, (non quod ex India advehitur, sed quo nemo non hominum quotidie utitur:) unam partem, & spiritus cerberi Hermetici optimi quatuor partes, in hoc injice flavum tuum Metallum in cucurbitula, vel matratio positum, & pone in calorem debitum, donec omne solvatur. Si menstruum non omne Metallum solverit, affunde, decantato primo aliud, & solve, tum solutiones tuas confunde. Jam habeas in promptu Mercurium vivum crudum, purgatum tamen, & tantum in solutionem conjice, quantum Metalli solveras, & sic spiritus cerberi Hermetici & aromatis nobilissimi, Metallum deseret & Mercurium aggredietur, Metallum autem ad fundum in forma subtilissimi pulveris subsidebit; quod cum aceto distillato imbibendum, & ter in Balneo abstrahendum, & sic accipies calcem auri subtilissimam, quam per mensem igne mediocri reverberare poteris, ut tanto ad Essentiam inde extrahendam subtilior evadat.

Aurum potabile πολυθρύλητον, seu famosissimum Angli illius Francisci Antonii.

Primò omnium dissolvatur aurum finum in aqua regis secundum artem: Fiat autem aquæ fortis libra j. huic addantur unciæ quatuor, salis armoniaci, in aqua distillata soluti, filtrati, & rursus coagulati, & distilletur primum in cucurbita in Balneo, spiritus vero graviores demum in Retorta in Balneo sicco, hoc est, in cupella vacua, sed bene operculata. In hac aqua solve tuum aurum, solutionem in vitrum lati fundi effunde, & quod sit colli amplioris, vel in oleo salis, & spiritu nitri rectificatis, ut paulo ante edoctus es. Priori solutioni cum aqua regis facta, guttatim infunde oleum tartari per deliquium facti, donec aqua

qua regia clara & alba evadat. In hanc scilicet solutionem per spiritum salis & nitri factam funde ad unicam dimidiam, unicam unam Hermetis Chymici, colloca in lentem calorem, in matratio, obturato leviter vitro cum cera, & aurum fundum petet, spiritus vero se cum Mercurio conjungent, & ipsum solvent, qui Mercurius una cum menstruo dum adhuc calet, ab auro est separandus, & in locum frigidiorem collocandus, separabitur phlegma menstrui & Mercurius in vitriolum album abibit. Aquam regis quod attinet, ubi post præcipitationem auri clara evasit & perspicua instar Crystalli, dabit tibi signum, aurum tuum omne ad fundum descendisse: sine ut quiescat per noctem, & mane liquore effuso, calcem in fundo quater aut quinquies communi pura aqua ablue, eamque debito modo exsicca.

Nota priusquam calx omnino exsiccata fuerit, scilicet, quæ cum oleo Tartari præcipitata est, (nam altera hac tractatione non indiget:) imbibe illam cum oleo salis communis, quod oleum Tartari mortificat, & fulminationem omnem avertit. Si autem siccare volueris, sine præparatione cum salis spiritu, cave ne calor sit excedens. Quamprimum enim calorem calx sentit, flammam statim concipit, & in auras evolat, sonitum horribilem instar bombardæ explosæ edens, ut qui præsto sit, de vita periclitetur. Quare tutius est in aëre vel hypocausto tantum siccare, & spatulea lignea diligenter agitare.

Calci si vis adde dimidiam partem sulphuris pulverisati simul misce, & in crucibulo igne rotæ sulphur conflagrare permitte, adhibendo in principio ignem fortissimum, ut calx quodammodo reverberetur, & tenuissima evadat, quam in phiala optime clausa, ad usum serva.

Jam fiat spiritus urinæ hominis sani, modice bibentis vinum, in cucurbita bene clausa, in fimo equino, vel alio loco calido per mensem Philosophicum, hoc est per 40. dies digere, finito putrefactionis tempore, distillatur urina per alembicum, adhibito recipiente satis amplo, donec omnis humiditas distillata fuerit, distilletur tertio à capite mortuo per cohobia, rectificetur, ut exinde spiritus postea juste elevetur. Ex phiala ergo prolixioris colli, cum suo alembico, & recipiente juncturis optime clausis, bene in cineribus distillatio instituetur, & elevabitur spiritus instar in alembicum, nulla concomitante humiditate aquea. Hæc distillatio, ad completam elevationem, totius spiritus continuanda est, quod sublimatione prodiit, cum aqua pluviali distillata solvitur, & ex phiala, ut prius distillatur, idque sexies repetitur, semper novam aquam accipiendo. Hinc in phialam Hermetice clausam per 15. dies & noctes reconduntur crystalli, & digeruntur lento Balnei calore, donec in colorem limpidissimum abeant, Huic liquori additur æquale pondus spiritus vini, è vino bono facti, & quam optime rectificatur, & simul in Balneo per 12. dies digeruntur & uniuntur. Recipe nunc calcem solis antea præparatam & ei affunde menstrui è spiritu vini, urinaque facti ut tribus digitis emineat, in lento calore digere, donec sanguinis instar rubicundum evadat, tinctura decantata & sæpi-

ſæpius collecta in B. per aliquot dies digeritur.

Hinc leniſſimo calore ſpiritus ſolvens abſtrahitur, denuo ſemel cohobandus. Hinc remanet in fundo cucurbitæ liquor in forma olei rubicundiſſimi, ſuavem odorem de ſe ſpargentis, in quolibet liquore reſolubilis, propterea oleum hoc ſuccedaneum verum eſſe poteſt: eandem ſolutionem ſi non in Balneo, ſed arena deſtillas, è cucurbita humili vel Retorta, poſt partem menſtrui primam, cum reliqua ejus parte ſolis tinctura per alembicum tranſit rubicunda inſtar ſanguinis, relicta in fundo vaſis terra nigra, arida, ſpongioſa & levi: ipſum autem menſtruum, quod in tinctura ſolis prodiit, per Balneum tepidum ſeparandum eſt, ut oleum ſolis in fundo cucurbitæ reſtans, ſolum aſſervari poſsit. Hoc eſt illud aurum potabile, quod in Anglia habetur, apud Franciſcum Antonium, unde ſæpius in Germaniam & alia loca allatum.

F I N I S.

ANA.

ANATOMIA

ANTIMONII,

ID EST,

DISSECTIO, TAM DOGMATICA, QVAM HERMETICA, ANTIMONII,

Usum, proprietatem, & Vires ejus declarans.

LECTORI BENEVOLOS.

C*Ertissimum est, Amice Lector, inter præcipuas Artis Medicæ partes, quæ addiscendæ sunt illis, qui verè nomen Rationalis Medici gerere & tueri volunt, (post Pathologiam, quæ morbos, & eorum causas ac symptomata indagat,) unam ex principibus maximeque necessariis existere illam, quæ exactam cognitionem medicamentorum, eorumque præparationem docet, per quæ dictos morbos curare possit. Hæc profectò Medicinæ pars tanti facienda est, tantumque momentum habet, ut sine ipsa reliquæ omnes subsistere non queant. Nam haud secus ac peritus belli Dux frustra tentaturus foret inimicum suum ex urbe aliqua expellere, si solummodo notitiam haberet de rebus bellicis disserendi, ac inermia verba faciendi de situ loci, forma, structioneque mœnium, turrium, arcium aut propugnaculorum, itemque de numero propugnatorum qui dictam urbem tuentur, de industria & scientia bellica illius, qui ejus præsidii curam habet, quibus mutationibus fidat, & in quibus opibus spem fiduciamque suam collocet dictus adversarius: nisi ipse insimul perspectum habeat absolutissime, quo modo, quibusque conatibus hostem suum obsidere, oppugnare, tandemque vincere ac expugnare possit. Eo-*

dem prorsus pacto parum aut nihil prodesset Medico qui ægrum quempiam ab ægritudine sua levare sanareque desiderat; nosse quam subtilissime ratiocinari de temperie seu complexione corporis, modo vivendi, ætate, causa antecedente morbi, materia peccante seu morbifica, parte affecta, quænam in toto corpore maxime affligatur, rebus quæ morbum fovere, alere augereque possint, effectis & symptomatibus quæ inde originem ducunt, statu præsenti, & in quo mox esse queat; breviter de omnibus iis quæ ad cognitionem mali attinent; periculumque quod quantumque immineat; si nihilominus ignoret medicamenta quibus morbum oppugnare, & ægrum in pristinum statum sanitatis restituere debeat; aut saltem (si insanabilis sit affectio,) quomodo palliare, hoc est, ad tempus aliquod mitigare, aut differre symptomata possit, impedireque quo minus progrediatur ægritudo; quousque videlicet Deus Optimus Maximus, juxta Providentiæ suæ beneplacitum, naturalium medicamentorum vires in ægrorum corporibus progredi permittit. Medicus certe quantumvis aliarum quarumcunque Medicinæ partium callentissimus, si in hac parte vacillet, eamque non exacte cognoscat, similis est lampadi oleo plena, cujus ellychnio flamma deest: Nam ut lampas sine igne nullum de se lumen expandere potest, sic etiam Medicus si cognitione medicamentorum destituatur, nullum specimen effectumque dabit, quo pro Medico habeatur agnoscaturque, aut ullo honore dignus æstimetur. Iure merito igitur antiqui Medici, (qui apud coætaneos posterosque suos immortale nomen sibi parare semper conabantur,) usque adeo studiosi diligentesque fuerunt in dicta Medicinæ parte excolenda, quod ex ipsorum scriptis patere aperte potest. Quorum ne magnum numerum recensere cogar, ad id quod dico stabilendum sufficere nobis debebit solum hoc Galeni, Medicorum Rationalium Principis, testimonium; quippe cujus nomen apud omnes doctos tanti sit. Tantus igitur ille vir, tam assiduus diligensque indagator fuit omnis Materiæ Medicæ, ut non contentus iis Simplicibus quæ in patria ejus nascebantur, sine ullo metu periculorum longissimas peregrinationes ad loca quam remotissima susceperit, ut loca ipsa unde medicamenta peregrina adferri audiebat, propius contemplaretur, eaque penitius cognosceret, atque eorum sufficientem copiam in usus suos colligeret asservaretque. Id quod testatur Libro IX. de Simpl. Med. facultatibus, dum inquit: Itaque in Lemnum, Cyprum, Palæstinam, & Syriam eo studio navigavi, ut medicamentorum istorum cujusque vim magnam, quæ in omnem

vitam

vitam meam satis forent, reponerem, &c. Adhæc ut medicamenta plurima quæ adulterari seu, ut loquuntur, falsificari ab impostoribus etiam ipsius ævo solebant, à veris certius infallibiliusque dignosceret ac discerneret, summam non contemnendam nummorum expendit, ut imposturam ipsam addisceret, non ut ipse medicamenta adulteraret, prævaricareturque in fraudem damnumque emptorum; aut ut lucri cupiditate, mercaturam impostoriam exerceret: sed ut signa differentiasque quibus adulterata à genuinis differant, internoscanturque, explorata haberet, sicuti ipse narrat supracitato libro & capite, paulo altius, ubi de Diphryge verba facit: Adjiciam vero, inquiens, huic qui de illo habetur sermoni, rem non modo de Diphryge scitu utilem, sed & de Lemnia sphragide, & Pompholyge, & Opobalsamo, & Lycio Indico. Nam etiamnum adolescens didici hæc ita præparare, ut à veris nativisque nihil differre viderentur. Nam qui me docebat ingenti mercede, homo curiosissimus erat, non in his tantum, sed & aliis similibus. Et non solum laborabat ut haberet cognitionem externam rerum: sed studebat etiam cognoscere ipsas vires, tam propria industria, rationali indagine & experientia, quam etiam aliena: nunquam recusans addiscere, cujuscunque tandem conditionis homines forent, per quos aliquid proficere posset: veluti manifeste patet XI. de simpl. Med. facult. ubi agit de præparatione Cancrorum adversus morsum canis rabidi. Et raro equidem (inquit) aliter illis ustis nos sumus usi; cæterum eum modum plerumque quo Aeschrion Empiricus, ille medicamentorum peritissimus senex, concivis ac præceptor meus. Et paulo post narrat modum quo dictus Empiricus, tantopere ab ipso honoratus, Cancros præparare solebat. Ita ut Galenus nunquam destiterit quam diligentissime addiscere rationem, qua omnia quæcunque ad dictam partem Medicinæ tam necessariam Medico requiruntur, certa explorataque habere posset, sicut etiam 3. de comp. Med. posteros ad sui imitationem exhortatur. Existimo, inquit, omnes juvenes ingenui animi hac ratione, (hoc est, suo exemplo,) incitatum iri ad investigandam veram exactamque Simplicium cognitionem: quæ non solum semel consideranda sunt, sed sæpius. Nam cognitio rerum sensibilium perficitur continuatione videndi, id est, perpetua oculari inspectione. In Præfatione autem Libri 6. de Simpl. Med. facult. reprehendit eos, qui contenti sunt comparasse sibi solummodo cognitionem medicamentorum ex librorum lectione, sine ulla ulteriore indagatione. Profecto non sine ratione conqueri debemus de iis qui primitus icones herbarum depictas evulgarunt: cum multo

præstantius certiusque sit herbas ipsas contemplari & contrectare: alioqui similes fieremus illis, qui se pro gubernatoribus navium gerunt, cum nunquam navigaverint, artemque navigatoriam solummodo ex chartis tabulisque depictis didicerint. Quoniam si eo modo instructi progrederemur, sane expeditiores certioresque essemus in cognitione non tam plantarum, quam aliorum quorumcunque medicamentorum. Et libro de Aliment. facult. ita scribit: Librorum is solummodo usus est, ut memoriam refricemus illarum rerum quas antea didicimus; & non ut exactam cognitionem alicujus doctrinæ suppeditent illis qui nihil antea sciverunt istarum rerum. Usque adeo ut Galenus velit Medicos cognoscere exacte res medicinales, non solum ex relatu aliorum, sed & ex proprio intuitu & experientia. Quocirca, quicunque pro rationali vereque dogmatico inter Medicos censeri desiderat, verusque Galeni discipulus haberi, debet partem aliquam temporis studiique sui collocare ad acquirendam perfectam cognitionem medicamentorum, eorumque exactam præparationem, & quanam inde sequantur effecta. Non tamen inde sequi velim, debere nos animum ingeniumque nostrum ingurgitare immergereque in vastum profundumque omnium remediorum pelagus, cujus nunquam fundus repertus ab ullo Medicorum tam nostri quam antiqui ævi, nec etiam ab ullo futuri seculi invenietur. Nec item suadeam, ut quisquam immanem cumulum coacervet medicamentorum, jungens miscensque Indiam, Arabiam, universamque Europam simul, ut inquit Fuchsius in Thesauro Medicinæ, dum reprehendit eos qui talia faciunt. Sed hoc solummodo requiro, studeoque, ut Medicum Patronum Dominumque faciam alicujus medicamentorum numeri, illorumque nempe quæ maxime excellunt, efficacissimaque sunt, & generalissima in operationibus suis adversus præcipuos quosque morbos, qui passim communiterque se oggerunt. Quod ipsum & proculdubio à Galeno præstitum fuit, posteaquam plurima medicamenta examinasset, ut ex Methodo ipsius apparet; atque etiam hoc modo fecerunt faciuntque etiamnum prudentissimi totius orbis Medici: præsertim quum immensus numerus remediorum, ingenium judiciumque Medici perturbet & confundat. Hanc ipsam credimus fuisse causam, ob quam Hippocrates, (Medicorum maximus,) tam paucis medicamentis uti consueverit, ut in omnibus ipsius operibus apparet, non autem quod non cognoverit magnum numerum medicamentorum; quoniam penes ipsam erat copia & observatio omnium remediorum, quorum experientia per universam Græciam facta fuerat.

fuerat. Si igitur temporis tanta longitudo, quæ est à condito Mundo, ad hanc usque diem, nobis commoditatem dedit addiscendi & examinandi tot medicamenta, certissimum est hoc nostro seculo eam sese offerre quammaximè: quo non solum omnes antiquorum doctrinæ ad materiam Medicam attinentes exactè perpensæ sunt & examinatæ, imò ad culmen summum perductæ: sed quo ipso etiam tanta ad ipsas accessio facta est, per nobile istud excellensque instrumentum Artis Chymicæ, per quam discere nobis datum fuit, oculisque nostris agnoscere dignoscereque substantias corporum ab antiquis prorsus ignoratas, ex quibus omnes res naturaliter compositæ sunt: quo ipso etiam didicimus separare diversa remedia ab uno corpore: ac universim, præparare medicamenta efficaciora, subtiliora, & penetrantiora, leniora, (& ut ita dicam amicabiliora,) & perfectiora, quàm antiqui Medici nos facere docuerunt. Quæ ipsa inquam Ars nobis patefecit mirabiles naturas & effectus corporum mineralium, multo clarius quam prisci ævi hominibus unquam concessum fuit. Verum hoc in ista re est infortunii, quod quantumvis tantum nobis bonum ab ista Arte obvenerit, tantum Medicis decus, tantusque favor apud omnes nobis inde accesserit; nihilominus reperiatur etiamnum hodie maximus Medicorum numerus, qui (existimantes esse rem mechanicam, vilem, & planè indecoram Medica dignitati,) non solum recusant ullo modo manum admovere ejusmodi operi: sed, quod pejus est, malitiose perverseque contemnunt exsibilantque eos omnes qui Artem istam exercent. O si Galenus, qui nulli labori sumptuique pepercit in visendo regiones, ut Naturæ secreta indagaret, ut addisceret adulterare & imitari plurimas materias medicas, & præparare Cancros, Empirico Magistro, ut suprà diximus: quique non dedignabatur contundere caseum putridum, & cataplasmatis forma imponere ut illum in arthritico experiretur: ut patet lib. x. Simpl. med. qui non abhorrebat observare vires viperæ, serpentis tam venenosi, adversus elephantiasin; ut est lib. 11. Simpl. Med. & lib. de Antid. qui ipse invenit usum Sulphuris adversus venenum Pastinacæ, Phalangii, & Draconis marini, illudque pauperculis piscatoribus remedium communicavit, quo se adversus ejuscemodi venena præmunire possint, ut habetur lib. 9. Simpl. medicament. qui ipse quin etiam, præter infinita alia experimenta, non existimabat esse rem inhonestam & planè vilem exquirere & observare proprietates fimi humani, excrementi tam execrabilis & putentis, supra omnia alia; idque ut synanchem curaret: usque adeò avidus erat

addiscendi omnium rerum vires, ut Lib. X. Simpl. medicam. facult. legere licet: Si, inquam, Galenus Chymicum aliquem reperiisset qui ipsi arculam parvam ostendisset refertam excellentissimis Oleis distillatis, Spiritibus aquosis, Salibus, Extractis, Tincturis, Balsamis, & Arcanis Vegetabilium, Animalium, & Mineralium, iisque omnibus diversarum virium ac operationum; Vomitivis inquam, Catharticis, Sudorificis, Diureticis, Anodynis, Cordialibus, Alexiteriis, Vulnerariis, Specificis adversus plurimos morbos: breviter, plenam remediis in substantia, omnibus quippe quibus universim Medicus opus habere potest, iisque in minima copia & quantitate aptis ad sanandum mille ægros: si adhæc dictus Chymicus obtulisset Galeno, docere ipsum modum præparandi & comparandi sibi omnia ista remedia. Quo quæso animo quamque obviis ulnis credemus Galenum excepturum fuisse, quibusque amplexibus exosculaturum, ejusmodi Chymicum, & quem laborem subiturum ipsum fuisse, ut ad plenariam istarum rerum cognitionem pervenire potuisset! Homines sanè maturi judicii, quibus heroicum & generosum Galeni animum ex scriptis ejus rimari agnoscereque datum est, nullo modo dubitarent quin dictam artem ita excepturus fuisset æstimaturusque, ac si novum aliquod Oraculum foret, & quin grandia de ea volumina conscripturus fuisset: quippe qui nunquam calamo pepercit ut omnia quæ sciebat supra omnes alios Medicos, posteris communicaret. Verum enimverò tantam felicitatem non habuit, summus ille maximisque virtutibus scientiisque instructus vir, ut minimam hujusce artis particulam cognoverit. Posteaquam igitur Deus Optimus Maximus nos hoc dono ditare dignatus est, magis quàm antiquos, omnis Medicus ingenui altique animi, (qui infinitam Providentiam Creatoris sui admirari contemplarique gaudens, simul etiam proximo suo gratificari conatur,) cognitionem dictæ Artis Chymicæ acquirere sibi debet: quæ Ars, ut dictum à nobis est, non solum est instrumentum utile ad præparanda excellentissima remedia, sed præcipuè idonea est ad exacuendum ingenium Philosophi, quo penetrare possit in arcana Naturæ, cognoscereque penitus ac profundè virtutes operationesque ejus, idque simplici conjecturâ ac ductu rationis, multo meliùs quam sine hac tam necessaria Medicis Arte facere potuisset. Cum igitur propositum meum esset præcipuum, exhortari Medicos quibus otium est, & particulariter adolescentes, ac novos Medicinæ discipulos candidatos monere, ut meum consilium sequi in prædictis velint; volui ad illos magis excitandos libellum istum meum ad illorum gratiam in lucem emittere, de

ANA-

ANATOMIA ANTIMONII, quæ materia particulatim esse poterit vice sigilli, & authenticæ, (ut ita dicam) confirmationis prædicti mei argumenti. Quo ipso libello traditum à nobis exactè est, in quo differat opinio Medicorum Chymicorum, quantum ad naturam & proprietatem Antimonii. Adhæc tractatur in eo quæ controversia sit inter Medicos quoad ejus usum, quinam boni aut mali ipsius sint effectus, itemque vanæ imaginationes plurimorum Chymicorum, qui nullam prorsus ipsius experientiam habent, nec non separatio substantiarum ipsius, modus ac via ipsum præparandi, quando eo pro vomitorio uti volumus: itemque quomodo ipsum sudorificum facere possimus, & aptum ad operandum per insensibilem transpirationem, ut præparandum sit in usum Chirurgorum: Breviter, quicquid meretur in universum sciri ac cognosci de hoc minerali, quod Antimonium vulgò vocamus. Idque omne præstitum à me hîc est prorsus facili & intelligibili loquendi modo, & qui ab omnibus Medicis capi comprehendique possit. Qui meus labor, & conatus Reipublicæ Medicæ gratificandi, ut spero, Benigno Lectori, ac præcipuè veris Galeni discipulis, qui heroicum ejus altumque spiritum ingeniumque imitari desiderant, gratus obventurus est & acceptus, (& minimè ab illis rejicietur, ut etiam haud ita pridem accidere consuevit quotiescunque tale quippiam in lucem recens prodibat; quando nimirum Ars hæc Hermetica stylo obscuro, terminisque minus intelligibilibus tradebatur.) Quod ubi mihi contigerit, intellexeroque non ingratum meum esse laborem, accrescet mihi animus ulterius quid in simili materia conandi, & in publicum emittendi aliquot meos Tractatus, quos concinnavi plurimorum annorum spatio, prout longissimo studio & assiduo labore novi quippiam animadversioneque digni observare & annotare potui; quodcunque nempe mihi, secundum captum, exiguitatemque ingenii mei, dignum videbatur dicta nostra Arte, ac etiam Medicis universis utile & fructuosum. Vale.

PARS

PARS PRIMA ANATOMIÆ ANTIMONII.

De forma, minera, & fodina, qualitate, viribus ac prærogativis ipsius; & oppositionibus eorum qui usum Antimonii inhibere voluerunt: itemq; de vanis conatibus experimentisq; plurimorum Chymicorum in separatione substantiarum ejus.

CAP. I.

De Antimonio, ejus viribus, ac usu, secundum Medicorum Antiquorum examen.

DIOSCORIDES, celebris autor, & materiæ medicæ Studiosorum seu Simplicistarum, ut vocant, omnium tam Græcorum quam Arabum, princeps, libro V. capite LIX. loquens de Stimmi, quod Latinis Stibium, vulgo verò Medicorum hodie Antimonium appellatur, ita inquit: Stimmi optimum, quod splendidissimum est, modoque nitedularum, (vermium noctu lucentium,) emicat, confractu crustosum, nihil terræ aut sordidi habens, friabile, quod Stibium appellarunt, alii Platyophthalmon, alii Larbason. Vis ejus adstringere, meatus obstruere, refrigerare, excrescentias in carne cohibere, ulcera ad citatricem perducere, sordes, & ulcera ocolorum expurgare. Sistit & sanguinem è cerebri membrana profluentem: Et ut in universum dicatur, vis usto plumbo similis est. Privatim, ambusta igni, in pustulas erumpere non patitur, cum adipe recenti illitum: crustosas ulcerationes ad cicatricem perducit, cum cera & exigua cerussa. Torretur pinsita farina circumlitum, & carbonibus obrutum, donec carbunculetur crusta: exemtumque restinguitur mulieris lacte, quæ marem pepererit, aut vetere vino. Uritur etiam carbonibus succensis impositum, & efflatum, quoad igni deflagret: si enim paulò magis concremetur, plumbescit. Lavatur ut Cadmia & Æs. Sunt qui ut Plumbi recrementum eluant.

Plinius lib. 33. cap. 6. ita de eo scribit: In iisdem argenti metallis invenitur, ut proprie dicamus, spumæ lapis candidæ nitentisque, non tamen tralucentis: Stimmi appellant, alii Stibium, alii Alabastron, alii Larbason. Duo ejus genera, mas, & fœmina: magis probant fœminam. Horridior est mas, scabriorque, & minus ponderosus, minusque radians, & arenosior, Fœmi-

Fœmina contra nitet, friabilis, fissurisque non globis dehiscens.

Galenus autem de eodem Metallo loquens lib.9. Simplicium medicamentorum ita inquit: Stimmi ad facultatem desiccantem adjunctam habet adstrictionem: quamobrem & ocularibus Medicinis commiscetur; & illis scilicet quæ confortantur in collyria quæ vocant; & siccis, quæ utique sicca collyria cognominant.

Hæc sunt universim quæ Antiqui de hoc Antimonio seu scripserunt seu senserunt. Ex quibus omnibus manifestum est, illos facultates ejus non usque adeo examinasse per ignem atque in usus medicos convertisse, ac nostrorum temporum homines fecerunt. Quocirca nostrum est nihilominus Antiquis gratiam habere pro iis quæ de eo ab ipsis comperta & tradita sunt: illosque excusatos habere, quod plurima quæ hodie de hoc Metallo scimus, ignoraverint: quoniam Artis Chemicæ cognitione prorsus carebant: per quam his ultimis seculis DEO placuit hominibus permittere, ut manifeste cognitam revelatamque haberent magnitudinem Providentiæ suæ in Creaturis terrenis, idque multo largius apertiusque quam Antiquis datum fuit.

CAP. II.

De Antimonio, & virium ejus præstantia, usuque, secundum Medicos neotericos.

ANTIMONIUM, juxta sententiam plurimorum Physicorum seu Naturalistarum, est compositio quædam rerum necessariarum ad Creationem Metallorum, seu mineralium; & accedit admodum ad complexionem, proportionem & materiam argenti vivi. Minera seu fodina ipsius invenitur in montibus, æque ac aliorum Metallorum; & inde extrahitur diversis modis seu operationib⁹. In agro Senensi & aliis quamplurimis locis fodinæ ejus satis copiosæ sunt: optimumque est illud quod in Comitatu Sanctæ Floræ prope Sylvenam, vel Selvenam oppidum effoditur; ut testantur plerique autores. Credo etiam in Hungaria & Germaniæ montibus reperiri; partim quia ex aliorum relatu id didici, & quia Matthiolus id ex Germania Venetias adferri refert: partim etiam quia in illis locis tam vili venditur, ut vecturæ pretium ex Italia in Germaniam multo grandius fore putem. Nos illud emere solemus à magnariis mercatoribus Ithopopolis aut Pharmacopolis, liquefactum & in panium formam fusum, instar saccharinarum massarum, sed paulo minorum. Exterius crustosum apparet, & coloris plumbei; manibusque tractatum, digitos inficit, haud secus ac plumbum solet. Interius refertum est venis lapillaceis, micantibus resplendentibusve ut ferrum expolitum. Fragile est & ruptu facile. Pulverisatum ubi fuerit, splendorem amittit, & assumit colorem plumbi usti. Crucibulo seu fusorio vasi inditum, ignique impositum citissime funditur, & in liquorem resolvitur, odorem sulphureum emittens, & fuliginem albam per aërem spargens, instar Pompholygis,

aut Tutiæ albæ; quæ ipsa lateribus fornacis aliisque vicinis lapidibus parietibusque adhæret. Diu autem igni commissum ferreoque instrumento concussum ac crebriuscule agitatum, formam vitri acquirit, planeque simile fit plumbo per cappellam acto, quo utuntur ad argentum depurandum. Theophrastus Paracelsus Antimonium in censu ac numero Marcasitarum reponit, & Marcasitam plumbi appellat, ut videre est lib. 6. Archid. capite de Magisteriis Marcasitarum; & in Cœlo Philosophorum 5. Reg. ubi loquitur de natura plumbi. Uno verbo, Vulcanus demum nobis ostendit, Antimonium esse corpus, quod consistit & compositum est naturaliter ex Sulphure minerali combustibili, instar alterius Sulphuris; ex Mercurio fuliginoso, coagulato tamen, magisque cocto quam est Hydrargyrum, & ex substantia quadam terrestri, quæ ipsa, juxta definitionem Paracelsi, Sal ipsius nuncupari potest: ut infra latiùs declarabitur in secunda hujus Tractatus parte. Cæterum Antimonium satis notum est per universum orbem; posteaquam non solùm stanni fusores, speculorum chalybæorum confectores campanarum, globorumque bellicorum, nec non typorum impressoriorũ fusores, & alii ignium artificialium gnari quam sæpissimè hoc metallico corpore in operibus suis uti consueverint; sed & multi prudentes Medici hujus temporis illud ipsum quã felicissimè in usus convertere soleant, adversus quamplurimos graves humani corporis morbos.

Quod ad vires Antimonii attinet, Theophrastus Paracelsus, Medicinæ Doctor, (qui & ipse Professor fuit anno 1527. in Academia Basiliensi, ut ex ipsius scriptis intelligere est:) de hac re variis operum suorum locis verba facit, ut mox patebit. Ac primum, libro 3. De vita longa cap. 6. ita inquit: Sicut Antimonium finit Aurum, sic eadem ratione ac forma finit corpus: in illo enim est Essentia quæ nihil impuri cum puro confundi finit. Quod ipsum etiam confirmat 2. lib. Magnæ Chirurgiæ, Parte 2. de Cura ulcerum, cap. 5. de Præparatione. In quodam suo Tractatu de Lepra, dicit Antimonium vim habere conservandi corpus à corruptione; recenseṭque illud inter maxime efficacia remedia Elephantiasis. Libro insuper 6. Archidox. capite de Magisteriis Marcasitarum, eadem dicit; Antimonium nempe sanare Morpheam, Alopeciam, Lepram Leoninam, Tyriam, & omnia genera scabierum & cicatricum. Quod & repetit lib. 5. dictæ Chirurgiæ capite de cura Piscium, & lib. 1. Partis Secundæ ejusdem Chirurgiæ, capite 3. quando agit de Scabiebus malignis ac pruriginosis, procedentibus à Lue Venerea. Libro de Morbis Amentium ponit Antimonium pro excellentissimo remedio phrenitidis, Epilepsiæ, & aliarum gravium cerebri affectionum. Et Libro de gradibus & compositionibus Receptarum asserit, Antimonium esse efficacissimum cordiale Medicamentum omnium illorum corporum quæ elementum aquæ producit, Libro. 5. de morbis siccis, ait, Antimonium corpori siccam illam intemperiem Saturninam, (quam metaphorice Stellam Saturni

ni appellat,) adimere, illamque transmutare in statum vegetum, sanum & vividum, quem ex adverso Stellam Veneris nuncupat.

Dicto Chirurgiæ suæ lib. 1. cap. 9. ait Antimonium habere propriam miramque efficaciam adversus cancros, & alios corrodentes affectiones, quos lupos & noli me tangere, vocant. Libro 2 ejusdem Chirurgiæ, cap. 10. ubi tractat de modo administrandi tincturam Antimonii pro certo nobis affirmat, si illud ex præcepto suo usurpemus, aptum fore ad omnia ulcera maligna percuranda, sine admixtione ullius alterius medicamenti. Et sub finem prædicti capitis ita inquit:

Optarem, quod ad me attinet, loco omnium receptarum vulgo Formularum, communiumque ac ordinariorum medicamentorum, ut hoc solum apud omnes usum haberet. Nam hoc pacto Arti Medicæ adimeretur opprobrium illud ac vituperium, in quo passim hactenus versatur: nec tantus foret numerus ægrorum mutilatorum & prava cura decurtatorum, quantus hodie passim reperitur. Hoc enim est medicamentum vulnerarium, cujus simile non extat.

Libro 4. Secundæ Partis memoratæ Chirurgiæ, cap. 7. confirmat eandem sententiam: ut & 12. cap. ejusdem libri. Adhæc libris de Pestilentia, de Ictericiis, de Transmutatione Rerum Naturalium, de Vita longa, & aliis Operis sui locis de eodem medicamento similia pronunciat. Usque adeo ut appareat Paracelsum non potuisse satiari defatigarique decantando maximas excellentissimasque Antimonii vires; quas ipse se primum detexisse revelasseq; gloriatur.

Etenim prænominato cap. de præparatione tincturæ Antimonii, hoc ipse de se testatur, verbis quæ sequuntur: Philosophi, inquit, & Artistæ quamplurima in Antimonio quæsiverunt: sed non supravixerunt usque ad illum diem quo fundus istius rei aperte & clare exploratus fuerit: obierunt enim ante me.

Quibus verbis innuere voluit & denotare, usq; ad adventum suum, & ante quam ipse investigandæ huic rei se dedisset, & perscrutandæ, vires Antimonii adhuc incognitas fuisse & incompertas. Enimvero Paracelsus plurimas excellentes curationes suo tempore fecit: ut, præter alios quamplurimos testes, magistratus civitatis Salsburgensis in Germania, (ubi sepultus est:) publico elogio constare voluit, dum tumulum ejus hoc præclarissimo Epitaphio exornavit.

Conditur hic PHILIPPUS THEOPHRASTUS, insignis Medicinæ Doctor; qui dira illa ulcera, Lepram, Podagram, Hydropisin, aliaque insanabilia corporis contagia mirifica arte sustulit: ac bona sua in pauperes distribuenda, collocandaque honoravit. An. M.D.XLI. die XXIV. Septemb. vitam cum morte mutavit.

Concludendum itaque nobis est, Paracelsum cognitionem habuisse aliquorum remediorum extraordinariorum, aliis ante incompertorum, qui prædictos morbos tanquam incurabiles descripserunt & deplorarunt: ac proinde Antimonium unum ex maximis ipsius Arcanis esse potuisse. Nam ut quod res est, de eo pronunciemus, experientia nobis demonstrat,

mineralia peculiares & eximias quasdam in ſeſe vires continere, ac præſertim in curis ulcerum malignorum, morborumque inveteratorum, qui non poſſunt perſanari juxta canones regulasque quas propoſuerunt; nec medicamentis quæ præſcripſerunt in uſuque habuerunt priſci. Poſt Paracelſum primus propugnator Antimonii, quique uſum ejus publice tueri commendareque auſus eſt, contra eos qui maximo jam numero adverſus Paracelſi doctrinam inſurrexerunt, inſimulantes eum impoſturæ, quòd tantas virtutes adſcripſiſſet Antimonio, ultra eas quas ipſi attribuiſſent antiqui; primus inquam fuit doctiſſimus ille, experientiſſimus, ac minimè partialis aut ulli parti obnoxius, & benigniſſimi mitiſſimique ingenii inter omnes totius mundi ſcriptores, Dominus Petrus Andreas Matthiolus, Medicus & Simpliciſta maximæ famæ; qui in Commentariis ſuis in Dioſcoridem lib 5. cap. 59. agens de Antimonio, ita infit: Cæterum Stibium vim dejectoriam ſortitur præſtantiſſimam: quamquam antiquorum ac recentiorum nullus, præter unum Theophraſtũ Paracelſum, hoc literis memoriæque mandavit, &c. Quare non equidem gravabor in ſtudioſorum gratiam ea hic commemorare de hujus medicamenti viribus, quæ vidi, atque etiam à Medicis quibusdam fide dignis accepi. Et hinc ulterius progrediendi in eodem propoſito, narrat tres excellentiſſimas curationes factas per hoc minerale; ut ejusmodi exemplis animos aliorum Medicorum ad ejus uſum excitaret. Demum infert: Antimonium univerſim conducit adverſus omnes morbos provenientes ex humoribus Melancholicis: ac præſertim utile eſt iis qui hypochondria inflata habent & ventoſa: iiſque qui diuturnis febribus lancinati ſunt: dyſpnoicis, & præcipue aſthmaticis. Utiliſſimum eſt ad ſanandos convulſos, epilepticos, lethargicos, cataphoricos, paralyticos, & colico dolore infeſtatos. Breviter, docet nos ibidem modum quo id præparare ipſe conſueverit: quem infra peculiari capite declaraturi ſumus, quando de diverſis Antimonii præparationibus agemus.

Poſt Matthiolum multi alii doctiſſimi viri non ceſſarunt eadem de hoc minerali & ſentire & prædicare: nomina quorum hoc loco recitare opus non eſt: & ſi quis ea ignoret, aut noſſe velit, ſufficiet ipſi legere hos præcipue tres authores, quorum hæc ſunt nomina: Baſilica Chymica, authore Oſvaldo Crollio, Medico Imperatoris Rodolphi II. Tetras D. Quercetani, Henrici IV. Francorum Regis Medici Ordinarii, itemque ſcripta Chymica D. Hartmanni, Profeſſoris in celebri Academia Illuſtriſſimi Landgravii Haſſiæ, quæ eſt Marpurgi. Atque hæc ſunt univerſim quæ de præſtantia virium Antimonii præmittenda judicabam.

CAP.

CAP. III.

Quibus modis, Antimonium humano corpori nocere possit: & qua ratione id præcavere oporteat.

ENarratis jam satis Antimonii laudibus, juxta Autorum diversorum relationem, & juxta ipsius meritum, reliquum est scire quibus modis nocere corporibus nostris possit: ut hac ratione præmoniti de bono & malo quod inferre potest, manuductionem quandam habeamus, quam securi prudenter & secure eo uti queamus, in talibus corporibus præsertim, in quibus urgens & prægnans eo utendi necessitas obvenire possit. Sciendum itaque nobis est, Antimonium esse unum ex illis rebus, quales sunt maxima pars medicamentorum, ac speciatim illa quæ Natura produxit ad humani corporis purgationem: Illa enim quantumvis usque adeo utilia & necessaria sint, ut absque iis Medicina subsistere nequeat; nihilominus indiscriminatim temereque usurpata pessimos effectus & periculosissimos dabunt, loco bonorum fructuum; plane contra scopum intentionemque cujus gratia propinata fuerunt. Nocere enim potest corporibus nostris quatuor hisce diversis modis: Primò, incommodare potest vapore aut fuligine sua, quando nimium funditur vel liquatur, & quando nimis diu ejus præparationi immoramur: id quod ipse Theophrastus Paracelsus, (cap. 3. Tractatus 3. libri 1. de morbis quibus obnoxii sunt ii, qui in fodinis minerisve operantur, loquens de nocumento diversarum Marcasitarum:) nobis manifeste declarat verbis quæ sequuntur: Spiritus, inquit, aut vapor Antimonii potest inferre illis qui id liquefaciunt, sequentia symptomata, nempe: Tussim siccam, punctiones laterum, dolorem capitis, constipationem ventris, apostemata lienis, adustionem sanguinis, pruriginem & scabiem, consumptionem corporis, ictericiam, & similia prava accidentia. Quod experientia ipsa verum esse nobis declarat, in pluribus operatoribus, (aut sufflatoribus vel ciniflonibus, ut vocantur:) qui continuo in Antimonii fusione operantur: qui, contra Dei decreta, putantes elicere ex ipso medicamentum perfectissimum, ad transmutandum Metalla impura in Aurum, aut Argentum; & ad conservandum seipsos in perpetua sanitate corporis, usque ad ultimam vitæ suæ horam; sæpe in gravissimos ac incurabiles morbos labuntur: unde loco felicitatis quam sufflando sibi ipsis proponebant, vitam suam in longissimo tædio ac languore finiunt; seipsos miserandum imo ridendum spectaculum universo mundo præbentes. Quæ cum ita sint, ut ipsi fatemur, posset aliquis inferre: Si igitur Antimonium est medicamentum tam celebre & exquisitum, ut dictum est: Unde provenit fumum seu vaporem ejus tam nocivum & esse damnosum? Nonne hoc sufficiens est argumentum, quo probetur, illud esse corpus venenosum & malignum; nec immerito ob id à quamplurimis Medicis condemnatum? Huic rationi ita respondeo: Hoc argumentum non

solidum satis, efficaxque esse ad affirmandum simpliciter, Antimonium esse venenum: quoniam res est tam clara quam quæ manifestissima, nocumenta rerum medicamentosarum non procedere semper ab aliquibus malignis substantiis, malisve proprietatibus quæ in iis existant: sed sæpenumero prodire ex abusu & differenti exhibitione ipsarum.

Ut exempli gratia videre est in Sulphure, cujus flores, (id est Sulphur sublimatum:) in tam frequenti usu sunt adversus innumeros morbos, non solum in robustis corporibus, sed etiam in phthisicis, & hominibus extreme debilibus, & non solummodo una sed & infinitis vicibus usitati, per continuos aliquot menses, imo annos, maximo cum emolumento, & sine ullo præjudicio sanitatis. Interea tamen ubi quæso reperiretur homo usque adeo robustus, qui posset longo tempore morari eo loco ubi illud funditur; fumumque ejus tolerare, sine ullo damno aut noxa?

Sal ipsum vulgare est verum Balsamum Naturæ, nec homini solum sed & omnibus totius Universi Creaturis quam familiarissimum, utpote tertia pars substantiæ ex qua subsistunt & compositæ sunt: videmus tamen illud, si quando in magno quodam igne fusum aut combustum fuerit, vaporem de se spargere usque adeo violentum & penetrantem, ut nisi nobis ipsis caveamus, haud pauciora minorave nocumenta & prava accidentia dare possit, quam ipsum Antimonium.

Quod testatur & ipse Paracelsus supracitato Tractatu de morbis mineralibus, dum ita inquit: Spiritus aut vapores Salis communis, imo & omnium aliorum Salium, anhelitum brevem faciunt, seu asthma, fœtorem oris inducunt, screatum movent continuum extradionarie, magnum ardorem in ore ventriculi accendunt, hepar findunt & lienem, dissolvunt renes, urinam acrem reddunt, quæ inde rodit & putrescere facit ductus per quos meat: nocturnas pollutiones inducunt, & sanguinem per urinas expellunt, &c.

Nihilominus tamen ob hos tam pravos effectus, non possumus merito justisque rationibus Sali aliquam venenosam ascribere facultatem. Ipse enim spiritus ejus, seu prædictus exhalans vapor, siquando vasis accommodis exceptus & collectus fuerit in nostros usus, tantum abest ut venenosus sit, aut malignus, ut è converso etiam excellentissimum remedium diversorum morborum ac symptomatum esse reperiatur: quorum omnium numerum hoc loco inire non est necesse, cum id ita sese habere, manifeste omnibus Medicis constet, qui cognitionem aliquam medicamentorum Spagyricorum habent.

Quid dicam amplius? Nulla adeo res est tam dulcis, grata & temperata ex omnibus iis quæ in nutritionem nostram cedunt, quin usta vehementi igne, temporis spatio cerebrum nostrum vapore suo offendat, aut alia symptomata molestia inducat.

Non igitur mirandum, vaporem Antimonii nimis magna copia cerebro exceptum, varia accidentia afflare posse: postquam propemodum omnes aliæ res eodem modo sumptæ, aut ad cerebrum appulsæ, corpori nostro noxam aliquam inferre queant.

Et revera, quantumvis fateri debeamus, magnam esse differentiam inter substan-

ſtantias Antimonii,& aliarum rerum;itemque inter purgantes, & nutritivas confortantesque,in quibus longæ aliæ elucent facultates: non poſſumus tamen aſſeverare vaporem ipſius Antimonii proprie eſſe venenoſum aut arſenicalem, ut aliqui de eo ſomniare voluerunt.

Et quamvis Paracelſus ipſe 1. Tractatu 2.libri de morbis mineralibus,capite 4. affirmet, eos qui Antimonium liquefaciunt, inde haurire vapores ſulphureos & Mercuriales,quod perinde eſt ac ſi diceret, Antimonium refertum eſſe Sulphure & Mercurio: non tamen inde arguit, Antimonium Arſenico eſſe plenum.

Quod ipſum adhuc manifeſtius apparebit ex ejuſdem lib, 3, De vita longa, cap. 6. dum agit de præparatione Antimonii, his verbis: Principio vide ne corrumpatur Antimonium; ſed totum hoc,quantum eſt integrum maneat citra ullam amiſſionem formæ. Quibus verbis ſubjungit: Sub hoc enim delireſcit arcanum.

Quod ſi cognoviſſet in Antimonio latere Arſenicum,non ita locutus fuiſſet;ſed eadem opera juſſiſſet ſeparari ab eo Arſenicum,priusquam operi committeretur. Arſenici enim plane hoſtis eſt Paracelſus: ut affirmat libro 1. De Natura Rerum, cap. 1.dum ait: Arſenicum, (quocunque tandem modo præparatum:) non debere intro aſſumi,aut propinari; quamvis plurimi temerarii, & Pſeudo-Alchymiſtæ, audeant affirmare, in corpus noſtrum aſſumi poſſe ſine nocumento; præparatum quippe eo quo ipſi illud parari volunt,modo.

Sed ut ad noſtrum inſtitutum revertar, hoc ulterius addam, vaporem Antimonii non eſſe venenum, nec directe malignum quid: quod duobus præcipue argumentis declarabo.

Primum eſt,quod vapor ejus non nocet omnibus iis qui eum recipiunt, ut ſolent univerſim,plus tamen aut minus,omnia venena;idque non niſi quando longa mora eum recipere pergunt.

Alterum argumentum eſt, quod dictus vapor collectus receptaculo apto,convertitur in fuliginem tenuem ſubtilemque ac albam, quam Chymici Florem Antimonii vocant: quæ ipſa tantum abeſt ut directe venenum ſit,quin potius ex adverſo præſtans remedium exiſtat,aptiſſimum perdomandis quam plurimis morbis; ſicut in Secunda Parte hujus noſtri Tractatus infra docebitur. Atque hæc ſufficiant de nocumentis Antimonii dixiſſe.Quæ ut præveniantur,caveanturque, certiſſimum remedium eſt,quando id liquefacere,calcinare aut ſublimare proponimus, id tam provide facere, ut dictum vaporem prorſus non recipiamus,aut ſaltem tam parce quam fieri poteſt.

Secundus modus quo nocere poteſt Antimonium humano corpori, eſt, ſi ei admiſceantur addanturque res aliquæ corrodentes aut venenoſæ: veluti facere conſueverunt plurimi imprudentes & incauti Alchymiſtæ:quorum alii,ut vitrum Antimonii rubrum evadat Rubini inſtar, in præparatione ejus Arſenicum illi adjungunt perſuadentes hoc ipſis ſolum conducere, quo poſſint ad ſcopum ſuum pervenire; & de cætero ignem depellere rurſus, in fumos-

mosque ablegare id ipsum Arsenicum, omnemque ejus malignitatem absumere. Alii mixtionem quandam faciunt ex æqualibus portionibus Antimonii, Arsenici & Sulphuris, quas omnes nil aliud quam simul dissolvunt, & postea pulverant, asserentes hunc pulverem esse Panacæam quandam, omnibus morborum generibus strenue resistentem. Alii additione alicujus corrosivi, destillant vehementem quendam liquorem ex Antimonio, quem ipsum etiam audent propinare intus assumendum, usque adeo ut per has ita perniciosas res, non solum non præparent Antimonium, ut decet, sed etiam cum primis venenosum & corrosivum efficiant. Quod cum ita se habeat, fieri non potest, quin damnosum fiat & nocivum; producatque perniciosos effectus in iis qui ipso utuntur. Hoc ipsum facile patet per Mercurium, qui adhucdum plane vivus, aut bene præparatus, non est venenosus, aut ullo modo periculosus; sed imprægnatus, (ut loquimur:) ab aliquibus spiritibus salsis seu vitriolatis, qualis est quem sublimatum vocant, tunc inquam usque adeo corrosivus adhæsivusque evadit, ut in corpore assumptus hominem occidere possit, aut saltem infinita ipsi symptomata inferre. Quicunque igitur ejuscemodi evitare desiderat pericula, cavere debet ne Antimonium unquam intro assumat, nisi bene præparatum, idque manibus eorum qui modum ipsum præparandi callent, & omnia quæ ad ejus legitimam præparationem requiruntur, quam exploratissima habent.

Tertio modo nocere humano corpori potest Antimonium, si quando præparatum fuerit pro vomitorio, in Vitri, Florum, Croci, Metallorum, aut alia quacunque forma, indebito modo, aut erroneè, aut nimis magna dosi. Nam eo pacto nimis vehementer evacuando, (quasi superpurgando:) maximam copiam humorum bonorum, una cum pravis, causa magnæ debilitatis virium, imo & ipsius mortis existere potest, in corporibus præsertim non robustis. Quocirca, quicunque sanitatem suam amat, providere debet quam maxime, ne se hoc modo decipi patiatur.

Ad ultimum: Antimonium vomitivum (talem distinctionem facio; quia id interdum præparamus alio quodam modo, ita ut non operetur aliter quam per insensilem transspirationem:) potest vehementissime nocere ei quotiescunq; temere & indiscriminatim administratum fuerit, & sine respectu hominum qui natura sua inepti sunt ad vomendum; aut etiam qui alia quacunq; accidentali indispositione non possunt vomitorium pati: ut & quotiescunq; exhibitum fuerit in morbis, quorum materia aut causa alia quadam operatione tolli aut evacuari debet, quam per vomitivum. Nam tali eventu, quantumvis Antimonium accuratissime præparatum sit, & dosis ipsius exactissime perpensa fuerit; nihilominus necessarium nobis est, judicium adhibere, exquisitissimeque ratiocinari, ut calleamus adstringere, quibus corporibus illud conveniat, quibus minime; qui sint morbi curabiles aut mitigabiles usu vomitoriorum, aut qui aliis modis curari debe-

debeant: alioqui certissimum est, posse nos tam cito nocere quam prodesse ægris, quibus illud absque dictis considerationibus exhibemus. Atque hæc est una ex præcipuis causis ob quas Antimonium odiosum est apud Medicos qui ejus vires ignorant: præsertim cum plurimi rudes imò ridiculi Empirici Chymicam artem profitentes, illud indiscriminatim omnibus ægris exhibeant, omnibus anni temporibus, & adversus quoscunque morbos, sine ulla distinctione: unde quidem aliquando fortuito aliquo casu evenit persanari aliquos: verum alios excarnificatos tortosque mutilant. Sed hoc evenit abusu, & pravo judicio: quem errorem ipsum tamen committere possent intempestiva exhibitione quorumcunque aliorum, imò præcipuorum medicamentorum purgantium, quæ vulgo apud Medicos usitata sunt; æque atque Antimonii exhibitione. Quare ne vitam nostram nimis temerè periculo exponamus, nunquam Antimonio uti debemus, nisi Autore Exhibitoreque aliquo ex Medicis doctis, & expertis: qui præter scientiam rectè examinandi & considerandi omnes circumstantias, quæ requiruntur ad ejus legitimum usum; norit etiam quid requiratur ad ejus bonam præparationem: quique Experientia duce Magisterium ejus adeptus sit, haud secus ac bonus miles armorum suorum gnarus est. Hæc sunt quæ breviter de nocumentis Antimonii præmonenda mihi videbantur; ut hac cautione instructus quilibet, se adversus illa præmunire possit.

CAP. IV.

Num Antimonio Aurum, Argentum, aut Aes insit, quod Chymicorum aliqui existimant.

Supra ostensum à nobis est, quibus modis Antimonium humano corpori nocere possit, & quomodo nos ab ejus nocumentis præservare debeamus. Nunc verò antequam veniamus ad demonstrandum quomodo substantiæ ejus separandæ sint, indicandum duxi, quam inutilem laborem sumant quamplurimi Chymici, quàm vanas conjecturas faciant de hoc subjecto: ut hac ratione ii, qui desiderabunt metallum hoc anatomizare ut decet, præmoniti addiscant nunquam suscipere rem impossibilem, & bona sua inutiliter expendere, & incassum operari, & ad ultimum propinare se deridendos providis ac scientibus hujus artis hominibus. Inter stultas itaque opiniones, quas aliquot Operatores Chymici pertinaciter defendunt, quantùm ad compositionem Antimonii, una ex maxime ridiculis est, eorum, qui putant metallum hoc Aurum, Argentum & Æs substantiis suis intermixtum habere. Ad hoc propositum, memini ante aliquot annos Agyrtam quemdam, dexterrimum ciniflonem, (præter diversos alios Chymicos, quos eandem sententiam, ne dicam phantasiam, tueri audivi,) mihi nescio quæ ludibria persuadere voluisse,

mosque ablegare id ipsum Arsenicum, omnemque ejus malignitatem absumere. Alii mixtionem quandam faciunt ex æqualibus portionibus Antimonii, Arsenici & Sulphuris, quas omnes nil aliud quam simul dissolvunr, & postea pulverant, asserentes hunc pulverem esse Panacæam quandam, omnibus morborum generibus strenue resistentem. Alii additione alicujus corrosivi, destillant vehementem quendam liquorem ex Antimonio, quem ipsum etiam audent propinare intus assumendum, usque adeo ut per has ita perniciosas res, non solum non præparent Antimonium, ut decet, sed etiam cum primis venenosum & corrosivum efficiant. Quod cum ita se habeat, fieri non potest, quin damnosum fiat & nocivum; producatque perniciosos effectus in iis qui ipso utuntur. Hoc ipsum facile patet per Mercurium, qui adhucdum plane vivus, aut bene præparatus, non est venenosus, aut ullo modo periculosus; sed imprægnatus, (ut loquimur:) ab aliquibus spiritibus salsis seu vitriolatis, qualis est quem sublimatum vocant, tunc inquam usque adeo corrosivus adhæsivusque evadit, ut in corpore assumptus hominem occidere possit, aut saltem infinita ipsi symptomata inferre. Quicunque igitur ejuscemodi evitare desiderat pericula, cavere debet ne Antimonium unquam intro assumat, nisi bene præparatum, idque manibus eorum qui modum ipsum præparandi callent, & omnia quæ ad ejus legitimam præparationem requiruntur, quam exploratissima habent.

Tertio modo nocere humano corpori potest Antimonium, si quando præparatum fuerit pro vomitorio, in Vitri, Florum, Croci, Metallorum, aut alia quacunque forma, indebito modo, aut erroneè, aut nimis magna dosi. Nam eo pacto nimis vehementer evacuando, (quasi superpurgando:) maximam copiam humorum bonorum, una cum pravis, causa magnæ debilitatis virium, imo & ipsius mortis existere potest, in corporibus præsertim non robustis. Quocirca, quicunque sanitatem suam amat, providere debet quam maxime, ne se hoc modo decipi patiatur.

Ad ultimum: Antimonium vomitivum (talem distinctionem facio; quia id interdum præparamus alio quodam modo, ita ut non operetur aliter quam per insensilem transspirationem:) potest vehementissime nocere eiquoties cunq; temere & indiscriminatim administratum fuerit, & sine respectu hominum qui natura sua inepti sunt ad vomendum; aut etiam qui alia quacunq; accidentali indispositione non possunt vomitorium pati: ut & quotiescunq; exhibitum fuerit in morbis, quorum materia aut causa alia quadam operatione tolli aut evacuari debet, quam per vomitivum. Nam tali eventu, quantumvis Antimonium accuratissime præparatum sit, & dosis ipsius exactissime perpensa fuerit; nihilominus necessarium nobis est, judicium adhibere, exquisitissimeque ratiocinati, ut calleamus adstringere, quibus corporibus illud conveniat, quibus minime; qui sint morbi curabiles aut mitigabiles usu vomitoriorum, aut qui aliis modis curari debe-

debeant: alioqui certissimum est, posse nos tam cito nocere quam prodesse ægris, quibus illud absque dictis considerationibus exhibemus. Atque hæc est una ex præcipuis causis ob quas Antimonium odiosum est apud Medicos qui ejus vires ignorant: præsertim cum plurimi rudes imò ridiculi Empirici Chymicam artem profitentes, illud indiscriminatim omnibus ægris exhibeant, omnibus anni temporibus, & adversus quoscunque morbos, sine ulla distinctione: unde quidem aliquando fortuito aliquo casu evenit persanari aliquos: verum alios excarnificatos tortosque mutilant. Sed hoc evenit abusu, & pravo judicio: quem errorem ipsum tamen committere possent intempestiva exhibitione quorumcunque aliorum, imò præcipuorum medicamentorum purgantium, quæ vulgo apud Medicos usitata sunt; æque atque Antimonii exhibitione. Quare ne vitam nostram nimis temerè periculo exponamus, nunquam Antimonio uti debemus, nisi Autore Exhibitoreque aliquo ex Medicis doctis, & expertis: qui præter scientiam recte examinandi & considerandi omnes circumstantias, quæ requiruntur ad ejus legitimum usum; norit etiam quid requiratur ad ejus bonam præparationem: quique Experientia duce Magisterium ejus adeptus sit, haud secus ac bonus miles armorum suorum gnarus est. Hæc sunt quæ breviter de nocumentis Antimonii præmonenda mihi videbantur; ut hac cautione instructus quilibet, se adversus illa præmunire possit.

CAP. IV.

Num Antimonio Aurum, Argentum, aut Aes insit, quod Chymicorum aliqui existimant.

SUpra ostensum à nobis est, quibus modis Antimonium humano corpori nocere possit, & quomodo nos ab ejus nocumentis præservare debeamus. Nunc verò antequam veniamus ad demonstrandum quomodo substantiæ ejus separandæ sint, indicandum duxi, quam inutilem laborem sumant quamplurimi Chymici, quàm vanas conjecturas faciant de hoc subjecto: ut hac ratione ii, qui desiderabunt metallum hoc anatomizare ut decet, præmoniti addiscant nunquam suscipere rem impossibilem, & bona sua inutiliter expendere, & incassum operari, & ad ultimum propinare se deridendos providis ac scientibus hujus artis hominibus. Inter stultas itaque opiniones, quas aliquot Operatores Chymici pertinaciter defendunt, quantùm ad compositionem Antimonii, una ex maxime ridiculis est, eorum, qui putant metallum hoc Aurum, Argentum & Æs substantiis suis intermixtum habere. Ad hoc propositum, memini ante aliquot annos Agyrtam quemdam, dexterrimum ciniflonem, (præter diversos alios Chymicos, quos eandem sententiam, ne dicam phantasiam, tueri audivi,) mihi nescio quæ ludibria persuadere voluisse,

isse, asserentem scilicet nos ex Antimonio aliquantulam portionem dictorum metallorum elicere posse. Sed cum penes me rem ipsam penitius rimatus, idem solus experiri vellem, planè contrà se habere rem animadverti. Negare tamen neutiquam volo, (ut & Paracelsus testatur libro de Signaturis rerum,) reperiri aliquos lapides, aut genera Marcasitarum, in quibus aliqua Auri, Argenti, aut alterius cujusdam Metalli portiuncula recondita latet: præsertim cum videamus maximam partem Metallorum crescere inter lapides & saxa, quasi iis mixta forent. Sed Antimonium ejusdem esse naturæ particeps, res est quæ experientia verificari comprobarique nequit. Quod ut liqueat, sume Antimonium, priva illud suo Sulphure combustibili, & aliis substantiis volatilibus: hinc cum residuum exploraveris per aquam fortem, aquam regalem, amalgama Mercurii, cæmentum, liquefactiones, breviter per omnia alia tentamenta aut probationes, quibus uti novit experientissimus quilibet purificator, aut fodinarum Magister, ad separandum dicta metalla à lapidosis corporibus alienisque substantiis quibus permixta latent: numquam vel minimum quid Auri, alteriusve metalli reperies: nisi explorandi aliquis artifex, (qui oculis cujuspiam præstigium facere volet,) portiunculam aliquam ejus rectè ac sub manum inter operandum immisceat. Non oportet igitur conari velle elicere rem aliquam ex substantia aut loco quopiam, in quo ea minimè existit. Sed si nihilominus quispiam nihil hisce rationibus permotus, desideret prolicere Aurum, Argentumve ex Antimonio, conetur adipisci scientiam benè illud præparandi ad usus medicos: & hac ratione sibi non deerit; sed extrahet ex unica hujus metalli uncia, plus Auri & Argenti, quam ex omni Antimonio quod in universa Europa reperitur, prædictis explorationibus elici posset.

CAP. V.

An ab Antimonio Argentum vivum separari possit.

SUnt aliqui, qui ratiocinantes Antimonium esse corpus plenius Mercurio volatili, quam ulla alia substantia; ut & revera est; existimant consequenter rem esse non solum facilem separatu, sed & quæ vivificari fluxilisque fieri queat, prout judicant illam fuisse, priusquam aliis ejusdem Antimonii substantiis permisceretur. Cum autem illos rogamus, in quem finem tantopere desiderent separare hoc Argentum vivum ab Antimonio; respondent, se hoc ideò optare, quia existimant illud eo modo extractum tanto magis idoneum fore ad faciendum lapidem suum quem somniando venantur, Philosophicalem, quam est ipse communis Mercurius: imo quod illud sit unica materia, quam omnes Philosophi intelligi ac capi volunt pro vero subjecto dicti lapidis. O amentiam amentiarum! Estne hæc egregia contemplatio? Habent abundantiam vivi Argenti, quod Na-

Natura ipsis in promptu reliquit, currens & vivens: interim tamen, non contenti hoc quod habent, volunt aliud Argentum vivum quærere, idque tantis laboribus & molestiis. Sed quid de hisce hominibus dicemus? qui ab una parte laborant ut figant, seu proprie fixent, solidumque reddant id quod Natura currens & liquidum produxit, veluti in vulgari Argento vivo conantur; ab altera satagunt strenuè, ut contrarium fiat, & ut mineralia aut metalla quæ Natura coagulavit & bene concoxit, quale est Antimonium, (si cum vivo Argento conferatur,) fluida liquidaque reddant? Ad postremum tamen, post tot in vanum sumptos labores, tam apti sunt aut intelligentes ad fixandum unum, quam ad revivificandum aut liquidum reddendum alterum. Profectò hæc est speculatio prorsus similis illi Chymicorum conatui; qui videntes quod aqua vulgaris non potest satisfacere ipsorum phantasiæ, tam liquida humidaque existens, illam longis distillationibus figere & in corpus aridum redigere conantur, ad formam crystallinam instar Salis petræ: quod ipsum postea, juxta illorum somnia, existere debet ille benedictus Fons & Aqua Philosophalis, temperata absque ullo odore, aut gustu, nedum acrimonia: quæ ipsa inquam, miraculose unius momenti spatio dissolvit Aurum, Argentum, & omnia alia Metalla, & lapides pretiosos, ea in suam primam materiam convertens ac redigens in medicamenta supercælestia, ad sanandos omnes morbos, in quibus tollendis Hippocrates & Galenus cæcutierunt: quod ipsum etiam, quando experientia comprobatum fuerit, non deerunt qui testimonio suo comprobaturi sunt. Relictis igitur hisce tenebrionibus in suo Labyrintho, ex quo extrahi non optant, ad nostrum propositum revertamur. Accipe Antimonium purum, distilla illud (si potes,) sublima, bulli aut macera in liquore illo qui tibi commodus videbitur, (excepto tamen illo qui præparatus sit ex Mercurio sublimato; nam hoc sumpto falli possemus:) breviter, utere omnibus mediis quibus Ars te docet Argentum vivum à minera sua separare, aut iterum revivificare, quando fixum reddiderimus; (usque adeo, ut pene capellam quam vocant, seu ignis summum calorem, sustinere ac pati possit;) aut separare, quando alii cuipiam metallo additum aut affixum fuerit. Si inquam omnibus istis modis vivi Argenti vel tantillam guttulam ex Antimonio elicueris, quod illi ipse non permiscueris: ostende mihi re ipsa opus tuum, experientiaque confirma effectum conatus tui; & tunc demum ostendam tibi fidem ac credulitatem meam. Sin secus, non possum accommodare aures meas talibus contemplationibus; (quas Ars ipsa demonstrat esse vanas & ridiculas:) tanquam edictum aliquod esset, cui assentiri aut acquiescere debeamus.

CAP. VI.

An ex Antimonio distillari possit aliquis liquor aquosus, aut oleosus, qui directe & sincere, ac neutiquam accidentaliter, ab ejus substantia processisse, dici queat.

SI vellemus colligere compilaraque omnes formulas conscriptas de modo distillandi oleum ex Antimonio, procul dubio magnum inde volumen concinnaremus: Sed cum postea veniremus ad eas vere examinandas trutinandasque ut decet, omnes ejusdem valoris æquipollentesque reperirentur. Hoc tamen hic notari velim, non propositum mihi esse negare, quod per additionem aut mixtionem alicujus alterius rei, liquor quispiam ex Antimonio distillari queat: qui liquor uno vel altero modo aliquid de natura facultatibusque Antimonii participet aut reservet, quod ipsum alibi demonstrabimus. Sed hoc solum comprobare aut pro vero habere non possum, tales liquores debere sumi aut agnosci loco propriarū substantiarum Antimonii; eodem modo quo dici & recognosci possunt aqua & olea quæ ex herbis distillantur, pro veris ipsarum substantiis, ex quibus componuntur naturaliter & subsistunt. Ad confirmandam autem & tuendam hanc meam sententiam, eam istis demonstrationibus defendere conabor: Antimonium nempe esse corpus compositum ex tribus substantiis, sicut sunt omnes aliæ res, Sulphure nimirum, Mercurio, & Alkali; aut ut clarius eloquar, Oleo, Aqua, & Sale: sed ea tamen adjuncta distinctione, quod quantumvis substantiæ Antimonii, tam quoad nomen quam quoad effectus ipsorum, reducantur universim ad certam naturam & analogiam aliorum: sicut v. g. Sulphur vegetabilium comburitur, Mercurius per vaporem evolat ac dissolvitur, & Sal manet fixus: quod inquam eodem prorsus modo substantiis Antimonii idem actu eveniat; tametsi quod ad formam & gustum attinet, eæ à vegetabilium substantiis ita differant, ut terra ab aqua. Hoc verum esse, ut est, hinc patet: Sulphur vegetabilium est liquidum & oleosum; Mercurius est liquidus & humectans, & Sal ipsorum est coagulatum, sed solubile in quoslibet liquores aquosos: Ex adverso verò Sulphur Antimonii est siccum & aridum; Mercurius pariter; unde nullo modo digitos pinguefaciunt aut humectant: & substantia quam Salem Antimonii appellamus, est usque adeò fixa, ut in aqua neutiquam dissolvatur; non magis quam lapis ex terrena substantia concretus. Atque has omnes substantias manifeste ostendam & apparere faciam, quando ad Anatomiam ipsius deventurus sum. Itaque, si velimus nosse, num oleum aliquod ex Antimonio distillari possit, an secus, examinandæ sunt tres dictæ substantiæ, idque considerando singulas seorsim, sine admistione ullius alterius rei extraneæ: & si tunc inde oleum aliquod distillari queat, tunc (inquam) manum dabimus, credemusque iis qui tantopere se artem istam callere jactitant. Sed tantum

tum

tum abest ut Sulphur & Mercurius hujus mineralis distillationis vi in liquorem dissolvi possint, ut contrà ambo illa sublimentur, inque pulverem fuliginosum dissolvantur, eumque prorsus siccum & fixum ut est terra: quod ipsum adhuc magis evidenter evenit Sali ejus, qui prorsus in igne non mutatur, sed fixus manet, nedum liquorem aliquem de se emittit. Atque hæc est causa, ob quam, cum Antimonium neutiquam compositum sit ex substantiis unctuosis & madefacientibus, ut sunt res vegetabiles; consequenter pro mera stultitia haberi debeat, quærere aut astruere modum aliquem separandi quippiam ab eo, quod illi non inest. Haud me latet, si Antimonium crudum distillationi committatur, principio inde exsudare aliquot guttulas aquæ subacidulæ: sed sciendum est, hoc ex accidenti posse evenire; idque ob duas causas: Una est, quod Antimonium, cùm in pulverem redactum sit, aut alioqui natura sua corpus aliquo modo porosum existat, aliquam humiditatem ab aëre acquisivisse potuit. Altera est, quod aliqua humiditas reperiatur in vasis distillatoriis. Quod autem ad aciditatem dictam attinet, illa procedit ex vaporibus Sulphureæ substantiæ quæ est in Antimonio; quod evenire etiam videmus quando sublimatur Sulphur commune: nam quum id aliquo modo irrigatum fuerit aqua, priusquam sublimationi committatur, illa aliqua rursus ab eo egreditur per distillationem, sed acidiuscula facta, ob causam dictam: reliquum verò Sulphur in pulverem sublimatur universum. Certè si quispiam vellet asserere aut pertinaciter contendere, pauculum istum liquorem qui egreditur ex Antimonio, sinceram aquam, & propriam ipsius humiditatem esse: eadem itidem ratione arguere, imò & pervincere valeret, humorem quendam elici posse ex Auro: quod tamen corpus est tantopere solidum & compactum: cujus rei si quis periculum facere velit, hoc pro certo affirmare ausim, nuspiam tam sicca & omni aërositate carentia vasa distillatoria reperiri posse, quin vi aut vehementia ignis aliquot inde guttæ ex collectione aëris in recipiens vas descensuræ sint: cùm intereà tamen Aurum illud idem pondus habiturum sit, ne uno quidem granulo deficiente, quod antequam igni imponeretur, habebat. Quocircà verè concludere possumus, quod ad Oleum Antimonii attinet, id quod supra à nobis dictum est; & si inde liquor aliquis eliciatur, quali quali denique id fiat modo, necessarium esse ut hoc ex accidenti fiat, ab aliqua nempe extranea humiditate; prorsus eadem ratione ac per exemplum Sulphuris patet: hoc enim si sub campana vitrea uratur, vapor ipsius siccus se colligit, & attrahit aquositatem quæ est in aëre circumassistente: atque ita dissolvitur & distillat in liquorem talem, qualis est is, quem nos Oleum Sulphuris appellamus; non propter formam ejus liquidam, sed propter magnam acrimoniam sulphuream quam habet: ob quam ipsam tamen magis propriè & ex re Aqua sulphurea, quam Oleum Sulphuris nominari deberet. Quod ipsum hoc loco dicendum mihi fuit, ut commonefacerem novitios hujus Artis studiosos. Hoc enim ipsis vice funda-

menti & perpetui documenti esse poterit: quo freti, judicare posthac possint de his & similibus erroribus qui in diversis libris Artem Chymicam tradentibus passim reriuntur.

CAP. VII.

Num in Antimonio propria quadam substantia, differens ab aliis, quam Tincturam appellant, reperiatur.

MAgnus præterea ubique numerus est Operatorum Chymicorum, qui (aut quia Paracelsi verba non intelligunt, aut quia destituuntur experientia & usu anatomizandi res naturales,) sibi ipsis persuadent, ut credant in Antimonio reperiri particularem aliquam substantiam, differentem ab aliis ejus partibus, quam Tincturam nuncupant. Verùm quantopere in ista re decipiantur, duobus hisce præcipuè argumentis deprehendi potest: Primò, quod volunt Antimonio attribuere quartam quandam substantiam, à Natura ipsi non datam. Secundò, per examen rei ipsius, quam Tincturæ nomine venditant. Sumunt enim Antimonium calcinatum aut sublimatum, infunduntque illud aceto distillato potentissimo: digerunt id per aliquod tempus: ac interea acetum dissolvit aliquam portionem Antimonii: & mutando accidentaliter ipsius colorem, illam pallidulam, ruffulam aut potius rubicundulam reddit: quo facto, ipsi, videntes hanc alterationem seu levem mutatiunculam, & ignorantes causam unde ea procedat, pro certo credunt, hoc esse substantiam quandam rubram, quæ ex Antimonio ipso egressa, acetum ita tingat, haud secus ac lignum Brasilianum, Crocus aut similia aquam colorare consueverunt. Sed facile animadversu est, mirum in modum illos opinionis suæ falli: nam si solummodò dictum liquorem rubrum in vas distillatorium immitamus, vi ignis prodibit acetum prorsus eodem gustu quem habebat antea: & in fundo manebit pulvis ejusdem coloris, (aut saltem paululum immutatus,) quem habebat Antimonium calcinatum priusquam dictum Acetum ipsi superinfunderetur: quia revera nihil aliud est quam una eademque res. Quod ipsum quinetiam probari potest hoc pacto; si nempe restituamus distillatum illud acetum reliquo Antimonii, ex quo nimirum putativam suam Tincturam extraxisse se credunt, idem prorsus eveniet quod in priori infusione accidit, adeo ut hoc ipsum per vices aliquot reiterari queat; toties, inquam, donec universa prorsus substantia Antimonii temporis spatio dissolvatur, & prorsus eadem forma & colore subsistat, ut antea dictum est. Ex quo clarè apparebit, præcipuam basim Tincturæ tantopere ab ipsis prædicatæ, nihil aliud esse quam Acetum distillatum, & reliquum Antimonii calcinati, quod in eo dissolutum jacet, ut prædiximus: nullo autem modo particularis aliqua substantia est aut haberi debet, quæ rubra sit, ab aliisque separata, ut ipsi somniant. Nam si ita esset, procul dubio demonstrare etiam nobis possent, substantiam illam extractam solam, (& ab aceto suo segregatam,) subsistere posse, alia prorsus forma & co-

& colore quam Antimonium calcinatum habebat. Quod ipsum tamen nullo modo possunt. Et quantumvis vellent opinionem suam tueri, dicentes istam fictitiam Tincturam, (aut propriè loquendo, istud Acetum Antimoniale,) in humanis corporibus alias operationes edere, quàm Antimonium calcinatum, quod ipsum eis planè concedere volumus; Nihilominus tamen nec hoc quidem est solidum satis argumentum, quo præcipuam suam intentionem sustinere queant. Nam hæc differentia operandi non procedit à substantia aliqua differente naturaliter ab aliis substantiis Antimonii: sed id evenit ex accidenti, ob permixtionem & diuturnam macerationem duarum istarum substantiarum, Aceti nimirum & Antimonii. Novum enim non est, aut captui bonorum Philosophorum & Artificum grave, scire aut comprehendere ignem & mixtionem posse naturam alicujus alterare; facereque ut operetur modo prorsus contrario, quam propriè solebat, quamdiu scilicet in simplici sua forma quam Natura ipsi dederat, adhuc subsistebat. Atque hæc sunt, propter quæ omnia illa quæ allegare possunt, non sufficiant ad persuadendum hominibus sani intellectus, in Antimonio esse particularem quandam substantiam, ut suprà dictum est. Eundem errorem committunt etiam aliquot alii in corallio rubro, quod ipsum, ut ejus Tincturam eliciant, (prorsus tamen contra omnem rationem & fundamenta seu principia Philosophiæ,) primùm calcinant, quo pacto illud nobilissimis & præcipuis substantiis ac tingentibus spiritibus privant: ac deinde illud quod calcinatum est macerant in sufficienti copia Aceti distillati: & procedunt modo quem antè diximus: quod Acetum, assumpto dicto colore, & imbutum ac quasi impraegnatum magna portione calcinati hujusce corallii, tandem Tinctura Corallii appellatur: cùm tamen aliud prorsus nihil sit quam Acetum distillatum, & liquor quidam extremè asper & acidus astringensque: quem ipsum non solùm clarissimè divendunt, sub specioso titulo Tincturæ Corallii, sed & quod plus est, sæpenumero exhibent ægris, qui inde plus nocumenti quam juvaminis percipiunt. Quod ipsum hoc loco dicere volui, ut præmoneam vos breviter, earum rerum, quæ latius olim demonstraturus sum, in Tractatu nempe quem præ manibus habeo, de Anatomia Coralliorum, Margaritarum seu Perlarum, & Lapidum pretiosorum. Sed rursus tales Operatores objicere nobis possent; Si verum est in Antimonio nullam latere Tincturam; quid sibi vult quod Paracelsus, (qui extra controversiam Spagyricorum Princeps audit,) ejus Tincturæ toties meminit, diversis Operum suorum locis? His ego ita respondeo: Omnia à nobis supradicta nihil obstare verbis Paracelsi; qui quantumvis de Tinctura Antimonii loquatur, non tamen ita de illa sentit ac modò memorati Operatores de ea loquuntur. Id quod manifestè colligi potest ex instructione ac directione quam dat, ad eam Tincturam præparandã, capite nempe 5. libri 2. magnæ suæ Chirurgiæ: quæ est talis: Capias Antimonium reductum in pulverem subtilissimum; & reverbera illud

illud in reverberatorio clauso, per spatium mensis unius; & mutabitur in subtilissimam fuliginem volatilem, primò albam, hinc luteam, ac demum obscurè rubram. Ita rubrum & reverberatū, tam diu quam opus fuerit, resume; & fac extractionem essentiæ Lilii ipsius; infundendo ipsum in ea copia spiritus vini, quæ ipsi supernatet altitudine viginti digitorum: & quando essentia Antimonii iverit dicto spiritui vini, tunc separa illam per inclinationem; & serva spiritum vini ita impraegnatum. Atque hoc est nobilissimum & laudabilissimum mundificativum hujus Lilii, quod adimit omnes impuritates humani corporis, &c. Per quam descriptionem nos docemur, Paracelsum velle, Antimonium sine diminutione aut separatione substantiarum suarum, convertisse primum suum genuinumque colorem rubrum obscurum, quem Tincturam appellat. Usque adeò, ut multum intersit, an quis dicat Antimonium artificiose in Tincturam reduci deberè; an verò dicat, Antimonio Tincturam inesse. Porrò, si præter hæc adhuc aliud insuper effugium quoddam novum quærere velint, & insistere firmiter præcitatis verbis Paracelsi, quod nimirum oporteat extrahere Essentiam Antimonii per spiritum vini; & velint illud ipsum intelligendum esse de extractione alicujus Tincturæ; nec hoc quidem ipsorum sententiæ ullo modo patrocinari potest. Primùm, quia hæc vox Essentia, nō significat propriè Tincturam, (quamvis sæpe usu veniat alias Tincturas extractas, Essentias nuncupari:) sed potius subtilissimam & perfectissimam partem, in qua consistunt virtutes propriæ quarumcunque rerum. Adhæc, non dicit Autor, oportere extrahi Tincturam Antimonii, sed essentiam extrahendam ex Tinctura, quam Lilium nuncupat. Si cui autem hoc quod modò diximus, absurdum videatur, ratiocinando, vires virtutesque rerum semper in aliquo subjecto aut substantia visibili & palpabili consistere, & quod aliquid corporeitatis habeat; nihil aliud illi opus est quàm ut ad experientiam ipsam ablegetur: duarum enim aut trium horarum spatio periculum ejus rei facere poterit in Vitro Antimonii: comperiet enim, illud, si infundatur in spiritu vini, aut vino albo & claro, vim aliquam vomitivam dicto vino aut spiritui impertiturum; non immutato tamen ullatenus colore, clarore aut limpiditate eorum: & quod plus est, Vitrum ipsum nec in colore suo immutatur, nec in pondere suo imminuitur. Quod si igitur fieri potest, ut spiritus vini acquirat facultatem vomitivam à dicto Vitro Antimonii, cum tamen nullam inde substantiam extrahat, aut quid ejus imminuat, quod saltem oculis cerni queat, quare quæso non credit, fieri posse, ut dictus Spiritus vini assumat quandam facultatem diaphoreticam, mundificativam, & operantem per insensibilem transpirationem, ex Antimonio reverberato? quod tamen longa coctione amittit vomitivam suam vim, prout idem Autor declarat in Præfatione dicti capitis, ubi ita inquit: Istud Antimonium est purgans medicamentum, quod (sine ventris tamen laxatione, aut assellatione ut vocant,) purgat & mundificat corpus hominis supra omnia Arcana: quia radicitus

citus

citus ac funditus removet ex eo quicquid tolli debet educitque, efficitque illud prorsus purum, ac ad altissimum sanitatis gradū reducit, ejicientes ex eo omnes prorsus materias quæ diversas infirmitates tam externas quàm internas generare possent. Quæ cum ita se habeant, restat, ut isti Operatores legant & relegant dictum locum (seu processum, ut vocant,) Paracelsi, de Tincturâ Antimonii, quamdiu ipsis placet: non invenient tamen in eo unquam quicquam, quod ad confirmandam ipsorum opinionem conducere possit. Ecce igitur quo pacto intelligendus sit Paracelsus in hac materia: & quomodo discere debeamus discernere Tincturas inter se: quarum (prout experientia ipsa declarat, necnon distinctiones illarum, quas dictus Paracelsus recenset in Archidoxis suis, libro de transmutatione Rerum, satis dilucidè demonstrant,) quamplurimæ reperiuntur species: verbi gratiâ, Tincturæ vegetabiliū, Tincturæ animalium, & Tincturæ mineralium: item Tincturæ siccæ, Tincturæ liquidæ: Tincturæ solubiles in aliquem liquorem, & Tincturæ indissolubiles: præterea Tincturæ actuales, & Tincturæ potentiales, quæ occultis suis viribus immutant pravos fœdosve colores corporum ægrotorum in alios meliores, removendo omnes sordes, & debilitates ipsorum, sicut narrat idem Paracelsus in suis Archidoxis libro 5. de Arcanis, cap. 1. Adhæc differentiæ aliquot sunt Tincturarum naturaliter productarum artificio quodam factarum, permixtione nimirum duarum aut trium rerum in una: (juxta testimonium dicti Authoris, Præfatione in librum suum de Tinctura Physicorum:) aut deniq; accidentaliter, quippe vi ignis, qui, ut quotidie videmus, immutat res plerasq; secundum differentias subjecti ipsarum, in diversos colores: id quod inter cætera, utpote dignissimum notatu, manifestè cernitur in Argento vivo, quod ex liquido & albo, (quale naturaliter est,) per medium ac vires solius ignis, sine ulla ulterius rei additione, efficitur non solum pulvis siccus & aridus, sed etiam rubidus instar pulcherrimi ac præstantissimi Coralli. Atque hæc sufficient finiendæ primæ isti Parti hujusce nostri Tractatus de Anatomia Antimonii.

SECUNDA PARS

ANATOMIÆ ANTIMONII,

In qua docetur, quo artificio separari debeant substantiæ ejus prepararique diversimodè, ut aptæ fiant, quibus adversus plurimas ægritudines tam internas quàm externas utamur.

HActenus universim egimus de omnibus circumstantiis consideratione dignis, quantum ad essentiam, naturam, proprietates, viresque Antimonii: Nunc verò, partim ad confirmandum pleraque argumenta suprà à nobis in medium producta, partim ad consummationem hujus Anatomiæ Antimonii, ad manualem ejus tractationem demonstrandam nos convertemus: quomodo inquam ope Vulcani integra ac completa hujus metallici corporis Anatomia, seu dissectio administrari queat. Et quoniam

omnes labores & operationes quę per Antimonium suscipi peragique possunt, præcipuè ad quatuor capita reducuntur, seu intentiones: quarum prima est, illud planè demembrare & artubus suis dissecando privare, & separare segregareque partes seu substantias ex quibus compositum est: secunda, præparare illud ut aptum sit quo pro vomitivo utamur purgante; tertia, illud eò deducere ut per sudorem operetur, & per insensilem transpirationem, ita ut nec vomitum nec secessum cieat: quarta denique, præparare illud particulatim, ut idoneum sit ad usus Chirurgicos: Ob id, inquam, dividemus hanc materiam in quatuor Sectiones, ordine qui sequitur.

SECTIO PRIMA.

De separatione substantiarum Antimonii.

CAP. I.

Quomodo separetur ab Antimonio substantia magis metallica & fixa, quàm est reliquum ipsius corpus, quæ Regulus Antimonii appellatur.

REgulus Antimonii, ut saltem ego conjicere possum, appellationem istam sumpsit à certo quodam termino seu loquendi modo quo utuntur purificatores metallorum in Germania: illi enim, volentes experiri aliquam mineram seu fodinam metallicam, sciscitarique utnoscant quanta copia boni metalli in ea lateat: tandem illud ultimum depuratissimum, quod postremo tentamento superstes manet, aut restibile, seu (ut verbo artificibus communi utar,) capellæ probam patitur, idiomate Germanico König / id est, Regem appellare solent: ex quo Latinum nomen diminutivum Regulus formatum est: ex hoc inquam colligi potest, nomen ipsi impositum esse: sed qualis qualis denique etymologia aut originatio sit istius nominis, hoc parum facit ad nostram præsentem tractationem. Regulus itaque Antimonii est substantia metallica, fixior, solidior, resplendentior, candidior, ponderosior & resonantior quàm est Antimonium ipsum integrum, & intactum: qui Regulus separatur ab Antimonio, rarefaciendo poros ipsius, aut subtiliando viscositatem mineralem, additione salium quorundam tempore fusionis: nam tunc Regulus, utpote existens gravior quam sint aliæ substantiæ ipsius, subsidit ad fundum crucibuli, modo quem paulò post declarabimus. Quocirca non alienum à proposito fore putarem, appellare ipsum Nucleum Antimonii potius, quàm Regulum: præsertim cùm sit pars quædam Antimonii discrepans in perfectione sua ab alia parte quæ ipsam circumdat: haud aliter quàm Nucleus differt à suo cortice. Itaque ut hunc Nucleum ex Antimonio crudo separemus ab aliis substantiis inter quas absconditus latet, hoc fieri poterit diversis modis: inter quos maximè communis, ordinarius & passim probatus est iste: Cape Antimonii libram unam, Tartari, aut Lapidis vini sesquilibram, salis petræ semilibram. Pulveriza hæc omnia simul quàm subtilissimè: hinc in luculento igne carbonacio habens magnum crucibu-

cibulum terreum, jam candefactum: injice isti dictum pulverem minutatim, donec universum insit: Hinc tege illud lapide quodam: & assiduis carbonibus circumcirca accensis ignem fove: usque dum, levato coperculo videas materiam esse fusam & perfectè liquidam ab imo ad summum. Tunc crucibulum igni exime, & projice omnem istam materiam in vas ferreum acuminatum, instar cornu, aut pilei Capuccinorum, quem Germanicè Gieß-Buckel/ appellant (aut manicæ, quam vocant, Hippocratis,) quod anteà probè igne fervefactum sit, & hinc sevo modicè inunctum: Sine hæc infrigidari: Frigefactum resupina, & effunde materiam contentam: inveniesque in fundo ejus massulam materiæ albæ & lucidæ instar Argenti: quam materiam separabis à reliqua massa: & hic est ille Regulus. Notandum verò est, quòd si tali instrumento ferreo careas, rem candem adhuc alio modo administrari posse: nempe, postquam crucibulum seu fusorium vas ab igne removeris, sine materiam quæ in illo est refrigescere: & exhinc rumpe illud vas, & in fundo ipsius invenies Regulum tuum æquè lucidum & bonum, ac si alio modo separationem molitus fueris: nec ulla in hisce duobus modis differentia est alia, quàm quòd crucibuli rupturâ ferrei istius coni defectum resarcire cogeris: quod damnum usque adeo parvi momenti est, ut propemodum ullius æstimari vix mereatur. Aliqui, loco prædictarum rerum, primò liquefaciunt Antimonium: ac posteà injiciunt illi ita fuso in singulas libras Antimonii singulas tres aut quatuor uncias, (id est trientem aut quadrantem libræ,) clavorum veterum ferreorum, quales ex soleis equinis extrahi solent cùm referrantur, & novas soleas ipsis aptare volumus. Hæc mista aliquamdiu eidem igni committunt, usque dum ferrum liquefieri incipiens, substantiam Reguli imbibat, eaque totum se imbuat ingurgitetque. Et tunc duo hæc, Ferrum inquam & Regulus Antimonii simul unita subsidunt, fundumque petunt: id quod postea collectum reservatur, eodem modo ac id quod præcedentibus duabus aliis rationibus præparatum fuit. Sed hoc pòstremum illis propriè Regulus Martis Stellatus nuncupatur, ob admistionem nempe Ferri, quam Martem appellant: & ob stelliformem signaturam, seu exteriorem habitum quem interdum assumit, per puncta nempe & radios divisus, prorsus eo modo quo Stellæ pingi consueverunt. Chymicorum aliqui persuadeat sibi hoc Regulo se maxima opera effecturos, usque adeò ut existiment illum esse verum subjectum Lapidis Philosophici. Et eò plus ad hoc credendum incitantur, quia in Regulo isto, operâ ignis valdè temperati & neutiquam vehementis, oculis se offerunt omnes isti colores quos Philosophi asserunt esse signa veram materiam Lapidis Philosophici indicantia: quod tamen præcipuè evenit ex eo quòd Ferrum adjunctum habet. Verùm hæc nihil aliud sunt quàm fallaces quædam metamorphoses, per quas plurimi decepti & miserè seducti, diutissimè laborarunt & torserunt ingenium suum in hoc Regulo, sed frustra, & prorsus eodem eventu quem sortiri solent labores quos in plerisque aliis rebus insumere

solemus eâdem intentione, investigandi nempe Lapidis istius usque adeò exoptati. Nam conclusio tantarum molitionum semper est solummodò Vanitas Vanitatum, & omnia Vanitas, ut inquit Sapiens, de aliis mundanis Vanitatibus loquens: qui ipse si cognitam habuisset hanc, de qua nobis nunc est sermo, eam procul dubio ante omnes nominasset, utpote quæ vera est omnium Vanitatum Regina. Sed talem laborem nondum expertus erat: nam Deus ipse dederat aliam Petram Philosophalem, hoc est, plenitudinem quandam benedictionum: cujus rei testimonium nobis luculentissimum dat Sacra Scriptura. Quantum autem ad Regulum Antimonii simplicem & impermixtum attinet, substantia ejus valdè propè abest à natura Argenti vivi: quod facilè deprehendi potest ex eo quòd Aurum, Argentum, & alia Metalla, si illi permisceantur, vi ignis minimo negotio se ipsi associant, & amalgamant, ferè eodem modo quo se Argento vivo annectere imbuereque consueverunt. Præparationes autem ejus & usus alio quodam hujus Tractatus loco infrà declarabuntur.

Operæ pretium verò non leve puto, vel obiter saltem meminisse subsidentiæ Antimonii quæ post separationem Reguli, ab ipso sejuncta manet: ac primò illius quæ primam separationem per Sal petræ & Tartarum administratam sequitur. Hæc itaque materia magnæ alicui copiæ calentis aquæ immissa dissolvitur planè, ob reliquas Salis petræ & Tartari adhucdum restantis, & colorem de se emittit luteum: usque adeò tingentem & infectivum, ut si manus ei immergantur, adeò pertinaciter eis adhæsurus sit, ut maculæ ægerrimè postea detergi queant. Atque hinc fit, quod aliqui hanc materiam pro Croco Metallorum sumant, de quo infrà acturi sumus. Si verò ipsi pluscul um aceti affundamus, quassando hæc omnia simul benè, & hinc aliquantisper quiescere sinendo, animadvertemus in fundo subsidere magnam copiam pulveris subtilissimi, coloris subpurpurei, quem Tanetum vocant: quem pulverem colligere & in usus nostros reservare possumus, effusa priùs paulatim aqua, per vasis inclinationem. Hunc Pulverem aliqui Sulphur Antimonii vocant, alii Sulphur auratum, alii denique Antimonium diaphoreticum. Verùm, quod ad nomen Sulphuris attinet, hoc ipsi neutiquam competere potest: quia in liquefactione Antimonii, quæ fit cum Sale petræ, omne Sulphur, aut saltem maxima ejus pars, igne absumitur: cui accedit, quod, si dictum pulverem vehementi alicui igni immittamus, rursum liquescat, resumatque iterum formam quodammodo similem pristinæ, cùm adhuc crudum esset Antimonium: hoc solo tamen excepto, quòd Regulo careat. Quapropter nullo modo potest nec debet appellari Sulphur iste pulvis, & multo adhuc minùs Antimonium diaphoreticum: nam tantum abest ut sudorem cieat, aut diaphoreticum sit: ut potiùs vomitum provocet, & ventrem per secessum purget. Altera superfluitas quæ remanet post separationem Reguli Antimonialis, per clavos ferreos factam, si quis colorem & splendorem ejus duntaxat consideret, non facilè à vero & crudo Antimonio discerni potest: præter quam quod venas adeò lon-

longas non habeat : & si velimus, eam præparando in formam Vitri redigere poterimus, modo quem paulò post indicabimus.

Cap. II.

Modus & ratio aperiendi corpus Antimonii, & separandi substantias ejus unam ab altera.

QUoniam antea (nempe cap. 2. Primæ partis hujusce Tractatus,) diximus Antimonium esse corpus natura sua compositum ex tribus substantiis diversis: nunc non alienum à proposito nostro fore judico, idipsum evidenter ob oculos ponere, & quasi intentis digitis demonstrare. Idque in duplicem maximè finem: Primò ut sit fundamentum præsentis hujusce Anatomiæ; nam scientes ex quibus substantiis Antimonium constet, tanto proclivius meliusque judicare poterimus de ejus proprietatibus, & diversis medicamentis, quæ ex ipso elici præpararique possint. Secundò ad comprimendam ex parte impudentiam temeritatemque eorum, qui ne minima quidem cognitione rudimentorum Artis Chymicæ instructi, & (quod sequi inde debet,) ignari prorsus dissectionis rerum naturalium, nihilominus tamen non cessant velle judicium ferre de qualitatibus Antimonii, loqui de effectis ipsius, & ratiocinari de usu ejus, juxta captum ingenii sui: quocirca revera merentur assimilari compararique alicui qui sermonem instituere velit de actionibus & operationibus corporis humani, & tamen ignoret ex quibus partibus & humoribus idipsum compositum sit. Sed ad rem. Separandi igitur substantias Antimonii, verissimus, facillimus, & maxime genuinus, ac ut ita dicam authenticus modus, omnium eorum quos ego hactenus addiscere aut comperire potui, est hic. Primò præparare nobis debemus aquam quandam Regalem, ad istum modum:

℞ Aquæ fortis communis lib. I.
Salis Ammoniaci,
Salis Nitri ana unc. iij.

Tres hasce materias simul immittimus Retortæ vitreæ, quam in fornace ventosa, ut vocant arena seu sabulo ab omni parte firmiter circummunitam statuimus: cui magnum Recipiens supponimus, & (junctura antea probe ut decet luto commissa & paulatim siccata,) ignem supponimus, primo modicum: hinc paulatim per gradus intensiorem vehementioremque, usque dum aqua plano consumpta sit distillando, & spiritus omnes per Retortam exhalaverint. Hinc deposita ab igne vasa, infrigidari permittimus: & exemptam inde aquam Regalem vitreo vasi quam accuratissime clauso inditam servamus in usum qui sequitur. Accipe Antimonii crudi in minuta frustula magnitudine granorum hordei redacti, aut paulo minutius confracti, sine ulla admistione pulveris, pondus circiter unciarum trium: Urinali vitreo, cujus fundus planus sit, ubi indideris, superinfunde illi tantum aquæ prædictæ, usque dum aqua digiti unius latitudine extet: obtura leviter

 viter

solemus câdem intentione, investigandi nempe Lapidis istius usque adeò exoptati. Nam conclusio tantarum molitionum semper est solummodò Vanitas Vanitatum,& omnia Vanitas, ut inquit Sapiens, de aliis mundanis Vanitatibus loquens: qui ipse si cognitam habuisset hanc, de qua nobis nunc est sermo, eam procul dubio ante omnes nominasset, utpote quæ vera est omnium Vanitatum Regina. Sed talem laborem nondum expertus erat: nam Deus ipse dederat aliam Petram Philosophalem, hoc est, plenitudinem quandam benedictionum: cujus rei testimonium nobis luculentissimum dat Sacra Scriptura. Quantum autem ad Regulum Antimonii simplicem & impermixtum attinet, substantia ejus valdè propè abest à natura Argenti vivi: quod facilè deprehendi potest ex eo quòd Aurum, Argentum, & alia Metalla, si illi permisceantur, vi ignis minimo negotio se ipsi associant, & amalgamant, ferè eodem modo quo se Argento vivo annectere imbuereque consueverunt. Præparationes autem ejus & usus alio quodam hujus Tractatus loco infrà declarabuntur.

Operæ pretium verò non leve puto, vel obiter saltem meminisse subsidentiæ Antimonii quæ post separationem Reguli, ab ipso sejuncta manet: ac primò illius quæ primam separationem per Sal petræ & Tartarum administratam sequitur. Hæc itaque materia magnæ alicui copiæ calentis aquæ immissa dissolvitur planè, ob reliquai Salis petræ & Tartari adhuc dum restantis,& colorem de se emittit luteum: usque adeò tingentem & infectivum, ut si manus ei immergantur, adeò pertinaciter eis adhæsurus sit, ut maculæ ægerrimè postea detergi queant. Atque hinc fit, quod aliqui hanc materiam pro Croco Metallorum sumant, de quo infrà acturi sumus. Si verò ipsi plusculum aceti affundamus, quassando hæc omnia simul bene, & hinc aliquantisper quiescere sinendo, animadvertemus in fundo subsidere magnam copiam pulveris subtilissimi, coloris subpurpurei, quem Tanetum vocant: quem pulverem colligere & in usus nostros reservare possumus, effusa priùs paulatim aqua, per vasis inclinationem. Hunc Pulverem aliqui Sulphur Antimonii vocant, alii Sulphur auratum, alii denique Antimonium diaphoreticum. Verùm, quod ad nomen Sulphuris attinet, hoc ipsi neutiquam competere potest: quia in liquefactione Antimonii, quæ fit cum Sale petræ, omne Sulphur, aut saltem maxima ejus pars, igne absumitur: cui accedit, quod, si dictum pulverem vehementi alicui igni immittamus, rursum liquescat, resumatque iterum formam quodammodo similem pristinæ, cùm adhuc crudum esset Antimonium: hoc solo tamen excepto, quòd Regulo careat. Quapropter nullo modo potest nec debet appellari Sulphur iste pulvis, & multo adhuc minùs Antimonium diaphoreticum: nam tantum abest ut sudorem cieat, aut diaphoreticum sit: ut potiùs vomitum provocet, & ventrem per secessum purget. Altera superfluitas quæ remanet post separationem Reguli Antimonialis, per clavos ferreos factam, si quis colorem & splendorem ejus duntaxat consideret, non facilè à vero & crudo Antimonio discerni potest: præter quam quod venas adeò

lon-

longas non habeat: & si velimus, eam præparando in formam Vitri redigere poterimus, modo quem paulò post indicabimus.

CAP. II.

Modus & ratio aperiendi corpus Antimonii, & separandi substantias ejus unam ab altera.

QUoniam antea (nempe cap. 2. Primæ partis hujusce Tractatus,) diximus Antimonium esse corpus natura sua compositum ex tribus substantiis diversis: nunc non alienum à proposito nostro fore judico, idipsum evidenter ob oculos ponere, & quasi intentis digitis demonstrare. Idque in duplicem maximè finem: Primò ut sit fundamentum præsentis hujusce Anatomiæ; nam scientes ex quibus substantiis Antimonium constet, tanto proclivius meliusque judicare poterimus de ejus proprietatibus, & diversis medicamentis, quæ ex ipso elici præparari que possint. Secundò ad comprimendam ex parte impudentiam temeritatemque eorum, qui ne minima quidem cognitione rudimentorum Artis Chymicæ instructi, & (quod sequi inde debet,) ignari prorsus dissectionis rerum naturalium, nihilominus tamen non cessant velle judicium ferre de qualitatibus Antimonii, loqui de effectis ipsius, & ratiocinari de usu ejus, juxta captum ingenii sui: quocirca revera merentur assimilari comparari que alicui qui sermonem instituere velit de actionibus & operationibus corporis humani, & tamen ignoret ex quibus partibus & humoribus idipsum compositum sit. Sed ad rem. Separandi igitur substantias Antimonii, verissimus, facillimus, & maxime genuinus, ac ut ita dicam authenticus modus, omnium eorum quos ego hactenus addiscere aut comperire potui, est hic. Primò præparare nobis debemus aquam quandam Regalem, ad istum modum:

℞ Aquæ fortis communis lib. I.
Salis Ammoniaci,
Salis Nitri ana unc. iij.

Tres hasce materias simul immittimus Retortæ vitreæ, quam in fornace ventosa, ut vocant arena seu sabulo ab omni parte firmiter circummunitam statuimus: cui magnum Recipiens supponimus, & (junctura antea probe ut decet luto commissa & paulatim siccata,) ignem supponimus, primo modicum: hinc paulatim per gradus intensiorem vehementioremque, usque dum aqua plane consumpta sit distillando, & spiritus omnes per Retortam exhalaverint. Hinc deposita ab igne vasa, infrigidari permittimus: & exemptam inde aquam Regalem vitreo vasi quam accuratissime clauso inditam servamus in usum qui sequitur. Accipe Antimonii crudi in minuta frustula magnitudine granorum hordei redacti, aut paulo minutius confracti, sine ulla admistione pulveris, pondus circiter unciarum trium: Urinali vitreo, cujus fundus planus sit, ubi indideris, superinfunde illi tantum aquæ prædictæ, usque dum aqua digiti unius latitudine extet: obtura leviter

solemus eâdem intentione, investigandi nempe Lapidis istius usque adeò exoptati. Nam ſ conclusio tantarum molitionum semper est solummodò Vanitas Vanitatum, & omnia Vanitas, ut inquit Sapiens, de aliis mundanis Vanitatibus loquens: qui ipse si cognitam habuisset hanc, de qua nobis nunc est sermo, eam procul dubio ante omnes nominasset, utpote quæ vera est omnium Vanitatum Regina. Sed talem laborem nondum expertus erat: nam Deus ipse dederat aliam Petram Philosophalem, hoc est, plenitudinem quandam benedictionum: cujus rei testimonium nobis luculentissimum dat Sacra Scriptura. Quantum autem ad Regulum Antimonii simplicem & impermixtum attinet, substantia ejus valdè propè abest à natura Argenti vivi: quod facilè deprehendi potest ex eo quòd Aurum, Argentum, & alia Metalla, si illi permisceantur, vi ignis minimo negotio se ipsi associant, & amalgamant, ferè eodem modo quo se Argento vivo annectere imbuereque consueverunt. Præparationes autem ejus & usus alio quodam hujus Tractatus loco infrà declarabuntur.

Operæ pretium verò non leve puto, vel obiter saltem meminisse subsidentiæ Antimonii quæ post separationem Reguli, ab ipso sejuncta manet: ac primò illius quæ primam separationem per Sal petræ & Tartarum administratam sequitur. Hæc itaque materia magnæ alicui copiæ calentis aquæ immissa dissolvitur planè, ob reliquias Salis petræ & Tartari adhuc dum restantis, & colorem de se emittit luteum: usque adeò tingentem & infectivum, ut si manus ei immergantur, adeò pertinaciter eis adhæsurus sit, ut maculæ ægerrimè postea detergi queant. Atque hinc fit, quod aliqui hanc materiam pro Croco Metallorum sumant, de quo infrà acturi sumus. Si verò ipsi plusculum aceti affundamus, quassando hæc omnia simul bene, & hinc aliquantisper quiescere sinendo, animadvertemus in fundo subsidere magnam copiam pulveris subtilissimi, coloris subpurpurei, quem Tanetum vocant: quem pulverem colligere & in usus nostros reservare possumus, effusa priùs paulatim aqua, per vasis inclinationem. Hunc Pulverem aliqui Sulphur Antimonii vocant, alii Sulphur auratum, alii denique Antimonium diaphoreticum. Verùm, quod ad nomen Sulphuris attinet, hoc ipsi neutiquam competere potest: quia in liquefactione Antimonii, quæ fit cum Sale petræ, omne Sulphur, aut saltem maxima ejus pars, igne absumitur: cui accedit, quod, si dictum pulverem vehementi alicui igni immittamus, rursum liquescat, resumatque iterum formam quodammodo similem pristinæ, cùm adhuc crudum esset Antimonium: hoc solo tamen excepto, quòd Regulo careat. Quapropter nullo modo potest nec debet appellari Sulphur iste pulvis, & multo adhuc minùs Antimonium diaphoreticum: nam tantum abest ut sudorem cieat, aut diaphoreticum sit: ut potiùs vomitum provocet, & ventrem per secessum purget. Altera superfluitas quæ remanet post separationem Reguli Antimonialis, per clavos ferreos factam, si quis colorem & splendorem ejus duntaxat consideret, non facilè à vero & crudo Antimonio discerni potest: præter quam quod venas adeò lon-

longas non habeat : & si velimus, eam præparando in formam Vitri redigere poterimus, modo quem paulò post indicabimus.

Cap. II.

Modus & ratio aperiendi corpus Antimonii, & separandi substantias ejus unam ab altera.

QUoniam antea (nempe cap. 2. Primæ partis hujusce Tractatus,) diximus Antimonium esse corpus natura sua compositum ex tribus substantiis diversis: nunc non alienum à proposito nostro fore judico, idipsum evidenter ob oculos ponere, & quasi intentis digitis demonstrare. Idque in duplicem maximè finem: Primò ut sit fundamentum præsentis hujusce Anatomiæ; nam scientes ex quibus substantiis Antimonium constet, tanto proclivius meliusque judicare poterimus de ejus proprietatibus, & diversis medicamentis, quæ ex ipso elici præpararique possint. Secundò ad comprimendam ex parte impudentiam temeritatemque eorum, qui ne minima quidem cognitione rudimentorum Artis Chymicæ instructi, & (quod sequi inde debet,) ignari prorsus dissectionis rerum naturalium, nihilominus tamen non cessant velle judicium ferre de qualitatibus Antimonii, loqui de effectis ipsius, & ratiocinari de usu ejus, juxta captum ingenii sui: quocirca revera merentur assimilari compararique alicui qui sermonem instituere velit de actionibus & operationibus corporis humani, & tamen ignoret ex quibus partibus & humoribus idipsum compositum sit. Sed ad rem. Separandi igitur substantias Antimonii, verissimus, facillimus, & maxime genuinus, ac ut ita dicam authenticus modus, omnium eorum quos ego hactenus addiscere aut comperire potui, est hic. Primò præparare nobis debemus aquam quandam Regalem, ad istum modum:

℞ Aquæ fortis communis lib. 1.
Salis Ammoniaci,
Salis Nitri ana unc. iij.

Tres hasce materias simul immittimus Retortæ vitreæ, quam in fornace ventosa, ut vocant arena seu sabulo ab omni parte firmiter circummunitam statuimus: cui magnum Recipiens supponimus, & (junctura antea probe ut decet luto commissa & paulatim siccata,) ignem supponimus, primo modicum: hinc paulatim per gradus intensiorem vehementioremque, usque dum aqua plane consumpta sit distillando, & spiritus omnes per Retortam exhalaverint. Hinc depositâ ab igne vasa, infrigidari permittimus: & exemptam inde aquam Regalem vitreo vasi quam accuratissime clauso inditam servamus in usum qui sequitur. Accipe Antimonii crudi in minuta frustula magnitudine granorum hordei redacti, aut paulo minutius confracti, sine ulla admistione pulveris, pondus circiter unciarum trium: Urinali vitreo, cujus fundus planus sit, ubi indideris, superinfunde illi tantum aquæ prædictæ, usque dum aqua digiti unius latitudine extet: obtura le-

solemus eâdem intentione, investigandi nempe Lapidis istius usque adeò exoptati. Nam f conclusio tantarum molitionum semper est solummodò Vanitas Vanitatum, & omnia Vanitas, ut inquit Sapiens, de aliis mundanis Vanitatibus loquens: qui ipse si cognitam habuisset hanc, de qua nobis nunc est sermo, eam procul dubio ante omnes nominasset, utpote quæ vera est omnium Vanitatum Regina. Sed talem laborem nondum expertus erat: nam Deus ipse dederat aliam Petram Philosophalem, hoc est, plenitudinem quandam benedictionum: cujus rei testimonium nobis luculentissimum dat Sacra Scriptura. Quantum autem ad Regulum Antimonii simplicem & impermixtum attinet, substantia ejus valdè propè abest à natura Argenti vivi: quod facilè deprehendi potest ex eo quòd Aurum, Argentum, & alia Metalla, si illi permisceantur, vi ignis minimo negotio se ipsi associant, & amalgamant, ferè eodem modo quo se Argento vivo annectere imbuereque consueverunt. Præparationes autem ejus & usus alio quodam hujus Tractatus loco infrà declarabuntur.

Operæ pretium verò non leve puto, vel obiter saltem meminisse subsidentiæ Antimonii quæ post separationem Reguli, ab ipso sejuncta manet: ac primò illius quæ primam separationem per Sal petræ & Tartarum administratam sequitur. Hæc itaque materia magnæ alicui copiæ calentis aquæ immissa dissolvitur planè, ob reliquai Salis petræ & Tartari adhuc dum restantis, & colorem de se emittit luteum: usque adeò tingentem & infectivum, ut si manus ei immergantur, adeò pertinaciter eis adhæsurus sit, ut maculæ ægerrimè postea detergi queant. Atque hinc fit, quod aliqui hanc materiam pro Croco Metallorum sumant, de quo infrà acturi sumus. Si verò ipsi plusculum aceti affundamus, quassando hæc omnia simul bene, & hinc aliquantisper quiescere sinendo, animadvertemus in fundo subsidere magnam copiam pulveris subtilissimi, coloris subpurpurei, quem Tanetum vocant: quem pulverem colligere & in usus nostros reservare possumus, effusa priùs paulatim aqua, per vasis inclinationem. Hunc Pulverem aliqui Sulphur Antimonii vocant, alii Sulphur auratum, alii denique Antimonium diaphoreticum. Verùm, quod ad nomen Sulphuris attinet, hoc ipsi neutiquam competere potest: quia in liquefactione Antimonii, quæ fit cum Sale petræ, omne Sulphur, aut saltem maxima ejus pars, igne absumitur: cui accedit, quod, si dictum pulverem vehementi alicui igni immittamus, rursum liquescat, resumatque iterum formam quodammodo similem pristinæ, cùm adhuc crudum esset Antimonium: hoc solo tamen excepto, quòd Regulo careat. Quapropter nullo modo potest nec debet appellari Sulphur iste pulvis, & multo adhuc minùs Antimonium diaphoreticum: nam tantum abest ut sudorem cieat, aut diaphoreticum sit: ut potiùs vomitum provocet, & ventrem per secessum purget. Altera superfluitas quæ remanet post separationem Reguli Antimonialis, per clavos ferreos factam, si quis colorem & splendorem ejus duntaxat consideret, non facilè à vero & crudo Antimonio discerni potest: præter quam quod venas adeò

lon-

longas non habeat : & si velimus, eam præparando in formam Vitri redigere poterimus, modo quem paulò post indicabimus.

CAP. II.

Modus & ratio aperiendi corpus Antimonii, & separandi substantias ejus unam ab altera.

QUoniam antea (nempe cap. 2. Primæ partis hujusce Tractatus,) diximus Antimonium esse corpus natura sua compositum ex tribus substantiis diversis: nunc non alienum à proposito nostro fore judico, idipsum evidenter ob oculos ponere, & quasi intentis digitis demonstrare. Idque in duplicem maximè finem: Primò ut sit fundamentum præsentis hujusce Anatomiæ; nam scientes ex quibus substantiis Antimonium constet, tanto proclivius meliusque judicare poterimus de ejus proprietatibus, & diversis medicamentis, quæ ex ipso elici præpararique possint. Secundò ad comprimendam ex parte impudentiam temeritatemque eorum, qui ne minima quidem cognitione rudimentorum Artis Chymicæ instructi, & (quod sequi inde debet,) ignari prorsus dissectionis rerum naturalium, nihilominus tamen non cessant velle judicium ferre de qualitatibus Antimonii, loqui de effectis ipsius, & ratiocinari de usu ejus, juxta captum ingenii sui: quocirca revera merentur assimilari compararique alicui qui sermonem instituere velit de actionibus & operationibus corporis humani, & tamen ignoret ex quibus partibus & humoribus idipsum compositum sit. Sed ad rem. Separandi igitur substantias Antimonii, verissimus, facillimus, & maxime genuinus, ac ut ita dicam authenticus modus, omnium eorum quos ego hactenus addiscere aut comperire potui, est hic. Primò præparare nobis debemus aquam quandam Regalem, ad istum modum:

℞ Aquæ fortis communis lib. 1.
Salis Ammoniaci,
Salis Nitri ana unc. iij.

Tres hasce materias simul immittimus Retortæ vitreæ, quam in fornace ventosa, ut vocant arena seu sabulo ab omni parte firmiter circummunitam statuimus: cui magnum Recipiens supponimus, & (junctura antea probe ut decet luto commissa & paulatim siccata,) ignem supponimus, primo modicum: hinc paulatim per gradus intensiorem vehementioremque, usque dum aqua plane consumpta sit distillando, & spiritus omnes per Retortam exhalaverint. Hinc deposita ab igne vasa, infrigidari permittimus: & exemptam inde aquam Regalem vitreo vasi quam accuratissime clauso inditam servamus in usum qui sequitur. Accipe Antimonii crudi in minuta frustula magnitudine granorum hordei redacti, aut paulo minutius confracti, sine ulla admistione pulveris, pondus circiter unciarum trium: Urinali vitreo, cujus fundus planus sit, ubi indideris, superinfunde illi tantum aquæ prædictæ, usque dum aqua digiti unius latitudine extet: obtura leviter

longas non habeat: & si velimus, eam præparando in formam Vitri redigere poterimus, modo quem paulò post indicabimus.

CAP. II.

Modus & ratio aperiendi corpus Antimonii, & separandi substantias ejus unam ab altera.

QUoniam antea (nempe cap. 2. Primæ partis hujusce Tractatus,) diximus Antimonium esse corpus natura sua compositum ex tribus substantiis diversis: nunc non alienum à proposito nostro fore judico, idipsum evidenter ob oculos ponere, & quasi intentis digitis demonstrare. Idque in duplicem maximè finem: Primò ut sit fundamentum præsentis hujusce Anatomiæ; nam scientes ex quibus substantiis Antimonium constet, tanto proclivius meliusque judicare poterimus de ejus proprietatibus, & diversis medicamentis, quæ ex ipso elici præpararique possint. Secundò ad comprimendam ex parte impudentiam temeritatemque eorum, qui ne minima quidem cognitione rudimentorum Artis Chymicæ instructi, & (quod sequi inde debet,) ignari prorsus dissectionis rerum naturalium, nihilominus tamen non cessant velle judicium ferre de qualitatibus Antimonii, loqui de effectis ipsius, & ratiocinari de usu ejus, juxta captum ingenii sui: quocirca revera merentur assimilari compararique alicui qui sermonem instituere velit de actionibus & operationibus corporis humani, & tamen ignoret ex quibus partibus & humoribus idipsum compositum sit. Sed ad rem. Separandi igitur substantias Antimonii, verissimus, facillimus, & maxime genuinus, ac ut ita dicam authenticus modus, omnium eorum quos ego hactenus addiscere aut comperire potui, est hic. Primò præparare nobis debemus aquam quandam Regalem, ad istum modum:

℞ Aquæ fortis communis lib. 1.
Salis Ammoniaci,
Salis Nitri ana unc. iij.

Tres hasce materias simul immittimus Retortæ vitreæ, quam in fornace ventosa, ut vocant arena seu sabulo ab omni parte firmiter circummunitam statuimus: cui magnum Recipiens supponimus, & (junctura antea probe ut decet luto commissa & paulatim siccata,) ignem supponimus, primo modicum: hinc paulatim per gradus intensiorem vehementioremque, usque dum aqua plane consumpta sit distillando, & spiritus omnes per Retortam exhalaverint. Hinc deposita ab igne vasa, infrigidari permittimus: & exemptam inde aquam Regalem vitreo vasi quam accuratissime clauso inditam servamus in usum qui sequitur. Accipe Antimonii crudi in minuta frustula magnitudine granorum hordei redacti, aut paulo minutius confracti, sine ulla admistione pulveris, pondus circiter unciarum trium: Urinali vitreo, cujus fundus planus sit, ubi indideris, superinfunde illi tantum aquæ prædictæ, usque dum aqua digiti unius latitudine extet: obtura leviter

viter Urinale minuto thuraculo cartaceo: & repositum in scamno quodam aut alibi, ubi videbitur, loco tepido aut caloris experte, brevissimo temporis spatio videbis aquam prędictam operari in Antimonium, extrahendo paullatim omne sulphur ex ipsis, cujus particula aliqua supernatabit aquæ, ut resinosa omnia solent: & alia pars adhærebit circumcirca dictis granulis Antimonii: quod ipsum facile animadvertes, quando videbis ea omnem splendorem suum amisisse: & onerata coopertaq; esse crusta quadam colore sulphuris impuri, quale est illud quod Sulphur vivum nuncupamus. Hoc facto, remove aquam regalem, per inclinationem, & effunde illam in aliud vitrum. Atq; hinc lava & relava Antimonium ita crustosum, toties usq; dum aqua non resipiat aliquam ultra acrimoniam, & sicca seu terge illud paulatim in carta. Et si tūc caveas nosse an dicta crusta sit reapse Sulphur, nec ne, immitte aliquantulum ipsius carboni accenso, seu vivo, ut vocant: & confestim videbis ustulatum more vulgaris Sulphuris flammam cæruleam emittere. Quod Sulphur ut separetur à reliquo Antimonio, sic procedendum erit: Sume Antimonium ita frustulentum aut crustosum, ut dictum est: impositumque vitreo vasi, superfusa Lixivii Tartari tanta copia quæ ipsi per unum duosve digitos supernatet, sine aliquantisper bullire, reposito prius vitro in sabulo calido: videbisque statim dissoluto Sulphure, & sejungente se à reliquo Antimonio, dictum lixivium luteo & instar aurei Hungarici colore tingi: quod lixivium inclinando transfundes in aliud vitreum: & residuo infundes iterum novi lixivii paululum: procedendo eodem istocce modo quo prius, ne separes illud pauxillum Sulphuris quod à præcedente ebullitione non separatum remansisse potuit. Adhæc, quod plus est: Cape hoc Lixivium ita tinctum, & affunde ei quartam partem Aceti distillati: & imposito vase cum isto liquore, ferventi aquæ, totum ibi diem quiescere sine: quo temporis spatio Sulphur Antimonii fundum vitri petens, ibidem residet forma pulveris subtilissimi, coloris subgrisei: quod ipsum, posteaquam effuderis aquam inclinando vas, recollectum siccari facies, & sic habebis Sulphur Antimonii. Si autem id plane mundum habere desideres, admiscebis ei Salis communis probe siccati pauxillum, inditumque parvulo urinali vitreo, quod tectum sit coopertorio suo aut capella ut vocant, sublimari sines: quo facto Sulphur extricans se segregansque à pauculo isto Sale Tartari, quod ante à lixivio imbiberat, elevando seipsum in sublime, adhærebit capitello vitri, floris seu fuliginis minutissimæ instar, prorsus ita ut Sulphuri communi evenit, quando sublimatur. Atque hoc sepositum servabis.

Restant aliæ duæ Antimonii substantiæ, has ita separabis: Sume Antimonii reliquum, nempe quodcunque ejus subsedit & in fundo vasis remansit post extractionem Sulphuris sui: lava id probe aqua communi, ut nihil lixivii Tartarei ipsi magis adhæreat: abstersum siccatumque ubi fuerit, affunde ipsi aquam Regalem, quam desumptam à priori operatione reservaras: addito quinetiam pauxillulo recentis & nunquam prius in hunc finem usitatæ. Pone hæc omnia simul in Balneo Mariæ

distil-

distillanda : & relinque ea inibi tamdiu, usque dum Antimonium præcipitetur in minutum pulverem: Pauloque post, posito hoc sic præcipitato Antimonio, unà cum aqua quæ ipsi adhuc superest, in parvo urinali vitreo, distillare hæc simul facies per sabulum, primum parvo, hinc paulatim vehementiori igne, continuando usque dum nullum amplius liquorem egredi animadvertas, imò ne fumum quidem. Refrigerari permitte vasa. Hinc sublato Recipiente, invenies in ipso pulverem subtilissimum & candidissimum, subsidentem in imo liquoris : quem pulverem separatum servare oportet, lavareque & relavare aqua communi calida tam sæpe & diu, ut nullam amplius acrimoniam ab aqua Regali retineat : & hic pulvis est Mercurius Antimonii.

Ad ultimum respice fundum urinalis : & reperies pauxillum pulveris subgrisei: quem Sal Antimonii nuncupare possemus. Atque hoc modo habebis tres substantias Antimonii separatas, unam ab altera. Sin verò tantarum observationum aut subtilitatum incuriosus fueris, contemplandi nimirum minutatim operationem prædictæ aquæ, videndique quomodo Sulphur ab Antimonio exeat, ut supra ostendimus : & laborem tuum abbreviare studeas, hac ratione operari poteris: Capias Antimonii crudi grosso modo, (ut loquuntur,) pulverizati, quantum lubebit : indas urinali vitreo, tantumque ei præfatæ aquæ Regalis infundas, ut prorsus natet : patiaris eam operari primum per se quantum potest, sine ulla ignis opera, concutiendo sæpe materiam : & ubi aqua vim suam amiserit, tantundem alterius recentis aquæ affundas, & sinas agere ut primam. Hoc facto, imponas urinale tuum in fornacem sabulo refertam, ignemque parvulum subdas, usque dum aqua calefacta incipiat operari iterum: prosequere hoc opus calore satis lento usque dum aqua dicta agere cesset, & Antimonium colore suo penitus exutum, præcipitatum fuerit in pulverem album. Hinc resideat id quod crassum est, & inclinatione remove aquæ Regalis residuum (quam aquam servare poteris ad redistillandum quando opus fuerit, cum novis ingredientibus, ut dictum est supra : aut in alium quempiam usum repones:) Deinde lava & relava dictum Antimonium sic præcipitatum, pluribus vicibus, & abstergendo siccatum, fac ut leniter bulliat in lixivio Tartari, ut supra docuimus: repetendo hoc opus toties, usque dum lixivium nullum amplius colorem assumat ? hoc enim denotabit Sulphur omne jam Antimonio ademptum esse. Postea sume hoc lixivium ita imbutum seu imprægnatum Sulphure, evapora omnem aquam paulatim ac sensim, usque dum in fundo maneat substantia quædam sicca, quæ est Sal Tartari & Sulphur Antimonii inter sese permixta. (Notandum verò, hanc exhalationem fieri debere in quadam scutella murrhina seu porcellanica, ut vocant, aut in alio quodam patenti vasculo probè plumbato, & apto ut vim ignis sufferre queat: nam vitrum plerumq; finditur aut liquescit.) Posthæc accipe hanc materiam, & tantundem arenæ aut sabulonis sicci : misce insimul, & sublima ut supra dictum : nam

nam in capelleto seu coperculo distillatorii tui Sulphur tuum ascendisse reperies, quod altum petit: & in fundo remanebit Sal Tartari sabulo mixtum: quod Sal extrahere poteris per aquam: & hæc aqua fiet lixivium alia vice utile futurum, si velis. Postmodum cape reliquum Antimonii, cui Sulphur subtraxisti: lava id pluries, ne retineat ullam amplius salsedinem à lixivio supra memorato: & siccatum ubi fuerit absterfumve, impone illud urinali vitreo probè lutato: hinc cura ut sublimetur: & capellam ascendet Mercurius Antimonii, & in fundo residebit Sal ipsius. Atque hæc sunt quæ ad separationem substantiarum Antimonii attinent. Sed quoniam duæ ultimæ substantiæ non respondent nomini suo, communibus saltem indiciis & notis, aliquot Chymici satis incauti, & principiorum ignari, quippiam in iis desiderare possent: exempli gratia, vellent Mercurio Antimoniali substantiam liquidam & fluentem dari, & Salem verè salsum gustatui esse, & sic hos nostros processus deridere aut ludibrio habere possent. Verum enim verò his ego ita responsum volo: debere ipsos in hocce negotio legere definitionem quam dat Paracelsus (Paramiri lib. 1. de Orig. morb. ex trib. primis substantiis:) Paracelsus, inquam, qui primus nobis repræsentavit hoc fundamentum: reperient enim, quod loquens de tribus substantiis ex quibus naturaliter omnes res componuntur, hoc modo concludit: Quicquid uritur ardetve, est Sulphur: nec aliud quidpiam ardet, quam Sulphur. Quicquid evolat aut in fumum abit, est Mercurius: nec quippiam evolat, quam Mercurius. Demum quicquid in cineres convertitur, & fixum ac stabile manet, est Sal, &c. Juxta hanc definitionem cogimur agnoscere substantias præmemoratas pro talibus quales à nobis supra nominatæ sunt. Quod si verò differant in aliquibus notis & signis à substantiis Vegetabiliũ & Animalium: nam verbi gratia, illarum substantia Mercurialis, est aqua: illarum Sulphur est oleum aut pinguedo: ac denique illarum Sal est res verè salsa & Sali vulgari analoga:) in hoc, inquam, considerare debemus differentiam naturarum quæ est inter Mineralia & alia corpora: Ut enim Mineralia corpora sunt solida, gravia & terrestria, multo magis quàm Animalia & Vegetabilia, sic etiam substantias suas habent siccas, aridas, & planè differentes ab aliis corporibus: idcoq; maxima vesania foret, & cassus labor, velle quærere in Antimonio, Marcasitis, Lapidibus & Metallis similes substantias iis quæ in Vegetabilibus reperiuntur. Quod plus est, dicam hic insuper quippiam aliud, commonefaciam instruamque eos qui monitione indigent, quod eo modo quo Salem appellare possumus, cinerem alicujus Mineralis, etsi nullo prorsus sapore gustum feriat, & fuliginem ejus, Mercurium, quamvis ea non sit aquosa, aut nullo modo liquida, quod, inquam, eodem prorsus modo possumus imò & debemus agnoscere quamplurimas substantias pro sulphuribus, quæ tamen neutiquã actu combustibiles sunt: ut, exempli gratia, extat apud Chymicos Oleum Salis, Oleum Vitrioli, & Spiritus Nitri: hæc tamen licet igni admota, reapse non ardeãt: potentiali quippe

quippe duntaxat quadam facultate uti apta. Quocirca hæc sufficient hoc tempore ad universum declarandum, quomodo intelligenda sit definitio & differentia trium harum substantiarum, juxta differentiam corporum: cui accedit & hoc, sciendum nobis esse has substantias adeò confusè inter sese mixtas esse, & alteram ab altera ita semper aliquid participantes, ut etiam post separationem factam, id est, abstractionem è corporibus quibus infuerant, non appellari possint absolute aut exquisite puræ aut non mixtæ, quia semper una retinet quidpiam ex alterius substantia, substantiæ suæ permixtum.

Itaque, ut ad propositum revertamur: Quod ad proprietates substantiarum abstractarum separatarumve Antimonii attinet, hactenus adhuc nondum satis asseveranter nunciare possemus quippiam de effectibus ejus; cum nondum omnes experti satis simus: solo Mercurio ejus excepto. Hunc enim comperimus vomitoriam & purgatoriam vim habere, qualem plerunque in ipso Antimonio deprehendimus: quapropter & eo in talem finem uti possemus. Quod ad Sulphur ejus attinet, persuasissimum hoc nobis est, sudorificum fore, discutiens, quinetiam aperitivum & balsamicum, quale est Sulphur minerale: excepto, quod fortassis posset habere præterea aliquam peculiarem vim, respondentem corpori ex quo abstractum fuit. Ad cujus rei comprobationem accensere possemus Olea Caryophyllorum, Cinamomi, Nucum Myristicarum, &c. quæ omnia quantumvis sint Olea combustibilia, & generaliter calida, tam unum quam alterum, nihilominus in particularibus singulorum viribus maximum inter ipsa discrimen intercedit. Tertiam verò substantiam quoniam nondum ullo pacto examinatam aut compertam habemus: idcirco etiam supersedebimus ab ulteriori ejus prædicatione: usque dum penitiorem ejus naturam prærogativam experimento docti penitus cognitam & exploratam habeamus.

SECTIO SECUNDA.

De Vomitoriis Purgativis ex Antimonio desumptis.

CAP. I.

De Vitro Antimonii.

Vitrum Antimonii ita appellatur, quia forma, resonantia, splendore & fragilitate aliquo modo Vitrum refert, certè multo melius quam quippiam aliud. Præparatur autem diversis modis: sed omnium optimus & approbatissimus est iste Matthioli, quem in Commentariis ad Dioscoridem describit, capite de Stibio seu Antimonio: quem & hoc loco verbatim exscribere volui: Ut Stibium Hyacynthinum, seu Vitrum Antimonii pares, eligito Antimonium optimum, quod (ut Dioscorides tradit) splendidissimum est, modoque nitedularum seu vermium noctu lucentium emicat, confractu crustosum, friabile, nihil terræ aut sordidi habens. Id primum in pulverem redigito: deinde in fictile vas, quod amplum sit, conjicito: tum demum carbonibus succensis ad calcinandum (ut Chymistarum verbo utar) sub dio exponito: atque interim coch-

leari ferreo, ſpatula ita Myropolis appellata, continue moveto. Hoc vero dum fit, fumus exhalat tenuis ſulphur & auripigmentum redolens: qui ſi ore attrahatur, crebras interdum excitat vomitiones: quapropter qui verſant, ventis terga opponant. Verſare autem aſſidue expedit: nam ſi pauliſper ceſſes, vel comburitur Stibium, vel liquefit, & concreſcit in glebas minutas: (nam fieri neutiquam poteſt, quam diligentiſſimè licet verſetur, quin aliqua ſaltem portio liqueſcat;) Verſato itaque diligenter, quousque in glebas concreſcat: quas cum videris, ſublato ab igne fictili, quod concrevit, rurſus in pulverem redigito: atque eidem fictili impoſitum, carbonibus reddito: aſſiduoque verſato. Id quod repetendum eſt ſæpius, uſque dum nullæ amplius glebulæ coaleſcant. Ita quoque tamdiu verſare convenit, quoad corpuſcula illa, quæ emicant, ſplendorem ſuum amiſerint, vapor omnis ceſſaverit, fœtor obſoluerit, & Antimonium in calcē converſum ſubalbicantis cineris colorem contraxerit: perfecti autem operis (id eſt, an ſatis calcinatum ſit,) ſignum erit, ſi prunis ardentibus inſpergatur, nihilque prorſus fumi emittat. Poſthæc ſumito hujuſce calcis, exempli gratia, libram mediam, Antimonii crudi unciam, Boracis (quam alii Chryſocollam factitiam appellant,) ſemiunciam. Deinde Chryſocollam & Stibium crudum terito in tenuem pulverem: mox omnia ſimul miſceto: atq; in fictili fuſorio, ſeu crucibulo, quo utuntur artifices, igni vehementi admoveto: vas ſuper laterem, aut teſtaceū aliquod fictilis ollæ fundum, prius collocatum, & fictili operculo contectum, carbonibus accenſis circumdato. Verum tamen operæ pretium eſt, in hoc magnam adhibere diligentiam, ne res illa comburantur. Ideoq; neceſſe eſt, ut in promptu habeas rude ſeu veruculum ferreum, quod crucibulo indas, quando illud rubrum factum ſeu canduiſſe animadvertes: ut ſcire queas an Antimonium liquefactum ſit, nec ne. Et confeſtim abradendum eſt quodcunque veruculo adhæſit: quod album colore ſit oportet. Hinc iterū veruculum crucibulo immittendum, & faciendum ut prius: idq; toties & tamdiu, uſque dum id quod de veruculo abraſum erit, appareat ruffum, vividum & ſplendidū. Quo viſo, forcipula ferrea ſublato cooperculo, nonnunquam inſpiciendum eſt, an colliqueſcat. Nam ubi colliquatum fuerit, ilico vas ab igne eximito, & ſuper marmorea tabula, aut inverſa pelvi ex aurichalco fabricata, quâ tonſores utuntur, guttatim projicito. Quamprimum enim ibi concreſcet in laminas, quæ colore, & nitore chryſopatios, quos hyacinthos appellant, atque etiam nonnunquam granatos referent. Ubi autem lapillos parvos & rotundos parare ſit animus, guttatim è fuſorio vaſe ſuper eadē pelvi fuſum Antimonium effundito. Cæterum chryſocollæ vicem feliciori ſucceſſu mihi præſtat ſal foſſile cryſtalli modo pellucidum: ſufficitq; in tribus Antimonii unciis ſemidrachmam addere. Verum omnes admonitos velim, difficillimè à quoquam parari poſſe Hyacinthinum Antimonium etiam peritiſſimo Chymicæ artis Magiſtro: niſi prius ab altero parari diligenter inſpexerit, quum non ſemper iis etiam ſuccedat pellucidum, qui ſæpe ac ſæpius illud paraverunt. Ideoq; ubi ejus laminæ ſemel projectæ pulverulenta quadam cuticula obdu-

obducuntur, quæ earum nitorem pelluciditatemq; obumbrant, oportet iterũ easdem laminas conterere, atq; etiam parum salis fossitii, & iterũ igni admovere, & fundi permittere, atque inde projicere. Cum autem hoc medicamento uti volueris, in pulverem redigito, datoq; trium vel quatuor granorum pondere: id tamē pondus in robustioribus nonnihil augeri potest. Stibium ita præparatum cōmodissime admiscetur rhodosaccharo, cui etiam mastichis modicum adjicitur. Atq; hæc est ratio faciendi Vitrum Antimonii, juxta Matthiolum, cui tres sequentes observationes addi possunt: Prima est, quod vice fictilis seu ollę rotundę ac profundę, melius sit & cōmodior ad calcinandum Antimonium, sumere patinam fictilem, quadratã, fundo plano, & parvo limbo à latere munitam: quæ sit dura, & bene cocta: in qua extendi queat Antimonium, expandique latius, itemq; versari calcinariq; expeditius faciliusq;. Secunda est, quod pro eo quod præcipit calcinari Antimonium loco aprico, aut sub dio, ubi aer fumum seu vaporē qui ex Antimonio exhalat: movet & agitat modo huc modo illuc: melius commodiusque fit collocare vas aut patinam in furno ventilatorio, sub camino satis lato & patenti: & furni superiorem partem effingere in modum fornicis, cum spiraculo, aut ventilatorio in medio furni, quod per oblongum tubulum deducat dictos vapores in altum, ita ut dispergi & in latera flectere se non possint: atque eo modo ei qui operi huic præest, ullo modo nocere. Tertia est, quo in defectu tabulæ marmoreæ, quæ nonnullis locis difficiles sunt inventu, projici possit liquefactum Antimonium super alium lapidem aut laterem expolitum & lævigatum, aut in sartaginem fictilem seu terream planam, quæ limbum parvum, aut oras inflexas circumcirca habeat, quæ & bene incrustata seu plumbata sit, & quod plus est, antea modicè calefacta fuerit: ne forte si illi adhuc frigidæ fervens illa materia fusa injiciatur, crepet ob subitaneum & vehementem calorem Antimonii liquefacti; quæ ipsa quinetiam sartago aut patina fictilis inungi poterit olei Amygdalorum dulcium modico, ea causa, ne vitrum nostrum ullibi adhæreat fissuris, quæ plerunque in plumbatutis vasorum fictilium esse consueverunt. His addo demum & illud, nempe quod, si è vitro hoc velimus laminas latas & planas efformare, qualia vitra fenestrarum esse solent, non oportet liquefactum Antimonium guttatim stillatimve, sed continuo impetu effundere. Et quod admonitionem attinet, quam dat Matthiolus, ut caveamus scilicet ne Antimonium comburatur: hoc est sanè periculum quod neutiquam vereri debemus: nam cum calcinatum fuerit eo usque ut combustioni propinquum sit, nulla amplius superest substantia quæ combustioni obnoxia sit, aut corrumpi queat ob tantillam accessionem ignis aut vehementioris caloris. Id quod obiter monendum fuit.

Eodem autem modo confici potest Vitrum ex Regulo Antimonii, idque sane quam elegantissimũ: sed hujus major exhibenda est dosis: quia non usque adeò vehementer purgat, ut præcedens.

Porrò Vitrum Antimonii est medicamentum hactenus sane immerito re-

probatum, vilipensum & vituperatum à Medicis, magis quam ullum venenum quod terra producit: usq; adeò ut etiamnum hodie reperiantur aliqui, apud quos nomen ipsius tam odiosum est, ut eo nominato, horreant, videanturque sibi audire mentionem fieri Beelzebubi Diabolorum Principis. Eousque inquam, ut si Medicus quispiam Dogmaticus in loco quopiam constitutus, ubi consultatio Medica de aliquo morbo curando haberetur, auderet proponere usum ejus, in summo periculo versaretur ne ab aliis pro crudelissimo ignorantissimoque Medico haberetur omnium eorum quos terra alit. Rationes autem quæ osores Antimonii ad exterminandum aut non admittendum ejus usum moverunt, sunt hæ quinque præcipuæ.

1. Hippocratem, Galenum, nec quempiam antiquorum Medicorum, in arte Medica Principum, nunquam eo usos fuisse interius sumpto, duntaxat autem exterius admoto.

2. Antimonium, accedens ad naturam Plumbi, ut scripserunt Prisci, etiam numero venenorum jure merito accensendum esse.

3. Quod, cum Vitrum Antimonii per calcinationem omnibus suis substantiis humidis sit destitutum, & reductum ad extremam siccitatem, accedens proxime ad ariditatem Vitri communis, etiam tale venum fiat, quale est Vitrum vulgare.

4. Quod Vitrum Antimonii, cum sit præparatum cum Borace, quod est venenum, hinc etiam maligna ejus qualitas veneficaque vis majus incrementum capiat.

5. Aliquot ægros post usum hujus medicamenti, ex eo vehementissime commotos & alteratos, incurrisse in maximum vitæ periculum, aut etiam paulò post interiisse.

Ad quas objectiones ita respondetur:

1. Quamvis Antiqui Medici non habuerint in usu Antimonium per os exhibere, aut in corporis interiora admittere: non tamen usum ejus ullibi interdixerunt. Quod denotat eos non habuisse notitiam proprietatum ejus: quia si eam habuissent, proculdubio usurpassent, aut ejus saltem mentionem fecissent, ut fecerunt aliarum rerum, quarum experientiam habebant. Inde igitur non sequitur, debere nos ab ejus usu abstinere, ea propter solummodo, quod Antiqui propriam ejus naturam ignorarunt: Nam si hoc argumentum valeret, ex consequenti etiam cavere deberemus usum tot ac tantorum aliorum præstantium medicamentorum, quæ nobis India mittit, aliæque regiones Veteribus incognitæ, aut saltem non nominatæ. Si autem asserere velimus, Galenum & alios antiqui seculi viros habuisse usque adeò altam & profundam Physicarum rerum cognitionem, sagacitatemque tantam seu dexteritatem adeptos, ut vel solo aspectu formæ exterioris, vel coloris, odoris, saporis, ponderis & aliarum circumstantiarum, potuerint deprehendere naturam & facultatem insitam cujuscunque rei naturalis; de eaque sententiam absolutam proferre, antequam usum ejus ullum habuerint: usque adeò, ut ii aspectu solummodo Antimonio, & simul pro explorato habito, Antimonium esse malum & venenosum, nunquam ejus periculum

facere

facere voluerint, aut ægris suis exhibere: Huic assertioni respondetur, nihil hæc aliud quàm somnia esse, & vanas prærogativas quas aliquot nimis simplices aut plus justo creduli Medici Præceptoribus suis Antiquis attribuunt. Præsertim quum, si eorum libros legamus & relegamus, reperiamus (quantumvis fuerint viri maximè judiciosi,) nunquam ipsos sibiipsis tantam scientiam, atque usque adeò perfectè absolutam notitiam omnium rerum arrogasse, ut nunquam decipi in suis conceptionibus aut animi præsumtionibus potuerint: quin potiùs fassi sint experientiam posse aliquid postea revelare, quod omnes limites rationis supergrediatur: Præsertim cum ipse Galenus, Medicorum Dogmaticorum Princeps, asserat ad dispositionem rerum duo Instrumenta exstare, rationem nimirum & experientiam. Unde concludere possumus, Antiquos non omisisse describere Antimonii usum in corpore humano, eapropter quòd physicis rationibus inducti, prædoraticque viderint id noxium esse: sed è contrario, quòd ejus vim nondum experti fuerint.

2. Quamvis Antimonium crudum, aut solummodò modicè ustulatum, aliquo modo accedat ad naturam Plumbi, (exempli gratiâ, in siccitate & frigiditate suâ, ut Antiqui judicabant, usum ejus experti in morbis externis, vice Plumbi:) Antimonium tamen præparatum differt proprietatibus suis à Plumbo, non minùs quàm Ignis ab Aqua: quia purgat per vomitum, & secessum, itemque aperit omnes poros corporis, & provocat sudorem: cùm è converso Plumbum contrarios edat effectus. Itaque ob hasce rationes non possumus illud proportionaliter aut directè comparare Plumbo, quin errorem committamus. Dato tamen, hoc fieri posse: nova quæstio exorietur, Num videlicet ideò necessariò venenum esse debeat, quia profectò oraculum non est, Plumbum naturâ suâ esse venenosum. Galen. lib. 9. de Simpl. Medicam. universim de eo loquitur, tanquam de refrigerante aliquo medicamine, composito ex substantia humida & congelata vi interni sui frigoris: præscribitque illud in diversis accidentibus externis corporis, sine minima tamen mentione noxæ aut venenositatis quam habeat in se: & experientia (ex qua omnium scientiarum certitudo procedit, juxta propria ipsius Galeni verba, dicto capite: Cæterum scientificè & certò per experientiam cognoscuntur:) nobis variis modis demonstrat, Plumbum non esse venenosum, ut primo loco videre est in illis qui sclopeti ictu læsi, globum plumbeum alicui corporis sui loco impactum habent, interdum adeò penitus intro adactum, ut cùm nullo inde modo extrahi possit, cogantur cum postea reliquo vitæ suæ tempore in corpore gestare: in illis enim nulla inde veneni signa aut symptomata consequuntur. Deinde hoc facilè deprehendi potest ex plurimis qui limaturam Plumbi intrò assumere soliti, contra Icteritiam nigram, & alios morbos, nullam inde noxam percipiunt: quin potiùs optimo successu ejus usum continuant. Velut & alii illi qui in usu habent aquam quandam Plumbo affusam, eoque inprægnatam, ut loquuntur, (quam Zapata Aquam Æsculapii nuncupat, eamque

distillare docet Practices suæ libro:) adversus quoslibet tumores internos, & contra epilepsiam, ut ipse testari possim de duobus ægris epilepticis, quos usu dictæ aquæ, ab Empirico quodam exhibitæ prorsus sanatos vidi. Huic nostræ sententiæ nihil obstabunt quæcunque Authores scribunt de pravis symptomatibus quæ Cerussæ usum sequi solent, quæ nempe in Plumbo facta est: quia si Cerussa nocet corpori intrò assumpta, hoc potiùs attribui potest spiritibus illis Aceti qui addunrur Plumbo in præparatione Cerussæ, quam propriæ & simplici naturæ Plumbi. Quapropter maximum delirium est, velle Antimonium venenositatis condemnare, quia symbolizat aut analogiam quampiam habet cum Plumbo: quod nec ipsum quidem tantopere perniciosum est, quàm à multis describitur.

3. Etsi Vitrum Antimonii simile sit ex parte Vitro vulgari, tamen non est usque adeò solidum aut aridum, seu fixum, ac Vitrum: quia si Vitrum Antimonii imponatur igni, multo faciliùs liquefit quàm Vitrum commune: adhæc si diutius in igne moretur, fuliginem quandam emittit, id quod denotat, illud adhuc aliquam substantiam humidam (si ita nuncupari debeat,) in sese habere: quæ in Vitro communi non deprehenditur: quod ipsum fixum & indissolutum in igne permanet, si cum Vitro Antimonii conferatur. Quod plus est, Vitrum Antimonii liquori alicui inditum, facultatem illi impertit vomitorium: sed Vitrum commune non comunicat rebus quibus infunditur, aut quæ ipsi infunduntur, ullam prorsus qualitatem. Item Vitrum Antimonii dissolvi potest & præcipitari aqua forti, oleo Sulphuris, imò & aceto distillato: quem defectum vulgare vitrum non habet, nam videmus quotidie vasa vitrea usurpari passim ob solidam & indissolubilem ipsorum substantiam, tam ad distillandum, quàm ad conservandum liquores, quammaximè corrodentes, quos ne aureis quidem vasis conservare valeremus. Ob has igitur causas nō potest natura Antimonii assimilari naturæ Vitri communis. Præterea asserere velle, corpora arida & sicca, similia Vitro, venenosa ob id ipsum esse, quia sicca sunt, hoc etiam vanum est. Nam si ita se res haberet, non solum Antimonium pro veneno habendum esset, sed & Crystallum, quod tantopere in Medicina usurpare solemus, contra calculos: imo & Hyacinthi, Granati, Rubini, Topazii, & alii lapides pretiosi Orientales, quos medicamentis cordialibus admiscere solemus, qui adeò duri sunt & aridi, ut ignis eos liquefacere nequeat, & aliqui ipsorum vix summâ vi in pulverem redigi calcinarique possint, addito Sulphure, Sale petræ, idque in vehementi igne: tantum abest ut liquari, fundique aut projici possint, ut Vitrum commune. Et non est res incognita his Reprobatoribus Antimonii, uti nos posse Vitro pulverizato intùs exhibito sine ullo periculo. Manifestum insuper etiam est, & mille ac mille hominibus cognitissimum, Agyrtas esse, qui coram universo populo Vitrea vasa devorant, haud secus ac si tragemata aut confecturas aliquot deglutirent: & tamen nullum in eo venenum percipiant. Quod ipsum tamen probare aut laudare non velim. Sed concesso ipsis, Antimonium esse naturæ Vitreæ, & drach-

drachmam unam aut alteram Vitri pulverizati posse intoxicare aut venenare eos qui illud assumpsere: rogatos eos velim, an inde sequeretur, quòd quinque aut sex granula Vitri Antimonialis idem prestare possint. Quis denique est ille usque adeò absurdus ratiocinator, qui asserere velit talem comparationem? præsertim cùm si quando Vitrum Antimonii in substantia exhibetur, æger illud plerunque primo haustu per vomitum rejiciat: Sed nos ut plurimum solummodò infusionem ejus dare solemus: cui certè non nisi stulta siccitas Vitri ascribi potest.

4. Non possumus bonis rationum fundamentis insistentes, pronunciare Vitrum Antimonii esse nocuum aut malignum, argumento sumpto à Borace, qui ei in liquefaciendo admiscetur: præsertim cùm primo loco plurimi Medicorum consueverint ejus solius & impermixti à viginti ad viginti quinque granula exhibere unâ dosi, in retentis menstruis: itemque ad expellendas secundinas nimis diu remorantes: idque sine ullo pravo symptomate inde consequente. Præterea cùm tam parva sit copia Boracis quæ Vitrum Antimonii ingreditur, videlicet mediæ unciæ in libram mediam Antimonii, quod esset proportione æstimatâ in singula duodecim grana, Vitri dicti, unicum granum Boracis: dato illis & concesso, Boracem esse aliquo modo venenosum, nullum tamen inde damnum aut periculum oriri posset: quia ad summum non dari solent plura quàm sex aut octo grana dicti Vitri: in qua dosi non posset esse plus quàm dimidium granum, aut duæ tertiæ unius grani è dicto Borace. Sed, quod insuper in hac re notandum est, Borax qui Antimonio calcinato immittitur, ad fusionem ejus seu liquefactionem maturandam, quo Vitrum fiat, consumitur maxima ex parte & exhalat, abitque penetrando in crucibulum ipsum seu fusorium vas. Quocirca asserere ausim pro certo, quod posteaquam Vitrum Antimonii projectum ac in laminas aut aliam formam effusum fuerit, non supererit in semilibram Vitri, scrupulus unus residui Boracis, si quippiam ejus adhuc non exhalatum manserit. Ecce quâ ratione nec hoc quidem aliud sit, quam vana quædam imaginatio quorundam, credere pauxillulum istud Boracis, quod Antimonii Vitrum subintrat, id ipsum illi venenositatis quippiam dare posse, aut ullo modo malignum efficere. posteaquam, ut dictum à nobis est, Borace crudo soloque utamur sine ullo damno, idque tantâ copiâ unâ solaque vice, quantam triginta aut quadraginta doses Antimonii juxta prædictum calculum, vix in sese continere possent. Ergo nec aliud est quàm levis quædam phantasia, usum Antimonii interdicere velle hoc argumento: & revera nihil hoc aliud esse opinor, quàm si muscam elephanti instar æstimemus. His tamen & ejusmodi tam frivolis rationibus usi aliquot sermocinatores, ignaros hujusce rei homines, & principiis hujus Artis nondum imbutos, deterrere voluerunt.

5. Quod ad ultimam objectionem: Concesserim illis non gravatè, aliquot

quos ægros summopere alteratos & commotos fuisse à sumto Vitro Antimonii, adeò ut etiam (quamvis id nunquam viderim,) aliquot ex iis vitam finierint ob ejus usum. Interim tamen hoc neutiquam talem consequentiam inducere potest, nunquam eo nobis esse utendum. Nam si expendamus causam, ob quam hoc evenisse potuit, inveniemus id accidisse ob ignorantiam alicujus Empirici idiotæ, aut arrogantis ciniflonis, Medicinam facientis sine ulla eruditione, scientia aut fundamento: qui morbum unum ab altero discernere non valent, sine ullo respectu virium ægri, temporis opportuni ad expellendum materiam morbificam, aut dosis quam ægro dare conveniebat, forsan in talem errorem incidere potuit. Quod si autem ob abusum alicujus, prorsus abstinere velimus ab exhibitione Antimonii, eadem etiam prorsus ratione abstinere deberemus ab infinitis aliis Medicamentis, quæ quantumvis in universum habeantur pro bonis ac innoxiis, interim tamen sæpenumero, intempestivo abusu administrata, pessima & lethalia symptomata inducere videmus. Quocirca, si vellemus pronunciare de Vitro Antimonii liberè & ut res est, sine ullo præjudicio, passione aut partialitate, ut vocant, non solùm oporteret oculos mentemque convertere ad mala quæ ex ejus abusu subrepere possunt; sed etiam, imò potiùs, ad mirandos effectus quos præstare potest, debitè & cum judicio exhibitum: nec non ad illud, quod hoc Medicamento sæpe relevantur ægri, de quorum sanitate aliis quibuscunque remediis adhibitis recuperandâ, hactenus desperatum fuerat prorsus. Ut concludamus igitur, dicere aut judicare nequimus, Vitrum Antimonii aliud mali inferre posse, quàm quòd nimis vehementer purgat, si quando dosi majori quàm oportet exhibeatur. Alioqui, non magis venenosum est, imò minùs perniciosum, quàm multa alia vomitoria, cujus cujus denique generis ea fuerint, quæ Priscis in usu esse solebant. Atque hæc sufficere debent ad refellendas prædictas objectiones.

Cæterùm Vitrum istud Antimonii, ut Matthiolus idem refert eodem capite quo nos illud præparare docuit, est præstantissimum medicamen, pretiosissimum, & minùs periculosum aut damnosum, quàm ullum aliud vehemens medicamentum purgativum Antiquorum. Omnes humores crassos viscidosque ejicit, in ventriculo aliisque ac circum vicinis locis superfluos, idque per vomitum ac per alvum. Habet quinetiam in se facultatem quandam resistentem venenis: quare admodum feliciter administrari potest adversus omnes morbos à Matthiolo nominatos, sicuti suprà à nobis annotatum est in prima hujus libri parte, capite de præstantiâ seu prærogativâ Antimonii: & universim adversus quoscunq; alios morbos, provenientes ab impuritate ventriculi, & pectoris: contra pestem, intoxicationem; breviter ad omnes affectus qui possunt & debent seu prævaricari, seu tolli vomitivis Medicamentis exhibitis, idque sive directè vel primariò, sive per consensum. Equidem non memini me illo sæpiùs quàm vigesies usum fuisse toto illo tempore, quo

medi-

medicinam feci, sed semper cum felici successu: quod autem nòn frequentius illud exhibuerim, factum est ex eo quod aliis vomitoriis idem præstantibus uti soleam, quibus paullatim longoque tempore familiariusculè assuevi. Interim tamen, quum satis multas peregrinationes per diversos orbis tractus fecerim, & in varia ingenia hominum inciderim, affirmare possum, vidisse me plurimos prudentes Medicos, Chirurgos & alios homines boni judicii, qui eo multoties optimo cum summo suo decore usi sunt: Inter cæteros nobilissimam quandam Dominam, Comitissam Schlick in Bohemia, quæ admirandas curationes in subditis suis hoc vomitorio fecit, tempore Pestis, Febrium malignarum & Ungaricaram, quas vocant. Administrari verò id ipsis curabat in pulverem minutissimum redactum, cum cochleari uno optimi Aceti: quod ipsis non solùm vacuationem talem ciebat per vomitionem, quæ morbo depellendo necessaria erat: sed etiam hoc facto, illos multo meliùs ad sudorem adigebat, quàm si Theriacam sumpsissent: ac paulò pòst sanitatem sensim recuperabant, absque usu ulteriore ullorum medicamentorum: in illa enim regione (nisi fortè in urbibus præcipuis,) paucissimi reperiuntur Medici aut Pharmacopœi. Novi item in oppido Cur, ditionis Rhœtorum seu Grisonum, Concionatorem quendam, qui pestilentiæ tempore sine metu ullo versabatur cum infectis lue, & plurimos eorum sanabat Vitro hoc Antimonii: quod ipse in principio assumere solebat, ut se à malo præservaret. Arcta item mihi fuit familiaritas cum quodam Chirurgo homine prudente & judicioso, in oppido Claris, Pagi seu ditionis Helveticorum, qui, cùm nullus Medicus esset, medicinam factitans, supra professionem suam etiam plurimos affectus internos sanare satagebat. Is igitur Chirurgus assiduo penes se habebat pyxidem parvam Vitro Antimonii in pulverem redacto plenam, in sacciperio, quod zonæ suæ incinxerat: & vocatus ad curandum quempiam ægrum, sive is febre ardente laboraret, sive continua, intermittente, intemperie ventriculi, cachexia, sive alii cuicunque morbo implicitus jaceret, semper in principio ipsi unam aut alteram dosin hujus pulveris exhibebat, mixtam Rob, aut Syrupo de Cerasis, quibus per Helvetiam pleræq; omnes familiæ satis instructæ sunt. Adhæc jubebat ut uterentur decoctione quadam præstantium aliquot herbarum quæ in Helvetiorum Alpibus passim crescunt: juxta judicium suum & experientiam, quam istarum rerum babebat. Hoc modo progressus, tot ac tam periculosos morbos sanavit, ut instar Æsculapii alicujus habitus apud suos fuerit: nec vulgus solummodò illius opera utebatur, sed etiam alii quicunque quantumvis opulentiores ac primarii viri. Memini item dum in Palatinatu Superiori degerem, me bis terve accersitum fuisse ad quendam Quæstorem in Arce quadam parva habitantem Bernsweyn appellata (ni fallor,) circiter duo miliaria distante ab Amberch, prope viam regiam, quæ ducit versus Niemarct, non procul à quodam magnifico & opulentissimo Monasterio, & juxta rivulum amœnissimum:

mum : apud quem cùm versarer, notitia mihi intercessit cum quodam viro honesto, qui degebat in villa dictæ Arci subdita : cum quo cùm sermones aliquot ultrò citroque reciprocarem de variis rebus, quippe cùm & ipse varias regiones peragrasset, tandem ratiocinando de aliquot remediis apud Medicos usualibus, ut vocant, ostendit mihi elegantissimum frustum Vitri Antimonii, quod ex bulga sua deprompserat, pondere semunciæ, ut tunc judicare poteram, rogans an nossem quidnam hoc esset. Cui cùm annuissem: Age igitur, subdidit ille: Hoc tibi assevero, me isto Vitro solo, non modò liberasse me ipsum, & uxorem meam, quam hîc coram vides, à gravi morbo, quo ambo detinebamur: sed etiam magnum numerum rusticorum in hac villa, & circumcirca degentium: qui etiam, si aliqui inter ipsos ægrotent, sive febri, sive intemperie ventriculi, cùm valdè procul habitent à Medicis & Pharmacopœis, quorum consilio juvari possent:) veniunt ipsi, aut aliquem mittunt, ut usum hujusce Vitri à me impetrent: infundunt enim illud aut imponunt ita integrum, ut vides, in cerevisiam aut vinum, & prout mihi necessarium videtur, ita illud pauciores aut plures horas inibi relinquunt, aut prout purgari vehementiùs aut leniùs desiderant: Cùm satis diu in infusione steterit, liquorem istum bibunt, qui ipsos purgat & sanat. Ac dein mihi Vitrum meum remittunt, adjunctis sæpenumerò duodecim ovis recentibus, aut pullo gallinaceo, quo gratos se, beneficiique à me accepti non immemores esse demonstrent. Atque isto modo, subjungebat, fui Medicus & Pharmacopœus plurimorum hominum, jam tribus aut quatuor annis, ex quo nimirum tempore domicilium meum hoc loco fixi. Et quod plus est, vix possum deprehendere, post tam diuturnum usum & toties repetitam macerationem, Vitrum meum ullo modo esse imminutum, aut ponderi ipsius quippiam decessisse. Quo sermone percepto, non poteram non stupere & summopere admirari partim quòd tam felix successus consecutus fuerit ita frequentem hujus Vitri exhibitionem, planè absurdam & irrationalem, ac sine ullo respectu ad dosin habito: partim etiam quòd res tam solida & fixa, ut vocamus, quale est hoc Vitrum Antimonii, facultatem aliquam purgativam de se spargere, & liquori cui imponitur communicare potuerit, tam sæpe totiesque repetitis vicibus maceratum, sine ulla tamen suæ substantiæ imminutione, quæ saltem deprehendi potuerit. Verùm posteà hoc ipsum mihi certiùs constitit fieri posse & solere, ex relatu plurimorum Medicorum qui medicamento isto sæpiùs uti solent. Imò aliqui insignem quandam speciosam guttam hujus Vitri annulo aureo includunt, quem digitis suis impositum jugiter gestant, & quando cuipiam medicamentum per vomitionem purgans exhibitum volunt, hunc annulum solummodo imponunt vino per aliquot horas: & exempto inde annulo, liquorem ægro propinant: idque toties factitant, quoties usus exigit, sine ulla imminutione gemmæ suæ seu dictæ vitreæ guttæ, quam annuli palæ incluserant. Inter cæteros autem Thomas Bovius, Patricius

Veronensis, Medicus experientissimus, in libro suo Italico cui titulum fecit, Flagellum Medicorum communium, qui rationales dicuntur, affirmat, uti nos posse hoc medicamento, sine ullo scrupulo aut metu: nam pag. 39. memorati libri, ubi præparandi ejus modum docet, ita inquit: Antimonii ego integras libras devorandas dedi, aut saltem utendas exhibui, nec unquam toto vitæ meæ spatio ejus usu læsum quempiam fuisse deprehendi: & pag. 40. ita scribit: Antimonium innoxie dari potest cuilibet sexui, ætati & complexioni. Exhibui illud Monachis, Monialibus, hominibus nobilibus, delicatis & in umbra degentibus: & nunquam me destituit, aut pudore affecit. Non diu est, quod hic Hagæ-Comitis diem suum obierunt honestus & bonæ famę civis Joannes van Boren, unà cum conjuge sua, ambo provectæ ætatis: qui postquam aliquot annis ante mortem suam (præter reliqua accidentia quæ producere ut plurimum aut secum trahere solet senectus,) sæpissimè affligebantur oppressione stomachi, seu cardiogmo, ob debilitatem ventriculi & caloris naturalis defectum, non valentis, ut decet, cibos ingestos concoquere: unde magna coacervatio humorum crudorum in ipsorum corpore plurima ac diversa symptomata inducebat. Illi igitur quotiescunque oppressos se aggravatosque ista cruditatum congerie sentiebant, sumebant infusionem quatuor aut quinque granorum Vitri Antimonii, cujus pulverem assiduò penes se habebant: qua sumpta bis terve vomebant: atque ita ventriculo inanito, aliquandiu exinde bene se habebant. Eoque modo affectum Ventriculi tamdiu sustinuerunt, reliqua sani, donec Deo placuit illos ex hoc mundo vocare, relictis tribus filiis hæredibus, viris robustis & sanis: qui ipsi consuetudine assumptâ semel aut bis in anno sese purgandi, prædictum medicamentum more parentum suorum usurpant: sentiuntque se ex usu ejus planè levatos, & neutiquam læsos: & velut homines valdè addicti & prompti ad juvandos pauperes, sæpenumerò (præter alias suas eleemosynas,) aliquot egenos homines eodem modo quo se ipsos solent, à morbis, hoc medicamento propinato, liberant. Ut summatim dicam, recensere possem magnam copiam exemplorum certissimorum, quæ longo usu Antimonii addidicisse mihi datum est: quæ tamen brevitatis studio referre hoc capite supersedebo. Usque adeò ut verè pronunciare possimus de Vitro Antimonii, id quod in parœmia vulgari de Lupo dici solet, quod nempe non usque adeò deformis aut turpis sit quàm passim creditur. Hoc bene considerato & perpenso, pænè ausim dicere, reperiri aliquos Medicos, qui illud palam vituperant, magis moti invidiæ stimulis, & metu, ne fortè lucro suo defraudentur quod ex aliorum medicamentorum exhibitione faciunt: quod reverà ipsi illud contemnant: præsertim cùm vid ant medicamentum hoc tam vilis pretii & tam facilè parabile usque adeò mirabiles edere effectus. Quocirca illos rogatos velim, ut talem ex animo suo deleant passionem: præ oculis sumentes, Deum Opt. Max. creasse Medicinam

ad commoditatem omnium hominum, & non astrinxisse illam solummodo cognitioni & voluntati magnorum & multisciorum Doctorum: verùm etiam interdum benedictionem suam medendique gratiam communicavisse extraordinariè hominibus cætera ignorantibus & indoctis: qui hoc dono instructi non utuntur eo ut infames mercenarii, aut cauponantur sicut Agyrtæ complures consueverunt, sed pio proposito, & integritate animi, nudoque ac sincero misericordiæ zelo moti, proximos suos juvare & morbis liberare volunt ubicunque possunt.

Dosis porrò Vitri Antimonii est à tribus granis ad novem ad summum, pulverizati nempe & mixti aliqua conserva: vel datur ejus infusio, id est, liquor in quo aliquamdiu steterit, ut paulò pòst declarabo, quando particulatim de ratione & modo ejus ritè præparandi, sum acturus.

Cap. II.

Modus præparandi Crocum Metallorum.

Crocus Metallorum nihil aliud est, quàm Antimonium præparatum in eundem finem ob quem Vitrum Antimonii parari solet. Est autem laboris longi compendium, quia minimo temporis puncto, aut horæ ferè momento præparari potest major hujus Croci copia: quàm Vitri, spatio decem dierum. Quare autem vocetur Crocus Metallorum, aliam causam dare non possunt, quàm, quod dum dissolvitur in prima aqua, adlavandum, (modo qui paulò post docebitur,) colorem luteum emittit, qui manus tingit instar Croci. Modus eum præparandi hic est: Capo Antimonium quod nitidum electumque sit: Salnitrum purificatum: libram unam singulorum: redige simul in pulverem: hunc inde in sartaginem aut lebetem ferreum, aut in defectu horum in ollam terream aut figulinam: injiceque illis carbonem exiguum vivum seu torrem incensum, ac confestim ignis comprehendens sulphur quod in Antimonio est, illudque pervehens usque ad Sal nitrum, incipiet ardere, haud secus quàm pulvis tormentarius seu sclopetarius madidus, & materia liquescet aut in humorem abibit: quem liquorem spatula seu rudicula ferrea movebis, usque dum frigefacta formam granorum aut glebarum terræ assumat, ferè ejus coloris qualis est Ochræ Anglicæ. Hoc facto, scire oportet Sal incombustibile Salis petræ permixtum manere Antimonio, idque eo separandum esse, projecta nimirum dicta materia in aquam calidam: in qua dissolvitur quicquid in ea est fuliginis, & Antimonium subsidit in fundo. Aqua hac abjecta, iterum aliam aquam ferventem affundimus: hoc negotium toties reiterando, usque dum aqua planè sit insipida cùm effunditur, & Antimonium exactè ablatum sit. Hoc autem postea resiccabimus lento igne, ac tandem majoris commoditatis gratia teremus in marmore, affusa aqua rosata, ac in minutissimum pulverem redigemus, eo modo quo Pharmacopœi solent præparare Corallium, Margaritas, Spodium, Cornu cervi, & similia. Quo facto,

facto, siccabis illud rursum, & servabis in usum. Atque hæc de Croco Metallorum dicta sunto: cujus vires sunt, vomitum ciere, & easdem prorsus operationes edere, quas Vitro Antimonii suprà adscripsimus, idque sine ullo prorsus periculo aut noxa. Particulatim autem eo utimur felici successu, adversus febres intermittentes: cujus rei haud diu est quod experientiam vidimus in Domino de Cralingerpolder, filio illustris Domini de Barneveld: qui postquam diuturna febre quartanâ detentus plurimis ac diversis medicamentis usus fuisset communibus, ac quartanæ curandæ propriè dicatis, tandem convaluit & planè sanatus est unicâ solùm dosi hujusce Croci Metallorum, quæ ipsi oblata fuit per manus cujusdam fœminæ Nobilis, istius regionis, quæ Crocum hunc Metallorum perpetuò servare, & penes se habere consuevit, unà cum diversis aliis medicamentis Chymicis. Verùm tamen, objiceret mihi aliquis posset: Valdè afflictus & conturbatus fuit dictus Nobilis Vir à sumpto hoc medicamento, & enormem secessum ac evacuationem per vomitum inde habuit: Sed quicquid fuerit, tandem tamen hoc remedio convaluit. Adde etiam quòd memoratam alterationem & vehementem universi corporis conturbationem non attribuere possumus propriæ naturæ dicti Croci Metallorum: sed hoc potuit provenisse propter usum tot ac tantorum apozematum, & illorum medicamentorum quæ ante illud tempus ipsi exhibita fuerant, quæ humores valdè præparaverant vasa laxaverant, retentricem facultatem debilitaverant, breviter majorem in corpore corruptionem generaverant, id quod sæpe evenire solet. Hoc itaque medicamentum, inventâ in istius ægri corpore magnâ copiâ materiæ præparatæ, causa fuit tantæ evacuationis & alterationis, quantam illi evenisse memorant. Fieri quinetiam potest, hoc accidisse quodam fortassis abusu in dosi: nam (ut quod res est fatear, sine offensa honoris aliorum,) non est negotium quod in captum aut intellectum fœminarum nobilium cadat, nosse dispensare exhibereque ut decet hujusce-modi medicamenta, id est, dijudicare distinctè, quæ dosis cuique ægro propriè conveniat. Interim tamen bona ipsarum voluntas animique promptitudo æqui consulenda est, & considerandum, quòd si Medici aliqui bene ut decet munere suo fungerentur, removendo aptis vomitoriis medicamentis materies peccantes in morbis, quamdiu adhuc exigua ipsarum copia in corpore residet, & natura adhuc robusta est & valida, juxta instituta antiquorum Medicinæ Antistitum, priusquam corpus paullatim incipiat computrescere ab usu apozematum, laxantium medicamentorum, ptisanarum: (quorum tamen usum neutiquam improbo, quando debito modo & cum judicio administratur:) tunc sanè non perveniretur ad hujusmodi incommoda: & evitarent calumniam & dedecus, quod illis inde provenire solet, quando quippe necesse est mulierculam aliquam supervenire, quæ ægros à morbo quopiam liberet, quem ipsi persanare nequiverunt. Nec decet ut quispiam mihi hic respon-

deat, hoc interdum evenire casu fortuito, videlicet quando morbus statum & vehementiam suam prætergressus erat, & jam ad declinationem vergit: itemque quòd leniter procedendum sit in morbis, præparandumque priùs exactè humores, priusquam eos evacuemus: ad hæc, quod nec ipse quidem Crocus Metallorum semper febres sanet: & alias similes excusationes in medium proferat: nihil enim aliud sunt quàm veræ ineptiæ: & optima culpæ excusatio est, agnoscere & fateri peccatum suum, & conari corrigere erratum, & emendare illa quæ antea malefacta sunt: præsertim cum tot se exempla quotidie oculis oggerant. Equidem ejus planè sum sententiæ, nec falli me credo, æquè multos ægros malè curando perditos, & ad mortem adactos, pusillanimitate & tergiversatione aut animi incertitudine Medicorum quorundam doctorum, quàm fortassis imprudentia & temeritate aliquot arrogantium Empiricorum pessundatos videmus. Quapropter, quicunque Medicus desiderat inservire commodis & saluti proximi sui bona fide, jure merito debet Deum rogare, ut velit intellectum suum dirigere, & opera sua felicitare, deducereque per viam mediocritatis, usque adeò ut in neutrum extremorum impingens, muneri suo satisfacere salva conscientia, & ad ægrorum salutem queat. Verissimum quidem est, reperiri ægrotos quamplurimos, qui malint præscribere Medicis quæ agere debeant, ipsisque leges dare, quàm eorum consiliis parere: & qui in principio morbi neutiquam induci queant, ut remedia accommoda sanitatique ipsorum convenientia assumant: qui ipsi tamen postea cùm videant se derelictos & quasi conclamatos, tædio diuturni mali, non recusant sumere quodcunque ipsis propinatur: quod tamen fieri non potest sine magno periculo. Quare in isto casu non deesse sibi debet Medicus, quin moneat in principio, protesteturque qualis successus neglectum remedii excipere possit: idque ut conscientiam suam exoneret, & defendat seipsum à calumniis & dedecore: quod nisi præmoneat de eventu, effugere vix potest.

Dosis porrò Croci Metallorum est à quatur usque ad duodecim grana. Datur in substantia, mixtus aliqua conserva: aut propinatur ejus infusio, id est, bibitur ex modico vini albi in quo maceratus fuerit.

Caput III.

Præparatio Floris Antimonii, variorum colorum.

Flos Antimonii est tenuissima fuligo, quæ dum Antimonium sublimatur, firmiter adhæret circumcirca ad latera vasis quo continetur. Nihil tamen aliud est, quàm substantiæ Sulphureæ & Mercurialis ipsius Antimonii, quæ vi ignis expulsæ, & ut ita dicam fugatæ, separantur per evaporationem à reliquo corpore Antimonii. Quod ad nomen attinet, credo Floris nomen illi tribus hisce de causis impositum fuisse: prima est, quòd hæc sit substantia maximè subtilis & volatilis, quæ Antimonio insit, ideoque ita vocetur ad

imita-

imitationem & analogiam florum arboreorum, qui habentur pro substantia magis aerea & subtiliore quàm reliquæ earum partes: secunda est, quòd sicut ex arbore fusca & deformi, naturalis calor suo tempore egredi facit flores variorum colorum: similiter etiam ex Antimonio, quod reapse est corpus nigrum & deforme, veluti Plumbum, per calorem ignis materialis eliciatur substantia, levis, alba, lutea, aut rubra instar arboreorum: tertia est, quòd hæc fuligo interdum se lateribus vasorum ita affigat, iisque adhæreat forma parvulorum florum aut gemmularum germinantium. Quicquid sit, vocetur prout cuique lubebit, substantia hæc semper est & manet Antimonium arte subtiliatum, habens in se præcipuè duas prædictas substantias, & quod igni impositum colorem istum amittit, & eandem propemodum formam Antimonialem reassumit, qualem antea habuerat.

Modi autem præparandi hosce Flores Antimonii sunt varii: Inter quos præcipuus, maximè communis, receptus & laudatus ab omnibus, est hic: Habere oportet Urinale fictile seu terreum crucibulorum, ut vocant, sesquipedem altum, præstans & densum, quod vim ignis sustinere possit, ita fictum ex professo, ut ab uno latere, circiter quatuor digitorum latitudine infra orificium, exiguum tubulum habeat, per quod injici possit Antimonium quando necesse fuerit. Imponatur hoc vas aut Urinale erectum parvæ rotundæ fornaci ventosæ, ut vocant, ita ut emineat ultra oras fornacis paulò minùs media sui parte, quippe ut paulò plus quàm media ipsius pars igne circumdari queat; reple & infarci latera dicti urinalis circumcirca luto, ita arctè ut inter ipsum & fornacem nihil vacui sit: relictis duntaxat ab utroque latere, circa fornacis oras duobus aut tribus spiraculis, per quæ ignis aerem capiat, aut ventiletur, & fumus egrediatur: quæ ipsa tamen spiracula pariter obturentur ex parte, exiguis caminulis aut tubulis fictilibus, ut impediatur ne flamma quæ inde exibit, altum petens, urinalis superiora feriat, sed in latera dispergatur. Habeas insuper tres ollas terreas seu fictiles, rotūdas instar pilæ aut sphæræ, bene vitratas intùs: quarum duæ habeant singulæ orificium ab uno latere, & ab altero collum: tertia autem orificium duntaxat habeat ab uno latere, ab altero tubulum aut collum nullum: ita ut inserendo unam alteri per orificium unius & collum alterius, tertia (utpote superior) olla nullam aperturam habeat. Primam autem ollam insere ori aut collo supradicti Urinalis, atque illi deinceps secundam, ac demum secundæ tertiam, lutatoque omnes earum juncturas quibus inter sese contiguæ sunt, ita ut nullus per eas exire possit vapor: finitoque eas hoc modo, usque dum lutum exactè siccatum fuerit. Hoc peracto, accende igniculum parvulum ex carbonibus in fornace: ita ut Urinale paullatim calefiat: tandemq; ignem auge, usq: dum candescat planeque rutilum fiat, aut saltem adeò calidum, ut existimes Antimonium in eo liquefieri posse. Cape igitur confestim Antimonium in grandiusculas partes confractum, seu in pulverem non valdè tenuem

nuem redactum: injiceque plenum cochlear aut alterum istius pulverati Antimonii per suprà memoratum tubulum in dictum Urinale: claude tubulum modico luti, ignemque ita conserva in eodem statu, & semihoræ aut horulæ unius spatio pòst, quo tempore videlicet Antimonium quod injeceras, sublimatum esse potuit, (quod percipies, aperto modicè tubulo: nam si fuligo alba inde egrediatur, nondum planè sublimatum erit universum: sin contrà nulla fuligo exeat, prorsus sublimati indicium erit:) aperi tubum rursus, aliudque iterum Antimonium immitte: & hoc negotium toties repete, usque dum duas aut tres libras pulverati hujus Antimonii per tubulum istum injeceris. Tandem omnia vasa refrigerari sine, exemptaque de fornacula, statue adhuc ita inter sese nexa super mensam aliquam: deinde sensim & leniter lutum à juncturis separa cultro aliquo aut gladiolo: cavendo tamen, ne inter abradendum, sordes ullæ in ollas cadant. Hinc detrahe ollas unam ab altera, invenies que in superiori olla pulvisculum quemdam album & levem, in media alium pulverem minùs candidum, in tertia vero infimaque, quæ igni propinquior steterat, pulverem partim luteum, partim rubrum. Hi pulveres sunt Flores Antimonii: quos separare & seorsim unum ab altero servare possumus, aut etiam mixtos inter se (sicut faciunt plurimi,) in usum recondere.

Flos hic Antimonii in magno pretio & opinione est apud plerosque Medicos: Inter quos Zopata, experientissimus Medicus, plurimi eum facit, partim (inquiens,) ob id quod videatur habere plus virium virtutumque quàm Vitrum Antimonii ipsum: partim quòd dosin ejus exactiùs metiri & administrare certiùs pensiculatiusque possumus, quàm Vitrum: quod ipsum quotiescunque præparant, semper in facultate sua purgativâ aliquantulum differentiæ habere deprehenditur: id quod in Floribus non accidit. Ego tamen indubiè crediderim, idem Floribus evenire posse: certum enim est, si ignis in una præparatione vehementior sit quàm in altera, Flores qui tunc efflorescent, non habituros tam validam purgatoriam vim, ac alii: sed potiùs diaphoretica vi sudores provocaturos. Interim tamen, ut ut se res habeat, non negavero Flores Antimonii esse præstans, efficaxque medicamentum, si quando debitè & cum judicio usurpantur. Memini me novisse juniorem quendam Medicum Pedemontanum, nomine Magnes, Genevæ, qui cum Floribus Antimonii præparatis modo prædicto, & exhibitis forma rotularum aut tabellarum, ordine modoque quem præscribit Zopata, plurimas egregias curationes ad bonum finem perduxit, in morbis provenientibus ex catarrhis & defluxibus, itemque in febribus intermittentibus, intemperie ventriculi, melancholia, mania, & diversis aliis infirmitatibus, non solùm in urbe ipsa Genevensi, sed etiam in finitimis regionibus, & pagis, quò sæpe ab ægris vocabatur. Quod tamen non narro ex simplici relatu aliorum: sed & ex sermone ægrorum ipsorum, quos curaverat, intellexi.

Dosis Florum Antimonii est à tribus usque ad octo grana: sumuntur autem in sub-

substantia, (ut loquuntur;) aut bibitur liquor, seu infusio, in quo aliquamdiu macerati fuerint. Præparatur insuper & Flos Antimonii rubri purpurascentis coloris, qualis est corticis mali Arancii seu aurei, idque hoc modo: Cape Antimonii crudi libram unam, Salis Ammoniaci semilibram; reduc hæc utraque in pulverem tenuissimum: Impone eum urinali fictili seu terreo, in parva fornacula: statueque illum reclinatum ad unum latus, ita ut collum ejus sit paulò altius quam pars postica, & à latere uno extet & promineat: tege seu occlude fornacem superiùs, relicto suspiraculo in medio ejus, quo flamma exire possit: Orificio urinalis impone vas vitreum, quod recipientis vicem sustineat: Luta juncturam, & patere siccari lutum: Hinc ignem subde urinali, paulatim augendo, usque dum sublimari incipiat, & fuligo alba, cui lutei quid immixtum sit, in recipiente conspicuam se det: continua ignem usque dum nullus ampliùs egrediatur vapor: Refrigerari sine vasa: & reperies in recipiente Sal Ammoniacum sublimatum, cum magna parte ipsius Antimonii: quod Sal Ammoniacum separabis ab Antimonio per elotionem quæ fit aqua calida, ut dictum est de Croco Metallorum; & in fundo habebis pulverem tenuissimum, ferè ejus coloris qui est corticum Aranciorum malorum: quem pulverem siccabis, & servabis in usus necessarios. Flos hic operatur ut præcedens: Dosis ejus pariter est eadem cum superiori.

CAP. IV.

Modus componendi variandique prædicta vomitoria medicamenta, formis rationibusque commodioribus, & magis idoneis ad usum.

Superioribus tribus capitibus universim egimus de tribus diversis præcipuis formis, ad quas redigi & præparando perduci consuevit Antimonium, si quando id pro vomitorio usurpare volumus: Nunc autem animus nobis est modos aliquot ostendere quibus componi & quasi vehiculo quodam adjuvari possint prædictæ tres formæ, & aliis quibusdam rationib. expeditis & promptis præparatæ servari in usus nostros, quotiescunque necessitas aut occasio id exigere videbitur. Primo loco erit

Vinum Hippocraticum Antimoniale.

℞. Vitri Antimonii subtiliss. pulver. grana LXXX. Vini albi optimi drach. LX.

Infundantur in vase vitreo benè clauso, & ponantur in balneo lento per horas XXIV. Deinde post colaturam adde

Sacchari albissimi subtil. pulv. drach. XX. Aromatizetur cum opt. aqua cinamomi, & servetur ad usum.

Istud vinum ita præparatum, saporem habet valdè gratum & delectabilem, instar vini cinamomini, quod Hippocraticum appellant: quo fit ut Antimonii vitrum multo faciliùs, familiariùs & gratius sumpturis eveniat; & adhæc etiam satis leniter suaviterque operationem suam exerceat. Dosis ejus est à tribus ad decem

 drach.

drachmas, ad summum; ita ut computo facto, in singulas drachmas granum unum Vitri Antimonialis ingrediatur.

Aliud.

℞. Vitri Antimonii subtil. pulv. gr. LX. Vini Hispanici albi drach. L.
Infundantur ut supra. Deinde adde
Syr. violarum cærulei unc. j. ß.
Ol. Sulphuris gutt. VI. vel VIII.
Misc. & coletur per chartam.

Liquor iste erit coloris purpurascentis, odoratus, & valdè gratus palato. Dosis qualis superioris.

Sin velis copiam potionis adhuc esse minorem, duplicabis pondus Antimonii; & sic drachma una liquoris purgabit tantum quantum duæ purgassent priori modo mixtæ.

Oxysaccharum Vomitivum præstans.

℞. Vitri Antimonii pulv. unc. ß.
Aceti vini albiss. odorif. ℥. VIII.
Infund. in balneo lento per hor. XV.
Colat. add. Sacchari albissimi unc. III.
Et in patina porcellana vel vitrea reduc ad consistentiam Oxysacch. liquidi instar julapii.

Hoc Oxysaccharum est gustui gratum: & uti eo possumus speciatim pro vomitorio adversus febres calidas, continuas, pestilentes, & intermittentes, paulo ante paroxysmum; item contra venena, exanthemata puerilia, aut variolas, antequam prodierint; & adversus alios morbos quibus jungitur intensus calor, putrefactio, obstructio, & humorum viscidorum copia: idque ob admixtum acetum, quod temperat immanes sanguinis effervescentias & humorum calidorum; resistit corruptioni, & vi suâ incisoriâ subtiliat & abradit viscosos humores & phlegmaticos: præterea est pro vehiculo confortativo & correctivo Antimonii. Quapropter quilibet Medicus prudens & circumspectus poterit eo uti feliciter in quamplurimis morbis. Dosis ejus est à duabus usque ad sex drachmas pro vice. Notandum porrò est, quòd ad præparandos dictos liquores, loco Vitri Antimonii sumere impunè possimus Crocum metallorum, sive etiam Flores Antimonii, si velimus: respectu tamen habito ad proportionem & debitam analogiam dosium quibus sumi possunt.

Pilulæ Antimoniales.

℞. Succi Glycyrrhizæ cum aquâ Scabiosæ depurati, & rursum ad consistentiam solidam redacti.
Florum Antimonii ana ℥. j.
Croci orientalis subtiliter pulverizati ℈. ij
Olei Caryophyllorum gutt. X.
Fiat massa: addendo, si opus erit, pro humectatione aliquantulum Syr. Violar. & servetur in vase vitreo bene obturato.

Dosis hujus massæ est à sex granis usque ad octodecim ad summum. Formantur inde pilulæ unæ aut duæ, inauratæ si velimus: & exhibentur ægris tempore convenienti. Præscribo autem hîc succum Glycyrrhizæ primo loco, depuratum quippe; quoniam quomodo passim vendi-

venditur, plenus est sordibus: quare ut depuretur, primò dissolvi debet in aqua, & clarificari cum albumine ovi, filtrari ad summam claritudinem munditiemque; & postea condensari iterum: & plerunque cum hoc modo præparando, perdimus dimidium ponderis ejus, quod nihil aliud est, quàm farina & aliæ imposturæ quas illi commiscent ad corpus ejus nec non pondus augendum. Quin etiam, ut securiores simus, possumus facere infusionem seu macerationem optimæ Glycyrrhizæ, eamque reducere ad consistentiam solidam, in eundem usum.

Diamargaritum vomitivum.

℞. Margaritarum præp. ℈. vij.
Flor. Antimonii alb. ℈. iiij.
Sacchari albiss. pulv. ℈. xx.

Fiat pasta s. a cum aliquantulo gummi Tragac. in aq. ros. infusi. Et aromatizetur cum gutt. vj. Ol. Cinamomi.

Ex qua pasta formantur parvulæ rotulæ, quibus sigillum aliquod inprimere possumus si velimus, easque deaurare, sinendo eas desiccari paullatim in aliquo loco sicco, aut inter duas cartas, in farragine, aut patina fictili: & hinc servare eas in pyxide bene clausa & obturata.

Dosis hujus confectionis aut tabularum est ab uno scrupulo usque ad quatuor: quæ ita administratæ & exhibitæ purgant ut reliquæ compositiones supradictæ.

Qui volet, poterit & administrare Florem Antimonii cum Confectione Alkermes, aut cum aliquo alio electuario cordiali; item cum Theriaca, Mithridatio, nec non Conditis, Conservis, Syrupis, Julapiis, prorsus prout Medico prudenti consultum videbitur.

Non necesse est autem latius disserere de virtutibus ac viribus particularibus horum vomitoriorum medicamentorum; præsertim cùm jam mentionem aliquam earum supra fecerimus: quia cuilibet Medico prudenti & boni consilii sanique judicii promptum ac facile erit cognitu quinam morbi possint prorsus curari, aut palliari solùm per vomitum, consequenter etiam hisce vomitoriis uti quando res aut necessitas id postulabit.

Hæc sunt quæ de Vomitoriis ab Antimonio desumptis dicere habui. Cæterùm aliqui volunt asserere, Antimonium præparari posse, ita ut non purget aliter quàm solummodo per secessum, seu ventrem inferiorem, idque valdè leniter & sine violentia. Verùm hæc ars nobis adhuc dum est incognita: & ut illis hoc concedamus, posse tale quippiam fieri, quamvis id nunquam compererim, dubitatio nova oriretur, an videlicet tale Antimonium dejectorium easdem illas superfluas materias evacuare posset, quas ejicit dum est vomitivum; & per consequens, an posset sanare eosdem morbos: præsertim cùm vomitus evacuet & expellat sincerè & merè extra corpus materias peccantes; quod interdum nullum aliud medicamentum dejectorium aut catarticum præstare valeret. Quod ipsum manifestè demonstrat testimonio suo magnus ille Medicus Joannes Fernelius in Methodo sua medendi, dum loquitur de vomitione bene & debitè provocata, hisce verbis: Noxios quippe

humores ex ipsis fontibus sinceros elicit, & vacuat; omnem quæ in ventriculi capacitate, in ejusve tunicis hæret illuviem inprimis expurgat, è præcordiorum membranis, è cavis jecoris ac lienis, & ex pancreâ omnis generis supervacuos humores sinceros elicit: quos plerunque nec hiera nec aliud vehementissimum ullum etiam frequens pharmacum in alvum exturbare potest. Quæ verba utique condigna sunt maximè, quæ notentur, memoriæque commendentur, usque adeò, ut concludere hinc possimus, quòd si nossemus præparare Antimonium modo quem diximus, non daturum tamen eosdem effectus quos Antimonii vomitorii usum sequi videmus. Vidi diversos modos processusque (ut vocamus) hujusce tentamenti, ad præparandum tale aliquod medicamentum: sed planè vanus inutilisque labor fuit. Præterea, si fortè inventa est ulla ratio corrigendi aliquantulum facultatem vomitoriam Antimonii, ita ut purget magis per inferiorem alvum quàm per superiorem, itemque si in quibusdam corporibus non purgaverit aliter quàm per secessum: hoc inquam omne tamen non potest reapse & sincerè dejectorium appellari; quamdiu illa ipsi vis & facultas adhærebit, qua modò vomitum huic moveat, modò verò isti fluxum alvi procuret; & quamdiu etiam illud tam mite & mansuetum factum non reperiemus, ut hominibus debilibus & extenuatis, & quib. vomitus non conducit, id exhibere audeamus. Quocirca tutissimum erit, si quando corpus aliquod leniter & suaviter absque ulla commotione enormi purgare per ventrem inferiorem volumus, vice talis dejectorii ab Antimonio petiti, usque adeò incerti & ambigui, usurpare Senam, Rhabarbarum, Mechoacan, Rosas, Aloën, imò & ipsum Scammonium depuratum juxta artem Chymicam; quod medicamentum operatur exhibitum quam minimâ dosi, & occultari potest quamplurimis suavissimis ac gratissimis vehiculis, ut gelatinâ seu miva Cydoniorum, conserva Rosarum, Manus Christi, item primo tegumento Coriandrorum & Cinamomi saccharatorum; taliter ut æger nihil animadversurus sit, nec ullum ex eo odorem aut saporem ingratum percepturus: atque interim medicamentum illud vires suas exercebit, operabiturque purgando per secessum materias quas expulsas vellemus, cum maxima facilitate, & absque ulla alteratione, melius & certiùs quam ab Antimonio dejectorio sperare possemus: cujus Antimonii inquam dejectorii investigationem ob hasce dictas causas relinquemus aliis qui magis satagunt novas & incertas res undique corradere, & nimis curiosè indagare; quam se ipsos in usu & operationib. illarum, quas jam cognitas & exploratas habent, exercendo confirmare, & securiores præstare.

SECTIO TERTIA.

De ratione præparandi Antimonium, ita ut purget per sudationem & insensibilem transpirationem.

QUamvis fortasse alicui videri posset res incredibilis, Antimonio inesse substantiam quandam, quæ ipsum sudorificum reddat, efficiatque ut per insensibilem transpirationem operetur; præsertim cùm in ipso prædominetur & excellat tanta

tanta vis vomitum provocandi, quæ illi adhæret usque ad explorationem ignis usque adeò vehementis, qualis experitur in præparatione Vitri Antimonialis: Nihilominus tamen iis qui aliquam arcanorum Naturæ cognitionem adepti sunt, illud quod dico neutiquam difficile erit comprehensu. Quocirca ut ostendamus hoc tandem fieri posse, solummodò nobis ante oculos ponenda sunt duo præcipua capita; nempe substantialis compositio rerum quarumcunque, & potentia Artis Chymicæ. Quod ad primum caput attinet; res est luce meridiana clarior, omnes creaturas constare diversis substantiis, differentibus inter sese forma, qualitate, proprietate, & virib. tametsi quamdiu in uno corpore unitæ permanent, potentissima ipsarum impetium in reliquas habeat, easque ex parte obtundat, aut saltem obscuret; aut operentur simul junctæ modo quodam prorsus contrario illi quo operarentur si à sese mutuo disjunctæ & separatæ forent. Et qui hoc ignorat, nihil aliud opus habet, quàm ut ipsi ostendatur dissectio Chymica vini, qui est liquor usque adeò cognitus & usitatus inter homines: Nam in hac primò deprehendet essentiam subtilissimam ac tenuissimam, incorruptibilem, claram & dilucidam ut Crystallum; non unctuosam, & interim tamen combustibilem supra omne oleum, quæ vulgo aqua vitæ appellatur, seu aqua ardens, spiritus vini, & sulphur cœleste. Post hanc se offert magna copia aquæ insipidæ, frigidæ & obnoxiæ corruptioni, qualis est aqua communis. Hanc aquam sequitur spiritus quidam fumidus, qui Tartari Spiritus vocatur, qui est substantia valdè sudorificata: hunc mox spiritu subjungitur oleum quoddam verè pingue & unctuosum, lentum & combustibile instar sevi. Hinc sequitur sal quidam corrosivus & valdè abstersivus: præter adhuc partem non exiguam terræ limosæ instar cœni, quæ subsidit restatque post separationem hanc factam, & inutilis abjicitur. Quæ omnes memoratæ substantiæ sunt veluti propria membra & bases vini adhuc inseparati, integri, & indispersi: atque hæ sunt veræ causæ ex quibus procedit, vinum tam diversos effectus operari, quòd vinum hactenus tota cohors & turba Medicorum Rationalium, quotquot reperiuntur, uno ore pronunciant calefacere naturali suo calore, & refrigerare ex accidenti: quamvis ii, qui probè instructi sunt principiis Artis Spagiricæ, jure merito dicere possint, vinum non refrigerare accidentaliter, sed ob substantiam suam frigidam: nimirum quòd in principio vinum calefacit per subtilem suum spiritum calorificum, ut supra dictum est; (qui ubi agitatus fuerit à calore nativo corporis nostri, primus in operando est, ac ideò primò sentitur fervi:) & postea refrigerat, per aquam insipidam & frigentem, quæ ipsa, utpote ponderosior, & lenta, exercere incipit tum demum vim suam frigefacientem, postea quam spiritus ille vini omnes vires suas exeruit & in auras abscessit. Quod ipsum optimè deprehendimus in magnis vini potoribus: qui primo quidem tempore quando aqualiculum suum vino implerunt, calidos se vegetosque factos declarant & hilares, tantisper videlicet quàm vini spiritus vagatur & gyratur in circulum per venas & arte-

 rias

rias ipſorum: qui ubi tandem dilapſus & evaporatus per inſenſilem tranſpirationem fuerit; ſuccedit ipſi ſubſtantia alia, quæ frigore ſuo eosdem homines laſſos, inhabiles, flaccidos & melancholicos aut mœſtos reddit, pro lætis & hilaribus quales antea fuerant, dum ſpiritus vini in ipſis caleret: quapropter iidem illi ſæpenumerò coguntur aquam vitæ ſuperbibere, ut ventriculo ſuo aliquem iterum calorem reſtituant. Non negarim tamen ob hoc, quasdam res reperiri quæ ex accidenti operentur, ac contra innatam & genuinam ſuam qualitatem; ut videlicet Petroleum rectificatum, qui eſt liquor, extra controverſiam, ac ut ita loquar indiviſibiliter calidus, interim tamen aperiendo poros cutis vi ſubtilitatis ſuæ, & dando tranſpirandi locum cuidam materiæ tenui, quæ eſt inter cutem & carnem, poteſt diſſolvere varios tumores calidos, & magnas inflammationes ſanare; veluti nos dilucida exempla vidimus in quibusdam podagricis, & admirandas experientias fecimus in combuſtionibus recenter factis. Cui & haud abſimile eſt illud quod quotidiè videmus, purgativa aliquot medicamenta, quæ contra naturam ſuam, & per accidens, removendo cauſam peccantem, ſanant diarrhœas, & dyſenterias. Sed dum agimus de diverſis vini operationibus, cauſam illius varietatis aſcribere debemus differentibus ejus ſubſtantiis, ut ſupra diximus. Si itaque vinum refrigerare & calefacere poteſt ob differentes ſubſtantias ex quibus componitur, fieri etiam poteſt, Antimonium potentiam habere qua vomitum cieat; itemque aliam qua ſudorem provocet; præſertim cùm compoſitum ſit & ipſum ex tam diverſis ſubſtantiis, ut ſupra demonſtravimus. Galenus, Princeps Medicorum Rationalium (diverſis librorum ſuorum locis quos ſcripſit de ſimpl. medicament. facultatibus) teſtatur, non ſolùm creaturas terreſtres compoſitas eſſe è variantibus ſubſtantiis (quantumvis artem eas à ſeſe mutuò ſeparandi ignoraverit:) ſed inſuper etiam addit quòd ob hancce cauſam una eademque res operari poſſit modis planè inter ſeſe diſcriminatis: quod præter alias quamplurimas aſſertiones, (quas hoc loco recenſere particulatim nolumus, prolixitatis evitandæ gratia,) videre nobis datum eſt lib. 9 dictorum librorum de med. ſimp. facultat. ubi loquitur de Vitriolo hiſce verbis: Cæterum mirari ſubit de hoc medicamento, quo pacto vehementiſſimæ adſtrictioni admiſta caliditas non inſtrenua. Conſtat ergò quòd omnium maximè condire ſervareque carnes humidas poteſt, nimirum caliditate humiditatem abſumens, atque adſtrictione ſubſtantiam contrahens atque conſtipans: hoc enim opere nonnihil etiam humiditatis exprimit. Conſtringit verò, deſiccat atque contrahit in ſe totius ſubſtantiam carnis, &c. Atque hoc ſufficiet ad concludendum primum dubium.

Veniendo igitur ad ſecundum dubium, videlicet ad conſiderandum quænam efficacia potentiaque inſit Arti Chymicæ; experientia nobis aperte declarat, artem hanc nobis revelare quamplurimas res quæ occultæ latuerant priùs, & ſæpenumerò reddere factu facilia ea quæ antea incomprehenſibilia fuerant, & noſtri intellectus captum ſuperabant. Id quod

duobus

duobus hisce præcipuis exemplis comprobabimus. Primum est, quòd Galenus loco supra allegato, animadvertens Vitriolum, quantumvis maxima astrictoria vi polleat, (quæ facultas vulgo à frigida qualitate dependere creditur,) habere in se qualitatem aliquam calidam non exiguam, cui insuper adjunctam videbat aliquam humiditatem: interim tamen non poterat rimari aut deprehendere quo pacto hoc ita sit. In hoc autem Ars Chymica adhuc multò penitiùs explicans, & latius indagando procedens, quàm Physica, quæ indicationibus suis externis solummodò innititur; docet nos dissecare membratim corpus Vitroli, & nobis ante oculos statuit, quo modo componatur ex magna copia aquæ communis, ex spiritu sulphureo vehementer acido & caustico propemodum instar ignis; & demum ex terra minerali, habente in sese Æs, Ferrum, aut aliud minerale, juxta differentiam specierum Vitrioli: Per quas diversas substantias nobis perspicuè dijudicate datur, non solùm unde oriantur facultates tam diversæ Vitrioli; sed etiam, quod plus est, unde proveniat, quòd Vitriolum crudum, & hoc quod impropriè Sal Vitrioli appellamus, purget corpus, evacuetque illud per vomitum & secessum; quantumvis proprium substantiæ ipsius sit corroborare & effectus dare planè contrarios vomitioni. Alterum exemplum sumitur ab argento vivo, quod ipsum (supra captum tamen & intellectum Medicorum antiquorum, qui illud pro lethali veneno habuerunt;) Ars Chymica ex liquido & vivo ut naturaliter est, perducit ad formam solidam, & mortificat illud variis modis; ita ut nunc pro vomitorio, nunc pro cathartico & (quandocunque libet) pro sudorifico usurpari queat; idque usque adeò benigno, temperato & mitiquàm Lapis Bezoar aut Terra Sigillat. Orientalis esse possint. Et quod est magis mirandum, postquam in tam varias formas conversum fuit, tamque diversis modis operari aptum redditum, eadem illa Ars Chymica poterit illud ipsum brevi temporis spatio iterum vivum & liquidum repræsentare, ut priùs fuerat: id quod ratio intellectusque humanus numquam comprehendere potuisset, aut pro possibili habuisset, nisi diuturna experientia nobis hujus videndi copiam fecisset. Quocirca quicunque duo hæc memorata capita bene rimari & considerare volet procul dubio etiam eò perducetur ut credat, & pro certo habeat, Antimonium quoque posse redigi in medicamentum sudorificum, æquè atque vomitivum factum fuit. Cujus rei, ad confirmandam nostram assertionem, aliquot exempla in medium producam.

Antimonium Sudorificum.

Cape Antimonii crudi, Salispetræ mundati seu refinati, ut vocant, singulorum libram unam. Pulverentur utraque hæc simul: & procede prorsus eo modo quo dictum est capite de Croco Metallorum. Calcinatum ubi sic fuerit Antimonium & à Salepetræ quod subsederit abluto, & siccato, iterum duplum pondus Salispetræ mundi adjungas, & in tenuem pulverem simul comminuas. Pulverem istum imponas magno crucibulo, in medio lucu

lent

lenti ignis è carbonibus: & Antimonium liquescet, ac Salpetræ iterum comburetur, etsi non tanta vehementia ac antea. Sine hanc materiam ita liquefactam manere per duarum aut trium horarum spatium injiciendo illi, si opus est, interdum exiguum carbonem candentem, ut Salpetræ bene uratur, movendo illud aliquoties veruculo aut rudicula ferrea. In promptu habeas magnam ollam fictilem aqua plenam: illi dictam materiam adhuc dum calidam & liquefactam, idque sensim, aut uno impetu, injicito, cavendo tamen ne quippiam tibi in faciem inter effundendum saliat. Resideat hæc aqua & clarescat subsidendo. Hinc inclinando vas remove aquam: & illud quod subsederit lava & relava affusa aqua calida, toties donec nullus amplius salsedinis sapor illi supersit. Postea siccatam materiam comminues in marmore, & in tenuissimum pulverem redactam, aromatizabis modicè (si videatur) aliquot guttulis Oleorum Cinamomi, Caryophyllorum, Nucum myristicarum, servabisque in vitreo bene obturato, ac in usus tuos necessitatemque recondes. Atque hoc est Antimonium, quod quærebamus, sudorificum. Aliqui autem iterant calcinationem cum sale petræ usque ad tres vices: alii item postquam ita calcinaverint, reverberant id XV. aut XX. horarum spatio: sed si supra dictum modum bene & ut decet secuti fuerimus, sufficienter fecerimus.

Dosis hujus Antimonii Diaphoretici est à sex granis usque ad viginti, in singulas vices. Vires ejus postea declarabuntur.

Aliud Antimonium Diaphoreticum.

Cape Antimonii præparati & redacti in Crocum Metallorum, uncias duas: Spiritus Salis Nitri uncias duodecim. Impone Antimonium distillatorio vitreo, longi colli, & injice illi paulatim dictum Spiritum Nitri, (tenendo vas memoratum in aqua calenti:) & operari permitte: quando incipiet cessare ab opere, infunde iterum aliam portionem dicti Spiritus Nitri, usque dum totum immissum fuerit. Move sæpiùs Antimonium in gyrum agitando quassandoque vitrum, ne adhæreat fundo: & conserva id tamdiu calidum, donec Spiritus Nitri non ampliùs laboret, & Antimonium redactum sit in pulverem album. Postea obtura dictum vas, bene & arctè clausum; teneto que id in Balneo Mariæ per quinque aut quatuor septimanarum spatium: ac tandem separa ab eo spiritum per lentam distillationem in arena. Sume materiam quæ in fundo subsederit, ac postea quàm eam siccaveris, impone eam planæ quadræ fictili, crassæ ac duræ, minimeque fragili, adhæc bene vitratæ, supraque lentum ignem è carbonibus accensis agita continuò spatula lignea alba & munda, usque dum nullus ampliùs vapor ex Spiritu Nitri exhalet. Hinc ablue & relue hunc pulverem aliquoties cordialibus, quales sunt Melissæ, Boraginis & Calendulæ; & absterfa resiccataque ubi fuerit, habebis rem factam.

Dosis hujusce pulveris est à quatuor ad duodecim granula: sed misceatur cum aliquibus conservis, aut vino albo optimo.

NOTA. Quod Antimonium hisce modis ita sudoriferum reddatur, hoc evenit beneficio Nitri, habentis in se quippe non solum facultatem acidam attrahentem & elicientem foras substantiam sulphuream Antimonii, (quæ alioqui in Vitro Antimonii & Croco Metallorum remanet inseparata:) sed præterea etiam proprietatem quandam fixativam, quæ stabilit & coquit Mercurium Antimonii adjungensque se ex parte dicto Antimonio, repellensq; ac temperans facultatem ejus vomitoriam, efficit ut operetur per sudoris provocationem.

Magisterium Antimonii Diaphoreticum.

Sume Vitri Antimonii præparati ut dictum est, unciam unam: comminue id in Marmore ac silice bene duro, & reduc in pulverem: cui affunde acetum distillatum præstans & peracidum, (aliter incassum laboraveris) & contere illud tã diu usque dum fiat tenuissimum & inpalpabile instar collyrii aut unguenti. Hinc imponas distillatorio vasi vitreo: affunde aliud acetum distillatum, quod illi latitudine duorum aut trium digitorum supernatet. Repone hoc distillatorium in forcula ventosa, ut vocant, circumjecta arena supposito modico igne, usque adeò ut arena non majorem calorem acquirat quàm qui digitis nostris absque adustione tolerari possit. Continua hunc calorem per xx. aut xxx. dies, movendo materiam dictam quotidie semel aut bis, & videbis acetum inducere sibi colorem rubrum aut instar vini helvi, vel russi, aut paulo rubicundiorem, (& est idem de quo locuti sumus cap. 7. Primæ partis hujusce nostri Tractatus, in quo aliquot Chymici falluntur, sumentes hoc pro Tinctura Antimonii:) atque hinc separa istum liquorem planè limpidum & clarum per inclinationem aut filtrationem per chartam, & postquam eum distillaveris lento igne per sabulum, usque dum maxima pars aceti distillati tui exhausta sit, repones id quod subsederit in patinam myrrhinam seu porcellaneam, ut vocant, vel etiam vitream, exhalaque reliquum humiditatis exiguo igne supposito, usque dum in fundo remaneat substantia coagulata subfusca, acris & linguam mordens, quæ ipsa aëri exposita dissolvitur in liquorem multo adhuc facilius citiusque quam Sal Tartari solet. Hoc autem provenit ex Spiritibus aceti, ita ut, si verum fateri velimus, nihil aliud sit aut appellari debeat reapse, quam conjunctio quædam Spirituum aceti cum Vitri pauxillulo. Quapropter etiam ratio postulat ut istud proprio nomine Magisterium vocetur: quæ vox nihil aliud significat quàm mixtionem quandam compositam artificiosè ex duabus rebus simul junctis, quæ ipsa idcirco non operatur juxta proprietates unius aut alterius ambarum sed ut res tertia ac neutra. In hoc enim medicamento manifestè videri potest, effectus ejus non esse quales sunt Vitri Antimonialis, nec etiam qualis aceti distillati, sed instar novi alicujus corporis novas etiam facultates sibi insitas declarare. Quapropter etiam appellari possit Arcanũ. Porrò Magisteriũ hoc debet servari in vitreo vase probè obturato, sin secus, levissimo momẽto

facillimè dissolveretur & evaporaret, ut dictum est.

Dosis ejus est à tribus ad novem grana: sumiturque ex cochleario Malvatici, aut mixtum alicui confectioni cordiali.

Si verò sumamus Antimonium quod in fundo vasis subsederit, postquam id exactè siccare curaverimus, poterimus quin etiam (addito novo Aceto, & procedendo iterum prorsus ita ut diximus) facere novum Magisterium: & si velimus, hoc opus toties iterare, donec omne illud quod de Antimonio subsederit, in dictum Magisterium ita reduxerimus.

Acetum quod distillando à prædicto liquore rubido separatum fuerit, potest iterum in usum converti ad easdem & similes operationes repetendas.

Modus distillandi Acetum pro dicto Magisterio.

Sumito boni Aceti vini quantum volueris: distillari cura per sabulum, lento igne, usque dum duæ tertiæ aut etiam tres quartæ partes dicti aceti vi ignis prodierint: & id quod in vase remanserit crassum sit, & ferè consistentiam Syrupi adeptum fuerit. Hoc quod distillatum est, reconde seorsim, ut in alia quâdam operatione usum habeat: Hinc suppone aliud Recipiens, & continua ignem, donec reliquum vi ignis in Recipiens exstillaverit. Hoc in usus tuos serva: nam hoc efficacissimum, aptissimumque ad opus tuum. Hac tamen cautione habita, ut semper in fundo vasis aliquid humiditatis remaneat, ne fortè consumpto humore, aduri incipiat substantia Tartarosa Aceti, atque ita omne quod distillabitur corrumpat, & propositum tuum planè frustret.

Bezoarticum Antimoniale.

Cum prædictum Sudoriferum admodùm difficulter siccum servari queat, & præterea nonnihil ingrati saporis habeat, poterimus id admistione alicujus alterius rei corrigere ex parte. Cujus specimen hoc subjungere in hunc finem volui.

℞. Magisterii Antimonii ut suprà præparati drachm. vij.
Corallorum rubr.
Matris perlarum,
Cornu cervi, omnium ad albedinem calcinatorum, an. drachm. ij.

Dissolvitur in liquorem prædictum Magisterium Antimonii cum modico aquæ Cardui Benedicti. Hinc pulverizatis reliquis ingredientibus, incorporamus hæc omnia simul in mortariolo vitreo, & in massam redigimus. Cui massæ adjungimus Ol. Caryophyllorum, Cinamomi ana gutt. iij. Croci orientalis subtil. pulv. scrup. j. Et dum adhuc humida est massa, formamus inde rotulas parvas instar Terræ sigillatæ. Quas resiccatas servamus in vase vitreo bene clauso; & in usum necessarium recondimus.

Dosis hujus Bezoardici est à quatuor usque ad duodecim grana, cum aliquo vehiculo convenienti, juxta judicium Medici.

VIDES hîc universim quæcunque ad præparationem Antimonii Sudorifici & Bezoartici pertinebant. Verum quidem

dem est, fieri posse multis præterea aliis modis: exempli gratiâ, irrigando Florem Antimonii Oleo Sulphuris, & hinc calcinando eum in crucibulo clauso in igne, è carbonibus accensis. Itemque, calcinando Antimonium pluribus vicibus unà cum Floribus Sulphuris & Nitro: addendo insuper Flori Antimonii modico Auri dissoluti in liquorem; & hæc longissimo tempore simul digerendo: præcipitando id omne in Spiritibus Nitri: hinc calcinando: atque hanc præcipitationem & hanc calcinationem repetendo toties, donec evadat in pulverem luteum, solidum & fixum, qui vehementem ignem tolerare queat. Multis præterea modis præparari potest: quos hoc loco referre non est necessarium; præsertim cùm supra memorati modi præcipui sint & præstantissimi.

Fit etiam PULVIS quidam ALBUS SUDORIFICUS ex Oleo quodam aut Liquore minerali (qui distillatur ex Mercurio sublimato & Antimonio mixtis inter se) & Spiritu Nitri aut Aqua Regis, juxta modum quem Crollius in Basilicâ Chymicâ, Quercetanus in sua Pharmacopœa, Beguinus in Tyrocinio Chymico, & alii autores declarant: Verumenim verò pulvis iste non debet vocari propriè Antimonium Sudorificum: quandoquidem bene perpenso & examinato hoc negotio, manifestè comperiamus nihil hoc aliud esse quàm Mercurium præcipitatum tali formâ: nam distillando dictum liquorem mineralem, omne Antimonium remanet, & non procedit distillatvè aliud quàm portiuncula aliqua Mercurii sublimati: tametsi non velim negare, posse hîc remanere exiguam aliquam proprietatem Antimonii, quia per medium ejus transivit. Atque hinc fit, quò hic pulvis non ampliùs appelletur Antimonium Diaphoreticum (quod nomen obtinebat apud aliquos Chymicos, antequam rem bene examinatam, aut exploratam habebant:) sed MERCURIUS BEZOARTICUS, aut BEZOARTICUM METALLICUM seu MINERALE.

Vires Antimonii sudorifici.

ANTIMONIUM præparatum omnibus hisce modis quos suprà declaravimus, conducit generatim adversus omnes obstructiones inveteratas tam Hepatis, Pulmonum, Lienis, quàm aliarum partium internarum: item adversus retentionem menstruorum, colorem virginum pallidum, & luteum, ac icteritiam, Hydropem, Phthisin, Cachexiam, Melancholiam hypochondriacam, itemque ulcera tam interna quàm externa, scabies quascunque & prurigines, & leprarum ac elephantiasis genera. Præsertim verò confert sanandis febribus pestilentialibus malignis, calidis, continuis, & putridis; exanthematibus & variolis, herpetibusque. Breviter, sanat quoslibet alios morbos qui requirunt remedia resistentia corruptioni, aperientia & deoppilantia obstructiones, sudores leniter provocantia, & specificam facultatem habentia depurandi massam sanguinis. Adversus quas omnes infirmitates Antimonium sudoriferum comperimus esse efficacissimum; dummodo administretur manibus Medici prudentis, postea-

quam usus fuerit aut etiam ante quam uti proposuerit aliis medicamentis: servatâ convenienti diæta, continuando remedia juxta necessitatem: uno verbo, observando omnes alios canones requisitos ad curam morborum quos depellẽdos suscepit. Idquod neutiquam fieri potest usu unius ac solius medicamenti, sine alio circumspectu; quod tamen aliqui Empiricorum putant.

Tinctura Antimonii, aut Flos Antimonii purpurei coloris.

Quia Flos Antimonii purpureus, est medicamentum quod operatur magis per sudorem & insensibilem transpirationem in corpore, quàm alio quovis modo; ideò nulla ratione hoc loco omittendam mihi ejus præparationem esse judicavi. Est autem hæc talis. Sumito Antimonii crudi pulverati libram unam, Sabuli fluviatilis sicci sesquilibram: Mixtis hisce duobus bene inter sese, impones utrumq; Urinali fictili seu crucibulo, qui egregiè resistere queat igni vehementi sine fissionis metu. Hoc Urinale repones in latus, reclinatum in fornace ventali, ita ut ex fornace extet ad digitos ut minimum quatuor. Hinc ei adaptes collum pariter fictile, aut vitreum, probè lutatum, ut sublimatio feratur saltem per distantiam pedis unius, ultra parietem fornacis. Postea capies Recipiens vitreum oviforme, medioeris magnitudinis, & applicabis insercsque dicto collo, obturando juncturam eius arctissimè optimo luto: quod exactè siccari sines, ne forte ullus vapor per fissuras penetrare & exhalare atque. Hoc facto, teges Fornacem superiori sui parte, relicto in medietate coopertorii unico duntaxat spiraculo mediocriter magno, per quod flamma ignis exire queat. Supposito hinc per quatuor aut quinque horas exiguo lenique igne in fornace, ut Urinale paullatim calescat; tunc demum incipies paullatim augere ignem, usque adeò ut Urinale candefactum rubrum colorem assumat: & hoc statu continuabis ignem spatio XXIV. horarum, nihil tamen vehementiæ ignis addendo solummodò non remittendo, sed servando eundem tenorem caloris, ita ut Urinale dictum candens maneat hoc eodem gradu quem diximus. Porrò in principio hujus operationis videbis Antimonium sublimari in Recipiente instar pulveris albi, qui paullatim fiet luteus, & tandem coloris rubri obscuri, ut vix colorem ejus discernere queas antequam ex recipiente exemptus fuerit. Finita hac sublimatione, permitte refrigescere vasa: & sejunge Recipiens à collo Urinalis, & reperies in eo Antimonium tuum sublimatum, & mutatum ab illo suo primo colore, in rubrum purpureum, ut dictum est: id quod exemptum servabis ad usus necessarios. In fundo autem Urinalis non supererit amplius quippiam Antimonii; præterquam solum sabulum seu arena, quam ei adjunxeras. Cæterum si Paracelsi verba ullo modo ad literam (ut loquuntur) intelligenda sunt, videlicet quando agit de præparatione Tincturæ Antimonii, (ut annotavimus suprà, ultimo nimirum capite primæ Partis huiusce Tractatus) certissimum est hanc esse

esse eandem cum præparatione Antimonii reverberati in rubro, in reverberatorio clauso: unde ad hunc efficiendum dicit reverberari debere per integrum mensem: nam quantumvis tempus hic à nobis determinatum, sit multo brevius: nihilominus tamen videmus isto temporis spatio tres istas mutationes colorum Antimonii integre consummatas, illas dico quarum ibidem mentionem facit, & quas statuit pro signis & notis quæ apparere debent inter operandum juxta ipsius intentionem. Sed quoniam Theophrastus multis locis librorum suorum valdè obscurus est & intellectu difficilis, & sæpe unam rem pro alia repræsentans, sæpe etiam rem quampiam magis aut minus laudibus aut vituperio elevans & extollens quam ipsum deceat; idcirco inquam non auderemus hinc inferre aut affirmare, istam esse Tincturam cujus mentionem facit.

Equidem aliquoties exhibui hunc pulverem ægris meæ curæ sese committentibus: & quamvis in quibusdam causa fuerit nauseæ aut fastidii, & vomendi desiderii; tamen aliis solummodo sudorem civit: nec etiam nauseam ulli movit, nisi quando in dosi justo majore exhibitus fuit; aut quando, (ut supra notavi,) ventriculum pravis humoribus refertum habebant ægri. Inter cæteros autem, memini me illud præbuisse ante duos circiter annos cuidam Paralytico, ob aliquod vulnus: unde accidit ut prima ejus dosis ipsi excitarit calorem quendam naturalem in membris resolutis, quæ ipsi antehac ferè semper frigida & soporata aut sensus expertia fuerant: ac simul etiam tantum ipsi sudorem commovit, ac si in balneo constitutus fuisset, qui sudor ipsi ita adhæsit per quinque aut sex dies continuos, sine ulla tamen sequente debilitatione, quin potius cum aliqua virium roboratione, & restitutione nonnulla in melius, quod antea à magno numero medicamentorum aliorum obtinere non potuerat. Postea autem ad Balnea Spadana devectus fuit, & nescio quonam evaserit: peregrinus enim erat in hac regione. Quicquid sit, animadverti medicamentum hoc esse valde aperitivum, & operari egregie per sudationem, ac insensibilem transpirationem. Non alienum porrò putem fore, ut si quis sumpto hoc pulvere, inditoque in vitrum probe obturatum, id exaltari curaret per ignem quendam mediocrem continuum, depositurum illum fortassis integre & prorsus vomitoriam suam, aut potius nauseæ excitatoriam facultatem, & magis coctum, maturatum aut ad meliorem perfectionem deductum iri; unde posset fortassis impune ac sine ullo noxæ metu usurpari, tanquam medicamentum maximæ efficaciæ, prorsus tale quale Paracelsus Tincturam suam esse refert: Sed non explorata adhuc nobis ejus vi, non ausim nec velim affirmare asseverare cuiquam, quid ejus rei sit; sed in transcursu opinionem meam indicasse sufficere puto.

Dosis hujus pulveris est à tribus ad decem grana, sumpti ex cochleario pleno vini, aut mixti Theriaca, Mithridato, aut aliqua Conserva proprie destina-

ta affectu in quo ejus usum inire constituimus.

Sciendum porro est pulverem hunc nihil aliud esse, quàm Antimonium ratione memorata alteratum, quem si immiseris igni magno & vehementi, fiet niger, & liquescet iterum haud secus quam Antimonium antea fecerat cum adhuc crudum esset. Quod nobis documento esse debet, quo discamus oculari inspectione sumpta, quo modo Vulcanus alteret & transmutet sæpenumero res varias, usque adeò ut videantur prorsus aliæ esse ab iis quæ ante fuerant; cum interea tamen ad pristinum suum statum reverti queant (veluti demonstratum à nobis alibi est in parvulo nostro libello cui titulus, Septem Planetarum terrestrium Spagyrica recensio:) quæ res in causa fuit, quod plurimi incauti simplicesque homines, operati in arte Chymica, & videntes hujuscemodi rerum permutationes, obstupefacti & admirabundi extra seipsos rapti restiterint, mentem oculosque solummodo flectentes ad colores externos; ac sine ulla ulteriore ejus indagatione, ibi subsistendum sibi putaverint, nec amplius progrediendum: qua in re non solum seipsos sed & plurimos alios deceperunt scriptis suis, prout in quamplurimis libris Chymicis passim videre licet.

SECTIO QUARTA.

De Medicamentis Antimonialibus, universim Chirurgia idoneis.

DEclarato hactenus sufficienter quicquid de Antimonio proprie dici meretur, quoad usus medicos internos, cum unicuique Medico exploratissimum sit, mineralia esse præcipua remedia quorum in Chirurgia usus; nunc hac Quarta Tractatus hujus nostri sectione declarare volui qua ratione Chirurgi queant, felici cum successu, Antimonium in usus suos assumere, æque ac aliis mineralibus uti consueverunt, adversus varias infirmitates externas, ea potissimum de caussa, ut Pharmacotheecas seu myrotheeia sua augere, remediisque tanto magis ditare queant, ad solatium imo & salutem ægrorum, qui ipsorum se curæ & industriæ totos tradiderunt.

Quomodo ex Regulo Antimonii preparetur pulvis quidam candidissimus, quem Cerusiam Antimonialem appellamus.

PUlvis iste nomen suum obtinuit tam ab intensa sua albedine, & à facultate desiccatoria qualis in Cerussa deprehenditur; quam à modo quo præparari solet. Nam ut plumbum, quod nigrum est & deforme, mediante acrimonia aceti transmutatur in pulverem albissimum, quem Cerussam appellamus, ita & Regulus Antimonii, qui est coloris plumbei & fusci, in pulverem redactus, per acrimoniam spirituum Nitri eodem prorsus modo mutatur, & in candidum pulverem abit: Ac insuper quomodo Cerussa albedine sua exui, & iterum in plumbeam substantiam restitui potest; eodem prorsus modo & pulvis hic iterum in formam pristinam redigi, Regulusque ut prius erat, fieri rursus poterit. Modus autem præparandi hunc pul-

pulvereum, est talis. Cape Reguli Antimonii, splendidi, seu clari & electi, unciam unam: Salis Nitri purificati, seu refinati, ut loquuntur, in claros lapillos, uncias tres. Hæc duo simul in pulverem redacta, impones exiguæ ollæ terreæ bene vitreatæ: quam supra carbones candentes seu prorsus ignitos collocabis, sine ullo operculo, folle ipsi aliquantisper insufflando, usque dum Sal Petræ liquefieri incipiens, ignem Sulphuri Reguli intrinseco communicet. Utrisque simul exacte combustis, videbis materiam tuam candidam factam esse instar lactis. Quod ipsum plerumque horæ momento fieri solet, posteaquam videlicet Sulphur incendi cœperit. Hinc in promptu habeas aliam fictilem ollam, aut æream pelvim, cui sesquilibra aquæ pluviæ insit, aut paulo plus: illique dictam materiam ita calentem velociter injicies, movendo eam quam diligentissime rudicula aliqua, ac demum patere pulverem hunc in fundo residere, posteaque aquam hanc separabis ab ipso pulvere inclinando videlicet vas ad latus, quam aquam servabis, ad usum quem infra declarabimus. In subsidente autem hoc pulvere plerumque grana aliquot aut parvuli grumi Reguli liquefacti remanent, quos à dicto pulvere separare debemus crebro repetitis ablutionibus; affusa nempe sufficienti copia aquæ, & movendo eam donec planè turbide limosaq; appareat: atque hinc confestim effundendo eam per inclinationem in aliam pelvim. Quod opus aliquoties reiterando, pulvis (utpote levior quam dicti grumuli:) exibit unà cum aqua; & Regulus manebit in fundo; quem servare poteris in aliud tempus, quo idem opus iterare volueris. Separatus isto modo pulvis, residat in fundo aquæ: effusaque aqua, reluatur tam diu, donec nulla salsitudo gustanti se amplius offerat, & aqua plane insipida sit quæ effunditur. Hinc siccescat pulvis in sole, aut potius lento igne in patenti scutella; & videbis eum candidissimum factum lactis instar, nec non levem, fere ut Amydum. Atque hæc est præparatio Cerussæ Antimonialis, cujus, si velimus, tam cito facileque decem libras, quam unciam unam præparare poterimus, eodem hoc, quem diximus, modo.

Facultates viresque hujus pulveris sunt desiccare, & moderate stringere, ut è converso, aliquo modo abstergere & aperire: idque ratione salsuginis alicujus quam à Nitro retinuit. Et quantumvis Cerussæ nomen ipsi indiderim, propositum tamen meum non est, illi plane omnibusque modis facultates Cerussæ simpliciter attribuere, nam hoc pulvere non solum uti possumus extrinsecus, in affectionibus nempe humani corporis externis, quarum curationes ad Chirurgiam pertinent: in quibus Cerussa plerumque maximum usum habere consuevit, sed, quod plus est, etiam intrò assumi innoxie, imo cum maxima utilitate potest: præsertim in curatione inveteratorum ulcerum, scabierum, aut pustularum pertinacium quæ ob maximam in corpore humano humiditatis copiam sanari non potuerunt in hujuscemodi enim accidentibus, propinãdo tribus quatuor aut pluribus septimanis

manis continuis quotidie mane unam dosin hujus pulveris è cochleari uno vini albi optimi, aut permixti saccharo in formam Manus Christi, præscripta insuper accommodata diæta, mirum quantos edat effectus supra omnes potiones ex decoctis Ligni Guajacini, Salsæparillæ, Chinæ, aut aliorum vulgarium remediorum quæ in hunc finem usurpari passim consueverunt. Quod ipsum dico, non tanquam id per somnium quodpiam mihi in mentem inciderit, aut è simplici conjectura aut respectu ad ejus facultates habito; sed experientia ipsa doctus narro, quippe cum hoc modo sæpe à me exhibitus fuerit iste pulvis, felicissimo evidentissimoque ac notatu dignissimo successu; idque non solummodo in robustis, sed & in tenellis debilibusq; hominibus, & juvenculis fæminis, quarum nomina hoc loco recitare, meum non est. Porrò hoc medicamentum diversimode operari consuevit: nam in quibusdam solet duobus aut tribus primis diebus nauseam aliquam producere, & fastidium stomachi, cum crebra expuitione; & reliquo postea tempore nullam ipsis propemodum alterationem manifestè adferre: aliis autem alvum laxat, eamque singulis diebus bis terve extra ordinem: (id est ultra consuetos secessus:) expurgat: aliis sudorem ciet, dum in lecto cubant: aliis autem nullam alterationem aut purgationem evidentem inducit, ab initio exhibitionis seu propinationis ejus, usque ad finem: nihilominus tamen non cessat vires suas sensim exserere, ad utilitatem ægri, in prædictis quibuscunque morbis. Quo fit, ut cuilibet prudenti cordatoq; chirurgo summopere usui esse possit hic pulvis.

Dosis autem ejus est, si intrò assumatur, à semiscrupulo usque ad semidrachmam, in singulas vices. Exhiberi verò debet manè, quatuor aut quinque horis ante prandium, idque vehiculis adminiculisque prædictis, saccaro nempe, aut vino albo.

Ut autem progrediamur ad aquam aut primam loturam hujusce pulveris, quàm suprà servandam nobis esse præcepimus: sciendum est illam utilissimam esse (præmissis debitis purgationibus) in lotione adversus scabiem & pruriginem, itemque ad lavanda mundificandaque sordentia ulcera: ad sedandos mitificandosq; (nempe si calefacta cum linteis applicetur) dolores arthriticos calidos: ad resolvendos quoscunque tumores provenientes ab aliquibus humoribus calidis & subtilibus: ac postremo ad tollendas vitiligines maculasque faciei in fæminis, procedentes à calore, biliosis ve humoribus; & ad reddendam ipsarum cutim mundam & nitentem: si quotidie leviter sibi faciem singulo mane hac aqua abluant: & si vehementior videatur, paululum aquæ pluviæ ipsi admisceant.

Unguentum Album Antimoniale.

℞ Olei ex sem. Papaveris albi per expressionem extracti, & cum aq. ros. bene loti, uncias vj.
Ceræ albæ unciam j. ß.
Cerussæ Antimonii drachm. xv.
Fiat unguentum s. a.

Hoc unguentum refrigerat, mitigat, & moderatè resiccat. Confert sopiendis doloribus

loribus arthriticis calidis: levandæ inflammationi intensôve fervori erysipelatum: & particulatim sistendis catarrhis calidis acutisque in oculos defluentibus: Nam si hoc unguento palpepras & oculos ipsos, circumcirca exterius illinamus, levat omnem inflammationem, mitigat dolorem, & inhibet effluxum dictorum humorum. Utile est insuper adversus maculas faciei: itemque ad fissuras rimasque quæ in manibus ac facie tempore hiberno à frigore provenire solent.

Unguentum Antimoniale cum Mercurio.

℞. Unguenti albi supradicti,
Populeonis ana uncias ij.
Argenti vivi puri drach. vj.
Mercurii sublimati gran. vj.
Misceantur in mortario lapideo vel vitreo & servetur ad usum.

Hoc unguentum (etsi fortassis quibusdam parvi momenti videri queat) adeo excellens est & efficax adversus Herpetem serpiginosum quem vocant, Scabiositates quascunque, nec non pustulas provenientes à quapiam materia calida salsa, & mordaci: quamcunque item aliam cutis affectionem, cum erosione, vehementi calore ac pruritu conjunctam; usque adeò ut ob affectus quos in eo deprehendi, compar ei aut simile reperiri non existimem. Quocirca in gratiam eorum qui illo opus habere possent, hoc ipsum hic asscribere volui.

Emplastrum Griseum Antimoniale.

℞. Resin. Pini,
Elemi,
Ceræ flavæ.
Gummi ammoniaci, cum aceto prius depurati, ana unc. iij.
Reguli Antimonii super lapidem marmoreum cum aqua Plantag. præpar. & in impalpabiliss. pulv. redact. unc. iiij.

Resinæ & Cera simul liquescant, coquanturq; usque dum hujusce compositionis modicum spatulæ seu rudiculæ impositum (refrigeratum ubi fuerit) aliquantulum induruisse deprehendatur: quod fit quotiescunque caloris continuatione, Resinæ incipiunt privari oleosa sua substantia subtiliori, quæ ipsis mollitudinis causa esse solet Postea, ab igne depositum ubi fuerit, dissolvatur in eo Gummi Ammoniacum: ac confestim ei adjunge pulverem Reguli Antimonialis. Demum ubi hæc omnia bene incorporata mistaq; fuerint, magdaleones cylindrosve inde formabis: quos ad usus tuos repones.

Hoc emplastrum eximiè conducit ad emolliendos resolvendosque tumores quoscunque duros & glandulosos, quales sunt tophi & glandulæ provenientes à lue Venerea: itemque ad discutiendos tumores scirrhosos duritiesque lienis: ad emolliendos absumendosque margines seu labia dura elevataque veterũ callosorumq; ulcerum: ac demum ad sopiendos dolores juncturarum procedentes ab aliquibus defluxionibus salsis mordacibus pungentibusve. Quapropter Chirurgus circumspectus & prudens emplastrum hoc in usus suos convertere poterit, adversus prædictos, & alios affectus; idque (quod spondere audeo) felicissimo eventu.

Oleum Antimoniale sive spiritus Mellis ab Antimonio abstractus.

In prima hujus Operis parte demonstratum à nobis abunde est, Antimonium in se ipso, id est in propria sua substantia, nullum prorsus habere liquorem. Nam quantumvis intermedio beneficiove quorundam particularium instrumentorum, per quos aër attrahi consuevit. distillari possit Liquor quidam Antimonialis acidus acrisque instar olei Sulphuris, sine additione alterius ullius substantiæ; nihilominus tamen (excepta prædicta acrimonia aciditati mixta) si liquorem ipsum solummodo contemplari velimus, liquor iste non magis est humiditas aut aquositas propria ipsius Antimonii, quam aqua calida liquor peculiaris propriusque ipsius Ignis esse aut dici potest; quantumvis calida fervensque sit quamdiu calorem ab igne per omnes sui partes diffusum habet, & ut vulgo dicitur, quamdiu ab ignea qualitate imprægnata manet. Interim tamen (sepositis omnibus disputationibus, ac frivolis de nomine ipso concertationibus) negare neutiquam volumus aut inficias ire, accidentaliter, sive hoc sive illo modo, liquorem aliquem præparari posse, resipientem retinentemque facultates ac vires Antimonii: quandoquidem nimirum Experientia ipsa nos idipsum variis modis docuit luculentissime.

Modi autem præparandi Liquorem quendam Antimonialem, aut Oleum Antimonii (quocunque tandem nomine id appellare velimus) qui in Chirurgicis operationibus usum habere possit, varii sunt atque diversi. Quidam enim id præstant medio vasorum quorundam terreorum seu fictilium: quibus aërem dare, liberamq; exhalationem concedere possumus postquam igni imposita fuerint: quo fit ut Sulphur combustibile Antimonii, ignis vi concrematum, vapore suo fuliginoso acri (qui ab ipso ascendit) aërem ad se attrahendo, collectionem quandam aëreæ humiditatis faciens, in liquorem resolvatur. Alii id faciunt administione Salis vulgaris: quem processum Theophrastus Paracelsus nobis descripsit in Magna sua Chirurgia. Alii aliis id efficiunt admistionibus. Sed omissis hoc loco omnibus hisce processibus, ut vocant; utpote non necessariis qui à nobis compilentur, iterumque memorentur; (quamvis omnes & singuli boni sint & utiles, prout nimirum diversæ sunt intentiones ob quas iis uti proposuerunt;) hoc tempore unicum duntaxat modum declarare volo, præparandi nimirum Liquorem Antimonialem à me inventum; qui est talis:

℞. Antimonii crudi subtil. pulv. lib. iij.
Mellis crudi opt. lib. iij.

Imponantur hæc simul ollæ terreæ seu fictili bene vitreatæ, supra ignem moderatum: Bulliant simul, movendo semper spatula aut rudicula, usque dum substantia maxime aquosa mellis evaporaverit; & remanserit materia quædam nigra instar Picis, quæ digitis friari queat. Hinc materiam hanc alii cuidam Retortæ seu vasi corniformi è terra crucibulorum ficto indas. Ignem subjice non tectum; quem gradatim augebis, usque ad summum caloris excessum, idque spatio xxiiij. horarum:

rum:

rum: & prodibit liquor quidam ex isto melle, impraegnatus seu imbutus facultatibus Antimonii, cum aliquot Floribus Antimonii: quem liquorem separabis, clarificabisque ipsum, filtrando per chartam, aut, si mavis, per inclinationem (postquam praedictos flores subsidere permiseris:) & servatum in usus tuos repones.

Liquor iste est corrosivus & penetrans, (ut quilibet facile colligere ac aestimare potest;) interim tamen neutiquam venenosa aut maligna qualitate praeditus, ut sunt corrosiva illa quae ex Arsenico, Auripigmento & Mercurio sublimato parantur. Quin potius hic noster liquor est summopere mundificativus, abstersivus, & resistens putrefactioni. Particulatim autem confert mundificandis antiquis ulceribus plenis putredine, ad absumendas excrescentias cancrosas, & callositates fistularum: item ad tollendam malignitatem ulcerum pravorum, contumacium ac rebellium, & ad ea in meliorem statum reducenda, cicatricemque inducendam, sanioremque carnem generandam: ut & ad mortificandas scabies pustulasve malignas. Adversus gangraenas verò praestantissimum est remedium, reliquisque omnibus communibus anteponendum. Quocirca meretur, ab omnibus Chirurgis summo haberi loco; si modo famam opinionemque suam augere, trivialeque chirurgorum vulgus in curando superare ullatenus velint. Uti autem eo possumus aut solo, aut mixto cum melle rosato, unguentis, pulveribus, aquis distillatis, aut vino, juxta diversitatem affectionum curandarum, & intentionem quam prae oculis habet is qui id usurpare voluerit, respectu videlicet habito ad praedictas ejus facultates. Quod omne judicio & electioni prudentis chirurgi relinquendum est.

CONCLUSIO OPERIS.

Atque haec sunt, amice Lector, quae hoc tempore breviter dicenda mihi videbantur de Anatomia Antimonii, quo instrui manuducique juniores Medicinae candidati queant, aut alii quicunque, qui cognitionem aliquam hujusce materiae acquirere sibi desiderant. Sin autem errorem aliquem in eo opere deprehendas, velim ut illum benigno animo aut judicare aut interpretari digneris; nec ut id mihi dedecori aut probro ducas: ante oculos habens, quoscunque homines, cujuscunque denique professionis, scientiae, artis aut opificii, etiam doctissimos, perspicacissimos, circumspectissimosq; obnoxios esse alicui defectui, haud secus ac reliquum omne mortale genus & consequenter subjectos esse errori, sive is magnus sit, sive exiguus: nemo enim ab eo immunis aut liber est. Hoc fretus, Benivole Lector; sperando insuper, meliorem aliquando mihi opportunitatem eventuram tibi gratificandi Opere aliquo majoris momenti (rogans Deum Opt. Max. ut tibi gratiam suam inspirare communicareq; velit) praesentem hunc Tractatum finio.

F I N I S.

ANATOMIA VITRIOLI, IN DUOS TRACTATUS DIVISA;

IN QVIBVS VERA RATIO VITRIOLI in diversas substantias resolvendi accuratissimè traditur.

Accedit arcanorum complurium ex substantiis istis deductorum, tum ad conservandam valetudinem, tum ad gravissimorum morborum vim & intemperiem, sylva.

TRACT. I.

CAP. I.

Ros Vitrioli, id est, Spiritus Vitrioli humidus.

ANtiquis, ut & plerisq; nostræ ætatis Chymicis, prima ista Vitrioli substantia incognita, eoque ab iis inutilis ad instar phlegmatis, rejecta fuit: Quasi vero Deus & natura (quæ se in omnibus divinæ providentiæ partibus efficaciter exserit) frustra aliquid facerēt. Certè constat, rubetis etiam & serpētibus suum in Medicina locum esse. Quidni igitur dulci isti & limpido liquori sua, eaq; rara virtus insit? Tamē si quis imperitior hoc negare forsan ausit: cum ego nullo cum negotio manifesti erroris primo isto Anatomiæ tractatu convicero, in quo, Deo universi opifico & Rectore benigne juvante, modum resolvendi Vitriolum bona fide ostendam, resolutiq; vires expertas describam.

℞. Igitur vitriolum, quod tibi ex tribus illis supra commemoratis maxime valere visum fuerit. Eo ampullam vitream quæ aliquanto amplior, nec tamen æquo altior ad medietatem imple. Deinde cum suo capello & recipiente per Balneum Mariæ distilla ad quartum balnei gradum, id est, in aqua tam diu bulliente, dum omnis humiditas, distillationi apta, profluxerit. Exemptum in vase vitreo optime obturato ad usum serva.

Valet adversus ardentes capitis dolores: sumptū, pro re nata duabus drachmis cōtinuatum, aliquot dies stomacho jejuno, adustionem sanguinis mitigat, omnia item viscera corroborat, cerebrum superfluo calore & siccitate debilitatum confirmat, humi-

humidum etiam, radicale restaurat diuturniore usu, verno tempore, stomacho prius aliquantulum purgato, sumptum.

CAP. II.

Aqua Vitrioli secunda.

SEparata primâ illa aquâ, quam præcedenti capite Roris vitrioli nomine insignivimus, accipe vas vitreum cum materia illa residua, quam per arenam tantisper distilla, dum reliqua humiditas omnis exierit, quam in aquam claram & odoriferam abire videbis. Evacuata ex recipiente ad usum reponitur.

Conducit ad purgandos renes: lenit corrosiones internas, sumptâ manè drachma una cum jusculo carnis: urinam provitat, & sudorem modicè provocat. Inflammationem plagarum corrodentium ossa aliquantulum calefacta, sedat, lenit & mitigat dolorem, & ad consolidationem confert, infusa gutta una aut altera olei tartari, ut mordacior fiat. Scabiem siccam mundificat, & carnem solidiorem efficit.

CAP. III.

Liquor vitrioli acidus primus vulgò Spiritus vitrioli.

OLim solebant calcinare Vitriolum, & rubore inficere: unde substantia sua humida & maximè spirituali exuebatur. Id verò in eum finem ab illis fiebat, ut liquorem ejus acidulum secundum vulgò olei Vitrioli notum dicerent, id quod quomodo conficeretur sequentibus capitibus declarabitur. Nunc id obiter monuero, antiquos operatione ista sua majorem partem Mercurialem, volatilem & penetrantem perdidisse. Nec verò ea re rationes aliorum hac in parte planè rejecero, quum experientia constet, mirabiles operationes liquore isto factas. Id tamen confidenter dixerim de liquore isto, quod is ponderosior Salis istius mineralis pars est, spirituq; tantum non caret, id quod tù ex destillatione ipsa est videre, tù testimonio Theophr. liquet, scribentis: Ubi cadit, ibi consistit: quo id, quod modò attulimus, denotatur. Nemo certè negaverit, primum istum spiritum qui floris instar est subtilitate volatili oleo memorato longè præstare: idque eo magis, quod primus ex foco prodeat, in morem nebulosi aeris, coque etiam tutius intra corpus assumi posse: Idque adeò experientia quotidiana nos quoque docuit, postquam primus iste liquor acidus in usum venit. Modus illum extrahendi non est apud omnes unus. Quidam enim additamento utuntur: alii non item: ac rursus nonnulli retortam hanc ad rem adhibent: quidam urinale. Nos omissis aliorum modis, illum, quem hactenus reliquis fortè præstare animadvertimus, paucis trademus. Iste verò sic habet.

℞. Materiam illam, quæ ex duabus illis substantiis remansit, & in tenuissimum pulverem redige. Deinde sume alembicum integrum, id est: Urinale & capellam, ita ad fornacem vitream simul commissum: ad cujus extremitatem canon sit apertus, per quem dictus pulvis inji-

injiciatur. Alembicus iste sit aliquantò altior & amplior: præcipuè capella cum canna sua aliquantò longiore & capaciore, itaq; planè, ut fornacem distillatoriam exuperet, & recipiens ab illa aliquantum distet. Vas istud circumcirca diligentissimè ad capellam usque luto sicco puta, crassitudine digiti, deducito. Id quod si prima vice non effeceris, iteratò absolves. Postmodo pulvere supra memorato ad quartum usque partem impletum, os primò vitro, deinde luto obtura, fornacique appone foco aperto, qui minimum semicubito fornacem transcendat. Occluso optimè luto circumcirca, relictisque spiraculis convenientibus, recipientem bene grandem adjunge, juncturasque accuratè sigilla. Ignem gradatim ad quartum usque gradum incende, uti opus esse videbis & ita perge usq; dum nullum amplius fumum circa capellam & recipientem apparere videris. Infrigidatum liquorem ex recipiente hauri, qui liquor ea, quæ sequenti capite ostendetur, ratione rectificetur. Nos quas alii oleo Vitrioli attribuunt proprietates & vires longè justiori titulo huic liquori asscribendas asserimus.

Virtus.

1. Exhibentur ad præcavendam Pestem alternis diebus summo mane guttæ tres in aqua Veronicæ.

2. Pesti infecto guttæ v. hujus liquoris ad provocandum sudorem cum uncia una aquæ vitæ optimæ dantur bis aut ter, prout necessitas requirit.

3. Febri hecticæ, & humorali quatuor guttæ.

Contra febrem quartanam exhibetur cum uncia una aquæ vitę eo die, quo paroxysmus inaurrit, sudore interim provocato. Ad tertianam notham cum aqua tormentillæ, modo jam indicato, magno cum successu bibitur, Ad febrem autem continuam cum aqua Marrubii. Dolores colicos cum aqua vitæ sumptus sedat. Ad renum calculos & excoriationes vesicæ cum vino albo potus cui sit infusa liquiritia potens est remedium. Dolores matricis cum vino, cui sit infusa artemisia, cōpescit. Dētes item corruptos bis aut ter tactos spiritus iste; Gangrænam os intrinsecus infestantem, aliasque id genus excoriationes cum succo plantaginis tactam, & cum aqua sua secunda, ad sufficientiam totam sanat. Fluxus corporis aliquot diebus manè sumptus cum vino rubro & nuce Muscata, sistit. Hyropem quadraginta dies cum uncia semis aquæ ex fraxino elicitæ accedentibus tamen, quantum opus, purgantibus sanat. Ad eundem morbum liquor iste vino, cui cortex fraxini immissus fuerit, infusus. Ad venas pectoris ruptas & excretionem sanguinis cum aqua sanguinis humani balneo Ma riæ extracta, summum est arcanum, ter aut quater, si postulaverit necessitas, exhibitus. Sumantur guttæ sex istius spiritus, aquæ sanguinis drachma semis in jusculo. Valet etiam ad retentionem ciborum cum vino bene maturo: instaurat splenem: Graveolentiam oris emendat, & digestionem promovet. Omne febrium genus cum rore suo aut aqua sua prima deglutitus, curat. Podagræ dolores mitigat, & sanguinem

guinem attenuat aliquot diebus manè cum aqua perforatæ ſumptus. Palpitationi cordis cum aqua corticum citri, aut Pimpinellæ potenter medetur. Pſoram & ſcabiem cum aqua Roriſmarini aut tamariſci perſanat. Dolores capitis cum aqua Majoranæ tollit. Debilitati pulmonis cum aqua fœniculi, vel pulmonariæ ſuccurrit. Humorem melancholicum cum aqua meliſſæ incidit. Stomachum mirum in modum confortat, & ab internis Apoſtematibus totum corpus defendit. Quocirca magno cum ſucceſſu in pleuritide, Prunella morbo, ſquinantia ſeu angina, & conquaſſatione corporis exhibetur. Nec facilè potionem vulnerariam præſtantiorem dabis, ſi cum hypericone & betonica vino infuſis, adminiſtres: Nam ſanguinem ad miraculum attenuat, eumq; à partibus peccanti materiæ proximis potentiſſimè revellit: rupturas item tam oſſium, quàm venarum conglutinat: partesque infirmatas mire conſolidat & confortat. Has & complures alias rariſſimas virtutes ſali iſti minerali verè à me adſcribi, deprehendet, qui earum fecerit periculum, & pro nata occaſione ritè adminiſtrarit.

CAP. IV.

Spiritus ſulphuris Vitrioli & liquoris acidi primi rectificatio.

POſtquam de modo diſtillandi ſpiritum Vitrioli acidi, & ex parte de ejus in Medicina uſu & virtute abundè diximus, reliquum eſt, ut doceamus, quomodo liquor ille cujus ſuprà mentionem fecimus, rectificetur, & quomodo ex illo alia quædam ſubſtantia, quæ communiter Spiritus vitrioli ſulphureus dicitur, ſeparari ſoleat. Sed cur ſulphureus? Tum propter odorem, quo ſulphur refert, tum propter proprietatem ſuam. ℞. Igitur liquorem commemoratum, & infunde illum in vas vitreum, juncturisque vaſorum bene obturatis, per Balneum Mariæ diſtilla, quantum fieri potis eſt. Balneo infrigidato, aquam elicitam bene occluſam ſeorſum ſerva. Hæc enim ſpiritus ille vitrioli ſulphureus eſt. Liquor qui in fundo remanſit acidus & ponderoſus ad hunc rectificatur modum: Impone in vas vitreum formâ illi, de quo capite primo, ubi de rore vitrioli egimus, non abſimile, Iutoque aliquantulum obducito, & fac, ut per arenam aſcendat, liquorem poſtmodum & ſpiritus ipſos impoſitos aliis vaſis ad tertiam usque & quartam deſtillationem reitera, illo ipſo, quo ſuprà diximus, modo. Hinc elicies liquorem aquę inſtar clarum ac pellucidum ſatis ponderoſum, ac primo guſtu acidum, mox tamen in miram dulcedinem degenerantem Atq; hic eſt ſpiritus Vitrioli acidus rectificatus, qui non tantùm purior & limpidior ſed etiam ſubtilior, penetrantior & in ſuis qualitatibus & proprietatibus acutior hac diſtillatione efficitur.

Uſus & Virtus Spiritus Vitrioli ſulphurei.

Liquor iſte natura ſua narcoticus intenſe ſtupefactionem inducit: ita ut ſolus propter

propter acutam illam acrimoniam neutiquam adhibendus veniat. Verum cum alio aliquo temperatus, in variis morbis utiliter sumitur: puta in mania, phrenitide & aliis id genus morbis, in quibus vapores aërei in caput ascendentes reprimere est necesse, qui delirationem inducunt, somnique privationem. Dosis ejus est à quinque ad decem usque guttas per vicem, cum aqua melissæ, majoranæ, aut lavendulæ, vesperi post occasum solis: manè antè ejusdem exortum. Adhibetur etiam liquor iste nonnullis arcanis contra epilepsiam præparatis, uti suo loco amplius docebimus.

CAP. V.

Liquor Vitrioli acidus secundus, vulgò Oleum Vitrioli appellatus.

FEces ex Spiritu Vitrioli acidi residuas, quæ terram subtenuem purpurascentem referent, in aqua vitæ optima leviter macera. Deinde materiam istam in retoram accuratissimè luto obductam, eamque satis capacem, collum longum & largum habentem, immitte: Sed vide, ne illam materia ista suprà tertiam partem adimpleas. Impone deinde furno, igne aperto, cui amplum subsit recipiens. Postea ignem paulatim ad quartum usque gradum adauge, idque totis XL. horis, eoque amplius, donec nullum amplius liquorem videas emanare, nec fumum ascendere, Tum enim illum perfectum habebis, Accipe liquorem, qui omnibus partibus in recipiente residet, & in balneo Mariæ aquam vitæ separa. In fundò vasis vitrei liquorem satis gravem & subrubrum vel subcæruleum, pro specie vitrioli, gustatuque admodum acidum, qualitatem ignitam corrosivam manifeste prodentem residuum videbis. Hunc servabis. Hic enim est oleum Vitrioli more nostro eductum, quod modò flavo, modò rubeo, modò quovis alio colore tingi potest. Quod ut efficiatur, quum nostri non sit propositi, docere supersedeo.

Virtute liquor iste non dissimilis est primo: sed propter causas suprà allatas, majoris difficultatis & longè lentior. Quapropter eum nunquam intra corpus humanum adhibui, nisi cum aliis suis substantiis commixtum: uti capite de Magisterio Vitrioli fusiùs id persequemur. In Chirurgia excellentissimum est arcanum, ad corrosionem carnis putridæ, & callorum plagarum putrescentium extirpationem. Callis & porris manuum pedumve aliquo instrumento evulsis gutta infusa unica, radicem perimit & ne subcrescat potenter prohibet Operationes tamen istas non absque magno dolore facit. Quocirca non nisi à peritis administrari debet temerè: qui illum & temperare nôrint, carnemque ab inflammatione, aliisque symptomatis defendere. Immissus foramini dentis putrescentis vermem occidit, & ut absque ullo dolore excidat paulatim efficit. Mixtus pauculo Nicotianæ unguento diversas scabici & impetiginis capitis species, ulcera item corrodentia ad miraculum persanat. Item unguento additus rosaceo pruritum & scabiem salsam

toto

toto corpore tollit. Sed & plurimis aliis virtutibus pollere dicitur. Quas quum ipsi non simus experti, ad Sal Vitrioli accedimus: Id unum identidem inculcantes, verè vulgò dici: Experientiam cum scientia conjunctam rerum Magistram esse.

CAP. VI.

Ad extrahendum Vitriolum albificatum, quod restat in Colcothare, vulgo Sal Vitrioli dictum.

POstquam omnes supradicti liquores extracti fuerint, si forte fortuna omne oleum egressum non sit (cujus signa sunt si purpurei adhuc sit coloris, & ponderosum quod indicat oleum adhuc inesse, contra si subnigri sit coloris & leve, abesse) extrahere licet Vitriolum quoddam album à nobis priori hujus libelli editione nominatum Sal Vitrioli, insecutis vestigiis aliorum Chymicorum, quod nunc non cognoscimus pro Sale, sed duntaxat pro Vitriolo, nam si igni distillandum exponas, egreditur spiritus quidam acidus, aut oleum uti retulimus, & relinquit insuper materiam quandam metallicam terrestrem. Porro modus ejus extrahendi talis est infundatur dictum Colcothar in quantitate sufficienti aquæ calidæ per horas xxiiij. dein coletur & filtretur per chartam bibulam, exhalctur lento igne in vase vitreo, vel myrrhino donec in fundo materiam quandam albam exsiccatam inveneris, quę ejusdem est saporis, ut Vitriolum illaque est vulgo Sal Vitrioli dicta.

Interim sæpissime usus fui hoc Vitriolo dealbato vel Sale prout appellare licet, reperique re ipsa mereri alias laudes quam ipsi antehac ascripsi, est enim optimum vomitorium detersivum ad purgandum pectus & stomachum ab humoribus phlegmaticis & viscosis quo libere uti licet, adversus indispositionem stomachi procedentem ex dictis humoribus, & aliis ita ut multo largius à me in Etymologia facta est mentio. Dosis est à gran. x. ad xxx. datur cum jusculo, vel alio liquore, idque mane vel quovis tempore si necessitas requirat.

CAP. VII.

Substantia cuprea Vitrioli vulgò Sulphur Vitrioli dicta.

Sale, ex residuis, quorum suprà meminimus, extractò nil, præter terram nigram, restat, & illam, & ad focum igne fortissime exsiccato, postea cum Sale Armoniaco æquali ponderis in tenuissimum pulverem redige, & primum igne lento, dein majore tamdiu sublimato, donec nullum amplius fumum altum petere videas. Postmodo materiam illam sublimatam separa, & in vase vitreo satis amplo aquæ cõmuni infusam balneo Mariæ aqua tepida pleno ad horas 24. impone: Unde subtilis pulvis in fundo considet. Aqua per inclinationẽ separata, dictum pulverem lava iterumq; lava, donec omnis expers salsedinis deprehendatur. Sicca & ad usum serva. Invenias complures, qui pulverem istum sulphur Vitrioli appellent, aliis illum primam substantiam cupri vocantibus. Neque verò id abs re. Enimvero ut gustatu

primò cupro simile est, ita illum nunquam postea amittit, & ubi igni fusili subjicitur, pars una in flammam metallicam comburitur, altera in crucibulo in bonum, malleoque tractabile cuprum funditur. Operatio ista dictam substantiam extrahendi, etiam in Vitriolo crudo fieri potest, in hũc modum: ℞. Vitriolum crudum, ad placitum illudque in aqua communi, 9. h. dissolve. Postea libræ uni Vitrioli unciam Salis Tartari admisce, & videbis aquam conturbari. Residentia in fundo subsidit: quæ ab aqua separata, ut suprà dictum lavatur. Hæc & gustu & potentia priori non est absimilis. Sunt qui laminas ferri bulliant in Vitriolo aqua temperato, quare substantia ista pariter agglutinatur, postea cultro abraditur. Mihi vero non est dubium, hunc non verè sulphur appellari, quum omnino metallum, quàm quidvis aliud referat, quod & de duabus aliis præparationibus rectè dicitur, addo ut incassum laborent illi, qui substantiam istam pro sulphure embryonato ex Vitriolo sumunt, quod omnino potentia anodyna præditum sit oportet. Hoc enim & horribiles easque profusissimas vomitiones concitat. Quapropter omnino opus fuerit, sulphur Vitrioli alia via & ratione delere. Quod ad me attinet, certè etiam multâ observatione, nullum hactenus sulphuris istius anodyni indicium, quod est in Spiritu Vitrioli sulphureo, nec in odore saporeve, nec etiam in operatione deprehendi: Quum tamen effectus iste se, & in Spiritu acido primo, & in oleo, qui se ex parte anodynum demonstat, apertè prodat. Sulphur Anodynum Paracelso dictum num sit combustibile, liquidum substantiave siccum, hactenus haud deprehendi: Sufficiat virtutem ab illo indicatam Vitriolo ita inesse, ut hoc apud me sit indubium, pulverem istum Sulphur Vitrioli embryonatum nominatum falso ita vocari. Idcirco ego, idque propter rationes suprà adductas Substantiam cupream Vitrioli nominabo: Sequentibus capitibus declaraturus, quomodo Substantia de Vitriolo crudo separari possit, quod effectu suo, se partem specificam anodynam hujus mineralis esse arguit.

Virtus Substantiæ hujus cupreæ propria est, mundare plagas putridas, incarnare, & citatrices, more æris usti inducere, ad unguentum tamen reductum, uti suo loco planiùs ostendemus.

CAP. VIII.

Terra Vitrioli.

Separatis septem illis, quas diximus, Vitrioli Substantiis, terra quædam subnigra & leviuscula remanebit, quam in pulverem tenuissimam redactam toties aqua communi lavabis, donec omnem illi extractam fasedinem deprehendas. Siccatam optimè ad usum reserva.

Habet illa constringendi vim & siccandi, unde in emplastra & unguenta siccantia & cicatrices obducentia accersetur.

CAP.

CAP. IX.

Vitriolum rectificatum purgans.

POstquam in præcedentibus capitibus docuimus, qua via & ratione Vitriolum in octo differentes Substantias resolvi queat, antequam ad secundum Tractatum, quem arcanis compositis destinavimus, aggrediamur, nonullas mineralis istius præparationes diversas ab illis, quas suprà recensuimus, bona fide tecum communicabimus: initio à Vitriolo rectificato facto, quo ad purgandum corpus magno cum successu utimur. Modus est iste: ℞. Vitriolum Romanum aut quodvis aliud ex tribus illis suprà commemoratis, qua volueris quantitate, contusum optimè, in charta, loco quidem calido, non tamen Soli ferventi expone. Siccatum paulatim, usque dum colorem album induat, infunde in aquam Centaureę minoris, donec omne dissolvatur. Deinde per filtrum, chartamve cola, dum liquorem limpidum promanare videris. Eum balneo Mariæ injectum ad tertiam aquæ partem distilla. Postmodum vase vitreo ex balneo exempto in locum refrigerationi accommodum repone; impositis aliquot ligni sectionibus mundis, ita ut fundum pertingant. Circum has Vitrioli pars congelabitur: quam partem deinde separatam siccabis, ita tamen ut colore crystallino resplendeat. Vapore aliquantulum iterato aquâ emisso refrigerationi denuò, uti dictum, exponitur, tantisper, dum Vitriolum omne congelatum fuerit: Quod deinde in vase vitreo bene occluso ad usum servatur.

Vitriolum isthoc optimè purgat febre putrida pestilentiali laborantes: Vermes enecat: & contra epilepsiam specificum omnino est purgans. Stomachi putredinem abarcet potenter: sanguinem rectificat, & renes: oppilationes & obstructiones omnis generis aperit: Pesti, aliisq; morbis venenatis acerrimè resistit Adversus morbum caducum & suffocationem matricis valentissimum est remedium: ut quod aciditate sua matricem putredine levet, aliasque partes, non secus atque acidum orichalcum emundet. Dosis ejus est à granis 5. usque ad 7. aut 9 plus, minus, per vicem: pro firmitate tamen constitutionis corporis. Necessitate postulāte potest intra 8. aut 10. dies administratio ejus duplicari aut triplicari. In febribus putridis manè jejuno stomacho ante paroxysmum cum aqua chærefolii aut aliis aquis mundificando sanguini appropriatis, utiliter exhibetur. In febribus pestilentialibus quovis tempore, si id requirat necessitas, datur. In putredine stomachi cum vino generoso propinatur, parumper galangâ aut nuce moschatâ correcto. ut accidentibus matricalicus. Contra vermes datur cum aqua hypericonis. In epilepsia cum aqua pæoniæ, in quam viscus quercinus sit injectus: idque crescente luna, semel in mense. Adversus venena cum aqua roris-marini sumitur, in quam sex grana croci per vicem fuerint immissa; id quod & in omni ictericitiæ genere factitabis. Proprium hoc habet Vitriolum isthoc, ut semper vomitu & secessu corpus purget, ac corpus (si quod aliud medicamentum) universum tentet ac pervadat: idque exiguâ admodum interposita morâ, & quod boni caput est, sine omni

Aaa 2 peri-

periculo. In summa, Medicus, qui Vitriolo isto ritè uti noverit, verè gloriari poterit, se pretiosum habere arcanum, præcipue complexionibus robustioribus adhibitum. in quibus delicatiora illa medicamenta vim morborum expugnare minimè possunt.

CAP. X.

Vitriolum regeneratum.

VItriolum istud regenerati nomine insignitur, quòd ex puris & separatis substantiis indidem reductis aliud Vitriolum regeneratur, quod prius illud potentiâ & puritate, colore item & odore, adeoque omni qualitate longo intervallo post se relinquit. Modus præparationis est iste: ℞. Vitriolum crudum, quo retortam ad tertiam usque partem implebis. Hanc luto accuratissimè obductam, igniq; aperto appositam more chymico, gradatim distilla, humoreq; omni extracto spiritus ultimos igne maximo tres totos dies, totidemque noctes dispelle, donec circa recipientem nullus amplius fumus apparet. Refrigeratis vasis, omnem illum liquorem separato, in quo quinq; substantias inesse deprehendes. Deinde de tribus Salem, primamque Cupri materiam per sublimationem separato, uti septimo capite docuimus. Postea liquorem, salem & primam istam materiam Cupri separata commisce, & bene simul occlusa balneo lêto per octo dies purificato: quo facto subtile à spisso per inclinationem, claritate summa, separato. Hinc dictum liquorem vasi vitreo immissum, balneo Mariæ ad duas tertias liquoris distillato. Residuum ut refrigeretur, bene apertum repone. Nec dubium, quin intra tres aut quatuor dies in fundo Vitriolum transparens, coloratumque reperias: quod separari ac siccari debet. Remanentem liquoris spiritum acidum extrahens Vitriolo injectum distillabis, substantiam ejus sine omni decretione detrimentove recepturus. Equidem hujus rei periculum feci in Vitriolo Ungarico, & modo jam commemorato, ita renovari deprehendi ut transpareret Sapphyrique instar cærulesceret.

Vitriolum regeneratum omnibus iis viribus pollet quibus rectificatum, de quo capite præcedenti egimus: Dosi tamen omnino minori exhibendum. Nam utplurimum quinque grana non excedit.

CAP. XI.

Extractum Vitrioli anodynum.

DUm diligentius aliquanto scrutor, num in nonnullis substantiis Vitrioli vis aliqua insit narcotica, stupefactiva, & anodyna, quam aliqui sulphuri suo embryonato attribuunt, non potui virtutem ejus exactius deprehendere, quàm in sequenti extracto.

℞. Vitriolum crudum, quod tibi ex tribus illis suprà commemoratis præ aliis sumere libuerit, & optimè contusum Soli siccandum exponito: aut alibi, ubi siccatum in pulverem abeat. Pulveris semilibram in vas vitreum injicito, quod

quod duas aquæ mensuras, aut eo amplius capiat: & os habeat strictissimum. Affunde postea triginta uncias aquæ vitæ, quæ optimè rectificata, omni phlegmate careat. Adverte, ut vas hoc sit siccissimum, nec ulla alia humiditas, præter aquæ vitæ accedat: (cætera enim incassus esset labor.) Hinc optimè occluso orificio vasis vitrei, ita ut nullus exspirationi sit locus, in fimū equinum ad mensis unius spatium sepelito. Dein ex illo fimo extracto aquam vitæ per inclinationem separato, fæcibus tamen imperturbatis, quæ prægnans quasi erit subtili essentia vitriolata, odorem fragrantissimum malvaticimoschati adeo potenter referens, ut si illam diutius olfacias, cerebrum quodammodo occupare, & stupefacere, somnumque provocare sentias. Impositam balneo Mariæ ad residentiam usque liquoris flavi, oleo distillato non absimilis, lente distilla: Hinc ignem amove, & quod elicitum fuerit, ad usum serva. Est enim aqua virtutis narcoticæ. Quo facto liquorem quoque bene occlusum in usum repone: qui liquor pretiosum illud extractum est, ac si vere dicitur, Vitriolo sulphur inesse anodynum, affirmare ausim, liquorem istum subtilem ejus essentiam esse, idque eo magis, quod virtutem istam effectis manifestè prodit. Mihi verum Balsamum fuerit.

Liquoris istius usus est in morbis, stupefactionem & anodyna requirentibus: Potentia certe, nec opio, nec oleo mandragoræ cedit, & sine periculo adhibetur. Ad reprimendos & coagulandos subtiles illos ascendentes venenosos vapores, qui centro aliquo ad caput elevati, paroxysmos epilepticos pariunt, singularem vim idque proprietate specifica & occulta habet. Dosis ejus est à guttis 6. ad 8. & 12. per vicem, cum vino & aliis liquoribus appropriatis, in quibuscunque morbis, quos vel extirpare, vel reprimere volumus, præsertim in epilepsia, ratio omnino habenda est motus Lunæ, & symptomatum ac paroxysmorum. Tutò tamen eo bis aut ter Lunæ decursu exhiberi potest. Ratum enim arcanum est, magnumque. In iis, qui vel ad lethargiam, vel paralysin, vel torporem sunt proclives, non debet propinari: Nam in quibusdam casibus tam nocendi vires habet, quam juvandi. Medici igitur fuerit videre, quid & quibus conferat, secusve. Nec enim cujusvis empirici, vetulæ, carnificis, agyrtæ, & sophistæ est isthoc discernere: Nam & cognitione omni carent, compositionisque Microcosmicæ sunt inexperti, sed & causas morborum ignorant, itemque quid possit sympathia, & antipathia, quam membra & fructus majoris istius mundi cum Microcosmo habent. Quapropter velim, neminem illotis manibus rem istam aggredi: ne deceptus ignorantia, culpam aliqando in me conferat.

CAP. XII.

Liquor Vitrioli diaphoreticus.

Liquoris acidi primi rectificati, uti capite quarto docuimus, uncias sex: Salis Tartari, Cornu Cervi calcinati ana unc. ij. commisce diligentissime in mortario vitreo. Deinde retortæ optimè luto obductæ impone, & gradatim in amplo recipiente fac simul distillentur, & postremo igne maximo, donec nulla amplius insit humiditas, nec fumus videatur ascendere. Refrigerata ista materia utraq; liquorem ex recipiente hauri, cui aquam vitæ ad æquum liquoris pondus addes, & bene obturatum ad usum serva. Valet ad purificandum sanguinem, & abigendam omnis generis scabiem & pruritum. Habet & vires magnas in obstructionibus ex causis frigidis enatis, aperiendis. Sudorem provocat in Peste, venenis, hydrope, iterictia, contracturis, &c. Dosis ejus est ℈j. per vicem ad ℥ ß. cum vino generoso. Sudandum in lecto aut hypocausto calido. Continuari potest ad libitum sine omni periculo, quovis tempore, plus minus, prout necessitatem postulare videris. Efficacem etiam deprehendi liquorem istum diaphoreticum in mundificandis organis pulmonis. Sed & magno cum successu in principio phthiscos adhibui plus semel.

Atque hæc de Anatomia Vitrioli attulisse sufficiat: Nunc ad arcana Vitrioli composita.

FINIS.

ANA-

ANATOMIÆ VITRIOLI

TRACTATUS ALTER:

In quo de Compositis Vitriolatis igitur.

AUCTOR

CANDIDO LECTORI SALUTEM.

QUanta sit atrocitas peccati, vel inde videas, quod justus ille Judex propter transgressionem primorum nostrorum parentum terram maledictioni subjecit: adeoque ipsam Naturam nobis adversari permisit. Hinc fit, ut miser homo nec à vilissimo insecto tutus sit, & quavis herbula mortem possit attrahere: cœlo quippe ipso & terra contra peccatum armatis: adeo ut vere possis dicere, (nam id ipsa quoque experientia testatur:) Hominem Magnetem illum specificum esse, qui omne miseriarum & calamitatum genus ad se attrahit; & maleficum illum Martem, divina quippe ultionis administrum, qui ipsum hominem ad sepulchrum usque indivulse comitatur. Interim nec hoc negare possis, quo magis miserias istas nostras detexeris, eo magis infinitam Dei providentiam se exerere, qua liberali sua misericordia nostram istam gehennam quadantenus mittigat; & vult, ut ex illo ipso centro, ex quo tot tantaque mala & incommoda prodeunt, non pauciora nec minora bona proveniant. Exempli gratia: Natura famis, sitis, nuditatis, morborum mater est fœcundissima. Quid clementissimus ille Pater noster cœlestis? Natura imperat, ut nobis cibum, potum, vestitum, medicinam ipsa suppeditet, ut vitam nostram, dum in hoc mundo peregrinamur, ad extremum usque halitum commodius transigere possimus: ea tamen lege & conditione, quæ Geneseos 3. diserte est totidem verbis expressa: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Igitur si frumentum, vinum, vestitum, Medicinam appetis, terram semine conspergito, vineas cole, jumenta pasce, herbas medicas collige: Labora, ut panem, vinum, vestitum, Medicinam habere pos-

propter acutam illam acrimoniam neutiquam adhibendus veniat. Verum cum alio aliquo temperatus, in variis morbis utiliter sumitur: puta in mania, phrenitide & aliis id genus morbis, in quibus vapores aërei in caput ascendentes reprimere est necesse, qui delirationem inducunt, somnique privationem. Dosis ejus est à quinque ad decem usque guttas per vicem, cum aqua melissæ, majoranæ, aut lavendulæ, vesperi post occasum solis: manè antè ejusdem exortum. Adhibetur etiam liquor iste nonnullis arcanis contra epilepsiam præparatis, uti suo loco amplius docebimus.

CAP. V.

Liquor Vitrioli acidus secundus, vulgò Oleum Vitrioli appellatus.

FEces ex Spiritu Vitrioli acidi residuas, quæ terram subtenuem purpurascentem referent, in aqua vitæ optima leviter macera. Deinde materiam istam in retoram accuratissimè luto obductam, eamque satis capacem, collum longum & largum habentem, immitte: Sed vide, ne illam materia ista suprà tertiam partem adimpleas. Impone deinde furno, igne aperto, cui amplum subsit recipiens. Postea ignem paulatim ad quartum usque gradum adauge, idque totis XL. horis, eoque amplius, donec nullum amplius liquorem videas emanare, nec fumum ascendere, Tum enim illum perfectum habebis, Accipe liquorem, qui omnibus partibus in recipiente residet, & in balneo Mariæ aquam vitæ separa. In fundò vasis vitrei liquorem satis gravem & subrubrum vel subcæruleum, pro specie vitrioli, gustatuque admodum acidum, qualitatem ignitam corrosivam manifeste prodentem residuum videbis. Hunc servabis. Hic enim est oleum Vitrioli more nostro eductum, quod modò flavo, modò rubeo, modò quovis alio colore tingi potest. Quod ut efficiatur, quum nostri non sit propositi, docere supersedeo.

Virtute liquor iste non dissimilis est primo: sed propter causas suprà allatas, majoris difficultatis & longè lentior. Quapropter eum nunquam intra corpus humanum adhibui, nisi cum aliis suis substantiis commixtum: uti capite de Magisterio Vitrioli fusiùs id persequemur. In Chirurgia excellentissimum est arcanum, ad corrosionem carnis putridæ, & callorum plagarum putrescentium extirpationem. Callis & porris manuum pedumve aliquo instrumento evulsis gutta infusa unica, radicem perimit & ne subcrescat potenter prohibet Operationes tamen istas non absque magno dolore facit. Quocirca non nisi à peritis administrari debet temerè: qui illum & temperare nôrint, carnemque ab inflammatione, aliisque symptomatis defendere. Immissus foramini dentis putrescentis vermem occidit, & ut absque ullo dolore excidat paulatim efficit. Mixtus pauculo Nicotianæ unguento diversas scabiei & impetiginis capitis species, ulcera item corrodentia ad miraculum persanat. Item unguento additus rosaceo pruritum & scabiem salsam

toto

toto corpore tollit. Sed & plurimis aliis virtutibus pollere dicitur. Quas quum ipsi non simus experti, ad Sal Vitrioli accedimus: Id unum identidem inculcantes, verè vulgò dici: Experientiam cum scientia conjunctam rerum Magistram esse.

CAP. VI.

Ad extrahendum Vitriolum albificatum, quod restat in Colcothare, vulgo Sal Vitrioli dictum.

POstquam omnes supradicti liquores extracti fuerint, si forte fortuna omne oleum egressum non sit (cujus signa sunt si purpurei adhuc sit coloris, & ponderosum quod indicat oleum adhuc inesse, contra si subnigri sit coloris & leve, abesse) extrahere licet Vitriolum quoddam album à nobis priori hujus libelli editione nominatum Sal Vitrioli, insecutis vestigiis aliorum Chymicorum, quod nunc non cognoscimus pro Sale, sed duntaxat pro Vitriolo, nam si igni distillandum exponas, egreditur spiritus quidam acidus, aut oleum uti retulimus, & relinquit insuper materiam quandam metallicam terrestrem. Porro modus ejus extrahendi talis est infundatur dictum Colcothar in quantitate sufficienti aquæ calidæ per horas xxiiij. dein coletur & filtretur per chartam bibulam, exhaletur lento igne in vase vitreo, vel myrrhino donec in fundo materiam quandam albam exsiccatam inveneris, quę ejusdem est saporis, ut Vitriolum illaque est vulgo Sal Vitrioli dicta.

Interim sæpissime usus fui hoc Vitriolo dealbato vel Sale prout appellare licet, reperique re ipsa mereri alias laudes quam ipsi antehac ascripsi, est enim optimum vomitorium detersivum ad purgandum pectus & stomachum ab humoribus phlegmaticis & viscosis quo libere uti licet, adversus indispositionem stomachi procedentem ex dictis humoribus, & aliis ita ut multo largius à me in Etymologia facta est mentio. Dosis est à gran. x. ad xxx. datur cum jusculo, vel alio liquore, idque mane vel quovis tempore si necessitas requirat.

CAP. VII.

Substantia cuprea Vitrioli vulgò Sulphur Vitrioli dicta.

Sale, ex residuis, quorum suprà meminimus, extracto nil, præter terram nigram, restat, & illam, & ad focum igne fortissime exsiccato, postea cum Sale Armoniaco æquali ponderis in tenuissimum pulverem redige, & primum igne lento, dein majore tamdiu sublimato, donec nullum amplius fumum altum petere videas. Postmodo materiam illam sublimatam separa, & in vase vitreo satis amplo aquæ comuni infusam balneo Mariæ aqua tepida pleno ad horas 24. impone: Unde subtilis pulvis in fundo considet. Aqua per inclinationé separata, dictum pulverem lava iterumq; lava, donec omnis expers salsedinis deprehendatur. Sicca & ad usum serva. Invenias complures, qui pulverem istum sulphur Vitrioli appellent, aliis illum primam substantiam cupri vocantibus. Neque verò id abs re. Enimvero ut gustatu

primò cupro simile est, ita illum nunquam postea amittit, & ubi igni fusili subjicitur, pars una in flammam metallicam comburitur, altera in crucibulo in bonum, malleoque tractabile cuprum funditur. Operatio ista dictam substantiam extrahendi, etiam in Vitriolo crudo fieri poteſt, in hûc modum: ℞. Vitriolum crudum, ad placitum illudque in aqua communi, 9.h. dissolve. Postea libræ uni Vitrioli unciam Salis Tartari admisce, & videbis aquam conturbari. Residentia in fundo subsidit: quæ ab aqua separata, ut suprà dictum lavatur. Hæc & gustu & potentia priori non est absimilis. Sunt qui laminas ferri bulliant in Vitriolo aqua temperato, quare substantia ista pariter agglutinatur, postea cultro abraditur. Mihi vero non est dubium, hunc non verè sulphur appellari, quum omnino metallum, quàm quidvis aliud referat, quod & de duabus aliis præparationibus rectè dicitur, addo ut incassum laborent illi, qui substantiam istam pro sulphure embryonato ex Vitriolo sumunt, quod omnino potentia anodyna præditum sit oportet. Hoc enim & horribiles easque profusissimas vomitiones concitat. Quapropter omnino opus fuerit, sulphur Vitrioli alia via & ratione delere. Quod ad me attinet, certè etiam multâ observatione, nullum hactenus sulphuris istius anodyni indicium, quod est in Spiritu Vitrioli sulphureo, nec in odore saporeve, nec etiam in operatione deprehendi: Quum tamen effectus iste se, & in Spiritu acido primo, & in oleo, qui se ex parte anodynum demonstat, apertè prodat. Sulphur Anodynum Paracelso dictum num sit combustibile, liquidum substantiave siccum, hactenus haud deprehendi: Sufficiat virtutem ab illo indicatam Vitriolo ita inesse, ut hoc apud me sit indubium, pulverem istum Sulphur Vitrioli embryonatum nominatum falso ita vocari. Idcirco ego, idque propter rationes suprà adductas Substantiam cupream Vitrioli nominabo: Sequentibus capitibus declaraturus, quomodo Substantia de Vitriolo crudo separari possit, quod effectu suo, se partem specificam anodynam hujus mineralis esse arguit.

Virtus Substantiæ hujus cupreæ propria est, mundare plagas putridas, incarnare, & citatrices, more æris usti inducere, ad unguentum tamen reductum, uti suo loco planiùs ostendemus.

CAP. VIII.

Terra Vitrioli.

Separatis septem illis, quas diximus, Vitrioli Substantiis, terra quædam subnigra & leviuscula remanebit, quam in pulverem tenuissimam redactam toties aqua communi lavabis, donec omnem illi extractam fæcedinem deprehendas. Siccatam optimè ad usum reserva.

Habet illa constringendi vim & siccandi, unde in emplastra & unguenta siccantia & cicatrices obducentia accersetur.

CAP.

CAP. IX.

Vitriolum rectificatum purgans.

POstquam in præcedentibus capitibus docuimus, qua via & ratione Vitriolum in octo differentes Substantias resolvi queat, antequam ad secundum Tractatum, quem arcanis compositis destinavimus, aggrediamur, nonullas mineralis istius præparationes diversas ab illis, quas suprà recensuimus, bona fide tecum communicabimus: initio à Vitriolo rectificato facto, quo ad purgandum corpus magno cum successu utimur. Modus est iste: ℞. Vitriolum Romanum aut quodvis aliud ex tribus illis suprà commemoratis, qua volueris quantitate, contusum optimè, in charta, loco quidem calido, non tamen Soli ferventi expone. Siccatum paulatim, usque dum colorem album induat, infunde in aquam Centaureę minoris, donec omne dissolvatur. Deinde per filtrum, chartamve cola, dum liquorem limpidum promanare videris. Eum balneo Mariæ injectum ad tertiam aquæ partem distilla. Postmodum vase vitreo ex balneo exempto in locum refrigerationi accommodum repone; impositis aliquot ligni sectionibus mundis, ita ut fundum pertingant. Circum has Vitrioli pars congelabitur: quam partem deinde separatam siccabis, ita tamen ut colore crystallino resplendeat. Vapore aliquantulum iterato aquâ emisso refrigerationi denuò, uti dictum, exponitur, tantisper, dum Vitriolum omne congelatum fuerit: Quod deinde in vase vitreo bene occluso ad usum servatur.

Vitriolum isthoc optimè purgat febre putrida pestilentiali laborantes: Vermes enecat: & contra epilepsiam specificum omnino est purgans. Stomachi putredinem abarcet potenter: sanguinem rectificat, & renes: oppilationes & obstructiones omnis generis aperit: Pesti aliisq; morbis venenatis acerrimè resistit Adversus morbum caducum & suffocationem matricis valentissimum est remedium: ut quod aciditate sua matricem putredine levet, aliasque partes, non secus atque acidum orichalcum emundet. Dosis ejus est à granis 5. usque ad 7. aut 9 plus, minus, per vicem: pro firmitate tamen constitutionis corporis. Necessitate postulāte potest intra 8. aut 10. dies administratio ejus duplicari aut triplicari. In febribus putridis manè jejuno stomacho ante paroxysmum cum aqua chærefolii aut aliis aquis mundificando sanguini appropriatis, utiliter exhibetur. In febribus pestilentialibus quovis tempore, si id requirat necessitas, datur. In putredine stomachi cum vino generoso propinatur, parumper galangô aut nuce moschatâ correcto. ut accidentibus matricalicus. Contra vermes 'atur cum aqua hypericonis. In epilepsia cum aqua pæoniæ, in quam viscus quercinus sit injectus: idque crescente luna, semel in mense. Adversus venena cum aqua roris-marini sumitur, in quam sex grana croci per vicem fuerint immissa; id quod & in omni icteritiæ genere factitabis. Proprium hoc habet Vitriolum isthoc, ut semper vomitu & secessu corpus purget, ac corpus (si quod aliud medicamentum) universum tentet ac pervadat: idque exiguâ admodum interposita morâ, & quod boni caput est, sine omni

periculo. In summa, Medicus, qui Vitriolo isto ritè uti noverit, verè gloriari poterit, se pretiosum habere arcanum, præcipuè complexionibus robustioribus adhibitum, in quibus delicatiora illa medicamenta vim morborum expugnare minimè possunt.

CAP. X.

Vitriolum regeneratum.

VItriolum istud regenerati nomine insignitur, quòd ex puris & separatis substantiis indidem reductis aliud Vitriolum regeneratur, quod prius illud potentiâ & puritate, colore item & odore, adeoque omni qualitate longo intervallo post se relinquit. Modus præparationis est iste: ℞. Vitriolum crudum, quo retortam ad tertiam usque partem implebis. Hanc luto accuratissimè obductam, igniq; aperto appositam more chymico, gradatim distilla, humoreq; omni extracto spiritus ultimos igne maximo tres totos dies, totidemque noctes dispelle, donec circa recipientem nullus amplius fumus apparet. Refrigeratis vasis, omnem illum liquorem separato, in quo quinq; substantias inesse deprehendes. Deinde de tribus Salem, primamque Cupri materiam per sublimationem separato, uti septimo capite docuimus. Postea liquorem, salem & primam istam materiam Cupri separata commisce, & bene simul occlusa balneo lęto per octo dies purificato: quo facto subtile à spisso per inclinationem, claritate summa, separato. Hinc dictum liquorem vasi vitreo immissum, balneo Mariæ ad duas tertias liquoris distillato. Residuum ut refrigeretur, bene apertum repone. Nec dubium, quin intra tres aut quatuor dies in fundo Vitriolum transparens, coloratumque reperias: quod separari ac siccari debet. Remanentem liquoris spiritum acidum extrahens Vitriolo injectum distillabis, substantiam ejus sine omni decretione detrimentove recepturus. Equidem hujus rei periculum feci in Vitriolo Ungarico, & modo jam commemorato, ita renovari deprehendi ut transpareret Sapphirique instar cærulesceret.

Vitriolum regeneratum omnibus iis viribus pollet quibus rectificatum, de quo capite præcedenti egimus: Dosi tamen omnino minori exhibendum. Nam utplurimum quinque grana non excedit.

CAP. XI.

Extractum Vitrioli anodynum.

DUm diligentius aliquanto scrutor, num in nonnullis substantiis Vitrioli vis aliqua insit narcotica, stupefactiva, & anodyna, quam aliqui sulphuri suo embryonato attribuunt, non potui virtutem ejus exactius deprehendere, quàm in sequenti extracto.

℞. Vitriolum crudum, quod tibi ex tribus illis suprà commemoratis præ aliis sumere libuerit, & optimè contusum Soli siccandum exponito: aut alibi, ubi siccatum in pulverem abeat. Pulveris semilibram in vas vitreum injicito,

quod

quod duas aquæ menſuras, aut eo amplius capiat: & os habeat ſtrictiſſimum. Affunde poſtea triginta uncias aquæ vitæ, quæ optimè rectificata, omni phlegmate careat. Adverte, ut vas hoc ſit ſicciſſimum, nec ulla alia humiditas, præter aquæ vitæ accedat: (cætera enim incaſſus eſſet labor.) Hinc optimè occluſo orificio vaſis vitrei, ita ut nullus exſpirationi ſit locus, in fimū equinum ad menſis unius ſpatium ſepelito. Dein ex illo fimo extracto aquam vitæ per inclinationem ſeparato, fæcibus tamen imperturbatis, quæ prægnans quaſi erit ſubtili eſſentia vitriolata, odorem fragrantiſſimum malvaticimoſchati adeo potenter referens, ut ſi illam diutius olfacias, cerebrum quodammodo occupare, & ſtupefacere, ſomnumque provocare ſentias. Impoſitam balneo Mariæ ad reſidentiam usque liquoris flavi, oleo diſtillato non abſimilis, lente diſtilla: Hinc ignem amove, & quod elicitum fuerit, ad uſum ſerva. Eſt enim aqua virtutis narcoticæ. Quo facto liquorem quoque bene occluſum in uſum repone: qui liquor pretioſum illud extractum eſt, ac ſi vere dicitur, Vitriolo ſulphur ineſſe anodynum, affirmare auſim, liquorem iſtum ſubtilem ejus eſſentiam eſſe, idque co magis, quod virtutem iſtam effectis manifeſtè prodit. Mihi verum Balſamum fuerit.

Liquoris iſtius uſus eſt in morbis, ſtupefactionem & anodyna requirentibus: Potentia certe, nec opio, nec oleo mandragoræ cedit, & ſine periculo adhibetur. Ad reprimendos & coagulandos ſubtiles illos aſcendentes venenoſos vapores, qui centro aliquo ad caput elevati paroxyſmos epilepticos pariunt, ſingularem vim idque proprietate ſpecifica & occulta habet. Doſis ejus eſt à guttis 6. ad 8 & 12. per vicem, cum vino & aliis liquoribus appropriatis, in quibuscunque morbis, quos vel extirpare, vel reprimere volumus, præſertim in epilepſia, ratio omnino habenda eſt motus Lunæ, & ſymptomatum ac paroxysmorum. Tutò tamen eo bis aut ter Lunæ decurſu exhiberi poteſt. Ratum enim arcanum eſt, magnumque. In iis, qui vel ad lethargiam, vel paralyſin, vel torporem ſunt proclives, non debet propinari: Nam in quibuſdam caſibus tam nocendi vires habet, quam juvandi. Medici igitur fuerit videre, quid & quibus conferat, ſecusve. Nec enim cujuſvis empirici, vetulæ, carnificis, agyrtæ, & ſophiſtæ eſt iſthoc diſcernere: Nam & cognitione omni carent, compoſitionisque Microcoſmicæ ſunt inexperti, ſed & cauſas morborum ignorant, itemque quid poſſit ſympathia, & antipathia, quam membra & fructus majoris iſtius mundi cum Microcoſmo habent. Quapropter velim, neminem illotis manibus rem iſtam aggredi: ne deceptus ignorantia, culpam aliqando in me conferat.

CAP.

CAP. XII.

Liquor Vitrioli diaphoreticus.

Liquoris acidi primi rectificati, uti capite quarto docuimus, uncias ſex: Salis Tartari, Cornu Cervi calcinati ana unc. ij. commiſce diligentiſſime in mortario vitreo. Deinde retortæ optimè luto obductæ impone, & gradatim in amplo recipiente fac ſimul diſtillentur, & poſtremo igne maximo, donec nulla amplius inſit humiditas, nec fumus videatur aſcendere. Refrigerata iſta materia utraq; liquorem ex recipiente hauri, cui aquam vitæ ad æquum liquoris pondus addes, & bene obturatum ad uſum ſerva. Valet ad purificandum ſanguinem, & abigendam omnis generis ſcabiem & pruritum. Habet & vires magnas in obſtructionibus ex cauſis frigidis enatis, aperiendis. Sudorem provocat in Peſte, venenis, hydrope, iterictia, contracturis, &c. Doſis ejus eſt ℈j. per vicem ad ʒ ß. cum vino generoſo. Sudandum in lecto aut hypocauſto calido. Continuari poteſt ad libitum ſine omni periculo, quovis tempore, plus minus, prout neceſſitatem poſtulare videris. Efficacem etiam deprehendi liquorem iſtum diaphoreticum in mundificandis organis pulmonis. Sed & magno cum ſucceſſu in principio phthiſicos adhibui plus ſemel.

Atque hæc de Anatomia Vitrioli attuliſſe ſufficiat: Nunc ad arcana Vitrioli compoſita.

FINIS.

ANA-

ANATOMIÆ VITRIOLI

TRACTATUS ALTER:

In quo de Compositis Vitriolatis igitur.

AUCTOR
CANDIDO LECTORI SALUTEM.

QUanta sit atrocitas peccati, vel inde videas, quod justus ille Judex propter transgressionem primorum nostrorum parentum terram maledictioni subjecit: adeoque ipsam Naturam nobis adversari permisit. Hinc fit, ut miser homo nec à vilissimo insecto tutus sit, & quavis herbula mortem possit attrahere: cœlo quippe ipso & terra contra peccatum armatis: adeo ut vere possis dicere, (nam id ipsa quoque experientia testatur:) Hominem Magnetem illum specificum esse, qui omne miseriarum & calamitatum genus ad se attrahit; & maleficum illum Martem, divinæ quippe ultionis administrum, qui ipsum hominem ad sepulchrum usque indivulse comitatur. Interim nec hoc negare possis, quo magis miserias istas nostras detexeris, eo magis infinitam Dei providentiam se exerere, quæ liberali sua misericordia nostram istam gehennam quadantenus mittigat; & vult, ut ex illo ipso centro, ex quo tot tantaque mala & incommoda prodeunt, non pauciora nec minora bona proveniant. Exempli gratia: Natura famis, sitis, nuditatis, morborum mater est fœcundissima. Quid clementissimus ille Pater noster cœlestis? Naturæ imperat, ut nobis cibum, potum, vestitum, medicinam ipsa suppeditet, ut vitam nostram, dum in hoc mundo peregrinamur, ad extremum usque halitum commodius transigere possimus: ea tamen lege & conditione, quæ Geneseos 3. diserte est totidem verbis expressa: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Igitur si frumentum, vinum, vestitum, Medicinam appetis, terram semine conspergito, vineas cole, jumenta pasce, herbas medicas collige: Labora, ut panem, vinum, vestitum, Medicinam habere pos-

re possis. Quid multis? Tota vita nostra in continuo labore occupatur: Enimvero, quid, amabo, mortalis homo est, nisi misellus servus, & Naturæ cultor, quamdiu terrestrem illam tabernaculi domum inhabitat. Id quod in specie ad Medicum etiam, ejusque artem non male transtuleris. Quæ enim illius in curando ægroto principalis opera? Nulla certe alia, quam ut naturam in offensa corporis parte, coadjuvet: id est, ut explicatius loquar, destructorem expellat, regeneratorem naturalem stabiliat & restauret: eumque contra antagonistam suum tueatur & defendat: At enim operationem istam lenocinio verborum certe non fecerit Medicus: Sed nec liberali ejus formæ se submittit morbus: Quin naturalibus causis constringatur oportet, quibus talis potentia à Deo præpotente, veroque Machaone est infusa. Sed & materiam, quod vocant, laborare Medicus ut sciat, necessum: eamque coadjuvare: quod fit primo quum immunditiem illorum quasi exspoliat: substantias illarum separat, & ad gradum perfectionis reducit. Deinde norit oportet diversas substantias uniri & conjungere: compositamque facere, ut ita virtutem & efficaciam illarum augeat, quasque coadjuvet. & eodem tempore diversis humani corporis partibus possit assistere, quasique suppetias ferre: Sed & sciat, necesse est, quomodo vehicula danda: & qualitas pro administratione contra infirmitatem inducenda: Qui labores & difficultates omnes cuivis vero, & solerti Medico notæ sunt, qui videri vult, se & sui ipsius, & artis suæ rationem habere. Equidem dum insignem illam Altissimi Dei erga me liberalitatem aliquanto diligentius mecum considero: ac memoria subinde repeto, quod ille diserte nobis præcipit, ut liberales simus; eaque dona, quæ ille in nos bono publico benigniter contulit, in medium deponamus: facere non possum, quin particulam vel aliquam donorum illorum cælitus acceptorum proximo cum meo liberaliter communicem. In priori Tractatu docui, quomodo Vitriolum aperias, & substantias ejus separes ac resolvas. Hoc altero modum tradam composita quædam faciendi, in quæ nonnullæ partes substantiarum illarum quarum mentionem fecimus, ingrediuntur. Medicamenta certe non solum delectabilia, sed ad propulsationem & curationem multorum & difficilium morborum cumprimis facientia. Spero, opellam istam nostram proximo non parum profuturam: sinceritatem item meam pio Lectori probatum iri; cujus judicium candidum candide exspecto. Proxime, Deo bene juvante, aliud quoddam volumen publici juris facturus, in quo Pharmaciam Chymicam aliquanto latius in genere persequar. Bene vale, & laboribus nostris fave.

ANATO-

ANATOMIÆ VITRIOLI

TRACTATUS ALTER.

Cap. I.

Liquor Antepilepticus.

℞. Roris vitrioli,
Aquæ Pæoniæ,
Spirit. vini, ana lib. ß.
Spirit. acidi vitrioli ℥. ß.
Rad. Pæoniæ.
Visci quercini, ana ℥. j. ß.
Cranii humani ℥. j.
Opii Thebaici super laminam ferri exsiccati ℈. iiij.
Camphoræ ℈. ij.

Cranium sit furis ex alto suspensi, quod non sit vetustate consumptum. Nam, ut omnes aliæ res, ita & crania diuturnitate temporis putrescunt, & virtutem amittunt.

Compositio.

Radix Pæoniæ, ut & viscus quercinus, minutim incidantur: Cranium verò in pulverem subtilissimum redigatur: Caphura in frustula disrumpatur: Opium pulverizetur. Dein liquoribus in vitreo vase, optimè occluso, contentis, ingredientia ista affundantur, ac fimo equino, aut balneo imponantur, ac in digestione per octo dies relinquantur, postea subtile à spisso separetur.

Virtus.

Si qua species morbi caduci est, quæ medicamentis naturalibus edomari potest, certè id isto liquore, specifico quippe arcano, effeceris, id quod ego magno cum successu semper sum expertus. Nec tamen negaverim, liquorem istum in peculiari quodam epilepsiæ genere, quæ causam à narcotico & stupefactivo vapore interno trahit, locum non habere: is enim membris paroxysmo laborantis, stupefactis, pedes & brachia ita distendit, ut solis nervis & ossibus constare videatur. Adeò tactum omnem caro occulit. Hinc est, quòd isti generi aliis medicamentis sit occurendum. In aliis symptomatis istius speciebus manè jejuno stomacho feliciter exhibetur, si initio mox à decretione Lunæ facto per 6. aut 7. dies id continues, eoque magis, si liquor

iste aliquoties mox à paroxysmo præbeatur. Dosis est à semidrachma ad drachmam unam pro vice, plus aut minus, pro ratione ætatis patientis cum aqua aliqua specifica, morbis istiusmodi appropriata. Suffocationem matricis, durante paroxysmo cum vehiculis matricalibus propinatus, illicò dispellit.

Quod si ante paroxysmum præbeas, diverti certò suffocationem experieris. Atque hoc est, quod de liquoris istius occasione, speciminis vice, obiter semel indicasse volui. Cætera profiteor me non instituisse hic integram medendi methodum tradere. Sufficiat modò, arcana quædam iis, qui aliqua jam artis principia habent, de longè digito quasi commonstrasse. Generatim tamen dixero, Medici munus esse, non in istis tantum morbis, verum etiam aliis symptomatum generibus curandis, authenticè procedere, aliisque etiam columnis, requirente necessitate, de quarum stabilitate certus sit, inniti. Tales fuerint phlebotomia, diætæ naturalis præscriptio, corporis per purgationes evacuatio, observatio item symptomatum & alterationum successivarum aliaque consimilia, quibus vim morbi jam his, jam aliis mediis edomet ac profliget. In quo omnis Medici scientia consistit. Innumorum specificorum medicamentorum, quibus purgantium loco in commemoratis morbis uti soleo, veniunt Elleborum præparatum, & essentificatum Vitriolum repurgatum, Vitriolum regeneratum, Diana purgativa, (cujus nomine argentum intelligo:) Mercurius Martialis, & alia id genus, quæ pro varietate causarum, regimine item & authoritate Planetæ prædominantis adhibeo. Sed & diligenter, quo in elemento paroxysmus prorumpat, animadverto. Id quod à quovis pio & solerti Medico, feliciter Medicinam facere volenti, requiritur. Scientia enim curandi morbum talem non potest uno folio tradi. Quod in limine tractatus hujus nostri semel ideò dixisse volo, ut si quis artis imperitior in arcana ista mea incideret, ac se adjutum illis, miracula patraturum consideret, spe falsus, culpam in me non conjiciat, (nec enim eam me præstaturum, jam nunc edico:) sed in seipsum totam conferat, ut qui, quum nec à Deo nec à natura huc sit vocatus, certè veram medicamentorum præparationem haud teneat, regularum item & fundamentorum scientiæ Medicæ planè sit expers, tamen rem tantam, manibus illotis, quod dicitur, sit aggressus.

CAP. II.

Pulvis contra Epilepsiam infantilem.

℞. Cranii humani,
Corallorum rutilantium,
Ungulæ Alcis calcinatæ,
Margaritarum oriental. ana ℥.ß.
Aquæ Fl. Tiliæ, ℥. viij.
Spirit. vitrioli ℥. viij.
Sem. Pæoniæ excort. ℥. ij.
Camphoræ ℈.j.
Ol. Majoranæ gut. xij.

Conc-

Compositio.

CRanium, Corallium, Ungulam Alcis & Margaritas in pulverem subtilissimum redige; postea liquoribus omnia ista affunde, exinde in arena calente per dies 8. digerito, postmodum humiditatem omnem igne lento elicito, donec remanentia sicca in fundo vasis resideat. Digestum exime: quod calcem longè albissimam referet. ℞. deinde dictam calcem, additisque reliquis ingredientibus omnia optimè in mortario vitreo incorporata, subtilissimè pulverato: Pulverem diligentissimè obturatum ad usum serva.

Virtus.

Pulvis iste contra epilepsiam puerorum, & alios paroxysmos, vel timore, vel vermibus causatos, præsentaneo remedio exhibetur. Potest autem omni tempore & hora, necessitate postulante, porrigi: Datur cum aqua aliqua destillata, aut cum jusculo: tenellulis cum lacte propinatur. Dosis est à granis tribus & quatuor in maximè debilibus. Auctior tamen cum ætatis accretione exhiberi potest: & reiterari, si requirat necessitas. At infantibus modò natis per 7. aut 8. dies continuos sub vesperam præbitus, tutos eos à memoratis accidentibus præstabit. Dosi præscripta singulis septimanis per totum semestre à malo caduco potenter præservat: ita tamen ut dosis pulveris, pro symptomatum incursu, subinde adaugeatur. Sedat etiam pulvis iste tormina infantium, si ex cochleari pleno oleo amygdalarum dulcium & recentium propineturPhlegmata enim illa frigida adeoque quemvis peccantem humorem purgat, qui stomachum propter alterationem lactis lactentium occupavit: & infantes ab illa corruptione potenter præservat, quæ vermes abundanter gignit & producit.

Mulieres, quæ vel tremore cordis, vel syncope crebriùs laborant, eoque liberos epilepticos utplurimum pariunt, pulvere isto bis aut ter singulis mensibus scrupuli pondere per vicem cum aqua majoranæ sumpto, mirè se juvari sentient. Quòd si 6. aut 8. diebus manè ante partum exhibeatur, naturam confirmat, à præternaturalilitem pavore defendit: cor lætificat, & partum optatum, Deo bene juvante, procurat, non sine magno liberorum beneficio, quos ita à plurimis paroxysmis ab epilepsia provenientibus præservat. At si mulieri gravidæ, quæ, laxata matrice, abortum timet, & infantem sensim putat descendere per aliquot dies manè & vesperi pondere semiscrupuli per vicem cum jusculo porrigatur, aut confectio ex illo paretur, mirè retentivam matricis virtutem fortificat, adeoque arborem, ut ita dicam, cum fructu suo restauratam, ad justum pariendi tempus confirmat. In summa, & minoris ætatis hominibus & majoris, itemque mulieribus, tuto, magnoque cum successu exhibetur, adeoque optandum esset, ut obstetrices omnes tam in vicis, quam in urbibus arcanum isthoc præstò semper haberent. Certè & mulieribus & infantibus præsentaneo isto remedio, quovis in accidente, opitulari possent felicius.

CAP. III.

Liquor Cardiacus.

℞. Fol. Melissæ exsiccatorum,
Fl. Borrag. diligenter exsiccat.
Sem. Ocimi garyophyllati,
Rad Doronici,
Cinamomi electissimi, ana ℥. ij.
Ligni Aloes resinosi,
Croci Anglici op. ana ʒ. j.
Ambræ grisea, ℈ j.
Spirit Vini odoriferi ℥. v.
Spiritus Vitrioli acidi gut. LX.

Infundantur omnia in vase vitreo bene clauso, & digerantur sub fimo equino per mensem integrum, deinde exprime, colatur per chartam, & & adde
Syr. de suc. Citri,
Granatorum,
Violarum,
Borraginis, ana ℥. ij.
Misce, & ad usum reserva.

Virtus.

Liquor iste ad semidrachmam, vel etiam drachmam integram pro vice, cum aqua sanguinis Cervi per Balneum Mariæ distillatæ, præsentaneo remedio adversus palpitationem cordis propinatur. Iteratus septimanaq duabus aut tribus vicibus, si quæ alia Medicina, certè liquor iste causam istius symptomatis tollit, & si accedente paroxysmo exhibeatur, fervorem palpitationis mitigat & divertit. Possis tamen loco aquę memoratæ, cum vino, jusculo, aut alio aliquo liquore exhibere: Nisi pro præservatio uti velis. Tunc enim præstat ipsam aquam habere, cujus mentionem fecimus. Specifica quippe virtus illi inest, miræ adversus cordis palpitationem efficaciæ. In tremore cordis & dolore præcordiorum cum aqua florum salviæ aut borraginis administratur. Cum vino optimo, maturitatem suam assequuto, aliquoties in septimana datus, Melancholicis obstructum splenem aperit, cerebrum corroborat, flatus discutit, & cor mire exhilarat.

Phreneticis serò quum cubitum itur, ex aqua hypericonis aut betonicæ felicissimè exhibetur.

CAP. IV.

Liquor restaurativus.

℞. Mellis virginei recent. & fragrantissimi lib. ij.
Roris Vitrioli,
Flor Borraginis,
Buglossi, ana lib. ß.
Cinamomi viscosi (si haberi potest) vel loco ejus Cinamomi officin. communis ℥. ß.

Misceantur in vase vitreo, & digerantur per horas XL. postea distilletur, donec omnis humiditas egressa fuerit, in qua addatur Spiritus Coralliorum rutilantium per arcanam distillati, & per B. M. rectificati ℥. j.

Circulentur in Sole vel sub fimo equino per mensem, & servetur ad usum.

Virtus.

Liquor iste in consumptione corporis tam generali quam particulari ex superflua Micro-

Microcosmici salis adustione causata, prę-sentaneo remedio, quippe arcano, exhibetur. Nam si patiens ille aliquamdiu mane & vesperi, pōdere unius aut alterius drachmæ pro vice utatur jusculo, ut pulli optimè cocti brodio, sanguinem regenerat, calorem nimium extinguit, digestionem juvat somnum conciliat, totumque adeò corpus restaurat, adhibita tamen convenienti diæta, id est, si laborans interea cibis digestibilibus, humectantibus, & restaurantibus vescatur, unctiones item adhibeat, aliisq; regulis, quæ in hoc casu omnino requirūtur, insistat, & in imbecillitate cerebri à siccitate causata, nobile certè & excellens est arcanum, si eo aliquamdiu manè jejuno stomacho utaris.

CAP. V.

Balsamum vitriolatum.

℞. Olei vitrioli drachm. x.
Florum sulphuris vitriolati unc. j.
Myrrhæ electæ.
Aloes succotrinæ ana unc. ß.
Olei de baccis juniperi clari unc. v.
Olei anisi unc. j.

Ad producendos flores sulphuris vitriolati. ℞. Vitrioli siccati & ad albedinem redacti ℔. 2. Sulphuris flavi ℔. 1. Sublima in arena, in urinali, luto optimè obducto, cui galea sit imposita. Ubi sulphur omne adscenderit, Vitriolo alio ingesto tertia vice sublima, & florem habebis sulphuris, quē expetimus subtilissimum.

Compositio.

Contundenda contundantur subtiliter, postea reliqua omnia ingredientia ampullæ immittantur, quæ ultra materias injectas ad duas tertias vacua remaneat. Optimè deinde obturata in arenam imponitur calore naturali excoquenda, & ad mensem integrum ibi relinquitur. Inde liquor obscurè rubeus elicitur, odoris acuti, qui per inclinationem à residentia separatur. Operatio ista æstatis tempore ad solem, in hyeme supra fornacem hypocausti, cui arenæ aliquantulum subsit, institui potest. Residentiæ siccatæ usus est in quibusdam emplastris aut unguentis consolidantibus.

Virtus.

Balsamum hoc miræ est efficaciæ in asthmate, peripnevmonia, empyemate catarrho, adeoque omni genere tussis putridæ. Nam defluxiones capitis sistit: cerebrum corroborat, phlegmata viscosa incidit, pectus aperit, thoracem & pulmonis organa mundificat, internas ulcerationes consolidat. Sumuntur quotidiè tres aut quatuor guttæ pro vice cum vino generoso, aut cum jusculo. Partes item principales communit: & sanguinem à putredine præservat.

Administratum eo, quo diximus modo, valet contra febres putridas matricem mundificat, & confortat: menstrua provocat.

Ad plagas veteres & putridas optimum item est remedium. Nam eas & emundat & carne obducit, & puncturas recentes brevissimo temporis spatio sine ulla sanguinis corruptione consolidat. Exhibitum cum vino, tormina, ex

causa frigida & humida ortum ducentia dispellit. Nam & flatus discutit, urinamque & sudorem ciet.

CAP. VI.

Liquor contra Pleuresin.

℞. Syr. Papaveris Rhœadis,
Card. benedicti,
Spiritus sanguinis Cervi per arenam distillati, & per B.M. rectificati ana unc. j.
Spiritus Vitrioli acidi gut. xxx.
Misce.

Virtus.

Liquor iste vires contra Pleuresin permagnas habet. Considerandum tamen hîc quoque vulgatum illud: Melius est prævenire, quàm præveniri. Id quod fiet, si mox, ubi vel leve aliquod indicium morbi istius senseris, affecto duas drachmas vel tres, liquoris istius cum jusculo calido illico propines: Sudorem item, nulla interjecta mora, provoces, venamque basilicam ex opposito punctionis incidi cures: immò si necessitas postulet, ex utroque brachio sanguinem ea quantitate, quam feret cujusque complexio, elicias. Sed & ipse liquor duplo aut triplo, urgente necessitate, augeri potest. Observanda etiam venit conveniens diæta: & à vino planè abstinendum, donec fervor morbi debullierit. Exinde paulatim concedi vinum potest, idque vel merum, vel dilutum, temperatumve, pro elemento, quod prædominari videris, & affecti ætate. Liquor iste sudorem, lotium, & sputum ciet: & specifica sua virtute morbum illico in suo centro indagat, & sanguinem in fluxu suo retinet.

Sumptus per intervalla matutino tempore grassante pleuritide, rarum Elixir præstat, quo corpus ab internis Apostematis & suppurationibus potenter defenditur.

In conquassatione totius corporis sanguine extra suum centrum per juncturas aliquas excurente, cum infusione betonicæ, aut florum hypericonis, millefolii, pentaphylli, & similibus, manè & vesperi propinatus, sanguinem illum ad locum suum retrahit, coagulatum mundificat & consolidat.

In fracturis ossium cum infusione consolidæ aut serpentariæ porrigitur: quæ infusio cum vino & jusculo fieri debet.

CAP. VII.

Confectio contra Dysenteriam.

℞. Conservæ rosarum rub. drachm. x.
Lachrymæ Draconis subtil pul. drach. j. gran. x.
Laudani opiati opt. gran. xxiiij.
Spirit. Vitrioli acidi gut. xxiiij.
Misce.

Vir-

Virtus.

Confectio hæc prodest Dysenteriæ, fluxui Hæmorrhoidum, sanguinis fluxui ex ore, & naribus, itemque profluvio menstruorum in mulieribus.

Dosis est à scrupulis duobus ad quatuor exhibetur in Syr. Cydoniorum vel Granatorum, aut alio liquore appropriato, mane aut sero exigente necessitate, repetendo bis aut ter, si opus fuerit, donec fluxus desierit.

CAP. VIII.

Liquor contra Prunellam.

℞. Roris Vitrioli,
Aquæ cancrorum ana unc. v.
Spiritus Vitrioli acidi drachm. ß.

Ad aquam Cancrorum parandam. ℞. Cancros vivos & recentes, contusos per Balneum maris distilla.

Compositio.

Tres istos liquores in vas vitreum infusos simul commisceto.

Virtus.

In prunella & angina cochleare liquore isto plenum, affecto ter aut quater in die pro vice utiliter propinatur. Linguæ tamen petia in liquore isto prius madefacta, abluenda. Extrahe etiam quamprimum sanguinem ex venis leonicis sub lingua, & mirum videbis procul dubio effectum. Applicatus erysipelis, inflammationes earum tollit.

Liquor contra arenam.

℞. Spiritus Vitrioli acidi drahm. x.
Tartari albi pulver. unc. j.
Aquæ ardentis ex baccis Juniperi à radice raphani sylvestris abstractæ unc iiij.
Aquæ sanguinis hædini vel leporini unc. vj.
Radic. Glycyrrhizæ recentis unc. ij.

Aquam Juniperi à raphano sylvestri abstracturus, ℞. Radic. raphani sylvestris minutim incisi ℥iij. Aquæ de baccis Juniperi ℥viij. Infunde per horas 50. postea per balneum distilla. Aquam vero ex sanguine hædino extracturus. ℞. Sanguinis hædini, & per cineres sine adustione distilla.

Compositio.

Liquoribus omnibus simul commixtis Tartarum affunde subtiliter pulveratum: Liquiritia minutim incisa & per 8. dies digesta, postmodum clarum à spisso separatum ad usum servatur.

Virtus.

Liquor iste plurimum efficaciæ habet ad dissolvendam & expellendam arenam rubeam, & alias tartaritates internas. Mundificat renes, incidit & resolvit materias illas viscosas & tenaces, quæ nonnunquam orificium vesicæ, ut & organa urinæ obstruunt, unde stillicidium lotii, strangu-

ria,

ria,& alia id genus ſymptomata oriuntur Doſis eſt à drachma una ad duas pro vice: ſi requirat neceſſitas, cum juſculo, in quo radices petroſelini aut pimpinellæ hortẽſis ſint incoctæ. Vitandi interim cibi tartaroſi & conglutinantes.

Iis qui de calculo dubitant, optimum præſervativum eſt, ſi guttis aliquot hujus liquoris ſingulis diebus mane, aut aliquoties in ſeptimana utantur.

Cap. X.

Liquor contra peſtem.

PEſtis, ſive ex intemperie elementari, à malis influentiis cœleſtibus, ſive operatione aliqua malefica, ſive quacunque tandem cauſa originem ducat; ſive ſimplex ſit, ſive compoſita; communiter tamen hominem eo fine aggreditur, ut illum derepentè peremptum è medio tollat. Id quod quatuor iſtis modis confecturam ſe ſperat. Primò cor cum reliquis partibus nobilioribus inficit. Secundò ſpiritum vitæ ſuffocare tentat. Tertiò ſanguinem putrefacit. Poſtremò partes quoque internas exulcerat. Nempe eò tendit, ut putrefactione ſua reſolvat, & ſalem Microcoſmicum acuat: qui, ubi primùm cum veneno peſtifero commixtus eſt, non ſecus, ac aqua fortis, ex vitriolo & nitro compoſita, proximum quidque ſolet corrodere. Ex quatuor iſtis, quorum modò mentionem fecimus, principalibus operationibus, plurima, eaque longè diverſiſſima & periculoſiſſima accidentia exſurgunt: ut ſunt paroxyſmi febriles, tam frigidi, quàm calidi: intenſiſſimi capitis, aliarumque partium dolores, deliria, furiæ, tremores & palpitationes cordis, ſyncope, deliquia, punctiones, pleuritis, prunella, angina, dyſenteria, halitus ſuffocatio, ſtupiditas, privatio ſenſuum, apoſtemata, carbunculi, veſicæ & maculæ in cute: adeoque infinita alia ſymptomata pro varietate cauſarum, complexionum, & conſtitutionum corporis infectorum. Id quod experientia, graſſante peſte, nimis abundè teſtatur. Quid igitur? Si cogitet Medicus, compoſitum aliquod præparare, quod contra omnes Peſtis ſpecies univerſim in genere efficax ſit, ſequentes habeat proprietates, neceſſum fuerit: nempe ſit alexipharmacum, diaphoreticum, elixir, anodynum & cordiale. Alexipharmacum, ut ſpecifica ſua natura vim habeat venena peſtifera retundendi, perimendi, domandi, & expellendi. Diaphoreticum, ut ſubtili ſua penetrantia omnia organa Microcoſmi aperta & munda habeat, quò ſpiritus vitæ liberè hinc inde commeare, & ſine ullo obſtaculo à capite ad pedes uſque continuè circumagi poſſit. Elixir, ut natura ſua & qualitate corpus à putredine tueri, & liberatum in ſuo ſtatu conſervare poſſit. Anodynum, ut dolores illos vehementes, in quacunque corporis parte, univerſim mitigare, internis item inflammationibus reſiſtere: & eroſiones internas ab acumine veneni, & mordacitate ſalis Microcoſmici conſolidare poſſit. Cordiale denique, ut cor juvet: lætitiam adaugeat: cerebrum corroboret: memoriam confirmet:

met: & judicium debilesque illas meticulosas animi impressiones, nonnunquam plus mali, quàm venenum ipsum apportantis, divertat. Has, inquam, proprietates habeat, necessum est Compositum illud, quod Medicus, sæviente Peste, pro antidoto, & quidem discussivo universali, dispensare cogitat. Quod ad ejus præparationem, extra controversiam est, morbum essentialem, penetrantem & repentinum esse: igitur medicamentum etiam necessario subtilissimum sit oportet, & essentiale, ut in centrum morbi illicò transire possit, eumque obsessum profligare; cæterà oleum & operam perdideris. Id quod physicè intelligi volo, non Theologicè. Neque enim quicquam decreto Altissimi derogarit, quem novi vitam nostram certis limitibus circumscripsisse: adeoque cum Anna, Samuelis Prophetæ matre fateor, Jehovam unum illum esse, qui in mortem tradit, & in vitam restituit, ad sepulchri limen deducit, & ex eodem pro beneplacito suo reducit. Sequitur descriptio ad gloriam Domini liquoris nostri contra Pestem, quod examini subjectum, multæ omninò efficiæ esse deprehendetur.

Liquor contra Pestem.

℞. Spirit. ardentis Baccarum Juniperi uncias viij.
Spirit. Tartari rectificati,
Spirit. Sanguinis Cervi ana unc. iiij.
Spirit. Vitrioli gut. LX.
Cinamomi electissimi,
Ligni Aloes resinosi,
Zedoariæ,
Croci Anglici,
Myrrhæ Troglodit. ana unc. ß.
Laudani opiati optimi drachm. ij.

Infundantur in Balneo Mariæ per horas XL. deinde separetur subtile à spisso per inclinationem, & servetur in vase vitreo.

Virtus.

Mirabiliter hic liquor resistit Pesti & aliis speciebus venenorum. Si quando pro antidoto uti velis, dosis erit à X. XV. usque ad XX. guttas, pro constitutione personarum, ex cochleari cum Syrupo de succo Citri, Buglossæ, Borraginis, vel Violarum, singulo mane jejuno stomacho. Sed iis qui jam Peste affecti sunt vel veneno, dabitur drachma una, quatuor scrupuli, vel drachmæ duæ secundum vires ægroti & vehementiam veneni, bene cooperiendo ægrum, ut sudor provocari possit: idque reiteretur semel, bisve, si necessitas requirat: ut si ita in tempore opportuno administretur, hoc modo venenum domari, & ipsius vehementia compesci poterit, & postea facilime ejus curatio absolvi, observatis observandis: quæ methodus Medica requiritur ad profligãda symptomata præsentia, & ad refocillandas vires ægrorum.

Emplastrum magnetinum in Peste.

℞: Gummi Sagaponi,
Ammoniaci,
Galbani ana ℥ iij.
Ceræ
Terebinthinæ larignæ ana ℥ iiij & ß
Magnetis arsenicalis ℥ iiij.
Tetræ Vitrioli lotæ ℥j.
Olei succini ℥ij.

Ccc Magne-

Magnetem arsenicalem ita conficies: ℞. Antimonii crudi, Sulphuris flavi, Arsenici crystallini ana ℥ij. Pulverentur omnia subtiliter, & in vase vitreo in arenam calentem imponantur, & tamdiu in illa relinquantur, donec materia ista omnis colliquescat. Id quod inde cognoveris, si materies stylo ferreo tacta, illi adhærescat, & terebinthinæ instar, ductitetur. Colore est rubea, subobscura, postea infrigidatur, deinde rupto urinali, eximitur materia, quæ in unam massam concurrit, & dura est, instar picis. Hujus materiæ sæpius in canibus, felibus, & gallinis in magna copia periculum feci, nec deprehendi eam illis ullum nocumentum attulisse. Applicata plagis, nullam (aliorum venenorum more) inflammationem parit, & tamen corrosiva est. Unde quæ sit artis nostræ dignitas & amplitudo qui non videt, nihil videt. Certè ea & venena docet corrigere, & in optima & nobilissima medicamina convertere, magna naturæ arcana in apertum producit, sympathiamque & antipathiam rerum manifestat, fundamenta item extruit, quæ ad compositionem medicamentorum cumprimis faciunt. Certe si veneno collo appenso, quo tempore Pestis solenne est, proprietas aliqua inest, quæ corpus ab infectione defendat, multò magis veneno isti mortificato proprietas inerit, quæ venenum illud imæ carni inhærens, tanquam suum simile, potenter attrahat.

Compositio.

Tria illa gummi dissolve unciis xx. aceti scyllitici: Postea solutionem illam per pannum lineum colatam exprime: quam deinde tamdiu bullire cures, donec acetum fuerit consumptum. Excipe pauxillulum spatulâ & infrigida, dum videas ita induruisse, uti quum gummi essent. Serva in loco calido, donec cum residuo incorporaveris. Quo facto, accipe ceram & terebinthinam, fac ut simul ad lentum ignem in sese coëant: Remotam à calore, aliquantulum agitato, donec ad spissitudinem unguenti reducatur. Deinde adde gumi jam ante soluta, &, uti diximus, cola: postea adjunge magnetem arsenicalem subtiliter pulveratum, terram vitrioli, & oleum succini. Postremò pastillos forma: & corio, vesicæve, oleo Scorpionum inunctæ, involvæ.

Virtus.

Emplastrum hoc apostematis, aut carbunculis Pestilentialibus, uti moris est, applicatum, illicò eā maturat, rumpit, & venenum, uti suum simile, ex imo, magnetis instar, potenter attrahit, adeò, ut si illo, quantum opus fuerit, utaris, non sit, quod dubites, apostemata ante justum tempus occlusa iri, & venenum ad cor recursurum quod alias haud raro evenit. Nam attractivum hoc non repercutit venenum, sed simul omne extrahit, & apertum ulcus coire non patitur, donec caro omnis emundata fuerit. Mundificatum sufficienter, emplastris consolidantibus cura. Impositum vesicæ, aut aliis emunctoriis venenum cumulatim ex centro ad se in cutem educit Idem scrophulas, si quod aliud medicamētum, (expertus loquor) persanat. Nam illas purificat, & materiam peccantem lon-

longinquioribus partibus attrahit, per 5. aut 6. septimanas operans postea illas, nullo etiam illito unguento, consolidat. Adhibenda tamen veniunt, purgantia specifica, & observandæ aliæ regulæ Medicæ: si honorem ex curatione adipisci sit animus. Applicatum plagis putridis & venenosis, quæ non facilè curationem admittunt, intra biduum, aut triduum venenum in cutem educit, & in nigerrimam & putridam escharam condensat, quam, butyro recente emollitam, spatula auferre potes, plagæ fundo rubeo & mundissimo facto. His ex effectis, nisi planè fallor, quivis judicaverit emplastrum istud nostrum raræ esse virtutis. Cui si antidotum nostrum, cujus paulò ante mentionem fecimus, addideris, procul dubio curationes longè felicissimas, ad altissimi Dei laudem & gloriam, evidentemque ægrotorum languentium revalescentiam facere poterimus.

Unguentum Saturninum Vitriolatum.

℞. Lithargyrii argentei pul. unc iiij.
Salis Vitrioli, sive Vitrioli albificati,
Salis Tartari ana scrup. ij.
Aceti Sambucini lib. j.
Fiat unguentum, ut sequitur.

Infunde Lithargyrium in acetum, & in arena calente per 3. aut quatuor dies relinque, & quotidie semel aut iteratò, agitato, postea per chartam cola. Liquor inde prolicitus clarus est, & dulcedine ad saccharum accedit. Adde duo memorata salia. Postmodum humiditate extracta, quod in fundo album, instar alabastri residebit, per destillationem separa.

Sed quomodo illi utendum.

℞. Unguenti Rosati,
Olei amygdalarum dulcium ana unc. iiij.
Extracti modo memorati drach. v.

Optimè in mortario vitreo incorporatum, in unguentum albissimum redigitur, cui x. grana caphuræ addantur.

Virtus.

Unguentum istud dolores ulcerum corrodentium lenit & mitigat erysipelas item tertio aut quarto impositum.

Miræ etiam contra pruritum, & diversas scabiei species efficaciæ est, mundificat, consolidat, & lenit quævis asperitatem carnis, & peculiari quadam proprietate anodyna multos dolores mitigat, qui ab erosionibus salsis & venenosis humoribus causam trahunt.

Hæc sunt quæ breviter indicanda duxi quantum ad dissectionem, vel Anatomiam & usum Vitrioli, ad elucidationem & instructionem uniuscujusque qui illis indigebit, quod non dubito quin benevolus Lector in bonam partem sit accepturus.

PSALM. 115. 1.

Non nobis, Jehova, non nobis, sed Nomini tuo da gloriam, propter benignitatem tuam, propter veritatem tuam.

F I N I S.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

NOVEM, plus minusve anni sunt, ex quo in Helvetia degens, præsentem hunc Tractatum de ANATOMIA Vitrioli conscripsi, & bibliopolæ cuidam quinque aut sex dierum itinere à mea habitationis loco commoranti evulgandum tradidi. Quem cum in lucem dedisset, aliquot ejus exemplaria ad me transmisit: in quibus cum insignes aliquot maximique momenti errores commissos esse animadverterem, præcipuè in ponderibus & dosibus medicamentorum à me præscriptorum; prætermittere non potui, quin id ei quàmprimum per literas significarem: quo factum est, ut dicti errores Indiculo quodam comprehensi, Tractatus istius calci subjuncti fuerint. Cum tamen tandem nihilominus deprehenderem, quamplurima exemplaria jam antè distracta fuisse, quam dicta Errata excuderentur; ac etiam postea sine eodem Erratorum indiculo divendita; idque maximo meo cordolio & detrimento operis, (quippe cùm indebita medicamentorum copia aut periculosa aut inefficax sit;) Nunc demum offerente se novâ opportunitate recudendi dictum opus, quod alii cuidam meo Tractatui (cui titulus, ANATOMIA ANTIMONII) sociare ac subjungere in animo habebat Typographus; operæ pretium fore putavi non solum monere Benevolum Lectorem Erratorum istorum in priori editione commissorum: sed etiam eosdem planè emendare, totumque adeo Opus quamplurimis in locis refingere, augere ac illustrare: declarando nimirum latius & explicando, quid sit VITRIOLUM; emendando aliquot Formulas anteà paulò aliter à me conceptas; abjiciendo quasdam alias, & in earum locum surrogando sæpiusculè aliquot iis meliores, prout tempus mihi post priorem editionem experientiâ duce, quid dignum quod dicto Operi adjungeretur, suggessit. Quod ipsum homines recti judicii, animique benevoli, boni consulere dignabuntur, considerantes quòd (ut omnes viri sapientes affirmant) longus rerum usus & experientia confirmare nos confidentioresque reddere consueverunt, in iis præsertim rebus, quorum notitiam antea non usque adeò consummatam habeamus. Vale, Benevole Lector.

BREVIS

BREVIS
DEMONSTRATIO,

Quid sit VITRIOLUM, aut è quibus substantiis sit compositum, & quantopere fallantur ii, qui Vitriolum, & aquas Vitriolatas re ipsa Ferrum in Æs transmutare posse opinantur.

Vitriolum, quod & Atramentum sutorium Latinè, & Calcanthon Græcè nuncupatur, Arabicè, Calcand, & Alcalcadis: Gall. Vitriol, aut Coupperose; Italicè Vitriolo; Hispanicè Cuparosa; Germanicè Kupffervvasser, & Belgicè Koperrot; est substantia satis cognita per universum terrarum orbem: præsertim cùm reperiatur nonsolùm in Cypro Insula, Hispaniis, Hungaria, Italia, Gallia, Germania, Britannia, Leodicensi territorio, & aliis quamplurimis regionibus & provinciis: sed etiam maximo in usu sit apud Medicos & Chirurgos, qui illud Medicamentis suis accensent, apud tinctores, qui illud ad pannos nigro colore imbuendos usurpant apud bibliopolas aut scriptores, quo atramentum suum scriptorium conficiant, apud aurifices, ut ex eo aquam Fortem aut Separationis dictam conficiant: ac demum apud quamplurimos Alcumistas, qui quammaximè satagunt ut per hoc minerale opera sua jucundissimæ speciad optatum finem perducant. Vitriolorum autem variæ sunt species, variique colores, juxta differentem naturam mineræ quam in sese habent, quantumvis, quod ad acres eorum substantias aquosasque attinet, in omnibus eædem prorsus ac uniusmodi reperiantur. Præcipua verò genera Vitrioli, quorum hoc tempore maxima apud omnes est existimatio, sunt tria: Primum est cæruleum, Sapphyri instar, compactum frustulentumque ut saccharum Candi, quod vocant, nitidum splendidumque, quodque tangenti siccum apparet, nulloque madore manus humectat: Hungaricum cognominant. Secundi generis Vitriolum est subviride, herbacei coloris, magis granulatum grumosumque, instar salis communis, paulum unctuosum, manuiq; tangentis adhærens, atque optimum hujus generis Vitriolum, ex Brunsvvicensi territorio ad nos infertur. Tertium genus Vitrioli est album, in formam parvulorum panium

effictum, planum, ſolidum, ponderoſum, & tactu ſiccum. Cum itaque Vitrioli uſum inire volueris ad curationem alicujus morbi aut affectus, ſuaſerim ut unum ex tribus prædictis ſpeciebus ſumatur, ac præſertim ſecundi generis Vitriolum, quod ſubviridis coloris eſſe prædixi, ſi id haberi queat, cavendo quàm maximè ne ejus loco ſumamus minutulum illud Vitriolum, ſubcæruleum, pallidulum & aquoſum, manusque tangentis madefaciens, quod paſſim venale proſtat, tale enim non eſt de quo loquor, aut cujus uſum iniri velim. Quod ad eſſentiam compoſitionemque quorumcumque Vitriolorum generatim attinet, Phyſicorum & Chymicorum de eis diverſæ ſunt opiniones atque ſententiæ. Quidam enim eorum aſſerunt Vitriolum eſſe materiam præcipuè compoſitam ex Alumine & Sulphure, quidam exiſtimant eſſe peculiare quodpiam ſal, propriè ſalium generi accenſendum; quin & ipſe Paracelſus, lib. 1. De Rebus Naturalibus cap. 8. hujus ſententiæ ſe Authorem eſſe declarat, dum ita infit: Natura producit ſalem quendam, qui Vitriolum appellatur, &c. Cujus opinioni ego adhæſiſſe me profiteor aliquamdiu, tamdiu, inquam, donec rem ipſam contrario prorſus modo ſeſe habere, animadverti. Quod ad primos attinet, ſi autumant Vitriolum materialiter ac reapſe compoſitum eſſe ex Sulphure & Alumine, opinionis ſuæ valde falluntur, præſertim cum Vitriolum, dum uritur calcinaturve nullum de ſe indicium ſignumque det, quo ad alterutrum dictorum referri poſſit: hoc enim pro exploratiſſimo habemus, corpora omnia quibus ſulphuris materialis portio aliqua ineſt, ne leviſſimum quidem ignis attactum, (ut ita dicam) pati poſſe, quin quam ocyſſimè deprehendamus ſeparari dictam ſubſtantiam ſulphuream à reliquis, ac in fuliginem abire, aut incendi, flammamque de ſe dare, ſicut Sulphur conſuevit; quod numquam adeò occultare poteſt proprietates ſuas, quin ſtatim detegantur & in lucem protrahantur. Id quod in Antimonio, Auripigmento, Marcaſitis, & quamplurimis aliis ſimilibus corporibus manifeſtiſſimè apparet, quæ corpora cum ſulphureitatis alicujus participia ſint, quãtumvis fixiora, id eſt compactiora ſolidioraq; ſint quàm eſt Vitriolũ, confeſtim tamen & quamprimũ ac ignis examini committantur, naturam ſuã prodere compelluntur, quod in Vitriolo neutiquam fieri ſolet. Adhæc! Alumen & Sulphur partim ob aquoſitatem unius, partim ob unctuoſitatem alterius, usque adeò inimica inter ſeſe ſunt corpora, ut non diutius permiſta ac juncta permanere queant, quàm Aqua & Oleum ſimul unita ſubſiſtunt. Ob has igitur, aliasque nonnullas rationes, quas in medium proferre poſſem, manifeſtum clarumque ſatis eſt, Vitriolum nullo modo compoſitum eſſe materialiter ac reipſa ex duabus prædictis ſubſtantiis, Alumine inquam & Sulphure. Sed ſi iſta eorum mens eſt, ut innuere velint, Vitriolum compoſitum eſſe ex eadem ſubſtantia aut ſpiritu acri, ex quo ſulphur, ex eadem aquoſitate, ex qua Alumen ſubſiſtit, hoc intellectu neutiquam à vero aberrare cenſendi ſunt. Verum enim eſt ac certiſſimũ, omnia corpora acida mineralia ſubterranea, acrimoniam ſuam obtinere à ſul-

à sulphure, quod est unica basis (ut ita loquar) & origo absoluta, sine ulla aliunde veniente, occasione, omnium aciditatum mineralium: ac proinde omnia corpora quæ consistentiam Vitrioli aut Aluminis habent, aquosa (& in igne solubilia liquabiliave) humiditatem splendoremque suum ab una eademque communi Aqua conquisivisse, tam unum quàm alterum: sed quod ea aliquo modo discrepare, & à sese invicem differre facit, seu forma seu gustu, seu alio quocunque modo, id, inquam, aliquid tertium est, ut paulò infrà clariùs patebit. Vitriolum prætereà non est Sal aliquis, nec generi salium annumerandum venit. Omnia enim corpora quæ salium nomine censetur, non solummodo differunt odore, colore, gustu, & aliis proprietatibus, à Vitriolo: sed & corpora simplicia ac incomposita habenda sunt, si cum Vitriolo comparentur, quæ ipsa producta generataque sunt singula ex proprio suo peculiarique Ente, quod mirabiliter creatum, destinatum & ordinatum fuit in istum finem à nostro Creatore, à principio mundi, haud secus ac alia omnia semina & Entia reliquarum quarumcunque Rerum. E converso, Vitriolum (quantumvis procedat à providentia Summi & Æterni Creatoris, ad humani generis bonum) non est corpus aliquod procedens à particulari aliquo Ente, ad ejus productionem destinato, sed est corpus quoddam accidentaliter constructum, ex concursu coincidentiaq; diversarum rerum, simul & eodem tempore ac loco. Usque adeò ut sine errore gravi Vitriolum numero salium inseri neutiquam possit, quæ salia ejus sunt naturæ, ut colorem, odorem, gustum, aliasque suas proprietates conservent, pertinaciterque retineant usque ad tentamentum magni vehementisque ignis, sine ulla mutatione: nam id pauculum eorum quod in vasis distillatoriis remansit, post longas violentissimasque distillationes ac id ipsum quod in flores sublimatum est, sursumque raptum, eandem semper albedinem, fragrantiam, ac denique gustum salis constantissimè custodit, quod in Vitriolo neutiquam percipitur. Hoc enim facillimè mutatur, varios colores asciscit, separatur, & in diversas & à sese invicem valde differentes substantias abit. Vitriolum igitur non est materialiter cōpositum ex Sulphure & Alumine, nec etiam ex substantiis similibus sali, sed est corpus compositum in imis terræ visceribus, ex spiritu sulphureo, aqua & minera Æris, Ferri, aut utriusque insimul permixti. A spiritu sulphuris acrimoniam suam acquisivit, & facultatem causticam, ab Aqua, claritatem, & fluiditatem: & à Minera (sive Æris, sive Ferri, sive utriusque) colorem & gustum metallicum. Veritatem me proferre, duobus hisce irrefragabilibus exemplis pervincam: primum est, quando Vitriolum dememrbratur & anatomizatur (ut ita dicam) vi ignis, separatur in tres hasce præcipuas substantias, Aquam videlicet, Spiritum sulphuris, & Mineram: secundum est, quòd per medium conjunctionemq; triū prædictarum rerum artificiali quodam modo Vitriolum facere possimus, quod eandem formam, colorem, claritatem, splendorem vitreum, pondus, odorem,

gustum,

gustum, aliasque proprietates obtinebit: & in examine ignis eosdem prorsus colores de se promet, eosdemque prorsus effectus dabit: quos in naturali Vitriolo, recens è minera desumpto quotidie deprehendimus, cujus rei omnes docti expertiq; Chymici testimonium perhibere possunt: & adhæc modus quem inferius docebimus, ejus artificialiter conficiendi, clarissimè demonstrabit, ut ii qui hujus rei ignari sunt, certiores doctioresque reddi queant Quocirca nullum, prorsus dubium est, quin Vitriolum eo planè modo compositum sit, quem suprà memoravimus. Si verò (considerando rationem modumque quo Vitriolum artificialiter fieri solet) ratiocinari, indagareque velimus, quo pacto Natura (destituta manibus operaque hominum, & igne materiali) easdem operationes ad effectum perducere possit, hoc modo super hac re argumentando procedemus. Primò, præsupponere, pro certoque assumere debemus, in visceribus terræ ignem quendam latere naturalem, qualitate & facultate prorsus talem qualis est ignis elementaris in alio quovis loco supra terram. Itaque plane eo modo quo ignis qui urere debet & vires suas ostendere, subjecto aliquo opus habet, quale est lampas, oleum, & sub camino lignum aut carbo (quorum omnium copiam satis largam nobis ubivis terrarum fecit Deus Opt. Max.) ita etiam, eodemque prorsus, modo in vasis & matricibus seu receptaculis terræ, in quibus mineralia generari, coqui, & produci debent ac solent, unumquodque juxta speciem suam, idem ille Deus mirabiliter prorsus suppeditavit, igni isti concluso subjectum quodpiam, quod proprium ceu oleum, ad incendendum flammamque eliciendam ipsi existat, quod ipsum nos sulphur esse judicare pronunciareque audemus. Hæc duo itaque cooperando simul in propriis suis vasis, non solummodo usum habent requiruntur q; ad conjunctionem mineralium: sed & eodem tempore duobus aliis usibus inserviunt, primus est, quòd quamplurimos fontes scaturiginesve aquarum aut balnea calida producant, qualia diversis terrarum locis videre licet, secundus quòd præparant menstruum quoddam aut Solvens (ut appellatur) idoneum ad producendum Vitriolum. Scire enim debemus, sulphur, postquam ab igne naturali, in dictis terræ concavitatibus incenditur, emittere è corpore suo spiritum vaporemque quemdam admodum acrem, & corrosivum, qui cadens in aquam circumcirca inventam (nam in omni profundo terræque concavo loco plerumque Aqua reperiri solet) illam pariter acidam corrosivamque reddit (haud aliter quam videre datur, quando volentes imitari naturam, sulphur accendimus, vaporemque ejus vase aliquo aqua pleno per temporis aliquod spatium recipimus) quæ postea Menstruum evadit, ad dictam operationem requisitum. Hoc Menstruum aut Solvens (quocunque demum nomine id appellare libeat) vim habet talem, quæ possit dissolvere Æs aut Ferrum (eo modo quo Aqua Fortis Argentum separat & solvit) ut experientia ipsa quotidie nobis in Spiritu Sulphuris manifestè declarat: Cum itaq; Menstruum istud, locum aliquem, cui mine-

minera Æris aut Ferri ſubeſt tranſeundo pervadit, tunc nobis pro certo perſuadere debemus, eodem etiam tempore diſſolvere aliquam ejus (Æris, aut Ferri,) portionem, tantam nempe, quantam ſecundum proportionem acidi ſpiritus, qui in ipſo eſt, diſſolvere aptum aut potens eſt. Quo facto, videbis paulo poſt liquorem inde aliquem proveniſſe viridem aut ſubluteum, odoris metallici & ſulphurei, acris ſeu acidi potius & aſtringentis ſaporis: ex quo liquore ſeparamus congelamusque Vitriolum illud, quod eſt corpus hoc eſſentiale, de quo præſentem ſermonem inſtituimus. Sed ſi quis forte verbis meis fidem adhibere non velit, ſine ulteriori inquiſitione, is legat hiſtoriam illam quam Galenus (libro 9. de ſimpl. medicament.) de Chalcantho recitat: ac inſuper illam quam refert Matthiolus, (in Commentar. ſuis in Dioſcoridem libro quinto, cap. 74.) de Vitriolo agens: & duobus hiſce exemplis adigetur incitabiturque ad intelligendum credendumque de hoc ſubjecto, quodcunque à nobis hactenus memoratum fuit. Atque hæc ſunt quæ dicenda habui de ſubſtantiis ex quibus compoſitum eſt Vitriolum, & quomodo Natura eas ſimul conjunxerit adunaveritque.

Interea tamen neutiquam committere poſſum, quin reſpondeam quatuor dubiis ſeu interrogationibus, quas aliquis hoſce meos ſermones legens, proponere poſſet.

1. Primum dubium eſt: Si Spiritus Sulphuris eſt præcipua principaliſque ac maximè activa ſubſtantia, tam Aluminis quam Vitrioli, unde quæſo procedit, quod iſta duo, in forma & calore usque adeò inter ſeſe diſcrepantia ſunt & diverſa?

2. Secundum dubium eſt: Si vapor prodiens è Sulphure eſt cauſa omnium aquarum acidularum mineralium: unde procedit, dictas aquas differentes eſſe inter ſe qua guſtu qua odore?

3. Tertium: Si à combuſtione Sulphuris in viſceribus terræ (ut dicimus,) proveniunt Balnea, aut Fontes & ſcaturigines calentes: quænam eſt cauſa, propter quam fit, ut maxima earum aquarum pars nihil participet ex acrimonia Sulphuris, poſteaquam vapor Sulphuris quaſcunque alias aquas apprime acidas reddit?

4. Quartum: Si aqua eſt corpus ſeu ſubjectum in quo perficitur mixtio reliquarum ſubſtantiarum, quare tandem evenit, quod omnia Vitriolorum genera non reperiantur ſemper in aquis, aut in forma liquida, ut ſuprà dictum eſt: ſed quod reperiantur in minera, & materia ſolida, quam diſſolvere debent opifices, antequam Vitriolum ſeparari poſſit?

Reſpondeo. 1. Quod ad primum dubium attinet: Quantumvis dictum à nobis eſt, Alumen & Vitriolum acrimoniam ſuam obtinere, nec non corpus fluidum, à dicto Spiritu Sulphuris, & ab una eademque aqua, tam hoc quam illud: non tamen inde eadem opera aſſeruimus, ſoliditatem ipſorum amborum ab una eademque materia provenire. Sciendum itaque nobis eſt, differentiam iſtam procedere à tertia quapiam re, quæ nihil aliud eſt quam minera, quæ illis corpus & ſoli-

ditatem impertit. Itaque sicut Vitriolum habet peculiarem suam mineram, sive Æris, sive Ferri, quæ ipsi soliditatem dat, ita etiam vicissim Alumen habet propriam suam mineram seu fodinam quæ nihil aliud est quàm lapis seu petra rupium, unde & nomen suum Alumen de Rocha, id est, Rupe, acquisivit. Atque hæc est causa, quare veluti Æs & Ferrum differunt à Lapidibus colore, odore, gustu & proprietatibus: eodem etiam modo discriminata inter sese sint Vitriolum & Alumen, ut quotidie videmus. Quod ipsum tamen non evenit ob aliquod discrimen quod est inter illorum acidos Spiritus, aut aquositates, sed originem suam habet à differentia & varietate corporum mineralium, quæ singulis ipsorum soliditatem & colorem impertiunt, ut demonstratum est. Et qui hoc fundamentum perceperit, animoque impresserit (habens insuper & cognitionem corporum metallicorum, Marcasitarum, Lapidum, & aliorum similium mineralium corporum) poterit quinetiam judicare non solum unde veniat tam varia rerum compositio: sed etiam quid revera sit Chalcitis, Misy, & Sory: de quibus Galenus, tam 4. quam 9. libro de Simplic. Medicament. cum majori admiratione locutus est, quam de aliis mineralibus fecerat. 2. Quod ad differentiam attinet, quapropter nimirum una aqua acidula aut mineralis, in gustu, odore, & viribus ab altera aliquo modo differre videatur: illud ipsum non debemus attribuere diversitati Sulphuris aut Aquæ: nam Sulphur semper est & manet Sulphur, & Aqua semper Aqua: quando simplicem eorum substantiam contemplamur, sine aliarum rerum permixtione. Atque hinc fit, quare, ut quo modo quotidie experimur, quod projiciendo particulam (minutissimam licet,) Æris, Ferri, Orichalci, Plumbi, Antimonii, Marcasitæ, Lapidis Hæmatitidis, Gagatis, Boli, Ochræ, Terræ sigillatæ, aut aliarum similium, in sufficientem copiam quantitatemve puri Spiritus Sulphuris, hoc ipsum ei odoris aliquid & simplicis acrimoniæ adimere, aut immutare potest: similiter etiam & eodem prorsus pacto in aquæ acida accidat: nam cum ipsa, meando per varios canales & terrarum diversa genera, in illo transitu varia mineralia aut pervadat aut aliquo modo tangat, aliasque quamplurimas res, quæ ipsam alterare maturareve possunt: consequenter etiam hinc provenire potest, quod tantam diversitatem saporum quotidie in aquis acidulis deprehendamus: quantumvis reapse basis ipsarum & præcipuum fundamentum sit Spiritus Sulphuris, ut diximus. Quod tamen intelligendum est de aquis quæ propriè acidæ existunt; nam reperiuntur & aliæ quædam aquæ, quæ salsæ sunt, aut nitrosæ: quæ ipsæ insuper & differentes inter sese sapores habent, secundum diversitates rerum quibus permistæ sunt, de quibus hoc loco minutatim agere, non est hujus instituti. 3. Quod Sulphur sit unicum subjectum sub terra, quod accensum ubi fuerit, calfacit concava minerarum seu fodinarum, & omnes aquas Balneorum calidorum in quocunque tandem angulo terrarum eæ reperiantur: nullus equidem Physicus seu Naturalium rerum indagator, aut Spagyricus recti judicii, in-

inficias ibit, aut aliter credet imaginabiturve: præsertim cum pro certo habeamus, nullam reperiri aliam combustibilem materiam, sub terra, quæ magis idonea sit ad conservandum durabilem ac quodammodo perpetuum quemdam calorem, efficiendumque aquas quascunque calidas & medicinales, quam hæc substantia Sulphuris, de qua nunc agimus: Cujus quinetiam rei evidentia exempla videmus (ut plerią; authores testantur,) in sulphuratis istis montibus, qui jam aliquot centenos annos emiserunt & emittunt continuè ac sine intermissione flammas & vapores: in quorum montium circuitu non reperiuntur solum Balnea & Limositates calidæ, sed & cavitates ac specus, usque adeò ut propter immensum calorem qui inibi assiduè est & manet, nemo in iis locis diu morari valeat. Id quod nobis exemplo esse debet ad hoc propositum nostrum astruendum: Quod nimirum, cum reperiantur Balnea calida quæ acrimonia sulphurea prorsus carent, usqueadeò ut ipsorum aqua sit propemodum dulcis: inde facilè colligere & judicare possimus, hoc provenire ex eo quod scaturigo ejuscemodi aquarum sita sit prope aut circa ignem sulphureum: eo tamen loco, ubi caloris vim percipere quidem possit, nec tamen à magno incursu acrium ab eo procedentium vaporum feriatur, qui vapores in alio fortassis latere montis aut loci prædicti spiracula sua habere, exhalareque possunt: aut quia dicta aqua est in tanta copia eo loci coacervata, ut omnem aciditatem diluat: aut etiam quod proportio vaporum sulphureorum. qui sese dilatant & dispergunt per illam aquam, non sufficiat ad reddendam dictam aquam planè acidam: aut tandem quod propter rapidum aquarum cursum, non possint dictæ aquæ tantum acoris acquirere, quantum assumerent, si ipsis diutius in dictis locis quiescere liceret. Non enim statim consequitur, simulatque vapor sulphureus aquam attigerit, eam inde confestim acidam reddi: sed hoc fit spatio & longitudine temporis, & intelligitur propriè de aqua non torrente, sed quieta, aut quæ lento motu rapitur, & cui non magna mixtio alterius dulcis aquæ accedit aut concurrit. Adhæc etiam evenire potest, aquam quandam calidam (quantumvis in prima scaturigine acida fuerit,) amittere aciditatis suæ magnam aut aliquam saltem portionem, relinquendo sulphureos suos Spiritus affixos lateribus torrentis aut terræ mineralis per quam fluit, antequam ad locum perveniat in quo coacervari, colligi, & in usum converti possit. Ita ut hinc concludere nobis liceat, omnes aquas calidas minerales, cujuscunque tandem saporis eæ sint, recipere calorem suum ab igne subterraneō Sulphuris, sive is flammam edat, sive calefaciat modo fermentationis, (ut exempli gratia calorem istum in fimum equinum operari videmus,) per conjunctionem alicujus alterius rei, quæ substantiam ipsius igneam movere apta est, aut alio quocunque modo: nam hoc nostris oculis quidem est incompertum, eodem prorsus pacto, quo nobis occultum est, qualiter tandem, aut quo modo ignis animalis

robur suum exerceat, operationesque suas edat in corpore omnium animantium, tam in digerendo coquendoque cibos, quam in separando purissimas alimentorum substantias, & in bonum nutrimentum ac sanguinem aliosque diversos humores convertendo. 4. Quartum dubium quod attinet: Quantumvis materia Vitrioli non extrahatur semper ex corpore aliquo liquido, aut lixivio præparato sub terra, ut diximus, sed etiam reperiatur in ipsa terra aut massa solida, in modum mineræ aut fodinæ: Hoc ipsum tamen nullo modo impedit, quo minus necessarium fit & maneat, Vitriolum tam unum quam alterum produci per adhærentiam (ut ita loquar,) Spirituum Sulphureorum ad quodpiam minerale corpus. Nam sive dicti Spiritus ferantur ducanturve per medium aquæ cujusdam in aliquam fodinam seu mineram, & ex hoc proveniat lacus seu scaturigo quædam Vitriolata: sive ex corpore suo egredientes dicti Spiritus penetrent intrentque forma vaporis in quandam mineram, & per nullam quidem aquæ copiam aut decursum eo deferantur, sed solummodo ab aere humido qui circumcirca ista loca obsidere solet, massam quandam Vitriolatam solidam producant, sive denique alio quocunque modo: Illud semper assiduoque cogitandum observandumque nobis est, pro axiomate indubitato: Omnia Vitriolorum genera ex tribus istis rebus componi, Spiritu (inquam) Sulphuris, Ære, aut Ferro, & Aqua: Cavendo quinetiam ne falsæ huic opinioni assentiamur illorum qui credunt Vitriolum reperiri, cui Argenti aut Auri portio aliqua insit. Nam primo, Spiritus Sulphuris non est satis efficax ad dissolvendum Argentum, sine interventu Spiritus Nitri, quæ duo aquam quandam Fortem constituunt, aptam separando dissolvendoque Argento: qualem liquorem nunquam legimus in ulla Historia, quæ vero consona sit, sub terra repertum fuisse: nam si talis aqua in fodinis reperiretur, proculdubio penetrando dilatandoque Argenti fodinas, eas plane corrumperet: usque adeò ut Argentum à massa sua separatum, aut vix reperiretur, aut humano generi nulli usui foret: id quod hac de causa Creator omnium rerum Deus neutiquam permittere voluit. Secundo: adhuc multo minus potest Spiritus Sulphuris dissolvere Aurum, (utpote cui planè inimicus existat, ipsum potius indurare, & fractu facile reddere, quam in liquorem convertere valens,) nisi intercedat Spiritus Nitri suprà nominatus, & sal Armoniacum inter sese permixta: ex quibus aquam quandam distillando conficimus, quam Regalem cognominant, ea de causa quia dissolvit Aurum in liquorem quendam, qui est Rex metallorum omnium: quæ ipsa tamen aqua fieri potest (estque multo melior,) ex duobus postremis, Nitro, inquam, & Sale Armoniaco, sine admixtione ulla Spiritus Sulphurei (qui in Vitriolo reperitur, quo utimur ad conficiendam Aquam Fortem:) qui ipse, inquam, Spiritus Sulphuris neutiquam necessarius est ad dissolutionem Auri. Quum itaque ejuscemodi Spiritus actu & reipsa sub terra non reperiantur, qui Aurum & Argentum dissolvere queant, eodem modo quo Spiritus Sulphuris Ferrum & Æs dissolvunt: stultitia mera & magna foret, credere Vitriolum quoddam

dam

dam ex Auro, aut Ferro proveniens reperiri posse: quantumvis ejusce modi Vitriolum præparari artificialiter possit per propria ipsorum solventia ad talem usum facta.

PRÆPARATIO

VITRIOLI ARTIFICIALIS,

secundum descriptionem

OSWALDI CROLLII, in Basilica Chymica.

Modus faciendi Vitriolum è Venere & Marte, sine corrosivo.

Totum artificium est, ut Metallum bene per Sulphur calcinetur.

℞. Laminati Ferri, vel Veneris, id est, Cupri (una enim est utriusque via,) quantum vis. Scinde in frusta magnitudinis semidaleri. Fac stratum super stratum, cum Sulphure pulverizato in tigillo luteo: pone in igne Rotæ: Ignis ab initio tigillam non attingat, sed paullatim admovendo augendus est: quem ultimò fortificabis. Ita accenso Sulphure calcinantur prædictæ laminæ, quod intra horam absolvitur. Ubi omnia refrixerunt, exime nigrocineritiam materiam instar Æris usti, & totam cribra, eamque in olla non vitreata aperta positam per transversum, (ut in præparatione Vitri Antimonii fit,) move diligenter, supra ignem carbonum ne liquescat, & Vitriolum in Cupro evanescat: sic Sulphur incenditur vel evaporat: move cum ferreo vel cupreo instrumento, prout Vitriolum facere intendis, de latere ad latus. Ubi ferro vult adhærere, tunc satis est: & ab igne auferatur. Pulverizatam hanc Veneris calcem pondera: & ad quamque libram accipe Sulphuris tres lotones: misce, & in olla pone ad latus: move suprà lentum ignem per quadrantem horæ: ultimò olla quasi candescat: Cuprum mollescit instar pastæ, & ferro adhæret: Frigescat, ac tritum cribretur. Adde denuò ad libram unam tres lotones Sulphuris: calcina, ut anteà, per quadrantem horæ. Hoc quinquies, sexies, vel septies repetitur: tunc calcinatio est absoluta. Nota diligenter, ut Calx semper benè siccetur, & ad libram j saltem uncia cum dimidiâ Sulphuris præcisè sumatur. Calcem metalli tritam minutissimè accipe, & effunde in patinâ ligneâ aquam calidissimam: solvetur. Calx & aqua è Venere erit cœrulea: cola, colatam evapora suprà ignem incoquendo mediocriter quasi crustam acquirat: reliquum è frigido concrescat. Sic habebis è Cupro pulcherrimum Vitriolum cœruleum, è Ferro viride. Feces in aquæ fundo remanentes sicca, & non solutas iterum cum Sulphure calcina, ut priùs fecisti, servato pondere priori. Postea Lixivium fac: quod filtratum evaporabis. Hoc repete, donec tota Calx in Lixivium abeat: Inde in terreo vase Gorlicensi aut Wallenburgensi, vel cucurbitâ magnâ vitreâ, (cave ne rumpatur) fac evaporet, donec crustam nanciscatur: pone in loco frigido: tunc in

 fundo

fundo Veneris Vitriolum in strias desidet, sapore subdulci. Aufer aquam, & sicca cryſtallos concretos. Aquam remanentem iterum incoque parum: & in frigidum locum si collocetur, denuò concrescent lapilli: reiterando, donec totum in Vitriolum abeat. Possunt etiam bacilli imponi, ut Vitriolum eo melius adhærere possit. Sulphur illorum fundum petens, seorsim servetur ad suos usus. Ex his duobus Vitriolis Ferri & Cupri Spiritus & Oleum præparari chymicè possunt vulgari ac cognito modo, longè majoris efficaciæ & virtutis quàm è Vitriolo communi. Hoc pacto habetur Fons acidus artificialis. Acetum Esurinum est in hoc Sulphure Vitriolato sine corrosivo præparato perfectum Arcanum in corroborando languente ventriculo, &c. Hactenus Crollius.

Potest & fieri Vitriolum artificiale, sumendo sufficientem copiam Aquæ communis, (cui olei Sulphuris tantum additum fuerit, ut planè acida reddita sit,) & dissolvendo in ea limaturam Ferri aut Æris: hinc lixivium clarum inclinando ad latus, exhalando, & procedendo ut dictum est. Præterea poterimus limaturam dictorum Metallorum indere cuidam vasi vitreo, aut terreo Coloniensi bene vitrato: incendereque sufficientem quantitatem Sulphuris, usque adeò ut ejus fumus præcipitetur in dictum vas supra Metallum, donec videamus illud planè viridescere, aut cærulescere, & humidum redditum instar pastæ: atque hinc Vitriolum inde eximere per aquam, modo quem prædiximus. Plurimis prætereà aliis modis idem Vitriolum artificiosè parari potest: sed cum modus procedendi quem Crollius dedit, expeditissimus sit & optimus omnium aliorum, ob hanc causam eum hoc loco citare maluimus, quàm minùs comodos aut faciles tanquam meliores prædicare aut commendare. Intereà tamen considerare aliquantisper debemus finem & titulum hujusce processus: ex quo apparet dictum Crollium intelligere velle, Vitriolum istud fieri sine corrosivo: quod reapse tamen longè alio sensu capiendum est. Nam, quantumvis Æs, Ferrum, & Sulphur, singula seorsim, & integra si considerentur, nullum in sese corrosivum habere videantur: nihilominus tamen, si oculos mentemque ad internum Spiritum Sulphuris convertamus, (qui calcinationis vi activus & efficax redditur,) comperiemus quòd is demum ille est qui calcinat metallum, qui ejus pondus adauget, qui ejus colorem immutat, qui illi fluiditatem impertiens, illud in fluidam aqueamque substantiam seu aquam convertit, breviter, qui operis hujus caput est, & tanquam anima Vitrioli: quod cùm ità sit, certo certius est, nos neutiquam pronunciare posse, Vitriolum absque corrosivo factum esse: præsertim cùm manifestum satis sit, Spiritum Sulphuris semper corrosivum existere: adhæc, oleum quod ex hoc Vitriolo artificioso seu factitio distillatum fuit, adeò corrosivum & vehemens esse, quàm ullum aliud, ut Autor ipse, ubi de dosi hujus olei agit, hisce verbis affirmat: Dantur in Aqua Acetosæ vel specifica alia potandæ tot guttæ, quot dentes stupidos non reddant, manifestam tamen gustui aciditatem concilient: per se nullus sit ejus usus, sed cum vehiculo: & parcus. Dicendum igitur nobis est, Crollium cùm satis exploratam habe-

haberet corrosivitatem (ut ità loquar,) hujus Vitrioli factitii, sciretque absque corrosivo præparari non posse; intelligere voluisse, non sine corrosivo, sed sine ope corrosivi vulgaris, qualis est Aqua Fortis vulgo dicta, Aqua Mercurialis, & alii liquores corrosivi nocui (cum quibus Alchymistæ Vitriolum præparere consueverunt,) Vitriolum hoc fieri posse, ope nempe Spiritus sulphurei, qui (si cum prædictis perniciosis aquis conferatur,) corrosivus dici vix debet : cum tam Sulphur integrum, quàm ejus Spiritus in corpus humanum assumi sine noxa (cum judicio tamen usurpatus,) & possit & consueverit : id quod cum aliis corrosivis aquis tentare non auderemus. Atque ita debet intelligi Crolili sensus, in dicto titulo. Jam verò inferre aliquis posset, si Spiritus & Oleum Vitrioli artificialis seu factitii, tantam aciditatem & corrodendi vim habent, quantam in Oleo & Spiritu è naturali Vitriolo extracto percipere solemus: in quem usum aut finem tantum laborem & molestiam subimus in præparando Vitriolum artificiale : postcaquam naturalis Vitrioli tantam copiam multo viliori pretio habere quimus? Huic quæstioni ita respondebimus : Notitia hujus rei, ejusque præparandæ scientia nobis ad hoc est utilis, ut hujus exemplo discamus, & quodammodo oculis nostris conspiciamus, ex quibus substantiis compositum sit Vitriolum naturale : quo percepto, tanto facilius indagare poterimus unde proveniat ejus forma, color, gustus, facultas & operatio: quæ alioqui sine hoc artificio percipere vix potuissemus. Ad hoc præterea scientia hæc nobis utilis est, quod nimirum quando Vitriolum operationi nostræ submittimus, quod præparatum à nobis est ex sincero puroq; Ære aut Ferro, ex pura Aqua puroque Sulphure : tunc nihil erit quod ullo modo suspicemur de impuritate a permixtione rei alicujus pravæ aut nocivæ quæ in Vitriolo naturali aliquando reperiri posset, exempto quippe ex fodina ac loco aliquo cui Auripigmentum aut concursus Spirituum Arsenicalium & malignorum subest, qui ipsi infectionem ac malignam aliquam impertire possent qualitatem, ut interdum evenire compertum est. Nam alioqui Oleum, quod extractum fuerit ex bono & puro Vitriolo naturali & id quod ex artificiali confectum est, n quantū videlicet dijudicari potest ex ipsorum colore, odore, pondere, sapore, facultatibus & proprietatibus in universum, à sese invicem discerni non quirent: imò ne ab Oleo quidem Sulphuris distingui possent. Et revera nihil hæc quam una eademque substantia sunt : excepto solummodo hoc, quod nimirum, si ullam particularem vim habeant differentem ab Oleo Sulphuris, oportet ut eam acquisiverint & retinuerint à Metallo quopiam cui adhæsit aut vicinum fuit in naturali suo loco istud Vitriolum : id quod experientia ipsa nos docere debet : nam Physicis rationibus id indagari aut percipi à nobis nequiret. Quantumvis enim Spiritus Sulphuris (quamdiu subsistit in compositione Vitrioli) gustum quendam metallicum in sese retineat, & differentem à simplici Spiritu sulphureo : intereà tamen quum distillationis vi separatus fuerit & abstractus à metallo cui adhæsit, gustum & puram suam acrimoniam de novo reassumit, talem prorsus

quam

qualem simplex Spiritus Vitrioli habere debebat. Atque hæc sufficient quantum ad definitionem Vitrioli. Nunc itaque ad reliqua pergendo, progrediemur ad examinandum, num Vitriolum ipsum vim aliquam habeat transmutandi Ferrum in Æs nec ne?

Magnus est numerus Alchymistarum, ex eo ordine hominum, quos quia ad conquirendum Aureum vellus plenis cupiditatis suæ velis rapiuntur, verè Argonautas vocare possemus, (de Lapidis Philosophalis quæsitoribus loquor,) qui pro irrefragabili exploratissimaque Regula seu Maxima tenent, Vitriolum vim habere transmutandi Ferrum in Æs. Ad cujus opinionis tutelam (præter authoritatem Paracelsi & aliorum Rabinorum Chymicorum, ut ita eos appellem,) hoc præcipuo & principali argumento utuntur, & isti præsertim exemplo innituntur, historiæ nimirum seu relationi quorundam, qui asserunt fontes Vitriolatos in Hungaria, Suecia, aliisque locis reperiri, in quibus intingendo Ferrum, ibidemque per spatium aliquot mensium relinquendo, colorem suum amittit, & assumit crustam quandam crassiusculam: ex qua postea fusa satis magnam boni & puri Æris copiam colligunt dictorum fontium Patroni, ex quo (detractis sumptibus ad fusionem separationemque necessariis,) reditus censusque non condemnendos quotannis reportant. Hoc exemplum, inquam, usque adeò est efficax, & ita apud dictos Alchymistas invaluit, ac pro indubitato receptum est, ut quando agitur de astruendâ veritate, approbandisque proprietatibus incogniti etiam ipsis Lapidis Philosophici, per medium naturalis cujuspiam exempli, statim ad hoc prædictum recurrant, existimantes sese per hoc argumentum, cum summo suo honore, imò quam evidentissimè conceptam suam opinionem defendere, inviolatamque tueri posse. Nam (inquiunt,) posteaquam res manifestissima est, & toto terrarum orbe decantatissima, Ferrum posse mutari naturaliter in Æs purum & bonum: quare non credemus fieri posse, ut naturale quodpiam corpus in mundo extet, quod vim habeat transformandi metalla impura in purum Aurum aut Argentum? Certè si boni isti viri nullum aliud norint fundamentum cui innitantur, nullamque certiorem spem habeant, quâ freti, bene de eventu suo ominari, & de inventione Lapidis sui Philosophici augurari queant, næ illud ipsis certò affirmare poterimus, inniti eos scipioni fracto: nam existimantes Ferrum transmutari in Æs, in dictis fontibus, opinionis suæ mirum ac miserum in modum decipiuntur: Ferrum enim semper manet Ferrum & abit in scorias excrementaque petrosa dum funditur, quale naturaliter existit: & in hac operatione nullus alius Ferri est usus, quàm ut attrahat ad se dictum Æs, quod est in istis scaturiginibus aquosis, & reducat id tanquam in formam Tartari, quando inde exemptum fuerit, ut postea separari à sese invicem per fusionem commodè possit, ita tamen ut Ferrum ipsum nullo modo transmutetur, aut pondus Æris augeat. In hoc enim consistit rei hujus cardo, quòd reductionem metalli ad debitam suam consistentiam ac veram puramque formam quam habere debet, pro transmutatione interpretan-

pretantur, in quibus duobus verbis aut terminationibus (ut loquuntur) tanta est diversitas, quanta inter diem & noctem. Verum enim vero, ut rem hanc in longum deducamus & explicemus, quo tyrones ac novitii artis Chymicæ amatores manuduci instruiq; possint, ii præsertim qui intrinsecam fundamentalemque ac veram cognitionem essentiæ, naturæ, & operationum plerarumque rerum, quantum ejus fieri potest, comparare sibi student; in hoc negotio ita progrediemur: Primò intelligenda nobis est vera ac legitima significatio duarum istarum vocum, Transmutationis, inquam, & Reductionis. Transmutatio igitur (quando nimirum propositum nobis est, transmutare metalla per viam projectionis, fusionisve seu liquefactionis, aut similem modum) debet esse integra & perfecta mutatio formæ, coloris, proprietatum & virium unius metalli in alterum: & qui id Transsubstantiationem appellaret, magis adhuc propriè loqueretur, quoniam ad perficiendam ejuscemodi mutationem exactam, necessariò opus est, aut eædem substantiæ rei alicujus alterentur & mutentur prorsus, asciscentes sibi aliam formam & perfectionem, quam antea non habuerant. Alioqui enim possumus, ignis vi, rem aliquam, quæ liquida erat, fixam, firmam seu stabilem reddere ac coagulare: & rursum rẽ aliquam quæ fixa dura & coagulata erat, liquidam facere, possumus quin etiam eadem ignis efficacia rem quampiam quæ nigra erat, albam, luteam rubram, obscurè purpuream reddere, & vice versa, & ut alias quamplurimas similes mutationes & alterationes rerum, quæ tamen perfectæ & propriæ dictæ transmutationes non sunt, quotidie per ignem facere consuevimus. Reductio autem est operatio quędam, per quam recolligimus & in unam massam coadunamus rem quampiam quæ in minutissimas particulas dispersa & dilatata erat, nec non diffusa & mixta alii cuipiam rei, tanquam amissa & perdita fuisset, & interim tamen per Reductionem in pristinũ suum statum & essentiam revocatur, & reducitur. Veluti (exempli gratia) videre est in Auro: Hoc enim dissoluto in Aqua Regali (aut Regulo) reductoq; in liquorem clarum & diaphanum usq; adeò ut nil in eo amplius metallici aut duri appareat, pręter colorem quendam flavum instar Croci, si in id frustum aliquod Argenti injiciatur, confestim Aurum exibit ex isto liquore, & adhærebit affigetque se dicto Argento, relinquetque aquam albam & claram, quo facto si quis sumptis hisce duobus ita conjunctis metallis, separet ea à sese mutuo per artem Chymicam, inveniemus aurum istud in pristinam suam formam reductum, ac prorsus tale quale anteà extiterat. Si vero loco Argenti Hydrargyrum dictæ Aquæ Regali immittatur, attrahit eodem modo Aurum ad sese, & abstractum ab isto liquore in fundo vasis Aurum omne destituit in nigri pulveris formam redactũ quod si autem hæc simul parvulæ retortæ indita, igni cõmittamus, Argentum vivum distillabitur in Recipiens vas, tali forma qualem antea habuerat, & Aurum subsidebit in fundo pulveris instar, qui pulvis crucibulo inditus & ignis vi fusus aut liquefactus, purum ac putum Aurum fit, quale

antea fuerat. Argentũ diſſolutũ in aqua forti, ſi injicitur laminula aut alia particula Æris paucularũ horarum ſpatio videbitur in fundo reſidere, adhæreſcẽs circumcirca dicto æri, inſtar ſpongiæ quæ ita juncta ſi igni iterum committantur, liquefiantq;, inveniemus argentum & æs in eâdem prorſus forma quam priùs obtinebant. Præterea æs diſſolutum in aqua forti, Spiritu Sulphuris, aut alio quopiam ſolvente, ut vocant, ſi eidem vaſi ferrum imitatur, æs omne ſeparabitur prorſus ab iſto liquore, & adhærebit ferro ut de aliis duobus metallis diximus. Atque hæc eſt differentia, quæ inter duas haſce voces transmutandi & reducendi intercedit. Si igitur ſcire aveamus utra iſtarum duarum operationum in dictis fontibus ſeu ſcaturiginibus æratis contingat, aquæ ipſarum conſiderandæ nobis ſunt, quippe quas Vitriolatas eſſe memorant. Aqua autem qua libet, reipſa imbuta imprægnataque Vitriolo, (non autem loquor de aquis ſimpliciter ſubacidulis) neceſſariò aliquid in ſeſe habet metalli, ſive æs, ſive ferrum fuerit, veluti ſupra in compoſitione Vitrioli prædictum à nobis fuit. Cum autem Metalli quippiam contineat, certiſſimum eſt Metallum illud ab eo extrahi ſepararique poſſe, juxta tria præmemorata exempla, auri quippe argenti, & æris, & ſicut paulò poſt latius declarabitur, quando ad diſſectionem Vitrioli venturi ſumus. Hinc fit ut indubitanter concludere poſſimus, aquas horum fontium plenas eſſe Vitriolo ærato, habentes videlicet æs in ſeſe, & quod idcircò ferrum, quod pictis aquis immittitur, nullum alium habeat uſum, quàm ut reducat & colligat abſtrahendo ab iis omne æs quod in iis latet, cum Ferrum hoc proprietatis habeat, ut videre eſt, quando ii qui Vitriolum Hungaricum (aut alterius cujuscunque regionis) quod ſit æratum, in aqua diſſolvunt, illi laminulas aliquot ferri indunt, tunc enim horularum aliquot intervallo ferrum iſtud attrahit ad ſeſe omne æs è dicto Vitriolo, quod poſtea à ferro ſeparari poteſt, & fuſione in formam æris reduci. Quod plus eſt, ut tantis moleſtiis & laboribus parcamus, fricetur ſolummodo cultellus aliquis, antea paululum madefactus, pauxillulo dicti Vitrioli: videbimus ſtatim, ferrum ſeu laminam iſtius cultelli attrahere ad ſeſe æs illud quod dicto Vitriolo ineſt, usque adeò ut cultellus inde ruber fiat, id eſt, æris colorem aſſumat. Hoc ipſum tamen neutiquam accidit eò quod ferrum ipſum transmutetur, ſed quod oneretur ære quod Vitriolo inerat. Aliud porrò argumentum nobis ſuppetit, quo approbemus evincamusque id quod aſſerere contendimus, quòd nimirum ſi quis madefactum ferrum affricet Vitriolo cuidam alteri cui nullum æs inſit, (dictum enim à nobis eſt, reperiri Vitriolum quod è ferro provenit:) Ferrum iſtud colorem ſuum non amittet, ſed nullo modo alteratũ reperietur, aut ſiquippiam à Vitriolo iſto ad ſe trahat, id erit pulviſculus duntaxat quidam flavus, qui nihil aliud eſt quàm ferrum, ſicut apparere poteſt quando experimenti gratia ignis tentamento exponitur. Quocirca aſſerere poſſumus vanam opinionem eſſe illorum qui credunt, Vitriolum vim habere transmutandi ferrum in æs, & hoc perinde

inde est ac si quis consequenter velit valde absurda sustinere, pertinaciterque asseverare. Æs posse transmutare ferrum in æs, nam in Vitriolo ærato nulla alia substantia metallica reperitur, quam æs ipsum quod ubi separatum ab eo fuerit. Vitriolum hoc amittit nomen suum, & nihil ejus amplius superest quàm aqua, & Spiritus acidus Sulphuris, Oleum Vitrioli nuncupatus, (ea de causa quod separatus sit à Vitriolo:) quod ipsum Oleum non magis obtinet facultatem transmutandi ferrum in æs, quàm aqua fortis convertendi plumbum in aurum, licet Paracelsus, (quasi per somnum aut imaginationem tale quid innuens libro suo de transmutatione rerum naturalium:) nobis idipsum persuadere voluit, quia nimirum Vulcanus omnibus suis experimentis quæ facere valet, nobis planè aliud ostendere poterit, id quod quilibet, qui modò dignabitur manus operi admovere, ut ejus rei periculum faciat, effectu ipso duce facile addiscet. Atque hæc sufficient ad confutandam erroneam opinionem prædictam, ferrum nimirum verti posse in æs, adminiculo Vitrioli. Quapropter quicunque hanc transmutationem videre cupit, quærere eam debebit in aliis rebus, donec eam inveniat: nam in Vitriolo nihil tale reperitur, quod ad istud negotium conducere queat, nisi sibi ipsi ob oculos quippiam ficti ponere velit, per ignorantiam veræ sectionis corporis Vitrioli ad vana rerum raptus. Non ignoro tamen, hunc meum sermonem nullo modo placiturum generatim omnibus iis qui gestant nomen Chymicorum:) idque quamplu- ribus de causis, quas hoc loco enumerare nolo, quas ipsas tamen prudens Lector paulò pòst dicere judicareq; poterit,) quod jam nuper animadvertere cœpi, ex editione Anatomiæ meæ Antimonii, quam recens evulgavi. Verùm omnis maledicentia invidorum aut ignarorum hominum nihil veritati meorum verborum detrahet aut derogabit, penes tribunal æquorum & boni judicii Chymicorum ac Naturalistarum. Usque adeò ut calumniatoribus istis honestius decentiusque multo foret planè tacere, aut si argumenta mea evertere valent, quæ tamen vivis exemplis confirmata in medium adduco, faciant id similibus armis, & vivis, ac evidentibus exemplis, rationes suas stabiliant, measque evertant, ostendentes reipsa, sine omni fuco & fallaciis, fieri posse illud quod ego pro impossibili habeo, & in rerum natura contingere posse assevero. Prodeant in medium: patefaciantque universo mundo raritatem singularis industriæ suæ, quam tantopere præ se ferunt & jactant; declarent me in ignorantiæ tenebris versari. Quod si efficiant, submittam me libens ipsorum disciplinæ, ludumque ipsorum frequentare non tergiversabor, ut addiscam alia elementa fundamentaque scientiæ in Arte Chymica, quàm discere hactenus potui aut observare. In artibus enim industriis aut inventionibus manualibus, quæ consistunt in evidentibus exemplis, & vivis demonstrationibus, qualis est Ars Chymica, non sufficit posse argumentari & ratiocinia proferre, & aerem, (ut ita dicam:) multiloquentia in vanum ferire,

asserendo album esse atrum, & atrum album, sed necesse est ostendere re ipsa, videndum & palpandum dare, comprobareque esse effectualiter rem ipsam quam astruere volumus, talem qualem eam prædicamus. Aliter enim facere, nihil aliud est quam dictam artem corrumpere & adulterare, quę ars non consistit in vanis phantasiis & imaginationibus speculationibusque verè Chimæricis, sed in vivis demonstrationibus, ut dictum est: Et non hic est campus aut agon in quo certatur flosculis eloquentiæ, sed hic solumodo locus exercitatorius, ac vera palæstra demonstrandi & ipso opere effectum reddendi quod prętendimus, præsertim cum corpora & res de quibus Chymica Ars tractare consuevit, re ipsa corpora sint, & non vana leviaque phantasmata, sed res visibiles ac manibus humanis tractabiles. Quicunque vero præsumit posse aut scire se hoc vel illud præstare in ista Arte, nec illud re ipsa ostendere, aut opere effectum dare potest: ignorat Artem, declaratque se fundamentis ejus imbutum non esse, quare decentius ipsi longe, multoque honestius foret, (ut dixi) discere quæ ignorat, quàm proponere opera, quæ non cognoscit.

DIVISIO MEDICINALIS Substantiarum *VITRIOLI.*

Ut ad rem redeamus: Quamvis suprà demonstravimus, Vitriolum constare tribus præcipuis substantiis. Aqua nimirum, Spiritu Sulphuris, & metallo, sive id ferrum sive æs fuerit, interim tamen, ut id melius & commodius operi admovere, in ususque Medicos convertere queamus, in septem partes id divisimus, modo qui sequitur.

1. Prima est, Aqua quam extrahimus per Balneum Mariæ, quæ quia levissima omnium est, aerea, & minus participans de siccitate Spiritus Sulphurei, quàm secunda, idcircò Ros Vitrioli appellatur.

2. Secunda est, Aqua extracta per Arenam, partem aliquam obtinens siccitatis dicti Spiritus Sulphurei, & alterationem ab igne paulò magis referens, quàm prima, vocatur autem hæc Aqua Vitrioli secunda.

3. Tertia substantia est quæ jam acidula facta, pars est subtilissima substantiæ sulphureæ, quæ in ipso Vitriolo reperitur, (quæ comparari queat Oleo albo & subtili quod ex Therebinthina extrahere solemus, & Spiritum Therebinthinæ nuncupare: Huic nomen damus Spiritus Vitrioli.

4. Quarta, reliquum videlicet substantiæ sulphureæ, aut Spiritus graviusculus Vitrioli, appellatur Oleum Vitrioli, qui ipse Spiritus, secundum corporis sui naturalem essentiam, magis terrestris & calidus est, quam prior, eodem prorsus modo, quo ultimum Oleum rubrum, extractum vi ignis è Therebinthina, se habet ad primum suum Spiritum, quantumvis ambo ista olea reverâ sint olea combustibilia, ex eodem corpore prodeuntia.

5. Quin-

5. Quinta, tam ratione formæ, quam modi quo extracta fuit, appellatur Vitriolum purificatum, aut juxta communem loquendi modum Sal Vitrioli, etsi realiter non sit Sal, sed propriè congeries quædam Spirituum Sulphuris concretorum.

6. Sexta appellatur Substantia ærea Vitrioli, hoc est, æs quod subsistit in subtilissimo pulvere in ipso Vitriolo, quale antea demonstratum à nobis est iterum in æs reduci posse. Aut potest etiam substantia Vitrioli ferrea vocari, utpote extracta ex Vitriolo quod è ferro processit aut compositum fuit.

7. Septima & postrema pars vocatur Terra Vitrioli, quæ restat ultima, postquam separatæ remotæque sint reliquæ omnes substantiæ Vitrioli.

Porro sicut omnes hæ septem substantiæ inter sese differunt forma, colore, gustu, pondere, &c. ita & in ipsis reperitur aliqud discrimen proprietatum & virium, quare ipsas jure merito distinguere à reliquis & separare voluerimus & debuerimus in septem istas classes, quamvis ut dictum est: Vitriolum nil aliud sit quam aqua imbuta aut impraegnata, (ut loqui cõsuevimus:) Spiritu Sulphuris, & coagulata per quoddam metallum, quæ tria cum in permixtione sua alterum alterius qualitates immutare soleant aut alterare, consequenter etiam prædictas diversitates producere potuerunt.

HÆC sunt quæ de Natura partibusque Vitrioli dicenda habui. Vires autem usumque earum toto hoc opere duobus Tractatibus luculenter satis declaravimus.

FINIS.

DE NATURA, PROPRIETATE, ET VSV SPIRITVS VITRIOLI FVNDAMENTALIS DISSERTATIO.

CAP. I.

De nomine Vitrioli.

A Vitro vitriolum, cui aliquo modo ob splendorem respondet, etymologiam ducere videtur quod veteres Romani atramentum Sutorium, Græci vero Calchantum nuncupatunt, tanquam minerale Cupri particeps, ut etiam Germani suo idiomate, hoc ipsum Kupffer-Wasser/ ad vitrioli proprietatem exprimendā vocant. Dioscor. non ignobilis Author quem in simplicium doctrina dogmatici, ac ipsemet dogmaticorum princeps Galenus, secuti sunt, nullam vitrioli differentiam facere videtur, cujus tamen tres distinctę, eæque præcipuæ species sunt.

Primæ speciei vitriolum est, quod per nodum transudationis guttatim in fodinis Cypriis congregatur, quod Petechius Pinarium, ac quidam forte significantius σταλακτικὸν appellant.

Secundæ speciei vitriolum, in diversis terrarum cavernis nascitur, peculiaribus ad id colligendā fossis extructis, in quibus facilè coagulatur, quod Græcè πηκτὸν, quasi spissum & vehementer concretum appellant.

Tertiæ speciei illud est, quod in Hispania præcipue arte excoctum reperitur, minoris pretii, quod primum valde crudum, aqua cōmuni solutum in cisternas, ad hanc rem factas funditur, atq; in iis lapillorum forma concrescit, quod quidem, ad medicinam minus conveniens ad tinctorum vero opera aptissimum est ex omnibus tamen cæruleum, durum & pellucidum, à quibusdam λογχωτὸν vocatum cęteris pręstat. Vitriolum calefaciendi ac astringendi nec non fungorum malignam qualitatem domandi, aqua solutum & gossypio exceptum atque naribus immissum, cerebrum expurgandi facultatem habet, drachmæ pondere sumptum lumbricos necat, ac siccum per se applicatū escharam exsiccat, de quo Galenus libro 9. de simp. medic. & Plin. l. 34. consulantur.

CAP. II.

Quid sit Vitriolum, & quibus partibus constet.

EX diversis quas recensui Vitrioli speciebus illud quod in majores, & angulares lapillos coire, ac ferrum perfectius colore cupri tingere solet, optimum esse judicatur, unumquodq; autem ex triplici substantia minera sc. cupri, fuligine sulphurea & aqua, compositum est, quarum duæ priores soliditatem, ultima vero splēdorem confert, atque in harum trium partium justa proportione perfectum exsistit separata vero per calcinationem aqua majorem

jorem, quam etiam fuligo sulphurea auget, acrimoniam acquirit, quæ sequentibus rationibus demonstrãtur. Primum ex vitriolo quantumvis sicco & pulverisato aquã elici posse nullus artis chymicæ Tyro ignorat, atq; illud ipsum dum ad destillationem præparatur, & calcinatur aquosa parte consumpta, tertiam respectu crudi ponderis partẽ amittit, ac nihilominus destillationi adbibitum, phlegmatis insipidi aliqualem copiam emittit.

Altera pars, fuligo sc. sulphurea, post phlegma extillatum, igne aucto, forma crassi, sicci & ponderosi fumi, in spiritum acidum, illi ex sulphure sub campana producto similem resolvitur restante in retorta materia fusca, cuprum calcinatum non tantum referente, sed etiam in illud transmutabili, quæ tertia hujus mixti mineralis pars est, nec vero vitriolum Cupri colore, ferrum solumodo tingere potest, sed etiam illud ipsum certis liquoribus solutum, & præcipitatum in pulverẽ viridem mutatur, qui demũ in cuprum igne fusorio, redigi potest ac vice versa ex tribus nuncupatis partibus vitriolũ, omnes nativi & vulgaris qualitates continens artificio Chymico, parari potest.

Quomodo vero Archæus naturæ has tres substantias unire soleat, sententiam meam in anatomia vitrioli, tertiæ editionis exposui qua illorum, qui vitriolum in numerum salium referunt, ac præcipue subtilissimi cavillatoris Petri Laurenbergii, non tantum contra meos aphorismos chymiatricos, sed etiam Dioscoridis Galeni, aliorumq; Medicorũ dogmaticorum & Philosophorum authoritatẽ, absurdissimum dogma reprehenditur, quãdoquidem Sal respectu vitrioli, corpus multo simplicius sit, ut ex enumeratis modo ejusdem partibus constitutivis per ignem separabilibus patet, quod viris doctis judicandum relinquo.

CAP. III.

Quid proprie sit spiritus vitrioli, & num qualitates Cupri contineat.

Spiritus itaque vitrioli ut ex præmissis colligi potest nihil aliud est, nisi fuligo sulphurea cum quantite aquæ, ut chymicæ artis potentia formam liquoris inducere possit, ab Archæo Naturæ cupro inducta. Chymicis n. optime notum est, sulphur, minimam partem aquositatis respectu reliquarum partium obtinere, ac illud ipsum humidum, in sublimatione ejus productum, potius ab ambiente, contractum esse, quam ab ipsius sulphuris indissolubili quodammodo substantia promanare. Talem in sulphure siccitatem, & adscititiam humiditatem, videre est, in præparatione spiritus sulphuris, cujus fuligo alba, acris & densa non nisi attracto ab aere humido, in liquorem resolvitur, ejusq; quantitas pro ambientis constitutione variat, nec instrumento clauso, sed sub campana vitrea, major tamen ejus copia in cella, locove alio humidiore vel aquæ ebullientis vapore disposito percipitur, unde manifeste patet, spiritum vitrioli acrimoniam à sulphure, consistentiam vero liquidam, ab aliena & extranea humiditate obtinere.

Occurrit autem dubium fortasse alicui, an non spiritus vitrioli aliquid de substantia cupri participet, quod facile solvitur, nullum enim liquorem Cuprum, quavis violentia ignis adactum, sed fuliginem

DE NATURA, PROPRIETATE, ET VSV SPIRITVS VITRIOLI FVNDAMENTALIS DISSERTATIO.

CAP. I.

De nomine Vitrioli.

A Vitro vitriolum, cui aliquo modo ob splendorem respondet, etymologiam ducere videtur quod veteres Romani atramentum Sutorium, Græci vero Calchantum nuncuparunt, tanquam minerale Cupri particeps, ut etiam Germani suo idiomate, hoc ipsum Kupffer-Wasser/ ad vitrioli proprietatem exprimendā vocant. Dioscor. non ignobilis Author quem in simplicium doctrina dogmatici, ac ipsemet dogmaticorum princeps Galenus, secuti sunt, nullam vitrioli differentiam facere videtur, cujus tamen tres distinctę, eæque præcipuæ species sunt.

Primæ speciei vitriolum est, quod per modum transudationis guttatim in fodinis Cypriis congregatur, quod Petechius Pinarium, ac quidam forte significantius γαλτανικὸν appellant.

Secundæ speciei vitriolum, in diversis terrarum cavernis nascitur, peculiaribus ad id colligendā fossis extructis, in quibus facilè coagulatur, quod Græcè πηκτὸν, quasi spissum & vehementer concretum appellant.

Tertiæ speciei illud est, quod in Hispania præcipue arte excoctum reperitur, minoris pretii, quod primum valde crudum, aqua comuni solutum in cisternas, ad hanc rem factas funditur, atq; in iis lapillorum forma concrescit, quod quidem, ad medicinam minus conveniens ad tinctorum vero opera aptissimum est ex omnibus tamen cæruleum, durum & pellucidum, à quibusdam λογχωτὸν vocatum cęteris pręstat. Vitriolum calefaciendi ac astringendi nec non fungorum malignam qualitatem domandi, aqua solutum & gossypio exceptum atque naribus immissum, cerebrum expurgandi facultatem habet, drachmæ pondere sumptum lumbricos necat, ac siccum per se applicatū escharam exsiccat, de quo Galenus libro 9. de simp. medic. & Plin. l. 34. consulantur.

CAP. II.

Quid sit Vitriolum, & quibus partibus constet.

Ex diversis quas recensui Vitrioli speciebus illud quod in majores, & angulares lapillos coire, ac ferrum perfectius colore cupri tingere solet, optimum esse judicatur, unumquodq; autem ex triplici substantia minera sc. cupri, fuligine sulphurea & aqua, compositum est, quarum duæ priores soliditatem, ultima vero splẽdorem confert, atque in harum trium partium justa proportione perfectum exsistit separata vero per calcinationem aqua majorem

jorem, quam etiam fuligo sulphurea auget, acrimoniam acquirit, quæ sequentibus rationibus demonstrãtur. Primum ex vitriolo quantumvis sicco & pulverisato aquã elici posse nullus artis chymicæ Tyro ignorat, atq; illud ipsum dum ad destillationem præparatur, & calcinatur aquosa parte consumpta, tertiam respectu crudi ponderis partẽ amittit, ac nihilominus destillationi adbibitum, phlegmatis insipidi aliqualem copiam emittit.

Altera pars, fuligo sc. sulphurea, post phlegma extillatum, igne aucto, forma crassi, sicci & ponderosi fumi, in spiritum acidum, illi ex sulphure sub campana producto similem resolvitur restante in retorta materia fusca, cuprum calcinatum non tantum referente, sed etiam in illud transmutabili, quæ tertia hujus mixti mineralis pars est, nec vero vitriolum Cupri colore, ferrum solumodo tingere potest, sed etiam illud ipsum certis liquoribus solutum, & præcipitatum in pulverẽ viridem mutatur, qui demũ in cuprum igne fusorio, redigi potest ac vice versa ex tribus nuncupatis partibus vitriolũ, omnes nativi & vulgaris qualitates continens artificio Chymico, parari potest.

Quomodo vero Archæus naturæ has tres substantias unire soleat, sententiam meam in anatomia vitrioli, tertiæ editionis exposui qua illorum, qui vitriolum in numerum salium referunt, ac præcipue subtilissimi cavillatoris Petri Laurenbergii, non tantum contra meos aphorismos chymiatricos, sed etiam Dioscoridis Galeni, aliorumq; Medicorũ dogmaricorum & Philosophorum anthoritatẽ, absurdissimum dogma reprehenditur, quãdoquidem Sal respectu vitrioli, corpus multo simplicius sit, ut ex enumeratis modo ejusdem partibus constitutivis per ignem separabilibus patet, quod viris doctis judicandum relinquo.

CAP. III.

Quid proprie sit spiritus vitrioli, & num qualitates Cupri contineat.

Spiritus itaque vitrioli ut ex præmissis colligi potest nihil aliud est, nisi fuligo sulphurea cum quantite aquæ, ut chymicæ artis potentia formam liquoris inducere possit, ab Archæo Naturæ cupro inducta. Chymicis n. optime notum est, sulphur, minimam partem aquositatis respectu reliquarum partium obtinere, ac illud ipsum humidum; in sublimatione ejus productum, potius ab ambiente, contractum esse, quam ab ipsius sulphuris indissolubili quodammodo substantla promanare. Talem in sulphure siccitatem, & adscititiam humiditatem, videre est, in præparatione spiritus sulphuris, cujus fuligo alba, acris & densa non nisi attracto ab aere humido, in liquorem resolvitur, ejusq; quantitas pro ambientis constitutione variat, nec instrumento clauso, sed sub campana vitrea, major tamen ejus copia in cella, locove alio humidiore vel aquæ ebullientis vapore disposito percipitur, unde manifeste patet, spiritum vitrioli acrimoniam à sulphure, consistentiam vero liquidam, ab aliena & extranea humiditate obtinere.

Occurrit autem dubium fortasse alicui, an non spiritus vitrioli aliquid de substantia cupri participet, quod facile solvitur, nullum enim liquorem Cuprum, quavis violentia ignis adactum, sed fuliginem

DE NATURA, PROPRIETATE, ET VSV SPIRITVS VITRIOLI FVNDAMENTALIS DISSERTATIO.

CAP. I.

De nomine Vitrioli.

A Vitro vitriolum, cui aliquo modo ob splendorem respondet, etymologiam ducere videtur quod veteres Romani atramentum Sutorium, Græci vero Calchantum nuncupa-runt, tanquam minerale Cupri particeps, ut etiam Germani suo idiomate, hoc ipsum Kupffer-Wasser/ ad vitrioli proprietatem exprimendā vocant. Dioscor. non ignobilis Author quem in simplicium doctrina dogmatici, ac ipsemet dogmaticorum princeps Galenus, secuti sunt, nullam vitrioli differentiam facere videtur, cujus tamen tres distinctę, eæque præcipuæ species sunt.

Primæ speciei vitriolum est, quod per modum transudationis guttatim in fodinis Cypriis congregatur, quod Petechius [illegible]inarium, ac quidam forte significantius σαλταικὸν appellant.

Secundæ speciei vitriolum, in diversis terrarum cavernis nascitur, peculiaribus [illegible]lid colligendā fossis extructis, in quibus facilè coagulatur, quod Græcè πηκτὸν, quasi spissum & vehementer concretum appellant.

Tertiæ speciei illud est, quod in Hispania præcipue arte excoctum reperitur, minoris pretii, quod primum valde crudum, aqua cōmuni solutum in cisternas, ad hanc rem factas funditur, atq; in iis lapillorum forma concrescit, quod quidem, ad medicinam minus conveniens ad tinctorum vero opera aptissimum est ex omnibus tamen cæruleum, durum & pellucidum, à quibusdam λογχωτὸν vocatum ceteris pręstat. Vitriolum calefaciendi ac astringendi nec non fungorum malignam qualitatem domandi, aqua solutum & gossypio exceptum atque naribus immissum, cerebrum expurgandi facultatem habet, drachmæ pondere sumptum lumbricos necat, ac siccum per se applicatū escharam exsiccat, de quo Galenus libro 9. de simp. medic. & Plin. l. 34. consulantur.

CAP. II.

Quid sit Vitriolum, & quibus partibus constet.

EX diversis quas recensui Vitrioli speciebus illud quod in majores, & angulares lapillos coire, ac ferrum perfectius colore cupri tingere solet, optimum esse judicatur, unumquodq; autem ex triplici substantia minera sc. cupri, fuligine sulphurea & aqua, compositum est, quarum duæ priores soliditatem, ultima vero splēdorem confert, atque in harum trium partium justa proportione perfectum exsistit separata vero per calcinationem aqua majorem

jorem, quam etiam fuligo sulphurea auget, acrimoniam acquirit, quæ sequentibus rationibus demonstrātur. Primum ex vitriolo quantumvis sicco & pulverisato aquā elici posse nullus artis chymicæ Tyro ignorat, atq; illud ipsum dum ad destillationem præparatur, & calcinatur aquosa parte consumpta, tertiam respectu crudi ponderis partē amittit, ac nihilominus destillationi adhibitum, phlegmatis insipidi aliqualem copiam emittit.

Altera pars, fuligo sc. sulphurea, post phlegma extillatum, igne aucto, forma crassi, sicci & ponderosi fumi, in spiritum acidum, illi ex sulphure sub campana producto similem resolvitur restante in retorta materia fusca, cuprum calcinatum non tantum referente, sed etiam in illud transmutabili, quæ tertia hujus mixti mineralis pars est, nec vero vitriolum Cupri colore, ferrum solumodo tingere potest, sed etiam illud ipsum certis liquoribus solutum, & præcipitatum in pulverē viridem mutatur, qui demū in cuprum igne fusorio, redigi potest ac vice versa ex tribus nuncupatis partibus vitriolū, omnes nativi & vulgaris qualitates continens artificio Chymico, parari potest.

Quomodo vero Archæus naturæ has tres substantias unire soleat, sententiam meam in anatomia vitrioli, tertiæ editionis exposui qua illorum, qui vitriolum in numerum salium referunt, ac præcipue subtilissimi cavillatoris Petri Laurenbergii, non tantum contra meos aphorismos chymiatricos, sed etiam Dioscoridis Galeni, aliorumq; Medicorū dogmaticorum & Philosophorum authoritatē, absurdissimum dogma reprehenditur, quādoquidem Sal respectu vitrioli, corpus multo simplicius sit, ut ex enumeratis modo ejusdem partibus constitutivis per ignem separabilibus patet, quod viris doctis judicandum relinquo.

CAP. III.

Quid proprie sit spiritus vitrioli, & num qualitates Cupri contineat.

Spiritus itaque vitrioli ut ex præmissis colligi potest nihil aliud est, nisi fuligo sulphurea cum quantite aquæ, ut chymicæ artis potentia formam liquoris induere possit, ab Archæo Naturæ cupro inducta. Chymicis n. optime notum est, sulphur, minimam partem aquositatis respectu reliquarum partium obtinere, ac illud ipsum humidum; in sublimatione ejus productum, potius ab ambiente, contractum esse, quam ab ipsius sulphuris indissolubili quodammodo substantia promanare. Talem in sulphure siccitatem, & adscititiam humiditatem, videre est, in præparatione spiritus sulphuris, cujus fuligo alba, acris & densa non nisi attracto ab aere humido, in liquorem resolvitur, ejusq; quantitas pro ambientis constitutione variat, nec instrumento clauso, sed sub campana vitrea, major tamen ejus copia in cella, locove alio humidiore vel aquæ ebullientis vapore disposito percipitur, unde manifeste patet, spiritum vitrioli acrimoniam à sulphure, consistentiam vero liquidam, ab aliena & extranea humiditate obtinere.

Occurrit autem dubium fortasse alicui, an non spiritus vitrioli aliquid de substantia cupri participet, quod facile solvitur, nullum enim liquorem Cuprum, quavis violentia ignis adactum, sed fuliginem

DE NATURA, PROPRIETATE, ET VSU SPIRITUS VITRIOLI FUNDAMENTALIS DISSERTATIO.

CAP. I.

De nomine Vitrioli.

A Vitro vitriolum, cui aliquo modo ob splendorem respondet, etymologiam ducere videtur quod veteres Romani atramentum Sutorium, Græci vero Calchantum nuncuparunt, tanquam minerale Cupri particeps, ut etiam Germani suo idiomate, hoc ipsum Kupffer-Wasser/ ad vitrioli proprietatem exprimendã vocant. Dioscor. non ignobilis Author quem in simplicium doctrina dogmatici, ac ipsemet dogmaticorum princeps Galenus, secuti sunt, nullam vitrioli differentiam facere videtur, cujus tamen tres distinctę, eæque præcipuæ species sunt.

Primæ speciei vitriolum est, quod per modum transudationis guttatim in fodinis Cypriis congregatur, quod Petechius Pinarium, ac quidam forte significantius σαλταικὸν appellant.

Secundæ speciei vitriolum, in diversis terrarum cavernis nascitur, peculiaribus ad id colligendã fossis extructis, in quibus facilè coagulatur, quod Græcè πηκτὸν, quasi spissum & vehementer concretum appellant.

Tertiæ speciei illud est, quod in Hispania præcipue arte excoctum reperitur, minoris pretii, quod primum valde crudum, aqua comuni solutum in cisternas, ad hanc rem factas funditur, atq; in iis lapillorum forma concrescit, quod quidem, ad medicinam minus conveniens ad tinctorum vero opera aptissimum est ex omnibus tamen cæruleum, durum & pellucidum, à quibusdam λογχωτὸν vocatum cęteris pręstat. Vitriolum calefaciendi ac astringendi nec non fungorum malignam qualitatem domandi, aqua solutum & gossypio exceptum atque naribus immissum, cerebrum expurgandi facultatem habet, drachmæ pondere sumptum lumbricos necat, ac siccum per se applicatũ escharam exsiccat, de quo Galenus libro 9. de simp. medic. & Plin. l. 34. consulantur.

CAP. II.

Quid sit Vitriolum, & quibus partibus constet.

EX diversis quas recensui Vitrioli speciebus illud quod in majores, & angulares lapillos coire, ac ferrum perfectius colore cupri tingere solet, optimum esse judicatur, unumquodq; autem ex triplici substantia minera sc. cupri, fuligine sulphurea & aqua, compositum est, quarum duæ priores soliditatem, ultima vero splẽdorem confert, atque in harum trium partium justa proportione perfectum exsistit separata vero per calcinationem aqua majorem

jorem

jorem, quam etiam fuligo sulphurea auget, acrimoniam acquirit, quæ sequentibus rationibus demonstrãtur. Primum ex vitriolo quantumvis sicco & pulverisato aquã elici posse nullus artis chymicæ Tyro ignorat, atq; illud ipsum dum ad destillationem præparatur, & calcinatur aquosa parte consumpta, tertiam respectu crudi ponderis partẽ amittit, ac nihilominus destillationi adhibitum, phlegmatis insipidi aliqualem copiam emittit.

Altera pars, fuligo sc. sulphurea, post phlegma extillatum, igne aucto, forma crassi, sicci & ponderosi fumi, in spiritum acidum, illi ex sulphure sub campana producto similem resolvitur restante in retorta materia fusca, cuprum calcinatum non tantum referente, sed etiam in illud transmutabili, quæ tertia hujus mixti mineralis pars est, nec vero vitriolum Cupri colore, ferrum solummodo tingere potest, sed etiam illud ipsum certis liquoribus solutum, & præcipitatum in pulverẽ viridem mutatur, qui demũ in cuprum igne fusorio, redigi potest ac vice versa ex tribus nuncupatis partibus vitriolũ, omnes nativi & vulgaris qualitates continens artificio Chymico, parari potest.

Quomodo vero Archæus naturæ has tres substantias unire soleat, sententiam meam in anatomia vitrioli, tertiæ editionis exposui qua illorum, qui vitriolum in numerum salium referunt, ac præcipue subtilissimi cavillatoris Petri Laurenbergii, non tantum contra meos aphorismos chymiatricos, sed etiam Dioscoridis Galeni, aliorumq; Medicorũ dogmaticorum & Philosophorum authoritatẽ, absurdissimum dogma reprehenditur, quãdoquidem Sal respectu vitrioli, corpus multo simplicius sit, ut ex enumeratis modo ejusdem partibus constitutivis per ignem separabilibus patet, quod viris doctis judicandum relinquo.

CAP. III.

Quid proprie sit spiritus vitrioli, & num qualitates Cupri contineat.

Spiritus itaque vitrioli ut ex præmissis colligi potest nihil aliud est, nisi fuligo sulphurea cum quantite aquæ, ut chymicæ artis potentia formam liquoris inducere possit, ab Archæo Naturæ cupro inducta. Chymicis n. optime notum est, sulphur, minimam partem aquositatis respectu reliquarum partium obtinere, ac illud ipsum humidum; in sublimatione ejus productum, potius ab ambiente, contractum esse, quam ab ipsius sulphuris indissolubili quodammodo substantia promanare. Talem in sulphure siccitatem, & adscititiam humiditatem, videre est, in præparatione spiritus sulphuris, cujus fuligo alba, acris & densa non nisi attracto ab aere humido, in liquorem resolvitur, ejusq; quantitas pro ambientis constitutione variat, nec instrumento clauso, sed sub campana vitrea, major tamen ejus copia in cella, loco ve alio humidiore vel aquæ ebullientis vapore disposito percipitur, unde manifeste patet, spiritum vitrioli acrimoniam à sulphure, consistentiam vero liquidam, ab aliena & extranea humiditate obtinere.

Occurrit autem dubium fortasse alicui, an non spiritus vitrioli aliquid de substantia cupri participet, quod facile solvitur, nullum enim liquorem Cuprum, quavis violentia ignis adactum, sed fuliginem

jorem, quam etiam fuligo sulphurea auget, acrimoniam acquirit, quæ sequentibus rationibus demonstrātur. Primum ex vitriolo quantumvis sicco & pulverisato aquā elici posse nullus artis chymicæ Tyro ignorat, atq; illud ipsum dum ad destillationem præparatur, & calcinatur aquosa parte consumpta, tertiam respectu crudi ponderis partē amittit, ac nihilominus destillationi adbibitum, phlegmatis insipidi aliqualem copiam emittit.

Altera pars, fuligo sc. sulphurea, post phlegma extillatum, igne aucto, forma crassi, sicci & ponderosi fumi, in spiritum acidum, illi ex sulphure sub campana producto similem resolvitur restante in retorta materia fusca, cuprum calcinatum non tantum referente, sed etiam in illud transmutabili, quæ tertia hujus mixti mineralis pars est, nec vero vitriolum Cupri colore, ferrum solumodo tingere potest, sed etiam illud ipsum certis liquoribus solutum, & præcipitatum in pulverē viridem mutatur, qui demū in cuprum igne fusorio, redigi potest ac vice versa ex tribus nuncupatis partibus vitriolū, omnes nativi & vulgaris qualitates continens artificio Chymico, parari potest.

Quomodo vero Archæus naturæ has tres substantias unire soleat, sententiam meam in anatomia vitrioli, tertiæ editionis exposui qua illorum, qui vitriolum in numerum salium referunt, ac præcipue subtilissimi cavillatoris Petri Laurenbergii, non tantum contra meos aphorismos chymiatricos, sed etiam Dioscoridis Galeni, aliorumq; Medicorū dogmaticorum & Philosophorum authoritatē, absurdissimum dogma reprehenditur, quādoquidem Sal respectu vitrioli, corpus multo simplicius sit, ut ex enumeratis modo ejusdem partibus constitutivis per ignem separabilibus patet, quod viris doctis judicandum relinquo.

CAP. III.

Quid proprie sit spiritus vitrioli, & num qualitates Cupri contineat.

SPiritus itaque vitrioli ut ex præmissis colligi potest nihil aliud est, nisi fuligo sulphurea cum quantite aquæ, ut chymicæ artis potentia formam liquoris induere possit, ab Archæo Naturæ cupro inducta. Chymicis n. optime notum est, sulphur, minimam partem aquositatis respectu reliquarum partium obtinere, ac illud ipsum humidum; in sublimatione ejus productum, potius ab ambiente, contractum esse, quam ab ipsius sulphuris indissolubili quodammodo substantia promanare. Talem in sulphure siccitatem, & adscititiam humiditatem, videre est, in præparatione spiritus sulphuris, cujus fuligo alba, acris & densa non nisi attracto ab aere humido, in liquorem resolvitur, ejusq; quantitas pro ambientis constitutione variat, nec instrumento clauso, sed sub campana vitrea, major tamen ejus copia in cella, loco vel alio humidiore vel aquæ ebullientis vapore disposito percipitur, unde manifeste patet, spiritum vitrioli acrimoniam à sulphure, consistentiam vero liquidam, ab aliena & extranea humiditate obtinere.

Occurrit autem dubium fortasse alicui, an non spiritus vitrioli aliquid de substantia cupri participet, quod facile solvitur, nullum enim liquorem Cuprum, quavis violentia ignis adactum, sed fuliginem

nem ſiccum, nil niſi ipſiſſimum cuprum redolentem emittit. Quare ſi ſpiritui vitrioli vel minimum admixtum eſſet, id corporeum neceſſario foret, ac conſecutive colore & ſapore ſenſibile, quandoquidem duo, vel tria grana cupri integrã ſpiritus vitrioli libram colore viridi tingunt, ac ſapore cupri inficiunt qui ſtomachi ſubverſionem, & nauſeam concitat quam alias ſincerus ſpiritus vitrioli optime curat ac ipſe ſpiritus vitrioli cupro adulteratus, facile deſtillatione, corrigitur, ita ut ſincerus prodeat, relicta omni metallica ſubſtantia, in fundo vaſis deſtillatorii, nec ſpiritus vitrioli ulla manifeſta qualitate à ſpiritu ſulphuris, differt. Quibus rationibus ſpiritum vitrioli, nihil aliud eſſe, quam fuliginem ſulphuream, cũ alieno humido, liquoris forma ſubſiſtentem, ſubſtantiæ Cupri nulla penitus affinitate conjunctam manifeſtum eſſe arbitror.

CAP. IV.

Eſtne ſpiritus vitrioli Veneris præſtantior illo, qui ex communi vitriolo confectus eſt.

CONſtat arte chymica duo genera vitrioli parari, unum ex ferro ſulphure & aqua, alterum ex cupro, ſulphure & aqua quorum primum vitriolum Martis, alterum vitriolum Veneris vulgò appellatur, & ex ambobus ſpiritus quem hæc metalla lenta maceratione aut calcinatione imbiberunt eodem modo, quo ex vitriolo nativo deſtillatur: Nec deſunt vana opinione decepti qui ſpiritui vitrioli Veneris, multo plus quam communi attribuant, quæ ſententia nulla ratione fulcita per ſe cadit, etenim ſi à cupro præſtantiæ ſuæ originem duceret nihil obſtare poteſt, quin quoque à communi vitriolo non minus minera cupri dotato eandem perfectionem obtineret, præcipue cum vitriolum Ungaricum, aut Cyprium utpote nativum, & ſelectum nullo modo bonitate & puritate ſubſtantiæ artificiali cedat, licet quædam quiſquiliis aliorum mineralium conſpurcata reperiantur. Præterea ſi metalli ſubſtantia, (quod paulo ante refutavi) in ſpiritu vitrioli contineretur, ſpiritus ex vitriolo Martis, ei, qui ex vitriolo Veneris deſtillatus eſt, cum ferrum ipſum, magnum in medicina uſum habens ſine alterius recrementi admixtione nullam malignam, ac ſtomacho adverſantem qualitatem quemadmodum cuprum complectatur, eoque ad uſum internum (ſiquidem res ita ſe haberet) ſpiritus ſubſtantiæ ferri particeps multo tutior ac ſalubrior eſſet.

CAP. V.

An prædicti ſpiritus ſulphurei aciditas in dulcedinem mutari poſſit.

NUllius fere artis cultores, inſatiabilis nova inveniendi cupiditas magis quam Chymicos tenet, quod enim alma natura, liquoris forma è proprio ſinu depromit, id in ſubſtantiam ſolidam v. g. Mercurium currentem in Lunam fixam aut Solem, & vice verſa ſolida, ut modo dicta metalla ſunt in Mercurium vivum vertere, nec non in

aquas

aquas, olea, tincturas & salia: hæcq; iterum in mineralia, & ut summatim rem complectar, terram in aquam, hanc in terram, volatile in fixum, hocque in volatile, amarum in dulce, insipidum in salsum transmutare conantur, multa certè ostentatione quadam, falsa tamen de spiritu vitrioli dulci jactari & ne in tota vita vel unicum de ipso processum justum comperi. Non me latet additione ferri aliarumque rerum, quemadmodum acetum plumbo affusum dulcescit, acrimoniam vitrioli tolli & cum quadam dulcedine permutari posse, quæ tamen nullatenus sincera, sed mox metallica quadam asperitate, & ingrato astringente sapore linguam afficit. Posita etiam quacunque dulcedine, ex tali mixtura peregrinas qualitates contrahit, ut pro composito potius, quam simplici merito habeatur, veluti etiam pulveri corallorum, aut cuipiam simili spiritus vitrioli affusus, deposita acrimonia insipidam quodammodo aquam refert, sine ulla reali substantiæ mutatione, spiritum enim acrem cum aquositate prius conjunctam coralla absorbent, cujus rei argumentū evidens est, quandoquidem restibilis aquositas pondere levior, pulvis vero corallorū gravior & acidulus hac infusione fiat, & ipse spiritus non difficulter iterum à corallis destillatione separetur, unde conclusio sequitur, id quod in spiritu vitrioli acre est & spirituosum, ab aqueo liquore sequestrari atque ab alio corpore imbibi posse, & sub eo occultari, nullam vero substantiæ aut etiam qualitatis acoris in dulcedinem positivam mutationem fieri, qua etiam posita nullum commodū sequeretur, quandoquidem ad usum spiritus vitrioli nihil conferat, & dulcium medicamentorum cæteroquin nulla penuria sit, acor autem hujus spiritus, suum in medendo scopum perfectius attingat, quā loquidem pro intentione Medici, secundum diversitatem affectus, temperamenti, materiæ morbificæ, aliarumque circumstantiarum directa, nunc acida, nunc dulcia, amara salsave eliguntur: Axiomatis enim loco habeo, quæ amara non dulcia, nec amara, quæ dulcia eodem penitus modo perficere posse. Quare eos qui labo em irritum, & vanam imaginationem aspernantur, à me in hoc non dissentire posse confido.

Cap. VI.

An omnia vitriolata Spiritum acidulum tantum a sulphure habeant, & cur Vitriolum cæruleum cæteris præstet.

Quæstio hic moveri posset, quandoquidem non tantum per spiritum Nitri simplicem, aquam fortem, aquam Regis, spiritum salis, sed etiam acetum destillatum aliosq; spiritus vegetabiles, ex cupro Vitriolum in lapillorum forma concrescēs confici possit, anno etiam natura in productione nativi Vitrioli diversis solventibus utatur, quorum ratione, spiritus unius Vitrioli ab alio differat. Respondeo negative, ac naturæ operationem diversam esse ab horum metalla artificiose solventiū & in spir. redigentium proprietate sequentibus rationib inductus, quod, (ut omnib. in rerum mineralium cognitione versatis constat:) etiamsi diversę exhalationes dentur, nulli tamen vapori, excepto illo sul-

Fff phureo

phureo, solvendi vis insit, qui in terræ visceribus, aut ut Paracelsus ait, in mundo subterraneo tanquam subjectum igneum omnia metalla maturandi & ad perfectionem redigendi, potentia dotatus à summo Conditore implantatus est, & in quacunq; fodina cujuscunque speciei Vitriolum occurrit, illud semper vapore aliquo, sulphureo concomitari, qui gustu & olfactu percipi possit, ac ipsa experientia testatur unicum in omnibus Vitriolis spiritum esse, & sive illud cæruleum, seu viride, prassini aut æerei coloris vitreive splendoris, humidũ aut siccum in parva vel magna frusta concretum examine ignis, nil nisi album, densum ac sulphureum unius generis vaporẽ in spiritum acidum resolvi proclivem reddere, quod minime fieret, si quibuscunq; salinis substantiis impregnata essent, cum spiritus nitri dum per destillationem à corpore suo separatur, perpetuo flammeum colorem exhibeat, & contactu suo, res fulvo colore tingat, nec gustu aut sapore, quemadmodum etiam aqua fortis aut aqua Regis cum Spiritu Vitrioli ullo modo conveniat. Ipse vero spiritus salis, etsi colore albo alembicum transit, consistentia tamen subtili, & olfactu ab illo differt: Quamvis tum nitrum, tum alia quoque salia in locis subterraneis reperiuntur, quorum spiritus in eorundem corpore delitescit, donec artificio, & ignis potentia exigatur, à Vulcano naturæ tamen educi nequit qui quidem sulphur, utpote pinguem, & inflamabilem substantiam, facilè in fuliginem & acrem hujusce modi vaporẽ resolvit salia vero non ita, utpote incombustibilia & fixa, ex quibus, sine materiali & fortissimo igne, spirituum separatio fieri nequit. Denique cum spiritus nitri, & aqua forti: argentum, aqua Regis aurum, (quod, spiritus sulphuris efficere non valet:) solvendo in atomos sibi uniat, si tales actu in mũdo subterraneo existerent æque ex modo nuncupatis metallis, atq; ex cupro & ferro vitriolum producerent, cujus ne unicũ quidem exemplum nobis constat, quamobrem ratum firmumque manet, omnes Vitrioli species, spiritum acidum à sulphure mutuari, etsi vitriolum cæruleum aliis speciebus ad Medicinam præferatur, quãdoquidem hæ sæpius realgari quodam, vel aliis impuris recrementis infectæ sunt, illud vero non solum Dioscoridi sed etiam omnibus peritioribus Medicis, & Chymicis præ cæteris commendatum est.

CAP. VII.

An Spiritus è sulphure communi arte Chymica eductus diversos à Spiritu Vitrioli effectus præstet.

CUm nunc satis ostensum sit, Spiritum Vitrioli aliud nihil esse nisi vaporem è minera sulphuris resolutum, inque corpus Vitrioli immersum, & tandem per artificiũ mediante Vulcano iterum separatum. Quæstio oritur utrum dictus Spiritus sulphuris diversam in medendo à Spiritu Vitrioli operationem edat? Respondetur in omnium medicamentorum seu simplicium seu compositorum, seu Galenice, seu chymice præparatorum examine, duplicem qualitatem considerari, ex quibus tanquam fontibus, omnes ejus virtutes scaturiunt, manifestam nimirum, & occultam: manifestæ sunt, quæ odore, sapore

pore, colore, gravitate, levitate, raritate, densitate definiuntur; ex quibus primum sensuum judicio præceptis medicamentorum temperamenta caloris ac frigoris, siccitatis ac humiditatis gradus Physici rationabiliter colligunt: occultæ vero nullo sensuum critirio investigandæ sunt, solaque experientia cognoscuntur quales in purgantibus occurrunt, Agaricus, verbi gratia, phlegma purgandi, Rbabarbarum bilem, Senæ folia succum melancholicum, Manna & Gummi de Peru serum, Turbith è juncturis tenaces & impactos humores educendi, Caro viperæ & scorpius ac ejus oleum contra proprios morsus nullo qualitatum temperamento nitentes, sed occultas ac specificas vires obtinent, quanquam enim Paracelsus ejusque sequaces, eas per certam signaturam cognosci opinentur, exempli causa, Anacardium cum cordis figuram gerat eidem Pulmonariam pulmonibus, Lichen hepati, Asplenium lieni, Satyrium resticulis, Euphrasiam oculis, Dentariam dentibus, Acorum juncturis Nucem Moschatam capiti, Perforatam notante succo sanguineo vulneribus recentibus specifice convenire constet. Horum tamen simplicium virtutes, ab antiquis primum experientia deprehensæ sunt, ac demum à recentioribus accedente signaturæ inventione, magis comprobatæ sunt: immo talia seu vegetabilia, seu animalia, aut mineralia partes corporis humani, sæpe manifesta calefaciendi, refrigerandi, aperiendi & adstringendi vi juvant. Quam operationem, etiam res aliæ, nulla tali signatura præditæ perficiunt, ita ut hoc dogma discursus speciosi potius quam scientiæ cum firma ratione fundatæ locum teneat: Et ut ad Rhombum redeam, an scilicet spiritus vitrioli & spiritus sulphuris, ejusdem sint virtutis, dico in eodem rectificationis gradu: constitutum, ut sapore, odore, & colore alteri similis sit, eadem quantitate sumptum, eosdem effectus secundum manifestas qualitates intra & extra corpus adhibitum præstare: occultas vero quod attinet nullas in eo deprehendi: frequentioris vero spirit. vitrioli, & destillationis & usus causa hæc est, quod ex libra una vitrioli parvo temporis intervallo major spiritus quantitas quam ex pluribus sulphuris libris longo tempore evocari possit.

Cap. VIII.

Quibus notis bonitas vitrioli agnoscatur, & in quo præparatio ejus consistat.

PRimo, ut supradictum cum vitriolum cæruleum bonitate cætera superans spiritum longe puriorem suppeditet, illud ad hoc opus potissimum eligatur. Secundo nisi lapillorum figura concretum, splendens & ab omnibus recrementis, ac sordibus purum sit, id in aqua fontana solutum, & per saccum ex lana confectum, filtratum iterum coagulari & in olla ad albedinem calcinari oportet.

Tertio ollæ fortissimæ, ad cucurbitæ formam efficta imponatur, quæ lato orificio, & collo longo extra fornacem aliquantum emineat, ac igne aperto latera vasis tangente, opus perficiatur.

Quarto dictæ ollæ, vel cucurbitæ, reci-

piens capacissimum, cum parte aquæ fontanæ destillatæ jungatur, quo Spiritus minus dissipentur & accurata juncturarum perlutatione, ne quid inter destillandum transpirare possit.

Quinto sub initium lenis ignis adhibeatur donec fumosa humiditas vitrioli (quę violentiore coacta igne vasa disrumpit) evocata sit, ut etiam cum demum siccus, & sulphureus instar nubis albæ, per vas recipiens diffundi incipit, moderato gradu, per 6. vel plures pro quantitate Vitrioli (donec fumi colorem acquirant & nigricantes appareant:) noctes diesq; destillatio continuanda qua peracta, Vitriolum in cucurbita residuum adhuc grave & fuscum colore restet: Etenim si spongiosum & nigricans deprehendatur, indicio est, igneũ & gravem illum spiritum prodiisse, quem non minus primo loco egresso spiritui ac ultimum illud quod ex therebinthina fortissimo igne propelli solet, oleo suo subtiliori misceri nefas est: Quapropter mox ad egressum striarum luridi vel ferruginei coloris ignis remittendus ultimo in separatione recipientis, vasis cura adhibenda, ne quid luti liquori misceatur, ac porro secundum artem spiritus ab aquositate adjuncta rectificandus. Signa porro perfecti & laudabilis Spiritus Vitrioli sunt sequentia, primum ut ad crystalli claritatem accedat, secundo ut lingua exceptus, illam singulari acrimonia, & calore feriat subsequente mox aciditate ac tandem sapore dulci qui palatum recreet, qui hisce notis caret ei aut errore destillationis ipsius, aut impuritate mineræ id accidisse rationi consonum est.

CAP. IX.

An Spiritus Vitrioli utpote substantia mineralis æque tuto ac cætera medicamenta vegetabilia exhibeatur.

Tandem ad Misochymicorum objectiones, ne dicant calumnias, quæ idipsum quod non intelligunt carpunt aut quod semel carpserunt, vera ratione indagare renuunt, accedo.

Objiciunt primo Spiritum Vitrioli, tanquam mineralem substantiam, nullam cum partibus, ex quibus humanum corpus constat analogiam habere, ac consequenter æque tuto ac cætera medicamenta usurpari non posse. Respondeo, omnia sub sphæra Physica comprehensa in tres classes distributa sunt, in prima quæcunq; anima sensitiva prædita sunt, velut animalia terrestria, aquea & aerea eorumque partes, in secunda plantæ in genere, & quidquid ex terra per solam vegetationem expullulare, natum est, v. g. arbores, frutices, surculi, cortices, folia, flores, fructus, semina succi, gummata, resinæ, balsama, in tertia vero quæ diversa ratione per modum accretionis in terræ visceribus nascuntur à priorum duarum classium substantiis plane diversa utpote metalla, Marchasita, Antimonium, Talcũ, lapides vulgares & pretiosi, sulphur, vitriolum, alumẽ sal, bitumen, Asphaltum, aliaque hujus farinæ mixta, ad quorum seriem etiam spirit.

Vitrioli

vitrioli tanquam substantia ex minerali corpore separata pertinet. Quibus præmissis sequuntur duæ quæstiones prima an spiritus vitrioli, eo quod è classe minerali-um sit, nullam cum corpore humano convenientiam habeat.

Secunda an medicamentis ad profligationem morborum præscribendis, cum natura nostra, quædam analogia necessaria sit. In confesso est omnia trium prædictarum classium ambitu comprehensa, suas qualitates ac temperamenta eoque aliquas virtutes & operationes 4. elementis, ex quibus constant acceptum referre, & cùm physici omnes, hominem non tantum ob structuram, vel quandam sympathiam, sed etiam compositionem, ex iisdem omnium creaturarum principiis constantem tanquam Microcosmum depingant ac ipsa natura nostra, corpus illud durum, fixum, & in mineralium genere incombustibile licet nullam cum animali, quoad externam formam, convenientiam habeat, salem inquam & sale condita, tantopere ac tam avide appetat insulsaque respuat idque non ob contrarietatem cum similia similibus servari postulant, cumque ex ipsis corporis partibus, videlicet ossibus, carne, & sanguine, chymica arte sal in substantia & qualitate minerali penitus respondens educi possit, quis tam perfrictæ frontis reperiri potest, qui mineralia cum corpore humano, nullam analogiam habere neget? Hic sal naturæ implantatus externum illum quemadmodum mercurialis aquosam, & sulphurea pinguem substantiam ad sui conservationem, & durabilem firmitatem in certa proportione unicè expetit: Unanimis consensus omnium non literatorum modè, sed etiam idiotarum est, tot diversis cibis, iisque mollibus & fluidis, carni nimirum, piscibus, fructibus, sine additione salis, qui ingenitum corroboret, in corpore coquendis naturam nostram minimè parem esse, sed eorum putredine, in quam facilè abeunt plurimum offendi posse. Sed & spiritui vitrioli, licet colore differentem, aliis tamen in qualitatibus convenientem humorem in corpore humano reperire est.

Ille videlicet qui ex liene in ventriculum regurgitat qui acida austera & terrestri natura sua, Galeno & Avicenna testibus, famem & appetitum provocat, & non solum cæteras ventriculi actiones adjuvando sed etiam ad orificium à cibo sumpto claudendum magni usus esse perhibetur, quibus proprietatibus spiritus vitrioli unicè respondet, licet enim is impermixtus, ob vehementem acrimoniam, gustum caliditate quadam afficere videatur, aquæ tamen justæ portioni confusus refrigerantem & adstringentem vim exserit, ac cum primis in operatione ventriculum tangente, impedito enim ob infarctum aut imbecillitatem Lienis, humoris illius ad ventriculum recursu, aut stomacho ob humorum lubricitatem relaxato, ut in attractione, concoctione & retentione ciborum deficiat vix ullum medicamentum ad ejusmodi vitia tollend hoc spiritu, ratione & methodo quadam adhibito in toto foro medico efficaciu reperitur, quod Misochymici etiam no

olentes fateri coguntur. Quod attinet. secundam quæstionem analogia medicamentorum cum partibus corporis nostri, ad curationem morborum absolutè necessaria non est, sufficit morbo ac materiæ peccanti contraria sint, secundum illud vulgatum axioma, contraria contrariis curantur, de quo Galenus ille Gallicus, Amianus Fernelius, disertis verbis sic scriit: Morbus omnibus contrariis profligandus, contraria enim sunt morborum remedia: Remedium est quod morbum repellit quicquid autem depellit, id illi vim infert, quod vim infert contrarium est omni rationi, igitur remedium morbo contrarium esse necesse est, omnemque morbi repulsionem atque curationem contrariis perfici contraria autem multifariam dicũtur, quæ non in qualitate solum, verum etiam in quantitate, in numero, in situ, in figura, in omni deniq; genere plurimum distant, ut calidum & frigidum, humidum & siccum, durum & molle, crassum & tenue.

Neque tamen idcirco illud axioma Paracelsicum, ut quidam opinantur huic Doctrinæ contrarium est, & Galenicam medendi methodum evertit. Verbis enim amæ sententiæ tantum, sensu minime dissant, licet enim quædam medicamenta morbo similia sint, ejus tamen causæ primum ac per se adversantur, morbo autem & accidenti huncque tollunt non per se sed sublata causa. Sic Rhabarbarum quamvis calidum, febrem solvit, dum ipsius materiam expurgat, & latitudinem exercitatio nit, quod humorem per musculos effusum discutiat. Et vomitionem sedat vomitio, quæ proritantem humorem excutit. Et dysenteriam purgatio levat, noxia materia ejus efficiente causa detracta. Ad eundem modum frigidæ larga perfusio convulsionem (ut est apud Hippocratem) solvere putatur. Cæterum non ejusmodi remedia hic scrutamur, sed quæ primum ac per se affectum submoveant. Sunt autem ejusmodi omnia curando affectui verè cõtraria. Itaque cum suum cuique morbo contrarium sit remedium, eademque sit contrariorum Doctrina, quot enim morborum, tot & remediorum certè genera sunt constituenda.

Illorum vero ineptiam, qui talem analogiam requirunt satis admirari non possum præcipuè cum rationalium Medicorum titulo plurimum glorientur, tam irrationalem tamen consequentiam inferãt, & propriam imperitiam in Authorum scriptis prodant, qui multoties lapidem Lazuli, lapidem armenum, bolum armenum, terram lemniam, imo aurum, argentum, ferrum, ac varios lapides, tam communes quam pretiosos, (uti etiam Andromachus calchantum ad theriacam:) varias in compositiones recipiunt. Ipse etiam Dioscorides non solum sulphur, è quo Spiritus Vitrioli ortum ducit, sed etiam Vitriolum crudum, contra lumbricos & fungos venenatos in vomitorii formula commendat, multo igitur minus, Spiritus ex Vitriolo, (qui ejusdem pars purior, & subtilissima existit:) quam reliqui corporis crassi & fæculenti usus damnandus est.

CAP.

CAP. X.

An spiritus vitrioli, ob temperamentum calidius, tanquam nocivus vitari debeat.

VRgent quidam Misochymici objiciendo, ſpiritum vitrioli in quarto gradu calidum, ſine periculo, & deſtructione temperamenti naturalis, intra corpus ſumi non poſſe.

Concedo equidem cum ex ipſo ignis ſubjecto, utpote Sulphure, magnaque ignis violentia elaboretur, ac etiam ligna, oſſa, lapides, & metalla ſolvat notabilem acrimoniam non ſine caliditate huic Spiritui conjunctam eſſe, maleficam tamen ob id qualitatem habere non ſequitur, quandoquidem etiam ipſius olei vitrioli, quod multo magis cauſticum, & proximè ad vim ignis actualis, aut cauterii potentialis accedit, uſus methodicus, improbandus non eſt: Quin ipſum elementum ignis omnia propemodum conſumens, ita moderari poteſt, ut homo, certa diſtantia inter aërem frigidum & ignem poſitus, ſe juvari potius quam lædi ſentiat: ita Spiritus vitrioli æqua proportione aquæ, vini, aliorumque liquorum ita temperari, & vehementia ejus infringi poteſt, ut plurimùm proſit minimè vero officiat. Quemadmodum enim nullus rationis particeps, carbones ignitos, ad ſtomachi frigus pellendum, ita nec Spiritum vitrioli per ſe, & impermixtum ad ejus corroborationem adhibebit. Ad inſtantiam, porro inferunt, quod ignis, prædicto modo per reflexionem tantum in corpus agat, at Spiritus vitrioli intra corpus ſumptus, contactu immediato interiora afficiat. Reſpondeo multum etiam differre, flammam vivam, ſeu ignem actu ipſo exiſtentem, & calorem potentialem, ſeu elementarem ſubjecto alicui inhærentem, ignis enim actualis in certo aliquo ſubjecto ne minima portio corpori applicata ſine læſione perferri poteſt, uti etiam oleum vitrioli per ſe adhibitum nihilo ſecius corpora contactu ſuo corrumpit, attamen mixtura facilè corrigi, potiſſimum vero ſpiritus vitrioli, aliquantum levior & ſubtilior certa liquoris quantitate ita miſceri, ac mitigari poteſt, ut in corporis meatibus humore utplurimum repletis receptus, ne minimum quidem lædere poſſit, diluitur enim ſaliva ipſa in palato exiſtente, ut etiam illud ipſum, quod per ſe cuti impoſitum, exulcerationem excitat, licet acrius nonnihil in corpore ſine moleſtia perferatur. Quibus poſitis, Ganniones frivolis argumentis, contra rectum uſum ſpiritus vitrioli, certa mixtura, methodo, & ratione adhibitum apud rerum intelligentes & peritos nihil obtinere poſſunt. Nec enim ipſe Galenus Medicorum facile Princeps, ex perceptione ſenſibilium qualitatum, mox ſententiam, de operatione medicamenti ferre jubet, ſed ſenſum experientiæ jungere, cum inquit: Non abſolutè unumquodq; ipſorum calidum eſt, ut ignis (nam id omnino foret impoſſibile:) an per exſuperantiam ut ſanguis conſiderare propoſitum eſt, neque an ut ad ſymmetrum ſui generis, aut

aut speciei dicatur calidum, ut leo in animantibus & quod florentis ætatis est, in quavis specie ac ætate provectum, sed an ad hominem sit calidum, frigidum, humidum aut siccum, medicamentorum unumquodque, id vero inquirere statutum est. Neque rursum ad hunc tanquam id quod ad aliquid aliud comparatur sed si facultate, hoc est, si ad motum ipsi, eam partem quam tetigerit reddat aut calidiorem aut frigidiorem, licciorem aut humidiorem. Itaque in experientia & judicandi, & dignoscendi consistet ratio Galen. de simpl. medic. facult. lib. 3. c. 9. certe hunc ipsum Spiritum Vitrioli adversarii in acutissimis febribus inflammatione hepatis, siti propemodum inextinguibili, si experientiam consulant nolint velint probabunt, quemadmodum etiam in calidis tumoribus, antequam in suppurationem abeant, materiam discutiendo & fervorem supprimendo plurimum valet sive is effectus per se seu per accidens contingat eundem æstimationis locum meretur, quandoquidem etiam Rhabarbarum calidum siccum nihilo minus hepar ex eventu refrigerat subducendo nimirum bilem, fervoris causam conjunctam & proximam. Quamobrem concesso etiam caloris gradu illo, quem ei Misochymici affingunt, dummodo in curandis affectibus, secundum rationis præscriptum usurpatus scopum attingat, minimè rejiciendus est, nec ullius rei, propter abusum tollendus est.

CAP. XI.

An Spiritus Vitrioli propter vim corrosivam ad internum usum admittendus sit.

INstant porro Antagonistæ & Spiritus Vitrioli tanquam aquæ fortis interanea corrodentis usum vehementer nocere obtrudunt.

Non leve momentum hoc dogma habuit, non solum penes idiotas, sed etiam viros doctos, qui hunc corpori intrinsecus adhibitum quæcunque interna contactu suo arrodere existimarunt, non secus ac ipsa ligna, ossa, lapides & metalla conficere solet.

Mirum certe, Philosophiam talibus viris ne tantillum quidem lucis afferre potuisse ut inter sicca exanimata corpora, & corpus humanum vivens, molle carnosum ac humidum inter dispositionem cutis externæ & internarum partium, inter Spiritum Vitrioli per se existentem & cum aliis liquoribus mixtum, differentiam aliquam agnoverint: Quis enim tam rudis, qui non dentes omnium primò, licet durissimos ab acidis, & prius cutem utpote duram siccam, quam partes molles humoribus, ac potissimum viscosis oppletas affici posse, illumque non per se sed justa liquoris quantitate temperatum offerri debere ignoret? vim vero ejus corrosivam quod attinet, illa non minus ac nimium calefacientia, aut refrigerantia contrarii addititione temperari potest, usque adeo ut mi-

ut minorem quam acetum, ſuccus Limonum, Aurantiorũ, Berberorum, Ribium vel Tamarindi corrodendi vim acquirat, cum illi etiam margaritas, corallos, oſſa, cuprum & ferrum exedant. Quin ipſum ſal naturæ noſtræ familiariſſimum, aquæ forti mixtum aurum ſolvit, & liquori miſcet quæ cuncta tamen juſto modo uſurpata nullum corpori damnum inferunt. Nec igitur de ſpiritus vitrioli moderato uſu alia ſententia quam de aliis rebus ferri poteſt, quarum moderatur uſus commodum plurimum, abuſus verò detrimentum creat.

Corroſiva præterea facultas Spiritus Vitrioli per ſe exiſtentis, neminem deterreat, cum tota ſpiritualis vis, ex magna Vitrioli quantitate in minimum corpus redactum ſit, qualem etiam aceti & ſucci Limonum ab aquoſitate liberati ſubtilior pars habere ſolet, & unica guttula Olei Cinamomi, Piperis aut Caryophyllorum magnæ eorundem aromatum quantitatis vim excedit, quæ nihilominus cum aliis temperata, commodè in uſum venit.

Cap. XII.

An Spiritus Vitrioli partibus internis ſeſe inſinuando progreſſu temporis morbos excitare poſſit.

Objectionibus ſuperioribus refutatis cum intentionem ſuam Miſochymici aſſequi non potuerunt, aliud figmentum, vel potius ſomnium inferunt Spiritum Vitrioli, non mox à principio, quocunque modo adhibitus, ſed procedente tempore, penitius ſeſe inſinuando, partes internas labefactare. At ſimplici hac appoſitione, propriam potius impudentiam, quam ullam argumentandi ſubtilitatem produnt; quandoquidem hoc modo in terminis generalibus hærentes, potius rudibus imponere, quam gnaros aliquid docere conantur, nec quid velint ſatis explicant. Etenim aut Spiritum Vitrioli ſeſe inſinuando, & adhærendo, intelligunt interanea contactu ſuo corrodere, vel tanquam fæcem vini, in parte aliqua colligi vel malignam qualitatem, qua tandem corpus humanum labefactetur relinquere, quorum nullum demonſtrari poteſt. Primo enim Corroſio internarum partium, abſque doloris, & inflammationis ſenſu fieri nequit, quin etiam partes internæ ſeu externæ aliqua acri fluxione tentatæ vel mitiſſimi liquoris allapſum vix ſine moleſtia ſuſtinent, multo igitur minus, Spiritus vitrioli, (per illum ipſum, ante exulceratæ partes) acrimoniam ab Miſochymicis toties culpatam, ſi vis ea corroſiva mitigari non poſſet, abſque dolore perferre poſſent. Nec ulla ſui parte tanquam ſentina, ſeu fæculenta materies, corpori adhærere aut meatus infarcire poteſt, quemadmodum etiam non pauci cibi facere ſolent, ſabuloſum excrementum accumulando, imo ſubſtantia ſua ſubtili, & facultate penetrandi, potius meatus aperire, viſcoſam colluviem abſtergere, tartarumque corpore exigere potis eſt, multo vero minus ulla ratione, malignitas quæcunque ei attribui poteſt licet nimia quantitate, vel per ſe, ſine vehicule aut mixtura temperatus, abuſivè ſum-

tus, æque magnam læsionem, atque ipsum venenum inferre potest, quod errori, & ignorantiæ utentium aut illum exhibentium, non venenata qualitati cujus subjecta, etiam quavis copia in corpus admissa, manifestam non dico mutationem, sed potius corruptionem inducunt. Galenus Medicorum dogmaticorum Antesignanus, de Vitrioli qualitate sequentibus verbis scribit. Cæterum mirari subit de hoc medicamento, quo pacto adstrictioni admista sit caliditas non instrenua. Constat ergo, quod omnium maximè condire, servareque carnes humidas potest nimirum caliditate humiditatem absumens, atque adstrictione substantiam contrahens atque constipans.

Ex cujus verbis elucet, Vitriolum ipsum, potius qualitatem balsamicam, & carnem conservandi quam malignam obtinere, ob qualem Arsenicum, Auripigmentum, Aconitum, Napellus periculosa sunt, & ulceribus, vel excrescentiis spongiosis, cancrosis, aut callosis imposita, quandoque non tantum dolorem sicuti cætera, malignitatis expertia corrosiva, sed etiam putredine cadaverosa inducta, non solum fœtorem abominabilem, sed etiam veneno cordi per arterias communicato, eadem ferè accidenti quæ alias serpentium morsus inferre solet, de quo exemplum memorabile in Ternario meo bezoardico videre est, cujus contrarium à Vitriolo seu crudo seu calcinato fieri videmus, exceptoque levi dolore, quem ulceribus impositum excitat, putrefactionem astringendi & siccandi qualitate prohibendo, ex sententia Galeni, paulo ante adducta, substantiam carnosam vegetam, & vivam conservat, affluxum humorum ac Synoviam cohibet. Adde multos in arte Medica, viros clarissimos, non tantum robustis hominibus, sed etiam tenellis infantibus, Vitriolum chymico more præparatum, non sine fructu exhibuisse, quod præter vomitum vel qualitatis metallicæ obortum, nullam molestiam, aut offensionem creare solet.

Cum igitur Vitriolum ipsum, omni malignitate carere abundè probatum sit, quis spiritum ejusdem puriorem substantiam, hac infamiæ labe, jure notare ausit, qui nihil aliud est, quam fumus subtilissimus albicans acetosus, ex sulphure separatus & in liquorem solutus. Sulphur autem inquit Galenus, omne trahendi vim possidet, estque temperamenti calidi, atque essentię tenuis, adeò ut multorum animalium venenis resistat. Quod etiamnum à multis, magno ægrorum fructu ad pectoris affectus præscribitur, nec ullius rei fumus ad aerem purgandum, & pestilentem auram corrigendam, atque ad vini conservationem æque efficax est, cujus vapore vina aliquantum imbuta, cæteris paribus à tot millibus hominum quotidiè innoxiè bibuntur, quod vel ipsos Misochymicos non ignorare arbitror, qui fere præ cæteris, vina etiam sulphurata avidissime haurire solent, probe scientes, damnum ex illorum haustu provenions, aut nimiæ vini quantitati, aut

aut peculiari ex terra contractæ qualitati potius adſcribendum eſſe, ex quarum rationum ſolido fundamento patet, Spiritum vitrioli, debita cum aliis liquoribus mixtura, neque corrodendi vim, neque adhæreſcendi partibus internis proprietatem, aut ullam malignitatem in ſe continere.

CAP. XIII.

De Spiritus Vitrioli uſu interno, ejuſque virtutibus.

Diſcuſſis Miſochymicorum objectionibus eorumque de Spir. Vitrioli falſa doctrina, ſolidis argumentis everſa ad ejus ſpecialem uſum accedo, cujus virtutes præcipuæ ſunt ſequentes.

1. Viſcoſam, craſſam & tartaream materiam incidit & attenuat.

2. Etſi extra controverſiam inſigni ſiccitate polleat, nihilo tamen minus, æſtum febrilem, & immoderatam ſitim ex humorum ebullitione ortam, egregiè mitigat.

3. Omnem humorum putrefactionem vi balſamica prohibet.

4. Subſtantia ſubtili & manifeſta penetrandi qualitate poros cutis, & urinæ meatus aperiendo, naturam in expulſione ſuperfluorum humorum adjuvat.

5. Propter moderatam, & blandam aſtringendi qualitatem partium tonum relaxatum corrigit & membra interna probè corroborat. In genere nobilioribus Medicis notum eſt hujus guttulas quatuor aut quinque, cum vini duorum cochlearium menſura aut aqua deſtillata permixtas, contra morborum inſultus, nobiliſſimum eſſe prophylacticum. Neminem quoque ignorare arbitror, quantum Dioſcorides & Galenus ingrato illi aceto ſcyllitico ab antiquiſſimo Philoſopho Pythagora invento attribuerint, quo Romani Imperatores uſi ſunt, eò quod facultate ſua inciſoria quæcunque interna membra pectus vero præcipuè, & ſtomachum à putredine, vi ſiccandi moderata vindicet ac levi aſtrictione corroboret, quibus virtutibus omnia fere medicamenta Spiritus Vitrioli antecellit, utpote, non tantum in convenienti mixtura, ſapore multo gravior, ſed etiam propter ſubſtantiæ puritatem homogeneam, nullo calore, vel frigore, aut longa ætate labefactari aptam, omnibus vero corruptionibus magnoperè reſiſtit. Hic cum conſerva Betonicæ, mane à jejuno, & ſub noctem cubituro ſumptus, epilepticos multum juvat, capitis dolores à cauſa calida avertit, vertiginem abolet, viſum acuit, auditum ac memoriam, nimia humiditate, ac vaporibus labefactam reſtaurat: Cum ſucco Hyſſopi, vel ſcabioſæ ter de die hauſtus, pectus, ac fauces ab omni phlegmate liberat, cum conſerva Roſarum mixtus, ut vix ſenſibilis aciditas appareat, tertio vel quarto per diem, purulenta, & cum ſanguine mixta, excreta fœtida corrigit, ulcera mundificat, & calorem præternaturalem temperat, manè cum portiuncula vini uſurpatus ſtomachum abſtergit, appetitum & ciborum conco-

ctionem promovet, vermes ex alimenti corruptione natos, & internam putrefactionem arcet, halitumque commendat: Remedium verò propemodum incomparabile est, ad hepatis fervorem, alvi & intestinorum nimiam lubricitatem sanguinis, hæmorrhoidumque intempestivum fluxum emendat, ac præclara corroborandi vi corpus vegetum conservat, ac laudabilem hæmatosin tuetur succo Melissæ, aut vino malvatico mixtus, splenis vitio laborantes, & melancholicos, modo corporis squalor & ariditas absit, maximè juniores, somniorum phantasmate, ac cordis palpitatione, ex adustarum fuliginum impetu oborta vexatos plurimum sublevat, scorbuto quoque non imbecillem resistendi vim obtinet. Mollitiem gingivarum cruentam, palati putredinem & anhelitus fœtorem aqua plantaginis, ad gratam aciditatem temperatus, ac quotidiè adhibitus optimè moderatur. In gonorrhæa quoque putrida, & albo mulierum fluore, sequens compositum præstantissimum est. ℞. Rosarum rubrarum siccarum ℥ j. aquæ Alchimillæ ℔ ß. mixtura in cucurbita, calore Balnei Mariæ tribus horis maceretur, cui solutaprius in ea Sacchari finissimi ℔, quadr. tantum Spir. Vitrioli additur, ut gratum acorem acquirat, instar Syrupi Limonum, cujus cochleare unum ægrotanti, mane ac vesperi exhibeatur, nec præsentius auxilium in morbo ungarico, aut febri pestilenti quam ab hoc medicamento exspectari potest, cum sequenti decocto exhibitus.

R. Radicis Scorzoneræ selectæ ℥ j. ß aquæ fontanæ M. j. ß, coquantur ad ignem purum in olla vitreata, ad tertiæ partis consumptionem, cui percolato Syrupi violacei ℥ ij. & Spiritus Vitrioli quantum ad gratam aciditatem sufficit & porro aquæ Cinamomi aut essentię corticum Citri tantillum additur, quo loco potus ordinarii, ad sitim, & calorem febrilem mitigandum putredinem arcendam, hepar recreandum & fuligines cordi molestas per insensilem transpirationem expellendas, pro libitu quoties sitis urget, hauriatur. Idem modus in defectu radicis Scorzoneræ licet utilissimæ cum decocto Hordei observari potest, quod decoctum contra diarrhæam, dysenteriam, febres putridas, Scorbutum, vitioso victus genere utentibus, potissimum verò ad corrigendas aquas impuras, & putridas, militibus terra marique degentibus, maximum præservativum est fœtorem anhelitus ex humoribus calidis, in stomacho putrescentibus, & inordinata diæta collectis obortum, præmisso cathartico, per aliquot dies, in aqua fontana ea quantitate, ut acidularum saporem referat sumptus feliciter emendat, pro aliquibus, etiam sacchari candi & aquæ Cinamomi addi potest, hepaticis autem sequens convenit.

℞. Aq. Cichorei per MB. destillatæ.
Fumariæ.
Rosarum ana q. s.
Sacchari candi.

Spiritus Vitrioli, cujusque q. s. pro rata portione ut saporem dulcem acidus nonnihil superet addita aqua Cinamomi, aut Magisterio corticum Citri

f. Ju-

f. Julapium ultimo in aphtis, (quæ nonsolum pueros in Belgio sed etiam adultos frequenter infestant,) ex corruptione humorum in stomacho & cum febre exortis, & connexu quodam viscidæ, & glutinosæ materiæ, lentes aquaticas, vario tamen colore pro natura humoris peccantis, referentibus Julapium vitriolatum, aut suprascriptum decoctum, Scorzoneræ magnopere prodest, ac cum hæ etiam appropriatis gargarismis detersæ nisi evacuata minera, subinde repullulant, materia peccans commodissime per Vitriolum ipsum sequenti modo subtrahitur.

℞. Vitrioli à suo colcothare extracti, quod vulgo sed improprie Sal Vitrioli vocatur, vel loco ejus Vitrioli albi depurati ʒ. ſ. aquæ card. bened. ℥. ß. Mellis rosati ℥. j. aquæ Cinamomi pro aromatizatione q. ſ. misce. Quæ dosis robustioribus pro vice, debilioribus vero minor, eaq; repetita exhiberi solet, nullum enim medicamentum magis incisivum, aut detersivum, aut quod viscidam & tartaream colluviem magis evacuare possit, unquam comperi quo multos desperatos, & phlegmate à stomacho ad fauces quodammodo repletos, ac pene suffocatos feliciter restitui, quod ad Vitrioli usum, & utilitatem declarandam, hisce addere visum est.

Sequuntur singularia quædam medicamenta, ad supradictos morbos, cum spiritu Vitrioli composita.

Aqua pestilentialis vitriolata.

℞. Rasuræ ligni Juniperi odorati ℔. ij.
Radicis Cardopatii.
Victorialis ana ℔. ß.
Exter. cortic. Citri siccat. ℥. iij.
Misce.

Omnibus incisis in cucurbita vitrea tantum vini malvatici, quantum ad moderatam humectationem sufficit affundatur & totum mixtum per 6. dies lento calore maceretur, eiq; in plures cucurbitas distributo, aquæ fontanæ mensuræ sex addantur, & probe clausis vasis destillatio instituatur, aquæ egressæ spiritu Vitrioli, ad aciditatem redactæ, salis Junipori, summa diligentia præparati, & granulati ʒ vj. jungantur, quæ in vitreis vasis, cum subere, & cera flava obturatis servanda est, præservativi loco tempore pestis mensura cochlearis circiter pro dosi exhibenda, infecto vero, & actu laboranti alterum tantum, vel plus etiam offeratur, idq; ter vel quater per vices ad sudorem eliciedum, donec cor à veneni insultu, totumque corpus à febre immune evadat, sub finem paulatim dosin minuendo; Atque eodem modo, in omnibus febribus malignis, ardentibus, ungaricis, & quibuscunque aliis in quibus sudor necessarius est, nec purgatio per vomitum, aut sanguinis missio aliud suadeat aut iisdem præmissis, hæc aqua præscribenda est.

Syrupus dysentericus vitriolatus.

℞. Rad. Tormentillæ ℥. iiij.
Cort myrobal. citrini.
Sem sanguinariæ.
Rosar. rubr. diligenter exsiccat. ana ℥. ij.

 Inci-

Incisis radicibus Tormentillæ semine sanguinariæ & cotic Myrobalanorum parum contusis, sufficiens quantitas aquæ fontanæ affundatur, atque 4. vel 5. horis coquantur ad remanētiam ℔.iij. cujus decocti percolati libræ uni, adhuc ferventi rosæ infusæ, & probè tectæ per noctem macerentur, eique in vase vitreo spatula lignea agitando, guttæ spiritus Vitrioli 80. addantur ita ut instar sanguinis rubescat: Altera decocti pars cum sacchari ℥.xij. ad debitam spissitudinem coquendo redigatur, ac porro omnibus commixtis olei cinamomi guttæ 6. instillentur, & syrupus hoc modo absolutus, in vitro ad usum servetur. Præstantissimus est ad dysenteriam astringendi indicatione obvia, præmisso uno, aut altero infuso Rhabarbari, quod acres & adustos humores, venas & intestina corrodentes leniter subducat, doloribus vero majoribus oboriri incipientibus clysmata lenientia & glutinantia, non neglecta diæta adhibenda sunt, ad loca exulcerata persananda, hinc fluxu nihilominus diutius permanente aliquoties in die ℥ ij. aut etiam ℥.iij. hujus syrupi ægro exhibeatur cum aqua Bursæ pastoris, vel plantaginis mixti: In hoc enim morbo præcipuè, magno cum judicio astringētibus uti convenit: Etenim haud pauci, intempestivo eorundem usu, in magnum vitæ discrimen, imo ipsam mortem præcipites acti fuere. Parratio & usus hujus syrupi est, premissis premittendis, in diarrhæa lienteria, in fluore uteri albo & rubro cū facultatem retentricem firmare, & relaxatas partes multum corroborare possit. Interim in potu ordinario, spiritus Vitrioli simul administratur non, obstante obstrepentium Medicorum turba qui in hoc casu, excoriatione sc. partes infestante ab eo abstinendum esse docent, cum ea quantitate liquoris misceatur, ut vim corrodendi penitus amittat. Denique cum ulcera hæc primum mundari, secundo exiccari, & ab affluxu novi humoris, per astringentia præservari postulant, nullum autem medicamentum, has omnes intentiones perfectius compleat, non est quod quis sciolorum vanas ratiunculas multum moretur: Præcipue cum etiam ipsimet syrupos de Berberis, de Ribes, de succo Citri Cydoniorum Granatorum, de pulpa Tamarindorum, & ipsas acidulas in hujusmodi affectibus præscribant, nec solum robustos homines sed etiam puerulos tenellos quorum facultates retentrix, emulsionibus lubricantibus, usque ad periculum vitæ labefactata fuit hoc spiritu in aquis destillatis in Syrupo Rosarum aut Violarum oblato à limine mortis revocavi. Quod si tales Medici hæc secundum rectæ rationis trutinā, expenderent, modo judicii, & mediocris Doctrinæ compotes essent, rem ita se habere deprehenderent, sed non pauci aliquatenus docti, superbia inflati spretis rationibus, ac vera rerum naturalium disquisitione, (quæ infinita quodammodo est) neglecta, unica sua authoritate, fraude quandoq; & dolo acquisita, maxime apud imperitos, qui etiam somnia pro oraculo habent, ad multorum perniciem abutuntur.

Syrupus pectoralis vitriolatus.

℞. Foliorum Tussilaginis
Betonicæ
Botrios
Florum Symphyti
Violarum
Malvæ
Rosar.rubr.
Papaveris rhœadis
Jujubarum n.xL.
Sebesten n.xx.
Dactylorum n. x.xij.

Glycyrrhizæ ℥.ij. Misce Incisa, & cum s. q. aquæ fontanæ ad consumptionem tertiæ partis coquantur, decoctum autem percolatum cum ℥. xviij. Sacchari ad Syrupi consistentiam redigatur, cui in vase vitreo, non plus Spiritus Vitrioli, quam ut vix sensibilis aciditas, ex eo deprehendatur misceri convenit, ad moderatissimam abstersionem, putrefactionis aversionem, partis exulceratæ modestam exsiccationem, nec non qualemcunque humoris influentis repulsionem, & consolidationem introducendam. In genere, ad omnem pectoris obstructionem, Phlegmatis, aut purulentæ materiæ collectionem, etiam in ipso pleuritidis statu ad expectorationem sodisponendo, dosi eadem, qua cæteri Syrupi pectorales, cochlearis mensura circiter aliquoties in die sumptus plurimum prodest.

Confectio de Rosis siccis vitriolata.

℞. Sacchari albissimi ℥.xvj. coquatur in s. q. aquæ Rosarum odoriferæ ad consistentiam electuarii, cui pulveris rosarum rubrarum ℥. j. cum sufficienti quantitate Spiritus Vitrioli misceatur.

Usum habet egregium, in stomachi pituita repleti detersione, appetitus ciborum promotione, languoris in hepate, & anhelitus fœtentis correctione, in dysenteria & quocunque sanguinis fluxu immoderato sistendo ac ut verbo dicam, in omni affectu, ad quem corroborantia, & exsiccantia requiruntur manè ac vesperi, quantum cultelli cuspide capi potest, maximo cum fructu adhibetur.

Usus externus Spiritus Vitrioli.

Spiritus Vitrioli, ob qualitatem sæpius repetitam, non infimum quoque locum in chirurgia obtinet. Primo enim cum melle rosato, ulcera putrida probe mundificat, cum aquæ Plantaginis debita quantitate mixtus ad acorem acidularum solummodo accedat, pannis lineis exceptus, externarum partium inflammationes sistit; Contusis ac luxatis membris, eodem modo, cum vino vel decocto tormentillæ aliquoties calidè applicatus pericula oboriri solita avertit, & quod ferè præcipuum est, in ejusmodi casibus, cum spermate Ceti temperatus, synoviam, seu ichorem in articulis luxuriantem præcavet: Cum aqua Rosarum, in minima tamen quantitate, admixto saccharo candisato viscosum oculorum excrementum aliquot guttulis instillatis, & pustulam in cornea extergit. Contra gangrænã musculosarum partium ℞. Oxymellitis scyllitici ℥.j. farinæ Fabarũ Myrrhæ ana ʒ.ij. spirit. Vitrioli q.s. ad moderatã acrimoniã, quod medicamentũ aliquoties loco affecto secũdũ artẽ applicatũ car-

carnem emortuam à viva separat. Aqua Tormentillę ad modicam aciditatem temperatus linteoque exceptus, & præmissis generalibus, per aliquot dies impositus, procidentiam ani inhibet.

Sequitur usus & dosis Spiritus vitrioli.

Præservationis causa cum liquore aliquo hujus spiritus guttæ 3. 6. vel 8. sumuntur, cum conservis vero, & electuariis tot quot ad gratum acorem sufficiunt: Vitrum in quo servatur, longo & angusto collo, orificio verò lato constet, ut commodè guttatim depromi possit, illudque subere & cera, cum aliqua parte Therebinthinæ mixta, ac particula vesicæ superinducta obturari debet. In mixtione hujus cum medicamentis observandum, ne unica vice, major quantitas infundatur, & sæpius de justa quantitate gustus consulatur vas in quo servatur miscetur aut etiam exhibetur nihil metallicum ulla in parte contineat. Ab hujus usu, quantumcunque in aliis laudabili, omnibus abstinendum, qui febri hectica, ficciore temperatura capitis ac nervorum laborant, splenis vitio cachectici, aut prolixiore morbo consumpti sunt, & ad paralysin, spasmum, catalepsin aut marasmum proni sunt, aut à corrosivis internam in faucibus ventriculo vel intestinis inductam exulcerationem patiuntur: Nec mulieres mensium suppressione laborantes, aut bilis in ventriculum effusione vexati, antequam illa cathartico evacuata sit eo utantur, illi vero etiam quibus prodesse solet, non nisi cum ratione, & certo moderamine usurpent, quemadmodum in omnibus aliis, non solum medicamentis, sed etiam cibis aurea mediocritas servanda est.

APPENDIX.

De signis diagnosticis, quibus veri artifices Spagyrici, à Pseudochymicis discernuntur.

1. MErito suspecti habentur, qui primam dari materiam Philosophorum, tum ad quorumcunque morborum curationem, tum ad metallorum transmutationem, multis, iisque ad ostentationem & fraudem comparatis rationibus probare conantur.

2. Qui ex auro, quod nec summa ignis violentia, aut ullo corrosivo cogi potest, ut vim suam metallicam penitus exuat, se liquorem potabilem verum sine peregrina mixtura conficere posse jactant.

3. Qui non solum colorem, & innatam tincturam ex omnibus metallis lapidibus pretiosis, sed etiam Spirtus olea, & sales, non minus ac ex vegetabilibus, se separare posse profitentur.

4. Qui ex Talco corpore illo metallico & incombustibili, balsamicum & temperatum liquorem, ad perpetuam faciei venustatem promittunt.

5. Qui veram corallorum tincturam, ejusdem cum ipsis corallis coloris, saporis & temperamenti, majoris tamen virtutis ad epilepsiæ & melancholiæ curationem venditant, & ex ipsis Margaritis talem quintam essentiam, quæ humidum

dum radicale absumptum melius, quam ullum aliud simplex, aut compositum restituat.

6. Qui catharticum ex Antimonio pollicentur tantum per inferiora purgans æque benignum, ac ipsum Rhabarbarum aut Manna, quæ radicitus tamen sine discrimine omnem materiam peccantem evacuant.

7. Qui de sulphure anodyno ex vitriolo parato gloriantur, ad omnem fervorem mitigandum, doloresque quoscunq; sistendos confortando solummodo, non stupefaciendo, quemadmodum Opium & Hyoscianus operantur.

8. Qui essentiam sacchari somniant, cujus quinque guttæ, majorem dulcedinis vim complectantur, quam integra sacchari libra.

9. Qui talem essentiam vini, quæ aquam in vinum perfectum, naturali penitus simile, tartaro, spiritu, omnibusque perfectionibus transmutare valeat, artis beneficio se consequi posse aliis persuadent.

Pro conclusione, omnes illi, qui talibus portentosis promissis, quorum ne minimum, re ipsa præstare possunt, multum gloriantur, tanquam Agyrtæ & impostores habendi sunt, licet ab aliquibus, qui facile vanis persuasionibus ducuntur, tanquam profundi arcanorum naturæ scrutatores, suspiciantur, magniq; fiant, & contra ab iisdem ingenui, sine ostentatione quantum in artis potestate est, exhibentes negligantur. Quocirca admonitionis & epilogi loco, fateor me talia magnalia nondum assecutum, quantum autem ipse manuali operatione & propria experientia comperi, sine invidia communicare volui, atque hic meliorem docentem semper sequi paratus, vela contraho.

FINIS.

TRACTATUS
DE PESTE,

Quid Pestis sit.

PESTIS (prout ab omnibus Medicis Dogmaticis & Rationalibus definitur) est febris continua, acuta & maximè formidabilis, ab infectione aeris maximè maligna & venenata proveniens, quæ temporis circuitu jam hanc, jam illam regionem afficit, partem hominum, & principaliter illos attingens, qui per defectum naturæ, vel sympatheian occultam ad eandem suscipiendam subjecti atque dispositi sunt; eodem modo, quo verbi gratia, pravas nebulas atque pruinas, decidentes in sylvas, certas tantummodò species arborum, sine nocumento reliquarum offendere videamus. Ratione contagii sui veteribus Pestis Epidemia dicta fuit, quasi dicas morbus popularis, quamvis hoc nomen aliis etiam impositum sit, qui ordinariè populum communiter invadunt, ut sunt variolæ, morbilli, diarrhæa, dysenteria, & alii, qui quanquam etiam à malignitate proveniant, nihilominus cum sint alius generis, nolumus eosdem cum vera, propriéque dicta peste confundere, de qua tantum impræsentiarum nobis tractandum.

De respiratione & necessitate ejusdem.

Respiratio vel acris attractio tam necessaria est hominibus, ut sine eadem vivere nequeamus. Necessitatis hujus duplex causa est; primo, cum homo sit ex quatuor elementis compositus, necessarium est, ut iisdem, tanquam à matrice ac nutrice sua, nutriatur & conservetur; quia quidlibet per simile conservatur: altera causa est Cor, quod cum singulari providentia tanquam Sol parvus, in corpore conditum sit, ut per subtiles spiritus, qui in eodem ex sanguine generantur, mediantibus arteriis, calorem, vitam ac vigorem omnibus partibus majoribus ac minoribus communicet, respiratione, & aeris refectione indiget, quo calor ejus excedens temperetur, & in operatione sua perfectus & integer

integer conſervetur. Si enim ob accidens aliquod, renovatio & humectatio, quam habet à reſpiratione, deficiat, protinus præter naturam inflammatur, unde ſubſtantiam ſolidam, & laudabiles corporis humores, conſumit & exſiccat, ſicuti videmus in phthiſicis & aliis ægrotantibus. Reſpiratio ſi cui deficit, protinus debilitatur, & calor ejus inflammatur, ſicut fit in igne claro, qui in medio furno deſtillatorio ſolet accendi, quò plura vaſa & inſtrumenta majora minoraque calefaciat, cui ſpiracula obſtruantur, quò minus aëris eventilatione gaudere poſſit. Hanc ob cauſam ſummus Architectus corporis noſtri, videns reſpirationis neceſſitatem, pulmones cordi conjunctos fabricavit, qui ſunt de ſubſtantia totaliter ſpongioſa & perforata, more calamorum cartilagineorum, & ſe dilatando magnam aëris copiam per fiſtulam gulæ trahunt, more follis, quibus ſe cor cum ſpiritibus ſuis recreat ac renovat: poſtea ſeſe claudendo & demittendo vapores fuliginoſos & aduſtos à calore vehementiori prodeuntes rejiciunt, ut hac ratione cor pulmonum reſpiratione non tantum temperetur ac refocilletur, ſicuti diximus, ſed conſequenter etiam omnes ſpiritus vitales, qui prodeunt ab eodem tanquam rivuli, ſeſeque per totum corpus diſtribuunt, mediantibus arteriis utpote cum illeq quoq; per dilatationem aërem frigidiorem attrahant, & viciſſim ſe ſe contrahendo calidas fuligines expellant, qualis motus eſt pulſuum, quos hinc & inde diverſis in partibus noſtris percipimus.

Quomodo aer peſtilentialis nos inficiat.

Quemadmodum v. aër nos ambien purus & benignus reſpiratione ordinari per pulmones, & tranſpiratione per arterias attractus prædictos bonos effectus producit, nimirum recreationem cordi concilians, & ſpiritus vitales, per quos vita noſtra defenditur ac conſervatur, reſtaurans: Ita contra aër in in ſua natura alteratus, & per malignam ſubolentiam admiſtam vitiatus contrarios effectus producit. Ponamus enim vitales ſpiritus tam ſubtiles, claros atque puros, ut minima res iiſdem contraria mox eoſdem offuscet atque perturbet, quemadmodum vapores terreſtres claritati aëris, & minima etiam immunditics puritati & ſapori tranſparentis cujusdam aquæ diſtillatæ officere ſolent: tanto magis eosdem cauſa maligna, violentaque, qualis eſt infectio peſtifera, corrumpet & alterabit, quæ per inſpirationem cordi communicata, protinus illud inficit. Quod ſi contrà robuſtiores & vegeti (quẽ admodum uni magis quàm alteri accidere poteſt) dictam materiam malignam repellant à corde, ſeparando eandem ad alios humores, & partes corporis fit pugna, diverſis ſymptomatibus obortis, ubi ſpes aliqua curationis & adminiſtrationis remediorum oritur: at ſi ſpiritus aliter diſpoſiti ſunt, & infectio vires eorum ſuperat, ſuffocantur, & mors prima, ſecunda ve die, cum urina bona, totaliter ſanorum urinis ſimilima, ſequitur. Malignitas enim ſolùm cor occupat, non attingens humores, qui

urinas continent, & à quibus urinæ ſeparantur, unde ſequitur, quod naturalis permaneat, nec ullum ſignum affectus periculoſiſſimi demonſtret.

Cauſæ, quæ communiter aerem corrumpunt & inficiunt.

Cauſæ, quæ faciunt ad aeris infectionem diverſæ ſunt, nimirum cœleſtes, & terreſtres, & utræque mixtæ. Per cœleſtes malas influentias Planetarum intellige, quæ in res ſublunares impreſſionem faciunt, ut enim gubernatio Reipubl. totaliter legibus ſubjecta eſt, ſic etiam omnes actiones inferiores mundi corporum cœleſtium curſui & motibus ſubjiciuntur, quæ per fauſtos concursus & aſpectus fertilitatem & abundantiam bonorum, concordiam, ſanitatem & proſperitatem, per infauſtas conſtellationes annonæ charitatem, bellum, morbos & alia mala portendunt. Non ergo mirandum, quando motus & operationes internas corporis humani, (quod à Philoſophis Græcis Microcoſmus, vel parvus mundus dicitur:) & particulariter naturam ſeptem membrorum principalium, quæ ſeptem Planetas repræſentant, obſervamus, (quamvis hæc Philoſophia calumniatoribus quibusdam ridicula videtur:) certiores reddimur, quando Lien, quem Paracelſus Saturnum appellat, vapores de vitioſo ſuo humore extra ſuam regionem & curſum naturalem emittit ad cor, quod ille Solem appellat, vel ad cerebrum, quod ipſi Luna eſt, illud ipſum cauſare timorem, debilitatem, triſtitiam, phantaſticam impreſſionem & imaginationem, memoriæ perturbationem & diverſa alia accidentia. Sic etiam Fel, Martis nomine ab eodem inſignitum, ſuas ſuperfluitates & vapores præter naturæ motum ad cerebrum, quod habet rationem Lunæ, trànsmittens, cauſa eſt cephaleæ, maniæ, furoris, rabiei, & aliorum morborum, quemadmodum, ubi ſeſe ſupra jecur, (quod Jovis nomine venit:) offundit, febres, ardores, aliaque accidentia producit, quod etiam in aliis partibus corporis accidit, ubi contra naturæ curſum movetur. Jam verò ſi tales alterationes corpora noſtra prehendere poſſunt ob inordinariam influentiam & operationem prædictarum partium, planetas in parvo mundo repræſentantium, idcirco non difficulter perſuaderi poſſumus, quod conjunctio & concurſus Martis atque Jovis, Saturni cum Luna, & alii maligni Planetæ cum bonis, Spiritus noſtros alterare poſſint, reddendo nos ægros & morientes cum elementa ſecunda noſtri corporis, ſpiritus atque ſenſus ab iis dependeant, quemadmodum caro & ſanguis ab alimentis, quibus per nocumentum aliquod corruptis & depravatis loco nutritionis & refectionis contrariii effectus producuntur. Quod hoc ita ſit, ſicuti diximus, omnes Philoſophi, Aſtrologi, rerum naturalium ſcrutatores & prudentes Medici confirmant, experientia concordante, & continuò idipſum demonſtrante, ut nulla contradictionis occaſio relinquatur. Non tamen ejuſmodi regimen Planetis eſt attribuendum, quaſi rebus ſublunaribus absque conditione, abſolutè imperent, quod Ethnici crediderunt, & ens inſtar

instar Deorum adorarunt; quia sunt tantùm causæ secundæ quæ dependent à motu primæ, quæ est Deus ille, qui creavit ipsos, utpote qui nullo modo se commovent, absque ductu Creatoris sui, qui per admirabilem suam providentiam illos gubernat, & secundum suum beneplacitum in æquitate & justitia disponit.

Inter causas sublunares aërem inficientes, est vehemens & inusitatus calor, qui summam humiditatem sequitur, qualem per annum hunc in tota hac regione vidimus: sicut etiam ventus meridionalis frequenter regnans, quamvis hæ duæ causæ à quibusdam etiam ad cœlestes referantur. Porrò aquæ corruptæ stagnantes de fœtidis paludibus ad inferiores causas etiam pertinent, quæ manifestò faciunt ad aëris infectionem: cloacæ quoque publicæ, quibus totius civitatis immunditics colligitur: fœtida quoque exhalatio cadaverum non sepultorum, quod interdum post cruenta bella, crudelesq; strages fieri consuevit: maxima hominum congregatio conjunctim facta, quod in bello, navibusq; sæpius accidit: vapor fœtidus lini vel cannabis, quando macerantur & humectantur in aquis stagnantibus: spurcities macelli publici: congeries fœtida fori piscium: superfluitates coriariorum: cadavera bestiarum & carnes putridæ, in aquis vel campis propè civitates relicta, & aliæ immundities: finaliter verò prava nutrimenta, quib. pauperes ac milites uti sæpius coguntur, qui crudis aut aliis impuris ac sordidis rebus vescuntur, & aquas insalubres bibunt, qua ratione sanguis iisdem corrumpitur, & spiritus inficiuntur, unde morbi maligni contagiosi, nec non ipsa pestis oritur, quę postmodum paulatim sese extendit, & sępè divites etiam, & qui pro voluntate sua vivunt, invadit. Sic interdum etiam provenit à veneficis, sagis, quæ cum non possunt malitiosam voluntatem nocendi ad actum traducere, protinus ictu quasi primo, pulveres venenatos per prata spargunt, quibus pecudes inficiuntur, unde paulatim postea magnum contagium hominib. etiam communicatur. Idipsum etiam absq; culpa talium malitiosorum hominũ accidere potest. Scilicet, quando pecudes ob causam depravati vaporis terrestris, aut pruinæ venenatæ, quib. herbæ campi corrumpuntur, venenũ hauriunt, cujus rei exemplum in hac regione sub initium Maji mensis vidimus. Tunc enim, quando post excessum caloris circa meridiem copiosi vapores è putido solo assurgunt, qui aërẽ turbant, & inferius per aquas atq; prata fumare solẽt, instar crassarum nebularũ autumni, protinus infectio pecudũ subsequi solet. Sæpè contrarium accidit, ut causæ inferiores & cœlestes conjunctim operentur, ubi pestis magis universalis & pernicisior est. Atq; hæc de causis pestis in generali, quę nihil aliud sunt, quàm causæ secundæ & instrumentariæ. Vera enim causa antecedens & originalis pestis est, Ira Dei inflammata super nos ob grandia & horribilia peccata nostra, & plus quam bestialẽ ingratitudinem beneficiorum, nobis præstitorum quam Deus nos castigando & corrigendo per motum causarum secundarum operatur, instar fulminis cœlestis, quod sylvam aliquam tangit atq; incendit, quod ipsum absoluta quoque potestate Deus

 faceret,

faceret, si placeret, absque adjumento rei cujusdam intervenientis.

De signis & præsagiis, quæ pestem futuram denunciant.

Inter causas supradictas aerem inficientes inveniuntur, quæ etiam indicia pestis futuræ dici possunt, sicut est excessus caloris, cum subsequente humiditate continuata, & venti meridionales diu flantes. Inter Prognostica pestis est etiam cometes, jaculum & aliæ figuræ ardentes, diutius in suprema aeris, regione subsistentes, quæ communiter subjacentibus regionibus status mutationem, aut crudelem interitū minantur. Similiter signum infallibile pestis est copia ranarum, bufonum, locustarum, serpentum, limacum, murium erucarum & similium insectorum hinc & inde sparsorum: Sicut etiam extraordinaria copia piscium, tam in mari, quam in fluminibus. Eodem modo variolæ, morbilli, dysenteriæ grassantes sæpissimè sunt præcursores internuncii pestis, sicut etiam alia signa naturalia, quæ brevitatis causa hic omittimus.

De præservatione contra Pestem.

Quia verò (juxta commune Proverbiū facilius & minori negotio domus aliqua defenditur ab incendio, quam tunc temporis, ubi interius flamma jam grassatur, adeoque facilius etiam est, ut homo sanus pestem fugiat, quam ut curetur, qui jam infectus est, idcircò proposito conveniens videtur, ut primo de præservatione, postea de curatione pestis agamus. Dum a tanquā Christiani nob. in animum revocamus ante causas omnes pestis primariam esse Iram & Indignationem Dei contra nos, sicut diximus; primarium ac præcipuum præservativum erit iram Dei placare, sine quo remedio reliqua omnia frustrà nobis adhibentur. Medium verò, quo placamus & averruncamus iram divinam, sunt lachrymæ cordis contriti, cum ferventibus precibus, ad obtinendam peccatorum remissionem. Hinc igitur ante omnia quilibet (quando ita Deo peste populum aliquem visitare placuerit) sollicitus sit de seipso, & quamprimum ad medium illud recurrat, eapropter ut per preces nostras, in merito Salvatoris nostri Jesu Christi fundatas, misericordiam à Deo Patre obtineamus, quò propter infinitam clementiam suam pœnam hanc à nobis auferat, vel ad minimum si ita placuerit eidem, nos castigare, ne illud ipsum fiat in condemnationem & destructionem nostram, sed ut corrigamur, ad eundem convertamur, & quoad animum perficiamur: ut à malo liberati, gratias eidem in perpetuum agamus eidemq; magis obedientes reddamur. Quod si placuerit eidem, nos ex hoc mundo avocare, (quemadmodum necessariò semel vel peste, vel alia ratione moriendum est) ut animam nostram in Regnum cœleste gloriosum recipiat, quod fidelibus suis præparavit, ubi nec Diabolo, nec morti, nec peccato, nec ulli corruptioni quidquam potestatis, ubi possidemus veram quietem, perfectum gaudium, nos in præsentia nostri Creatoris unicè delectando. Quicunq; taliter se præparabit & constanter resolvet, illi idipsum certissimum remedium contra pestem erit, ea propter quod timidiores & consternati plerumque sub initium cōtagionis afficiantur. Et posito, quod pestis unicum tantum hominem occidere, reliquis autem in Republ. quadam parcere debeat,

debeat, nihilominus nullus tam ignavus in eo, quod cuivis accidere potest, id quod eò magis nos incitare debet, quando locum aliquem occupatum ab infectione videmus, ubi rarissimè quarta pars inquilinorum alicujus domus infectæ remanet, quæ non occidatur & absorbeatur, ubi contagium prehenditur. Quod sufficiat hac in parte dictũ, ut satisfiat meo officio quantum attinet admonitionem illam, ubi quod superest ad fideles Ecclesiæ Ministros & Pastores, atq; consolatores ægrotantium remitto, procedendo ulterius in discursu nostro ad ea, quæ propriè Artem meam concernunt.

De Aere, & quomodo tempore Pestis corrigatur.

Facta reconciliatione cum Deo nostro & spe nostra fundata super misericordia & elementia sua paterna; veniendum erit ad media naturalia, ubi præcipuum ac primarium præservativum contra pestem est, omnem occasionem ac formidinem ejus fugere, nec non, si fieri potest absque incomoditate, damnoq; proximi, protinus ab infecto aere longissime, quantum fieri potest, secedere, & in loco sano commorari tamdiu, donec infectio totaliter desierit. Verùm ubi Respubl. nostram præsentiam requirit, vel etiam aliàs conditio & status minime permittit, ut abeamus, aut si malum undique totam regionem occupat, ita ut vix locus aliquis securus inveniatur, tunc animosi simus, & ad voluntatem divinam nos conformemus, inquirendo media præservativa optima, inter quæ primo loco cogitandum de correctione & alteratione aeris, quæ inconvenientiis ejus resistat. Ut autem hoc exequamur, ante omnia (quibus possibile est) habitationem eligant amplam, amœnam & puram, quæ sit in loco perspirabili, remoto ab omni immunditie, & à domibus mechanicis, in quibus candelæ, coria, sapones & similia conficiuntur. Porro si pestifera lues grassatur à parte orientis, vel occasus, necessum est, ut fenestrę ab ea parte claudantur, oppositis apertis versus septentrionẽ si contagium hîc oritur, contrarium faciendum, ubi tamen semper ventus meridionalis suspectus sit, tanquam fovens & promovens aerem pestiferum, ob superfluam suam humiditatem cum calore conjunctã, ad correctionem suam contrarias qualitates requirens, nimirum frigiditatem & principaliter siccitatem, utpote cum siccitatis sit humiditatem consumere, quæ unica corruptionis & putredinis omnium rerum causa est. Hoc optime perpendens Hippocrates aerem Athenis & in Græcia per accensos ignes purificat, ex lignis odoriferis continue in medio platearum & domuum conflagrantibus quam ob causam Athenienses eidem Statuas erexerunt, & divinos honores attribuerunt. Hinc ad aeris contagiosi purificationem nihil melius flamma, maxime quando per balsamicam & odorabilem materiam alitur. Quod ipsum Excellentiores Medici, qui de peste scripserunt, observare voluerunt, dum jubent frequentes ignes in cubiculis excitandos esse, simul etiam curiosè res istas combustibiles seligendo, unde volunt, ut verno tempore, comburamus salviam, lentiscum, surculos vitium, myrti, santalum album & alia ligna frigidioris qua-

qualitatis, item quod hinc inde per cubicula flores violarum, rosarum, folia vitis, flores Nymphææ, aqua rosar. flores Arantiorum spargendi sint, aliis etiam simplicioribus & compositis effumigationibus refrigerantibus excitatis. Porro hyberno tempore flamma fiat foliis & lignis Lauri, Arantiorum, Cupressi, Cinamomi, Juniperi, Sabinæ, Rorismarini, Lavẽdulæ aliisque aromaticis, fumus itidem excitetur Benzoino, Styrace cal. Ladano, Thymiamate, Ambra, Moscho & aliis rebus odoriferis calidis, quas omnes enumerare tædiosum esset. Sed nos (qui in nullius juravimus verba Magistri) potius essentiam & rei necessitatem, quàm externum apparatum respiciendo, medium præscribimus ad aerem infectum purificandum, quòd maximè efficax erit, quodque omnibus in locis, ubi sunt pharmaceutices officinæ, pro divitibus & pauperibus præparari poterit, cujus usus absque discrimine cunctis conveniens erit, quod hoc modo conficitur.

Trochisci contra pestem pro fumo.

℞ Flor Sulph. vel ejus loco Sulph. flavi crudi ℥j.
Benzoini cl.
Myrrhæ el..
Caryophyll. ana ℥j.

Fiat subtilissimus pulvis ex his omnibus ubi primò caryophylli, tanquam duriores præ reliquis pulverisentur, postea cum s. q. mellis Juniperini, h. e. substantia baccarum Juniperi per bullitionẽ cum aqua extracta, post expressa & ad consistentiam mellis cocta, fiat massa in mortario de qua parvi trochisci formentur, qui exsiccentur & ad necessitatem reserventur.

Parva candela pro fumo contra pestem.

℞. Carbonum salicis vel Coryli ℥ij.
Fl. sulphur ℥j.
Benzoi opt.
Myrrhæ el. ana ʒß.
Caryophyll. ℈ß.

Similiter ex hisce fiat pulvis subtilissimus, & cum glutine Ichthyocollis fiat massa, pro formandis candelis parvis, more earum, quæ ad odores bonos excitandos alio tempore reformantur.

Acetum compositum pro fumo excitando tempore pestis.

℞. Rosar. rub. exsiccat.
Absynthii Rom.
Cort. exter. citri exsic.
Myrtyllorum ana ℥ij.
Rad. Carlinæ.
Santal. ol. odoriferi an. ℥j.
Camphoræ ʒj.
Aceti vini potentiss. Mens. 1.

Incidenda incidantur, & contundenda contandantur grosso modo, & infundantur omnia in vase vitreo bene clauso, digerantur per 40. horas, deinde colentur & ad usum reserventur.

Usus præcedentium suffumigiorum.

1. Tempore pestis regnantis nihil melius est, quàm ignem luculentum in cubiculis alere, juxta modum supradictum. Hinc ergo curam habeamus ignis accensi minoris ac majoris, pro ratione temporis, & amplitudine cubiculorum, ex ligno quercino, fagino, vel alio, quod nobis suggeritur. Postea singulis diebus matutino

tino tempore, postquam è lecto levati sumus, & vesperi, priusquam cubitum eamus, clausis fenestris (egrediendo cõclavia) in medio ipsorum prunis ardentibus injiciatur prædictorum Trochiscorum pro fumo pauxillum, vel de candelis præparatis duæ accendantur, quæ carbonis instar comburantur, fumo dissipato rursus ingredere, & sic permutatione facta, totius domus cubicula purificentur. Postea per totum diem leviter effumatio fiat hinc & inde in tota inhabitatione per acetum compositum, ubi in promptu sint ignitabula, parva vitreata, quæ sint instar parvarum fornacum, locum primo cum crate tenentium, cui carbones accensi immittãtur, cui subsit spatium ad cineres defluentes recipiendos, item foramen vel perspiraculum, ad alendum ignem, & superius catinum parvum, cui aceti prædicti uncia una immittatur unavice, quorum ignitabulorum tria vel quatuor hinc & inde calefacta ponantur in angulos hospitii, simul observando, quò semper eò usque ignis immissis carbonibus alatur, qui ad cooperationem subtilem aceti, sine manifesta ebullitione sit sufficiens, ut nihil, præter effumationem, percipiatur. Quod pauperes concernit, qui commoditatem plurium cubiculorum non habent, & qui semper in uno conclavi communi esse coguntur, cum suis, his sufficiat, ignitabulum unicum cum prædicto aceto, possuntque sulphuris fumos excitare, quanquam in habitatione permaneant, collocando suffumigium in locum illum, ubi maxima pars excitati fumi per caminum evolat, transpirationem cubiculis concedendo, vel apertis januis, vel fenestris, donec crassior sulphuris odor sit dissipatus, & quis absque noxa, nauseaque perferri possit. Si autem pauperum indigentia tanta, divitumque charitas tam minuta, ut etiam tali suffimigio destituantur, tunc loco trochiscorum & candelarum prædictarum sulphure crudo nec non loco aceti compositi, simplici tantum utantur, ubi vicem ignitabuli simplex etiam terreus catinus prunis ardentibus superpositus sufficiet, ut aceti exhalatio fumosa fiat. Quod si superciliosus quispiam & arrogans objiciat, sulphuris substantiam esse nimis calidam & fœtidam, & quod potius temperatis sit utendum, iis que aromaticis, odoreque nobis gratissimis? huic respondemus, quod tempore pestis non principaliter eò respiciendum sit, ut temperata & bene odorata adhibeantur, eapropter quod sit ejusmodi infectio maligna ac vehemens quæ non magis per odorem Rosæ, Violarum, Arantiorum, Iridis, Storacis, Santali, cinamoni: moschi, Ambræ, Zibethi, & aliarum rerum odoriferarum domatur, quàm fortitudo vel rabies Leonis per agni resistentiam, vel propriè magis loquendo, maximum venenum Arsenici per usum Sacchari Candi, perpendendo, quod non hîc intentio sit, aërem ob simplicem aliquem fœtorem corrigere odorabili, sed potius resistere subtili vapori, vel spiritui venenato, qui non domatur aut corrigitur, nisi per spiritum seu vaporem alterius rei suæ naturæ contrarium, cui respectu ipsius sit prædominium. Hinc inter omnes res naturales nulla hîc est supra sulphur, quod (instar ignis a-

tualiter omnem humiditatem consumentis)potentissimè omnē corruptionē & venenum alterat, & sicuti liquor ipsius omnes aquas viscosas, putridas, ipsumq; vitium turbatarūatq; corruptarum purificat, vicissim clarificando, sic etiam vapor atq; spiritus ejus effumans in accensione præcipitat & abigit omnem aëris corruptionem, eundem clarificando, purificando, nec non de eodem omnem noxam abigēdo, quam ob causam usus ejus meritò magnifit, qui propter calorem minimè damnatur, co usq; ut ipsa quoq; flamma ignis inter ea, quæ aëris infectionem corrigant, à nobis primo loco ponatur. Adde simul, quod sulphur, calidum sit in sua integritate, resina modo ardens, non tamen affirmari possit, quin spiritus ejus, vel vapor iste acidus, qui ab eodem separatur, & sese in aërem ardendo resolvit, qualitatis sit calidæ: Si enim cum omnibus Philosophis & Medicis classicis confiteri debemus, res acidas frigidas esse, sive sit per se, vel ex accidēti, simul idipsum etiam de vapore sulphuris pronunciandum erit, qui secundum artem vitreis instrumentis collectus sese in liquorē coagulat, quem communiter oleum sulphuris nominamus, quod hodie, sicuti notum est omnibus Medicis, frequentis usus est in febribus calidis & ardentibus, tàm ut humorum putredini resistat, quàm ut excessum caloris febrilis extinguat, & sitim sedet: & verè dicimus, quod quemadmodum vinum optimum integritate sua permanens calefacit, idq; in acetum alteratum refrigerat, sic etiam idipsum verum est de sulphure, sua tamen graduum distinctione, juxta naturam sibi convenientem. Cum autem plurimum tribuamus aceto, tam ad spiritus admodum incalescentes in lipothymiis alterandos, quam etiam in devehendis Medicamentis, confortantibus cordialibus, in corrigendis venenatis, & aliis usibus, certum recursum etiam habeamus tempore infectionis malignæ ad usum spiritus sulphuris, qui est verum acetum Philosophorum, Rex omnium liquorum acidorum, & verum Elixir, quod res omnes à corruptione defendit. Quod si alicui sulphuris odor in accensione ingratus & abominabilis est, ille potest idipsum corrigere, prout diximus, & in accensione parumper secedat, sicuti docuimus, & quamvis cubiculum aliquid odoris redoleat, tempori patienter & necessitati sese accommodare oportet, utpote cum impossibile sit, ut nasum quotidie rosis admovendo sanitatem conservemus. Tantum de fumo sulphuris tempore pestis.

Sed ut redeamus ad propositum nostrum, præter sollicitudinem istam, quam de purificatione ambientis nos aëris in habitatione nostra habere debemus, quemadmodum monstravimus, necessarium erit, ut etiam similiter curam instituamus diligentem, quo corporis nostri aër purificetur, vel ut exactius loquamur, quo in statu suæ integritatis conservetur per odorem subtilium Medicamentorum Bezoarticorum, qui per instrumenta respirationis, pulmones potissimum, cordi communicetur, & per arteriarum motum dilatationis atque contractionis per omnes spiritus distribuatur, adeoq; consequenter omnes humores facultatem balsamicam, & virtutem veneno resisten-

tem

tem nanciſcantur. Hoc fine anteceſſores noſtri remedia infinita ſignarunt, ſed longum diſcurſum abrogando, & in colligendis quamplurimis confuſionem evitando, tantum ea proponam, quæ magis efficacia & neceſſaria cognovi.

Acetum Bezoarticum, vel Acetum compoſitum, quod aeris infectioni reſiſtit.

℞. Aceti vini potentiſſimi,
Succi Citrii Hiſpanici, h. e.
Succi de Citriis, qui ex Hiſpania in vaſculis adfertur ana Menſ. ij.

Hi duo liquores in bal. Mariæ deſtillentur, & collecta ferè media parte phlegmatis vel ſubſtantiæ magis aquoſæ, ſumatur liquor remanens in cucurbita, qui magis efficax & virtuoſus eſt, cui infundantur

℞. Rad. Carlinæ
Vincetoxici
Valerianæ
Zedoariæ
Angelicæ
Cort. exter. citri in umbra ſicc.
Her. Scordii
Diptamni Cret.
Abſynth. Rom.
Fl. Roſ. rub.
Fr. Myrtyll.
Cinam. electiſſ.
Santali ol. odoriferi an. ℥j.
Ol. Sulph. rectiſſ. ʒ. iij.
Camphoræ ʒ ij.

Vitro bene clauſo, (quod ultra dimidium repletum non ſit:) ut nihil exſpirare poſſit, omnia in Bal. Mar. aquæ ebullientis macerentur per 40. horas, & poſtea liquor coletur cum expreſſione, qui ad uſum aſſervetur. Acetum hoc Bezoarticum duobus modis uſurpatur, primò quotidiè matutino tempore parum naribus, temporibus atque pulſibus illinatur, deinde ſecum geſtetur hinc inde per civitatem ambulando, ſępiusq; odore percipiatur, quod fieri poteſt phiola vitrea parva, cui ſit oſculum amplum, in qua particula ſpongiæ ſit immiſſa, quod obducatur poſtea membrana foraminibus parvis pertuſa, per quæ contentum acetum transſudet, cui uſui pomum aureum, argenteum, (ſed deauratum:) eburneum, ligneum, foraminibus pertuſum cum ſpongia commodùm etiam inſervire poteſt.

Balſamum Bezoarticum, ſeu Balſamum cordiale, reſiſtens aeris infectioni.

℞. Ol. Sem. citri per expreſſ. extracti,
Ceræ flavæ ana ℥j.

Cera in ol. citri ſolvatur ſubjectis cineribus calidis, poſtea remotis ab igne & inſtar unguenti refrigeratis, adjungantur primò ſequentia:

Gelatinæ citri vel ſucci citr. condenſati ℥j.
Ol. citri deſtill.
Angelicæ.
Abſynthii ana ʒß.
Ol. Thymi Roſmar. Caryoph. an. ℈j.
Camphoræ ſubtiliter pulv. vel in dictis oleis diſſolutæ gr. XV. Miſc.

Balſamus hic eodem modo conveniens eſt ut manè ſurgentes nos in prædictis partibus inungamus, ſive exeamus ſive domi maneamus.

Pomambra pro ditioribus, qui rebus odoriferis delectantur.

Quamvis verò nobis non erat animus, quid-

quidquam remediorum proponere, quod non directè & specificè contra pestem dirigatur, sine respectu hujus aut illius odoris, nihilominus perpendendo quosdam penitus assuetos ad odores suaves, ita ut alios penitus ferre nequeant, comotus sum, quo & ipsis satisfaciam, ut sequentē compositionem conscriberem.

℞. Rosar. rubr. exsic. ℥ij.
Styrac. calam. Asæ dulc. sive Benzoini. ana ℥j.
Santali albi odorif. Cinam. electiss. Ligni Aloës res. ana ℥ß.
Ambræ griseæ opt. ʒiij. Moschi Alex. ʒij. Zibethi Arab. ʒj.

Rosæ sua natura humidæ separatim siccentur, sicut etiam santalum, lignum, Aloës & Cinamomum, quæ sunt ingredientia duriora: postea Benzoini & Storax leviter terantur, ne mortario adhæreant: hicq; pulveres misceantur: Sumantur deinde Ambra, Moschus & Zibethum, prædictiq; pulveris uncia adjungatur iisdem, & in mortario benè subigantur per horam & ultra, tandem quod superest pulveri addatur, donec omnia bene mixta fuerint, tandem cum sufficiente quantitate Balsami Peruviani odoratissimi fiat massa in mortario cum pistillo, parumper antea calefacto, tamdiu bene commovendo, donec massa pellucida pulchraque reddatur, ex qua poma vel pilæ formentur pro lubitu, quas sindone vel serico quis obducat, vel potius pomis ex auro, argento, ebore perforatis includat, tam propter odoris conservationem, quàm etiam ne manuum calidarum attactu continuato nimis molles reddantur, quantumvis hanc ob causam deteriores non sint, quia pomum odoriferum ejusmodi mollius & apertum melius est, quam induratum & omnino clausum, quemadmodum sunt illa, quorum massa cum Gummi Tragac. conficitur, quæ sæpius ita indurantur, ut odorabilium rerum qualitas suffocetur & exhalare nequeat.

Pomum odoriferum specificum contra infectionem aeris, cuique conveniens.

℞. Rad. Angelic. resinosæ, Valeria. Carlin. Cort. exter. citri in umbra sicc. Zedoar. Myrrh. el. & Succini albi ana ℥j.

Omnia pulverisentur subtilissimè postea cum s. q. Gummi Ammoniaci in aceto rosar. soluti, colati & ad consistentiā viscosam decocti fiat massa in mortario pro pomis formandis, sicut antea dictum, quæ quamvis non ita suaves sint, non tamen minorem aliis efficaciam possident.

Acetum compositum pro pauperibus.

Pauperes qui his & supradictis remediis destituuntur, utantur sequenti Aceto.

℞. Granor. Juniperi recent. Absynthii, Rutæ siccæ ana ℥iiij.
Thuris, Myrrhæ ana ℥ij.

Incidantur grana Juniperi cum herbis tenuiter, grosso modo reliquis pulverisatis quibus optimi aceti, vini vel cerevisiæ. 2. mensuræ affundantur in vase terreo cum subere, bene occluso: reponatur in loco calido vel ad angulū ignis, ut materia semper calefacta sit per biduum vel triduum, postea exprimatur & ad usum servetur, eodem modo, sicut ante dictum fuit.

Tandem etiam infectionis tempore Magi-

Magiſtratus ſollicitus ſit,ut civitates atque oppida ab omni ſpurcitie purificentur, & ubi magis infectio graſſari conatur, hinc & inde publicis in quadriviis ignes accẽdãt ex pice nigra cum ſulphuris parte dimidia permiſta, ſi non de dic, quando per plateas homines ambulant, ad minimum tamen noctu, dum ad lectum quilibet ſe confert, tunc temporis ſcil. ubi propter malignas exhalationes è terra prodeuntes, aër tempore peſtis magis noxius eſt. In ſpecie quilibet habitationem ſuam ab omni impuritate liberam conſervet, latrinis bene tectis gutturniis cum ſubjectis catinis rite purificatis, linteis bene lotis, ſed non cum ſapone fœtido, qui de oleo vel pinguedine piſcium confici ſolet, odor fœtidus piſcium halecum arefactorum, caſei putridi brodii braſſicæ, raparum & omnium aliarum rerum, quæ fœtorem ſpirant, vitetur. Caveant inſuper, ne ſemper in abluendis pavimentis cubiculorum laborent, quod pleriſq; fœminis in his regionibus in more eſt, & hinc ædes per affuſionem aquæ plurimum humectatas habent inſtar navium in aqua ſubſiſtentium, & in ædibus ſic producunt aërèm humidum, qui non tantum tempore peſtis noxius eſt, ſed alias etiam catarrhos nocentes, aliaque ſymptomata producere ſolet, quæ poſtea malè aëri exterius irruenti adſcribunt. Fieri enim poteſt, ut nihilominus puritas ædibus conſtet, etiamſi lotiones ejuſmodi noxiæ toties non inſtituantur. Ante omnia caveat ſibi quilibet, ne domi ſuæ canes ruſticos impuros alat, qui fœtore domum replent, & particulariter illos, qui carnibus & interaneis animalium demortuorum nutriuntur qui halitum fœtidum expirantes ſufficiunt etiam ad villæ alicujus peſtiferam infectionem, qua ratione formidabilis etiam eſt fœtor excrementorum atq; urinæ feli um. Et hoc modo diligenter omnia ſunt obſervanda, propterea quod nil ſit in univerſo, quod ita peſtem ad ſe trahat, quàm immunditiès & fœtor, quod ipſum exemplo maximè confirmatur. Quando enim peſtis regionem aliquam invadit, eadem à pauperibus & ſordidis, qui more porcorum cumulatim in anguſtioribus ædibus vivunt, plerumque ſumit exordium. Et hæc de aëris commotione dicta ſufficiant.

Motus & quies.

Exercitium vehemens ac violentum communiter tempore peſtis formidabile & noxium ſtatuitur, quia corpus cholericum reddit, illudque inflammat, pulmones laxat, & reſpirationem frequentem & coactam producendo cor calefacit & debilitat, ipſoſque ſpiritus vitales diſſolvit, unde poſtea ſequitur, ut ipſum corpus ad infectionem recipiendam habilius reddatur. Quocirca qui ſeſe tempore peſtis exercere cupit, ille faciat hoc ipſum matutino tempore poſt ortum Solis, in horto, ſylva, vel campo, tempore æſtatis, cœloque ſereno, minimeq; nubiloſo, nec admodum ventis agitato, poſtea dommum ſeſe conferat. Somnus poſt prandium maximè ſuſpectus eſt hoc tempore, pravasque diſpoſitiones producere poteſt, præſertim in iis, qui ad eundem minime adſueti ſunt. Hinc igitur omnis occaſio vitanda, quæ laſſum atque ſomnolentum hominem reddit, adeoque potius diverſiones quærẽdæ per honeſtos ludos & animi gratia inſtitutas cõverſatio-

nes, audiendo Musicam, & jucundas historias legendo, eousque donec calor intensior pomeridiani temporis remittat, ubi vicissim deambulatio, sicuti dictum, fieri poterit, ita tamen ut in tempore priusquã advesperascat, domum nos conferamus. Hic modus æstatis tempore notetur. Sed hyemali tempore paulò aliter procedendum, juxta temporis necessitatem. Medici, quibus ægrotorum curatio commissa est, similiter etiam, (si commoditas idipsum permittit:) suos ægrotantes visitare debent matutino tempore, post Solis exortum in umbra, nec non vesperi, quando Sol ferè in occasu est, maximèque solliciti sint, ne pestem in domos proprias adducant, infectionem pro viribus suis abigendo, quod sæpius iis Medicis accidisse vidi, qui potiùs lucri quàm charitatis erga proximum causa sese periculo tali comiserunt quales non tantũ haud rarò propriam vitam suam periculo committunt, sed simul etiam omnes illos, qui ipsos frequentant: quam ob causam iidem, instar pestis ipsius, fugiendi, quam sæpius in vestibus suis de domo in domum portare solent. Hanc ob causam quilibet Magistratus Christianus bene constitutus plurimum in Throno Dei, (qui eundem ad dignitatem elevavit, eidemque Authoritatem tribuit, quò diligentem curam habeat hujus rei, non tantum propter personam propriam, sed etiam propter populum universum, cujus ipse pater constitutus est:) obligatur, ne Medicos ordinarios totius Reipubl. domos infectas ingredi patiatur, sed certos quosdam Medicos atque Chirurgos constituat, homines pios, boni judicii, animosos & expeditos, quibus salarium & sustentatio sufficiens largiatur, quo tempore pestis inservire possint, qui signum aliquod infectionis tempore gestent, quò cognoscantur, quibus sub pœna interdicatur, ne alios ægrotantes visitent. Dixi, quod tales Medici & Chirurgi bonæ famæ & judicii esse debeant, quia maximus est casus conscientię, vitam multorum pauperum peste laborantium negligere, eamque Empiricis & idiotis comittere, quemadmodum inveniuntur præsumptuosi audaculi, qui pestiferorum curam gerere conantur, & magis in arte Medica non profecerunt, quam simiæ. Perturbati, maximamque temporis partem ebrii, bestiarum instar, ægrotos visitant, & Medicamentis atque præscriptis Medicorum utuntur, cum ejusmodi discretione rationis, sicuti facit asinus in pulsandis Musicis, vel surdus in Instrumenti Musici directione. Nam absq; consideratione causę morbi, symptomatum, indicationum, differentiæ corporis, ejusque complexionis aut temperamenti, repletionis & inanitionis illorum, prædominii humorum, partis principaliter infectæ, sexuum, ætatum, & sine aliis quamplurimis observandis, quæ in ægrotantium curatione necessaria sunt, Medicamentis abutuntur, sine omni doseos & vehiculorum discretione, sudorem imperant, quando primo purgandum, vel sanguis mittendus: purgant, quando cibus præbendus: venam secant, quando confortandum: laxant & aperiunt, quando corroborandum: corroborant, quando vacuandum: nutriunt,

quando

quando jejunandum, & breviter, his & similiter absque intellectu utuntur: si patiens convalescit, fortuitus est casus, quamvis honorem & remunerationem expetant, si moritur, excusatio talium Medicorum præstò est, quia nullus est, qui processum curationis eorundem observat. Quocirca, cum Magistratus condolentiam erga subditos habere debeat, huic defectui succurrendum erit, quia non sufficit, ut quis optima specifica nec non utilia medicamenta possideat, quæ veneno, malignitatiq; pestis resistunt, sine exceptione constitutionis ac temperamenti corporis laborantis, non tamen hoc obstante requiritur, ut juxta discretionem artificiosam applicentur, quia non sufficit, ut mali causam principalem expugnemus, sed pedetentim etiam cõ curatio dirigenda venit, ut non negligantur accidentia supervenientia, quæ mortis causa esse possunt, aut ita corpus laborantis debilitant ac lædunt, ut per totum vitæ tempus habeant, de quo conquerantur, quo reparetur ac restauretur in integrum illud, quod ardore pestilentiali corruptum fuit, id quod Idiotarum cognitionem & intellectum excedit.

Diæta, vel regimen cibi potusque.

Quod attinet diætam vel regimen particulare, cibum, potumque concernens, hoc est, electionem certorum alimentorum, & rejectionem minùs convenientium, respectu eorum, qui sani sunt tempore pestis, quo seipsos tantò melius in statu sanitatis defendant, & ab infectione liberiores sint, diversæ sunt Medicorum opiniones. Quidam fundamenti loco diversas alimentorum & potulentorum qualitates considerant, & approbant illa, quæ quandam alterationem corpori introducere putant, quæq; corpus in integritate sua conservare queant. Alii potius ad consuetudinem respiciendo, quam prædictam conjecturam observando, statuunt, quod homo sanus liberè consuetis alimentis ac potulentis uti queat, juxta varietatem anni temporum oblatis, tam irruente infectione, quàm etiam aliàs, quorum opinio priori meritò præfertur. Deus enim singulari providentia res omnes alimentares eo sine creavit, ut ad nutritionem & conservationem hominis inserviant, modo temperanter, & cum gratiarum actione sumantur, ubi simul ordinavit, ut in sanitatis conservationem cedant, ea ratione, ut radices herbarum crudarum vel fructus arborum quibusdam conveniant eodem modo, sicut aliis panis è frumento benè coctus: caro bovina similiter quibusdam, sicut aliis caro pullorum & perdicum: his caro porcina, sicut aliis caro vitulina vel vervecina: his pisces maris crassi, haleces, aselli exsiccati, sicut, aliis auratæ vel alii pisces delicati saxatiles: his caseus & butyrum, sicut aliis delicata condita & confectiones: & quoad potulenta, ut fontis aqua cruda quibusdam tam sana sit & conveniens, sicut aliis cerevisia, aliis hydromel, aliis succus pomorum & fructuum depuratus: & aliis cerevisia, sicut aliis vinum Hispanicum, Gallicum, Rhenanum: quibusdam aqua vitæ, calida fortissima, sicut aliis potus benè tem-

temperatus, ſicut & alia vitæ genera, quæ ratio inſtituti enumerare non permittit. Hinc ſanguis illorum, qui pane ſecalino, faborum, milii & aliis craſſioribus cibis veſcuntur, & qui aquam, lac aut cereviſiam bibunt, æquè ruber, bonus ac pulcher eſt, quàm eorum, qui panem album, ciboſque delicatos ac leves comedunt, & vinum optimum bibunt. Hoc modo non video rationem ullam, cur Medici diætam aliam introducere, vel mutationem alimentorum ad peſtis præſervationem inſtituere, debeant, in conſideratione, quod talis variatio potius robur corporis alterare, quàm idipſum confortare vel conſervare poſſit. Hoc verum eſt, quod illi periculoſum ſit, qui quotidiè pullis gallinarum, perdicibus, pane Martio & ſimilibus uſus fuit, ſi poſtpoſitis conſuetis, ſubitò ſe carne bovina, porcina, pane bis coɛto nautico vivere velit: ſimiliter & ille ſanitatem periculo committet, qui cibis craſſioribus aſſuctus, delicatis ac levibus alimentis ſeſe ſatiare conabitur. Sed quid dicamus ulterius? nonne videmus perſonas craſſioribus alimentis aſſuetas ordinariè robuſtiores ipſique infectioni minus obnoxias eſſe, quam admodum delicatè viventes? non quidem quaſi hoc ipſum cibis, quibus veſcantur, attribuendum ſit, ſed potiùs propter naturæ robur, quod ejuſmodi alimentis conſervari vult. Quod ſi caro bovina, porcina, item piſces & caſeus ſunt materia magis accommodata pro recipienda infectione peſtifera, generatione ſanguinis impuri vel ſpirituum alteratione, præ cibis aliis, caveant ſibi populi Angliæ Weſtphaliæ & Hollandiæ, quia primi eorum carne bovina, ſecundi pernis porcinis, tertii piſcibus, caſeis & butyro maximam partem, & non ſolùm vulgares, ſed illi, qui ſunt alicujus authoritatis & exiſtimationis, quotidiè ferè veſcuntur. Interea, ſi quis exactè idipſum perpendat, non magis penes hos populos peſtem graſſantem, quàm apud aliter viventes obſervabit. Hoc ipſum tamen dictum volumus reſpectu corporum ſanorum, quæ probè ſuas functiones peragunt, aliter ſentiendo ratione illorum, quibus ſtomachus debilis eſt, vel penitus ægri, quandoquidem his conveniens diæta præſcribenda juxta præcepta, quæ docet ars medica. Nihilominus tamen non negamus, quin eſculenta quædam tempore peſtis minimè, vel rariſſimè ſint concedenda, ſicuti ſunt cibi ſatis evidenter alterantes & pernicioſi, quales ſunt, caro porcina recens, aprugna, taurina, anſerum, anatum, aliorumq; volatilium aquaticorum: inter piſces anguillæ, tenche, ſalmo recens, haleces recentes & ſimiles, qui ſũt extremè dulces ac pingues, quiq; facilimè corrumpuntur, & febres generant. Sic etiam cibi in ſartagine frixi, nimis pingues, artocreas & ollaria vitentur; quemadmodum finaliter copia fructuum atq; confectionum dulcium non immeritò fugienda, quorum loco non tantùm melius, ſed etiam utilius eſt, rebus acidis uti, quæ ſpecialiter infectioni peſtiferæ reſiſtunt. Quoad alios cibos, quilibet pro libertate & conſuetudine ſua ſeſe gerat, ſicut etiam in potulentis, cò potiſſimùm reſpiciendo, ne abuſus accedat, aſſumendo ſolum quantitatem con-

convenientem, quæ corpus non alterare vel aggravare possit. Sic etiam necessarium est tempore pestis, ut matutino tempore, priusquam domo exeamus, jentaculum assumamus, quod certum est præservativum contra pestem: dùm enim virtus concoctrix stomachi laborat in concoctione, de centro ad partes externas alimentum ac vapores mittuntur: pariter ubi non habet quod agat, contrarium accidit, ut stomachus à cibo vacuus attrahat humores interius, unde corpus ad infectionem recipiendam habilius redditur. Patet hoc exemplo: dum enim matutino tempore jejuno stomacho prope fossam aquæ corruptæ & putrescentis ambulamus, vel ubi aliæ res fœtentes & immundæ continentur, protinus fœtor iste caput nobis occupat, quod non tam facilè fit, ubi cibum potumque sumpsimus, unde non inconveniens, ut quilibet parumper assumat, priusquam manè egrediatur. Cum autem inveniantur homines, qui tantum ad prandium, atque cœnam assueti sint, ita ut si quid cibi potusque matutino tempore sumant, per diem integrum deterius habeant, idcircò monstrabo, qua ratione massa confectionis siccæ sit præparanda, de qua ejusmodi personæ singulo mane parumper sumere poterint, quod loco jentaculi sufficiet, absque ulla alteratione.

Confectio sicca pro cordis & stomachi confortatione.

℞. Panis triticei bis cocti, Sacch. albiss. ana. lib. j.
Amygdal. dulc. excort. cort. citri virid. cond. ana. ℔. ß.
Gelatinæ cydon. ℥iiij.
Zingib. chinæ
Myrobal. condit.
Nucis mosch. cond. ana. ℥ij.
Cinamomi el. ℥jß.
Croci opt. ʒß.
Ambræ griseæ, Moschi Alex. an. ℈j.
Aquæ rosar. q. s.

Bis coctum & Saccharum, separatim quodlibet, pulverisetur: amygdalæ in mortario lapideo terantur, sicuti fit in pane Martio: sic etiam cortices citri, cum Zingibere & nuce moschata, quæ per setaceum extrahantur, sicut fit in cassia: cinamomum pariter pulverisetur, & bis coctum in mortario satis amplo optimè misceatur, deinde adde cinamomũ, cui per triturationem moschus & ambra primum incorporentur. Pulveribus omnibus conjunctis addatur conditum expressum, gelatina cydoniorum, jus corticum citri, & pedetentim rebus siccis cum humidis permistis, cum pistillo ligneo convenienti benè terantur omnia, cousq; donec omnia benè contemperata & unita esse videantur, pro massa, quæ si paulò durior fuerit, cum aqua rosarum fragrantissima parum irroretur, cousq; quo commodè vel morsuli, vel placentulæ formis consuetis formari queant, quæ postea lenissimo calore, tantùm ad superfluam humiditatem exiccandam, siccentur, & ad usum serventur. Hæc confectio diligenter præparata non solùm maximè cordialis est & corroborans, sed etiam tam delicata & jucunda gu-

ſtui, vix ut ſimilis habeatur, viris principibus digna. Quibus Moſchus & Ambra non conveniunt, in illorum gratiam absque iis confici poterit. Non intermittere volui, quin etiam Magiſtratum adhortcr, ut quantum concernit venditionem carnium, volatilium & piſcium, non ſolùm conſtituant certas perſonas, per quas primò viſitentur, ne quid morboſum in foro publico ſit, ſed diligenter etiam interdicant, ſub comminatione pœnæ conſuetudinem antiquam, quam lanii & pullarii quidam obſervant, quando carnem vitulinam, vervecinam & volatilium quorundam inflare ſolent, halitum oris per tubulum immittendo, quo pulchriores atque ſucculentæ magis appareant: præterquam enim, quod verendum, ne per morboſam conſtitutionem illius, qui carnes inflat, malignus & pernicioſus halitus inſpiretur, etiam optimè ſani hominis inſpiratio nocere poteſt, quando talis halitus cavitati carnis alicujus incluſus ad corruptionis generationem ſufficiens eſt. Porrò præter obſervatam victus rationem tempore peſtis maximè diligens ſit quisque, quò noxias animi paſſiones vitet, uti ſunt ira, odium, anxietas, timor, melancholia, quibus ſpiritus admodum alterantur, & corpus ad infectionem facilimè recipiendam præparatur, quam ob cauſam fugiendi ſunt ejusmodi animi affectus, quantum fieri poteſt.

De uſu Balnei.

Quoad uſum Balnei ſudatorii & aquæ calidæ, minimè tempore peſtis idipſum convenit, præcipuè debilioribus, qui etiam aliàs aſſuefacti ſunt, ut frequenter eodem utantur, niſi tantùm ad ſordes corporis abſtergendas: eapropter quod corpus ipſorum inflammet, ſpiritus cordis vitales diſſolvat, arterias totius corporis pedetentim relaxet, ut aer peſtilentialis aditum faciliorem ac liberum inveniat. Quocirca ejusmodi homines corpus à ſordibus & ſudoribus abſtergere ſatagant, & ſpongiâ novâ cum aqua tepida ſequenti modo inebriata ſeſe lavent: Recipe aquæ fontanæ menſ. ij. aceti vini rubri menſ. dimidiam, aluminis ℥ij. Miſce & leviter ebulliant, poſtea iisdem utere dicto modo paulò ante quam ad lectum te conferas: præterquam enim, quod aqua dicta totum corpus à ſordibus & immunditie purificat, ſimul omnia membra corroborat, quod tempore peſtis maximè deſideratur. Quibus odorifera magis exoptatur, illi pauxillum aquæ roſarum & lavendulæ commiſceant. Verùm quibus conſuetum eſt, ut ſingulis ſeptimanis Balnea aquæ dulcis & ſudoria frequentent, quia robuſtiores ſunt, pleni humoribus, quique benè comedunt atque bibunt, illi conſuetudinem ſuam continuent, eapropter, ne abſtinentes in morboſam aliquam diſpoſitionem incidant, cui occaſionem præbere poterit retentio & ſuperfluitas pravorum humorum, qui aliàs per tranſpirationem evacuantur. Hinc igitur, in iis, quibus aſſueti ſumus longo tempore, prudenter procedendum, & nihil temere ſtatuendum, nec ſubitò, nec pedetentim, naturam aliis mediis juvando, quò præſerventur ab iis acci-

den-

dentibus, quæ tales mutationes introducere queant.

Evacuatio seminis & actus venereus.

Voluptates venereæ inordinatæ semper sunt noxiæ, maxime tempore pestis, eapropter, quia corpus inflammant, ejusque vires debilitant. Dico inordinatæ: quia moderatus Veneris usus, quo corpus à semine superabundante exoneratur, quantum natura requirit, sine coactione, & secundum leges matrimonii, non tantum innoxius est, sed etiam sanitati plurimùm confert, maximè, quando conjugum uterque sanus est. Contra penitus intermittere, nec non totaliter exercitium præter dictam illam necessitatem refrenare, gravium ac formidabilium accidentium causa esse potest, quia semen genitale retentum admodum incrassatur aut corrumpitur in vasis, unde secundum Galenum similiter symptomata generari possunt, sicuti aliàs venenum aliquod introducere solet. Nihilominus tamen non ita studendum sanitati, ut in peccatorum sordes incidamus, dictum exercitium illegitimè, & contrà divina præcepta instituendo, quia nobis propositum est medium licitum & honestum, quod est conjugium.

Præservatio tempore pestis per medicamenta.

Postquam diximus de causis infectionis pestiferæ generaliter, quomodo homines inficiant, quomodo quis animam suam reformare, & sese ad beneplacitum ac voluntatem divinam disponere debeat: deinde quomodo corpus suum in usu rerum nonnaturalium dictarum regere debeat: porrò juvante Deo, qui Medicum creavit, & Medicinam è terra produxit, quique Medicinam gubernat & dirigit ad omne bonum opus, accedam ad enumerationem remediorum eorum, quæ per Dei gratiam juxta cognitionem & experientiam in rebus naturalibus mihi comparatam, præ cæteris excellentiora & fortiora pestifero veneno resistendo statuo, spe bona, quod Pater gratiæ, & fons omnis benedictionis parvum hunc meum laborem propitiaturus sit, ut cedat in ipsius gloriam, in proximi utilitatem, & conscientiæ meæ satisfactionem, ut hac ratione contra gravissimum hunc morbum solatium atque quietem inveniendo, amplissimam occasionem habeamus, ut humiliemus nos ante ipsum, ipsique gratias agamus, agnoscendo, quod omne bonum ab ipsius divina bonitate procedat, & quod ipsi soli gloria & honor debeatur.

Jam verò pestis, quemadmodum experientia, mater scientiarum & artium testatur, facilius atque gravius unum corpus quàm alterum prehendit, sequendo dispositiones diversas, quas in iisdem reperit, secundum magis & minus, ut ipsum venenum: & hæc est causa varietatis symptomatum & accidentium, quæ in infectis observamus. Maxima pars Medicorum statuit, quod non multum afficiat illos qui sunt robustiori

complexionis, quique peccantibus humoribus destituuntur, inprimis ubi pori corporis sunt rari & aperti, qui si peste detineantur, non tam facilè succumbunt, sicuti debiliores, qui cutim habent occlusam, duram, rigidam, unde difficulter perspirant, nec vapores pestilentes, & humores vitiosos, quibus replentur, separant, quod non absque ratione statuitur. Alii quoad diversitatem complexionum aliter sentiunt: hi enim statuunt, quod pestiferum malum facilius in corpore puro, sanoque radicetur, quàm in impuro. Sed cuivis opinionem suam relinquendo, consilium nostrum est, ut robustiores non confidant suæ fortitudini, nec cacochymici & impuriores suis impuritatibus aliquid tribuant, sed unusquisque recursum habeat ad remedia probata, quæ clementer à Deo nobis concessa sunt ut iisdem corpus muniamus & spiritus balsamo quasi reficiamus, iis scilicet rebus, quæ subtili corruptioni venenatæ resistere possunt. Ut enim is, qui nimium tribuit naturalibus mediis suum Creatorem tentare potest, sic eodem modo peccat, qui posthabita ratione media negligit, quemadmodum faciunt homines levissimi, quasi Deus medicinam frustrà creaverit, ejusque cognitionem quasi supervacaneum quid largitus fuerit. Quocirca præservationis ergò, priusquam perveniamus ad usum cordialium & specificorum alexipharmacorum, eò allaborandum, ut corpus purificetur & præparetur. Quemadmodum enim balsamum excellens, quod in vas aliquod impurum ac rancidum immittitur, odoris fragrantiam deperdit: sic etiam subtile Bezoarticum & cordiale, quod exhauritur à corpore corruptis & vitiosis humoribus repleto, robur atque efficaciam suam perdit, & eo ipso minus efficax est, ut cordi succurrere, ejusque spiritus confortare possit. Hinc ergò necessarium est, ut repletio malitiosorum, peccantium, putridorumque humorum evacuetur per appropriata medicamenta, secundum differentiam naturarum atque qualitatum. Si Plethoricæ naturæ sunt, sanguis per venæsectionem minuatur. Quoad evacuationem, potissimum eò respiciendum, in qua corporis parte superabundent humores evacuandi, qui si maximam partem in ventriculo & pectore latent, (quod inde colligitur, quando quis à cibis nauseam habet, os amarum est, odor inimicus exhalans quasi piscium putridorum, aut vitelli ovorum nimis cocti, ructus acidi, fœreatus, somnus post cibum, gravitas & dolor capitis) proxima, brevissima nec non naturalis via est, in iis, qui eandem perferre possunt, vomitio. Quod si peccantes humores potissimum in cavitate jecoris, lienis, mesenterii, ventris, & breviter, in partibus infrà ventriculum, (quod inde colligitur, quando quis habet punctionem vel dolorem in hypochondriis, flatus ibidem ac murmurationes in abdomine, inclinationem ad alvi excretionem & calorem in imis visceribus,) tunc bonum erit corpus purgare per eandem viam, nimirum per alvum inferius.

Quoad vomitoria tempore pestis unum maximè specificum contra malignitatem, quod facilimè sumitur & absque vehementia operatur, est sequens liquor.

Oxy-

Oxysaccharum vomitivum contra pestem.

℞. Vitri Hyacinthini more Matthioli pp. & subtiliter pul. ℥j.
Cinam. el. Zedoariæ Ligni Aloës resinosi opt.
Sem. Angelicæ an. ʒij.
Croci Anglici opt. ʒß.
Aceti rosacei ℥xviij.

Omnia mittantur in vitrum cùm subere benè clausum, ne quid odoris expirare queat: postea in B M. per 24. h. digeratur. Balneo refrigerato, liquor coletur, vel per chartam emporeticam filtretur, si opus est, ut optime clarificetur. Deinde cum aq. rosar. tantum sacchar. solvatur, quantum est pondus liquoris prædicti, & coquatur simul ad consistentiam, quæ requiritur in confectione Manus Christi, quod saccharum solutum in calidum, prout ab igne sumitur, cum prædicto liquore pedetentim misceatur, quo facto, servetur ad usum: longo enim tempore conservatur.

Dosis pro debilioribus est ʒij. vel ʒiij. qui prompti sunt ad vomitionem, usque ad 4. 5. vel 6. pro aliis, imo ℥j. pro robustioribus, & qui difficulter moventur. Quod si superciliosi quidam, Antimonii hostes sine ratione & experientia hoc uti nolunt, (de quo Deum testor: quod etiam infantibus, ubi necessarium est, absq; omni timore præberi potest,) illi hujus loco utantur Asaro, Gratiola, Nicotiana vel aliis vomitoriis, quæ placuerint.

Quoad purgationem tempore pestis, necessarium est, ut idipsum etiam fiat medicamentis benignis, quæ corpus non admodum commovendo alterant. Hoc fine maxime commendantur pilulæ, quas omnes officinæ præparant, Pilulæ Ruffi dictæ, quibusdam pestilentiales, quæ componuntur ex Aloë, Myrrha, Croco, quæ tria maxime balsamica sunt & corruptionibus resistunt, unde consequenter utilissimæ erunt contra pestem. Sic etiam excellentes sunt pilulæ nostræ Angelicæ dictæ, quarum descriptio talis est.

Pilulæ Angelicæ.

℞. Fol. senæ orient. mund. ℥iiij.
Rhabar. electiss.
Agarici albi troch. ut mox docebitur ana. ℥ij.
Succi borrag. depurati ℔ ij ß.
Infundantur per h. xxx. in expressione addantur Aloës lucidæ. ℥ij.
Coq. lentiss. igne in vase terreo vitreato ad consistentiam picis:
deinde addantur
Resinæ rad. Angelicæ Myrrhæ Troglod. Croci Anglici.
Salis Card. ben. ana. ʒij.
Sp. Salis comm. g. 3. o.
F. Massa s. artem.

Per Agaricum trochiscatum intelligo sumendum esse Agaricum albissimum & pulchrum, qui minutim incisus humectetur cum decocto absynthii pro conficienda massa, bene terendo in mortario, donec trochisci minores confici queant, qui siccentur & ad usum reserventur.

Per resinam Angelicæ hoc volo, nimirum sumantur radices Angelicæ recentes, non cariosæ nec à vermibus corruptæ,

quæ minutim incisæ spiritu vini vel aqua vitæ infundantur ad supereminentiam duorum vel trium digitorum: reponatur ad digestionem in loco calido per horas 40. deinde coletur, postea fiat exhalatio per distillationem vel alia ratione, donec in fundo materia remaneat, quæ subsistentiæ ratione fit instar gummi vel resinæ, & consistentiam talem nanciscatur, ut inde pilulæ formari queant, laveturaqua rosarum semel atque iterum, & ad usum prædictum servetur.

Spiritus Salis intelligitur de liquore, qui igne fortiori, ex sale communi extrahitur, est tam clarus, ut aquam repræsentet, & acidus instar sp. sulphuris qui invenitur apud eos, qui in Chymia laborãt, si laborem destillationis subterfugere placuerit. Dosis istarum pilularum est ℈j. usq; ad ʒj, una vice: purgant benigne crassos & tartareos humores ventriculi, vicinarumq; partium, obstructiones aperiunt, flatus inclusos dissipant, stomachum roborant, & corruptioni resistunt. Si quis actionem eorum acuere cupit, quando purgandi sunt robustiores, & qui difficulter moventur, cuilibet dosi tria vel quatuor grana Diagrydii addantur, quemadmodum etiam in usu pilularum Ruffi fieri potest, quando cum iis agendum, qui benigunioribus non laxantur. Porro cum non semper occasio purgandi per pilulas sese offerat, sicut exempli gratia penes eos, qui fluxui hæmorrhoidum, hæmorrhagiæ narium ac faucium subjecti sunt, item qui sunt extenuati, melancholici, obstructionibus obnoxii, & calidiores, vel etiam ubi humores viscosi & tenaces, quibus Aloë & alia calidiora, quæ pilulas ordinariè ingrediuntur, contraria sunt, tali purgãnte quis uti poterit, quod sequitur.

Diasena nost.

℞. Fol. senæ mund. ℥iiij.
Rhabar. electiss. ʒij.
Aq. è succo cichor. distill. q. s.
Infundantur 24. hor. in colatura addantur
Sacch. albiss. ℥iiij.
Cassiæ recent. extr. ℥v.
Pulpæ Tamarind. ʒiij.
Coq. lentiss. igne ad consist. elect. deinde addantur Crem. Tartari subtil. pulv. ʒij.
Ol. sem. anisi g. xij.
Caryophyll. g. iiij. Misce.

Electuarium hoc gustui jucundum est, & blande calidos atque adustos humores evacuat, & bilis evaporationes, quæ ad cerebrum, cor & alias partes distribuuntur, atque febrium internarum aliorumque symptomatum causa fiunt, dissipat ac minuit. Quare qui ob dictas causas pilulis uti nequeunt, illi securè prædicto Electuario sese purgare possunt. Si quis valide purgari vult, ille mane jejuno stomacho tres, quatuor vel quinq; aut sex drachmas juxta roboris naturæ differentiam assumat, & post tres horas parum de brodio carnis vitulinæ vel vervecinæ sorbeat, parumper cum buglossa vel borragine alteratum, si temporis occasio idipsum permittit. Verum ubi quis præparationis gratia, seu pro laxatione tantum eodem uti cupit, qui alias ad obstructionem alvi plurimum inclinant, his sufficit, ut quotidie, vel alternis diebus dimidia hora ante prandium quantitate ʒj. & ultra sumatur.

Sic

Sic etiam potiuncula formari potest, quæ sequitur.

℞. Fol. senæ mund. ℥iij.
Crem. Tartari ʒj.
Cinam. el. ℈j.
Aq. fumariæ ℥iiij. Infundantur per horas ij. vel iij.
In colat. dissolve Mannæ Calabar. ℥j. & clarificetur cum albumine ovi.

Hæc potio rectè præparatur pro dosi unica, clara est, jucunda, facilisque operationis, quæ cunctis hominibus, quocunq; tempore, sine timore, præberi potest. Pondus fol. senæ, pro ratione roboris illorum, quos purgare convenit, minui vel augeri poterit, cui etiam aliquid Rhabarbari vel Agarici adjungitur, juxta differentias abundantium humorum, semper quantitatem eandem observando cum reliquis ingredientibus, & sicuti dictum est clarificando. Hac forma potionis hactenus per multos annos successu felici utor, in omni genere morborum, ubi benigna medicamenta purgantia in forma liquida requiruntur, & ubi minimè convenit Scammonea, Colocynthis, Turbith & alia catarctica, nimis calida & acria, alterantia & omnes humores ex remotioribus partibus attrahentia: quibus medicamentis penes omnes (ut quidam sentiunt,) præsertim tempore pestis, ubi omnes alterationes vehementiores & magnæ commotiones humorum sunt noxiæ, minimè utendum. Hæc de purgantibus. Quod missionem sanguinis attinet, illa fiat secundum regulas artis medicæ, consilio prudentis & discreti Medici, plus, minusve sanguinis emittendo, una vel altera vena aperta, secundum differentias repletionis, vel sedis principalis, per quam sanguis magis corruptus derivari potest, vel secundum differentiam necessitatis urgentis, sive revulsionis gratia propter affluxum sanguinis copiosum ac partem quandam, ut alio derivetur: sive propter eventilationem, ad inhibendam ebullitionem sanguinis: sive propter aliam causam, quæ diligentissime considerentur, priusquam concludamus de corpore quodam, cui missio sanguinis adhibenda, nec non de vena, quæ incidenda.

Nunc tandem veniam ad descriptionem Antidotorum, quibus uti quis potest, ubi corpus purgatum & detersum est juxta necessitatis leges: non enim necessarium est, ut omnes generaliter purgentur, sed illi tantum, de quibus diximus.

Antidotus Cordialis.

℞. Cort. citri virid. cond. contus. & per setaceum transmiss.
Gelatinæ Cydonior. ana. ℔ß.
Sacch. albiss. ℔ j.
Succi Borrag. depurati ℔ ij.
Melissæ depuratæ ℔ j.
bulliant in lentissimo igne in vase terreo vitreato semper agitando ad consistentiam Elect. deinde addantur
Bezoartici Corallini ℥jß.
Essentiæ Fl. Solarium, sive tincturæ Hyperici som. ℥ß.
Cinam. elect. Ligni Aloës, resinosi Santali albi odorif.
Sem. citri excort. an. ʒiij.
Ol. sem. Angelicæ g. 10.
M. & in vase vitreo ad usum serventur.

Hæc

Hæc Antidotus est excellentissima & specifica pro corroboratione cordis, refectione spirituum & resistentia vaporum malignorum, contra sanguinis & bilis ebullitionem. Hinc igitur est efficax præsidium contra pestem, & in specie pro illis, qui sunt timidi, debiles & melancholici. Dosis matutino tempore ℈j. vel ʒß. quotidie continuando, quamdiu durat infectio.

Bezoarticum Corallinum, quod Antidotum ingreditur, hoc modo præparatur. Recipe sex uncias Corall. rub. præpar. hoc est, tritorum subtilissimè in marmore cum aqua rosar. quod Pharmacopœis in usu est: mittantur in cucurbitam vitream, affundantur mensuræ duæ succi citri clarificati, ubi mox ebullire, & spumam elevare incipiet, idque continuetur per horas 24. absque igne: postea dictum vitrum ponatur in Balneum digestorium tamdiu, donec spiritus acidi succi citri Coralliorum substantiam penetraverint, eadem in pulverem album permutando, liquore claro reddito, sine ebullitione ulteriore, qui sapore sit insipidus, & acrimoniam suam perdiderit. Tunc igitur vitrum eximatur ex Balneo, & liquor per inclinationem à Coralliis separetur, & abjiciatur: remanentia bis terve aqua simplici lavetur, postea in Sole, vel aliter siccetur, & habebis pulverem, album, levissimum & subtilissimum, in quo nulla acrimonia, sed levis tantum adstrictio, quamvis non negari potest, quin acidi spiritus citri eidem adhæreant, quod inde apparet, quia primum pulvis iste majorem efficaciam habet in corde roborando, & corruptioni resistendo, quam simplex Corallium in corpus adsumptum, sicuti in aliis portionibus cordialibus fieri solet, & deinde, quia permistus cum electuario quodam, fermentationem producit, quod non fieri potest, nisi per spiritus succi citri inclusos, quod optime notandum, sicut etiam differentia proprietatum, quas acidi liquores possident, cum succus citri, sicut diximus, Corallia præcipitet in pulverem, & acetum dissolvat eadem in liquorem transparentem. quod etiam in Margaritis præstat. Hinc possumus dicere, quod succus citri plurimum cum natura Spiritus Sulphuris & Vitrioli conveniat, qui etiam Corallia, Margaritas, oculos cancri & similia in pulverem præcipitent, sicut etiam facit succus citri: contra Spiritus Nitri res istas in liquorem dissolvit, quemadmodum quoque de aceto diximus. Hoc obiter dicere volui in gratiam illorum, qui arte Chymica delectantur, & opera naturæ diligenter contemplantur.

Per Tincturam Florum solarium intelligo Extractum vel Essentiam summitatum Hypericonis florentium, quæ planta vere solaris est, propter proprietates incredibiles, quas obtinet in dissipandis vaporibus Saturninis vel Melancholicis in corpore, nec non quod præ reliquis vegetabilibus omnibus admodum confortet, sicut frequenti experientiâ edocti sumus. Extractum istud fit hoc modo: Recipe summitates bene florentes herbæ Hypericonis, quæ declinante Luna colligantur, summo mane, ante Solis ortum, postea minutim incisæ in aquam vitæ rectificatam immittantur, eousque donec optime imbibantur, quo facto in Balneo

Mariæ

Mariæ (clauso vase ne spiritus vini exspiret,) per triduum maceretur: postea infusio exprimatur, quæ in Balneo destilletur eousque donec aqua vitæ separata sit, & in fundo spissa substantia remaneat instar mellis obscurè rubri, quæ est tinctura Hypericonis, quam ad præcellentem Antidotum addimus.

Diahyacinthum Aureum.

Est pulvis pretiosus pro cordis confortatione contra contagiosam infectionem.

℞ Lap. Hyacinthi orient.
Boli Orizei, sive auri præparati, ut sequitur ana. ℥vj.
Gem. Rubini Saphyri cœrulei Chrysolithi Topazii Smaragdi
Margarit. Oriental. splendid. Corallii rub. rutilantis ana. ℥iiij.
Spir. Salis rectiss. ℥vj.

Margaritæ, Corallia & lapides pretiosi pulverisentur in mortario ferreo purissimo: vel si commoditas idipsum permittit, in mortario vitreo satis spisso, cæmento quodam in lignea capsula ad id accommodata comprehenso, blandè tundantur, donec in pulverem abeant, postea cum auro præparato super amplam tabulam è marmore, vel alio lapide durissimo ponatur, deinde sumatur succi citri bene depurati cum spiritu salis permixti quantum scilicet videtur, & cum eo pulvis prædictus humectetur, qui propter spiritus acidos protinus ebulliet, propterea in substantiam Coralliorum & Margaritarum aget, ubi necessarium est, ut spatula argentea bene deaurata, vel eburnea moveatur eousque, donec ebullitio cesset. Consequenter teratur ab homine robusto, plus minus, per spatium quatuor horarum, pedetentim humectando, quantum idipsum adtritionem requiritur, cum aqua rosarum fragrantissima. Bene trita verò massa, ut digitis apprehensa sit impalpabilis, & linimenti instar lenis, quod deprehenditur, ubi parum dentibus absque alia durioris substantiæ resistentia masticatur, formentur tabellæ parvæ, sicuti consuetum est Pharmacopœis in Coralliorum, Margaritarum & aliis durioribus præparandis, & in loco sicco siccentur super charta pura, custodiendo, ne quid impuritatis accedat, denique in vitro ad usum serventur. Ille pulvis hoc modo compositus maximè cordialis & magnæ efficaciæ est, contra infectionem contagiosam, maximeque convenit Principibus, Magnatibus, & omnibus iis, qui sunt delicatæ naturæ, quibus sanguis maximè subtilis, ventriculus exquisitioris sensus, quique non odorem, multo minus saporem medicamentorum admodum aromaticorum, calidorum, odorabilium, ut sunt alexiterica vegetabilia perferre queunt: item pro prægnantibus atque infantibus. De hoc pulvere matutino tempore, jejuno stomacho in cochleari syrupi de citro, berberorum, vel juniperino, vel quoad personas frigidioris constitutionis in pauxillo Malvatici vel vini Hispanici. Dosis à tribus granis ad duodecim, plus vel minus, pro data occasione &c. Cum additione de pulvere prædicto fieri potest sequenti modo.

Confectio de Hyacintho aurea.

℞. Pulpæ cort. citri virid. conditæ per setaceum extractæ.
Pulpæ cort. arant. eodem modo extractæ.
Conf. Fl. violar. Fl. borrag. ana. ℥j.
Sacch. albiss. ℥iiij.
Syr. de suc. citri. Aq. rosar. opt. an. ℥ij
Coq. lentissimo igne in Porcellana, vel alio vase terreo vitrificato ad consist. electuarii liquidi: deinde addantur
Pulveres Diahyacynthi aurei supradicti ℥j.
Ligni Aloës resinosi Cinam. electiss.
Santal. citrini fragrantiss.
Sem. Angelicæ Rad. Carlinæ, Doronici,
Scordii Croci Anglici opt. an. ʒj.
Pulverisentur omnia, & misceantur s. ar.

Dosis istius confectionis vel Electuarii est à scrupulo ad ʒj. Sumitur autem tempore matutino, sicut alia medicamenta præservativa, non habet saporem ingratum, & est insigne alexipharmacum. De prædicto pulvere solida quoque confectio parari poterit, in forma tabellarum, quæ sequitur.

Rotulæ Cordiales.

℞. Sacch. albiss. pul. ℥jß.
Pul. Diahyacinthi aurei ʒß.
Croci subtiliter pul. ʒß.
Ambræ griseæ gr. viij.
Ol. Cinam. decort. citri, Angel. an. g. v.
Gum. Tragacanth. in succo citri dissol. ad consist. gelatinæ q. s.
F. pasta in mortario s. a.

Ex prædicta massa parvæ rotulæ ponderis scrupuli dimidii formentur, in forma trochiscorum pro fumo, quæ siccentur in umbra, & in pixide clausæ, serventur, de quibus omni mane, priusquam domo exeamus, vel etiam ubi domi manemus, una, duæ, tres, plus, minus, prout necessarium videbitur, sumantur.

Bolus Orizeus, vel aurum præparatum pro pulvere Diahyacinthi supradicti conficitur hoc modo. Recipe Aurum præcipitatum (quod Chymici vocant Aurum sclopetarium, cujus descriptio est in Basilica Chymica Crollii, Tyrocinio Beguini & aliis libris,) unciæ unius pondere, Florum Sulphuris, olei vel spiritus salis, qui sit fortis, ana. ℥ß. Optimè tria ista misceantur, & postea materia ista extendatur ad latitudinem amygdalæ in crucibulo quodam satis magno, quem collocabis in ignem carbonum bene accensum, ut Sulphur optimè comburarur & effumare queat, donec sub finem materia residua rubra glutinosa remaneat: postea removeatur protinus ab igne, & aurum invenietur grumosum in particulas minimas, quasi limosum vel terræ per Solem siccatæ, colore Boli, quod in puro mortario vitreo pulverisari debet, ut inserviat prædictis usibus. Quoad lapides pretiosos, qui ingrediuntur prædictam compositionem, non aliam intelligo præparationem ab ea, quæ dicta fuit. Nolo enim hic sequi multorum Chymicorum opinionem, qui, dum putant sese lapides pretiosos optimè præparare velle pro Medicina, vehementi igne vel solitariè, vel cum nitro calcinant, ubi loco meliorationis, totaliter ipsorum tincturas corrumpunt, eorumque magneticas proprietates, vereque specificas virtutes

tes destruunt, quibus cor confortare debeant.

Antidotus pestilentialis specifica.

℞. Magist. Corall. vitriolati ℥j ß.
Essentiæ opii cum succu citri extr. ℥j.
Croci Anglici Electi.
Rad. Carlinæ, Angelicæ, Hirundinariæ, Doronici, Dictamni,
Petasitidis, Tormentillæ, Zedoariæ,
Sem. citri excort. ana. ʒvj.
Benzoini, Amygdaloidis, Styracis Calamitæ opt. ana. ℥ß.
Mellis odorif. despum. ℔. iij.
Vini Malvat. opt. ℔. j.

Radices omnes conjunctim pulverisentur, Crocus separatim, aut etiam Benzoi & Styrax per modum triturationis, quia dum contunduntur, sese coagulant, & mortario agglutinantur: postea semen citri cum radicum pulvere contundatur subtiliter, quantum fieri potest. Pulverem cum vino Malvatico infunde, & digere in vitro benè clauso in B.M. per quatriduum: quo facto materia ista eximatur, & cum melle misceatur in vase terreo benè vitreato, adjecta essentia Opii, lento igne coquatur, semper movendo donec consistentiam electuarii acquirat. Postea cum removetur ab igne. & ubi ferè refrigeratum est, incorporetur cum Magisterio Coralliorum, Croco, Benzoino & Styrace, quibus omnibus benè mistis in terreo vase benè vitreato, satis capaci pro fermentatione reponantur, ubi quotidiè semel permistio fiat, donec fermentatio cesset. Electuarium hoc est excellens Antidotus contra pestem: si quis enim omni manè quantitatis fabæ, vel etiam plus, pro robustioribus, sumpserit, cor confortabit, ipsumque proprietatibus suis alexipharmacis replebit, ita ut nulla infectio vel venenum iisdem nocere possit. Usus esse poterit mox post octiduum à confectione. Conservari potest longo tempore, quam ob causam in quantitate sua magna præparari, & ad usum conservari poterit.

Magisterium Corallorum vitriolatum ad prædictam intentionem hoc modo præparatur. Recipe Corall. rub. pulverisat. & pp. ℥ij. immittantur in vitrum, & adde Aquæ rosar. ℥ij. cum qua ʼij. optimi Spiritus Vitrioli sint permistæ, & statim videbis spiritus acidos in Corallia agere, causando ebullitionem & spumæ commotionem, quam ob causam vitrum debet esse sat capax, quod etiam claudendum non est, donec ebullitio penitus cesset, postea ponatur in B.M. ibiq; relinquatur eo usque, donec Spiritus Vitrioli non amplius operetur, ipseque liquor sit clarus super residentia vel sedimento, ita ut nihil bullarum ulterius ascendat, quod signum erit spiritum operationem suam absolvisse. Sumpto igitur vitro, è Balneo, per inclinationem liquor à sedimento separetur, qui erit insipidus, instar aquæ fontanæ, ipsumq; sedimentum in fundo relictum colligatur, siccetur, & habebis pulverem albissimum, gustu parùm astringentem, sed sine acrimonia, Coralliorum scilicet, Spiritu Vitrioli insignitorum, qui servetur ad usum.

Essentia Opii pro dicta Antidoto fit hoc modo. Rec. Opii exempli gratia, libram dimidiam, incidatur minutim, ponatur in laminam ferream ad lentum ignem car-

bonum, ut instar picis fundatur : move cum spatula diligenter observando, ne comburatur, & ita plurimum de crassis suis exhalare sinas, eo usq; donec remoto igne siccetur eo usq; ut pulverisari queat. Postea sumatur idipsum Opium, pulverisetur, & affundantur succi citri optimè depurati & clari ℔. iiij. per 24. horas in Balneo, vel alio loco calido digeratur, coletur postea per inclinationem liquor obscure rubeus, vel per chartam bibulam filtretur, ut purissimus fiat ab omni terrestreitate superflua, postea fundatur in patinam vitream, vel in cavitatem cucurbitæ fractæ, & in arenam calidam ponatur ad fornaculam, vel alio in loco, tantum caloris excitando subtus, ut phlegma succi citri leniter exhalet, & ut spiritus ejusdem acidi cum Opii substantia permisti relinquantur, inventa materia nigra, picis instar spissitudme mellis, qua refrigerata ferè pilulæ formari possunt, quæ est essentia Opii nostro instituto serviens. Supra residentiam Opii relictam iterum succus citri potest affundi, cujus tamen extractio multo debilior est præcedenti.

Aqua Theriacalis optima.

℞. Theriacæ Andromachi ℥vj.
Rad. Carlinæ, Vincetox. Tormentillæ, Petasitidis ana. ℥j.
Aquæ vitæ vini Gallici per B. M. rectificatæ ℔ iij.
Suc. Cydonior. depurati citri ana. ℔ ß.
Ol. sulphuris rectificati ʒj.

Infundantur omnia in vase vitreo benè clauso per hor. 40. in calore lento, deinde separetur subtile à spisso per inclinationem. In colatura addantur Sacch. albiss. pulverisati ℥viij. & ad usum reserva. Hæc aqua Theriacalis est etiam bona Antidotus contra pestem, maximeque convenit tempore frigido & humido, potissimum iis, quibus spiritus vini, tum etiam potiones fortiores non nocent. Dosis est cochlear j. matutino tempore tamdiu, quamdiu necessarium esse videbitur.

Elixir Citri.

Seu liquor è substantia Citri compositus, qui facilimè præparatur iis in locis, ubi naves his fructibus onustæ adveniunt, quod in Hollandia fieri solet, insignis contra pestem Antidotus.

Recipe corticum citri recent. dempta maxima parte pulpæ albicantis interius lib. 4. minutim incide, postea in quatuor mensuris aquæ vitæ simplicis per 24. horas infunde: deinde per vesicam cupream cum suo refrigeratorio spiritum omnem istius iufusionis (qui dimidia pars forsan erit, vel paulo plus, quatenus fortior vel debilior reperitur, istius liquoris affusi,) destilla. Ut autem intelligas, totum spiritum per destillationem exiisse, chartulam quandam destillato liquore profluente madefacias, & flammæ candelæ vel alii igni committas: si protinus incenditur, bonus est liquor, & destillatio continuanda est: at si flammam non concepit, extemplo recipiens removeatur, cum eo quod exit, & ipse ignis subjectus extinguatur. Hunc spiritum destillatum odoratissimum cum dimidia drachma Croci optimi tingatis, admistis duabus libris syrupi de succo citri, qui fieri potest

potest ex iisdem fructibus, è quibus cortices ablati fuerunt. Hæc optimè mista conjunctim in vitro clauso custodiantur. Liquor hic jucundissimus, maximè cordialis & infectioni aeris resistens prædicatur, cujus dosis est cochlear j. matutino tempore, sicut etiam de aliis dictum est.

Theriaca Pauperum.

Excellens Anditotus, quæ pro pauperibus præparari potest.

Postquam hactenus docuimus, quomodo excellentissimæ & pretiosissimæ Antidoti præparari debeant, inter quas priores ob facultates suas temperatas Regibus ac Principibus inservire queunt, necessarium est, ut quantum fieri potest, pauperibus etiam succurramus, iisque Anditotos ordinamus, quæ ipsorum naturæ, facultatibusque conveniant, queisque facillimè subveniri queat. Sit ergò primum medicamen Theriaca, quæ sic præparetur.

℞. Her. Veronicæ. Scord. Card. ben. exsicc. ana. ℥ij.
Fæculæ Aronis.
Fl. Sulphuris ana. ℥j.
Zedoariæ.
Rad. Imperatoriæ, Helenii, Hirundinariæ, Carlinæ.
Valerianæ, Myrrhæ el. ana. ʒvj.
Ol. Vitrioli ʒj.
Mellis odoriferi despumati lib. iij.
Mellis Juniperini, sive extr. bacc. Juniperi lib. ß.

Herbæ subtilissimè pulverisentur, & separatim quoque radices: Radix Aronis præparata separatim, quoque trituretur subtilissimè. Deinde Mel & Extr. de buccis juniperi in ollam benè vitreatam mittatur, subjecto igne lento, quo tantum materia calefiat, non autē bulliat, postea pulvis herbarum, Aronis præparati & radicum admisceatur, fortiter pistillo ligneo movendo, donec in formam Electuarii redigantur, ubi ab igne removeatur, & ferè regeratis adde Flores sulphuris, Myrrham & oleum Vitrioli: tandem in vas terreum vitreatum ponetur ad fermentationem, sicut de aliis Antidotis dictum fuit.

Theriaca hæc optima est pro pauperibus, præter id enim quod Antidotum contra pestem constituit, simul etiam consumit omnes superfluitates frigidas corporis, purificat pectus & phlegma tenax & viscosum consumit: similiter conducit stomacho propter impuritatem ejus, quę sæpius ibidem ob victus rationem crassam sanitati noxiam colliguntur, flatus dissipat, putrefactioni humorum maximè resistit, & per consequens à multis morbis præcavere potest. Dosis est à ℈j. ad ʒj. juxta varietatem corporum, quæ eodem utuntur.

Fæcula Aronis est substantia levis, alba, quæ extrahitur ex recentibus radicibus Aronis, eo modo, quo idipsum docet M. de la Violeta in sua Pharmacopœa. Cum autē non ubiq; sufficientem quantitatem illius herbæ reperiamus, ad faciendam prædictam fæculam, monstrabo, quomodo alia ratione fieri possit. Recipe radices (vel bulbos) Aronis siccatas unius anni, quæ penes Materialistas inveniuntur: si exterius sunt impuriores, optimè aqua calida laventur, & vicissim exsiccentur, & subtilissimè

fimè pulverifentur: pulvis in vas terreum vitreatum immittatur, affuſo vino albo Gallico, vel alio tantæ quantitatis, ut duobus vel tribus digitis ſupereminecat: ſtet in infuſione per diem naturalem, poſtea vinum abjiciatur, affuſo alio, idque tertia vice reiteretur, pulvere qui in fundo eſt viciſſim exſiccato, qui erit Aron præparatum, pro Theriaca dicta.

Mel Juniperinum hoc modo præparatur. Recipe granorum Juniperi recentium, groſſo modo in mortario contundantur: coquantur in aqua communi usque, donec videas glutinoſam ſubſtantiam ſeparatam, poſtea expreſſa decoctione, quantum fieri poteſt, coquatur tamdiu, donec in conſiſtentiam mellis reducatur, quod erit dulciſſimum & fragrantiſſimum. Ruſtici circa Norimbergam, Auguſtam & alias regiones Germaniæ Mel iſtud Juniperinum in copia præparant, quo non tantum inſtar Theriacæ utuntur, ſed etiam in abundantia illud ipſum diebus nundinarum in civitatibus vendunt. Hoc eſt quod intelligo per Mel vel Extractum juniperinum.

Aqua Epidemica.

Duabus de cauſis Aquam hanc Epidemicam voco, quia primò proprietate ſua Bezoartica & facultate mundificativa non ſolùm peſti reſiſtere, ſed etiam homines ab aliis morbis Epidemicis ſeu popularibus dictis præſervare poteſt: deinde quia eſt medicamentum facilis præparationis, idque in magna quantitate, ſine magnis ſumptibus, quod pauperibus ſervit, & toti alicui populo conducit, ſcilicet pro pauperibus & vulgaribus, qui ordinariè reliquos ſuperare ſolent, quique communiter populi nomine veniunt, quando Medici de Morbis Popularibus loquuntur, qui etiam ordinariè penes illos incipiunt, ob paupertatem, quæ non permittit, ut ſeſe purificent, victus rationem laudabilem obſervent, ab extremis exercitiis abſtineant, pluvias, ventos, tempeſtates frigidas & calidas fugiant, & pro neceſſitate ſeſe veſtire queant. At Aqua iſta ſic præparatur.

℞. Rad. Anglicæ.
Carlinæ ana. lib. iij.
Abſynthii Rom. Fol. Card. ben. exſicc. Dictamni Cretici.
Scordii, Fol. Roſar. Thymian. lib. j.
Aq. Comm. poc. 40.

Herbis tenuiſſimè inciſis & radicibus conquaſſatis, omnia in affuſa dantur aqua in veſicam cupream vel vas deſtillatorium, quo aqua vitæ ſolet diſtillari. Macerentur 24. horis, fiatque diſtillatio per ſerpentinum refrigeratorium, ut ſemper profluat usq; dum dimidia pars deſtillata ſit, quod accidit tempore brevi. Poſtea admiſceantur aquæ vitæ juniperinæ pocula iiij. olei Vitrioli rectificati ad acetum, hoc eſt, eousq; ut repræſentet ferè ſuccum citri, quibus optimè permiſtis fiat conſervatio in lagena vitrea vel terrea, vel alio vaſculo benè clauſo. Aqua hæc non eſt magni pretii, quia menſura non conſtabit ultra duos ſolidos, & eam ob cauſam propoſito dicto plurimum inſerviet Hanc ob cauſam tempore peſtis præparari poterit, ut inter pauperes diſtribuatur. ſicut etiam in militia terreſtri atque navali: quò milites incolumes ſerventur, præcipuè quando peſtis & alii

alii morbi Epidemici grassantur inter eos, quo in casu facilimè persuaderi possunt sani,ut utantur medicamentis præservativis: at quamdiu sunt sani, non admodum medicamenta curant, quod militibus in consuetudine. Dicta aqua non solùm præservationi, sed etiam curationi servit: pro præservatione quotidiè matutino tempore cochlear j. sumitur: at si quis infectus fuerit, dosis auctior esse debet, quemadmodum postea, quando de cura pestis agendum erit, pluribus dicemus. Diu durat, nec facilimè corrumpitur, qua de causa per mare & itinera longa inservire poterit. Notandum verò quod non in vase quodem metallico sit conservanda, sed in vitro vel vase terreo vitreato, vel ad minimum vase ligneo, quia alias corrumpitur & qualitatem suam deperdit, ut noxia potiùs quàm utilis sit. Aqua vitæ juniperina fit hoc modo: Recipe grana juniperi recentia quatuor libras, conquassentur & in 8. mens. aquæ vitæ simplicis sive ex vino, sive frumento (quod parum importat,) destillata sit, infundatur, postea per refrigeratorium destilletur, ut tantum spiritus ardens separetur, qui servetur, ut cum aqua prædicta misceatur. Oleum vel liquor acidus Vitrioli, sicut etiam Sulphuris pariter etiam excellens est contra pestem, febres ardentes, pleurisin, fluxum ventris, dysenteriam, & morbum illum, qui in mari, maritimisque locis regnat, quem scorbutum vocant, ut & alios affectus, qui ab infectione aeris, aut humorum corruptione proveniunt: etenim si quis manè tres vel quatuor guttas in cochleari vini, cerevisiæ, vel aquæ sumat, taliter stomachum roborat, purificat, & à corruptione defendit, ut impossibile sit, naturaliter loquendo, ut utens eodem prædictis morbis affici queat. Et hæc sunt etiam medicamenta, quæ facilimè comparari queunt, præsertim cum libram olei Vitrioli rectificati sex florenis communis monetæ quis comparare sibi possit, cum tamen uncia per annum integrum eidem sufficere queat. At qui usurpat, sibi caveat, ne vestibus & pennis affundat, quia res ejusmodi corrumpit: sic etiam quando quis bibere vult, in vitro & non alio vase misceatur optimè cum illo liquore, quo sumitur, quia guttæ fundum petunt propter gravitatem suam: post usum vitrum cera rursus diligenter occludatur, quod vitrum sat forte, cum angusto collo, versus orificium coangustatum instar tintinnabuli, quò guttatim aliquid effundi queat, absque perditione, quod fieri solet, ubi collum amplum atque breve est: nec etiam in iis vitris retinendum, in quibus orificium stanno clauditur, quia protinus corrodit idipsum, pedetentim saporem ingratum & noxium à metallo acquirens, id quod etiam oleum Sulphuris facit. Hoc in gratiam illorum additur, qui liquorum istorum naturam non intelligunt,

Bezoarticum vitriolatum.

Cum oleum Vitrioli tantæ sit efficaciæ contra pestem, maximeq; conveniens pro iis, quibus res angusta domi, quiq; non multum pro medicamentis expendere possunt qui tamen nihilominus curiosi diligentesq; sunt in conservanda sanitate, quantū fieri potest, considerando, quod sit liquor talis, cujus translatio, propter causas dictas, formidabilis esse possit, præsertim inter milites

milites, tabellarios & peregrinantes, quibus ejusmodi commoditas non est, qualis requiritur, mediũ inveni, quò iisdem corpus aridum, ſiccum, ſine alteratione vel perditione virtutis ſuæ donare queant, quod quis ſecum portare queat absque vitro in pura pixide, vel charta inſtar terræ ſigillatæ, vel boli armeni, quod fit hoc modo.

Recipe Cornu C. uſti calcinati albi, quantum placet, pulveriſetur, & in catino vitreo, vel porcellana miſceatur, cum oleo Vitrioli rectificato pedetetentim humectando, & cum piſtillo vitreo parvo, vel ſpatula argentea deaurata benè miſcendo, donec fiat paſta, ex qua protinus rotulæ formentur, vel tabulæ ſicut in terra ſigillata, poſtea ſiccentur à ſeipſis, quod fit in brevi tempore, ob ariditatem cornu cervi calcinati, quod in continenti liquorem Vitrioli attrahit, ut ſiccentur, quò pulveriſari queant. Quo facto tabulæ iſtæ in pyxide quadam ſerventur, & ita compoſitionem ſiccam habebitis, non ſolùm commodiſſimam, ut eandem ſecum quis portet, ſed etiam maximè Bezoarticam & corruptioni reſiſtentem. Si quis uſurpare conabitur pro Antidoto, pauxillum radatur cum cultello, piſi inſtar ad 5. vel 6. grana pro doſi, plus minus, juxta robur perſonarum, & quatenus eædem magis minusve ſenſibiles ſunt (ſemper enim doſis minor eſſe debet reſpectu eorum, qui debiliores & exquiſitioris ſenſus ſunt, quàm in aliis,) idque ſumatur manè, ſtomacho jejuno cochleari vini, cereviſiæ, vel aquæ claræ tempore æſtatis, aut in caſu neceſſitatis, in defectu aliorum, continueturque remedium hoc, ſicut de aliis dictum fuit, toto iſto tempore, quo peſtis & alii morbi Epidemici graſſantur, contra quos medicamentum hoc ſingulare & utile eſt, quamvis non ſit tam magnæ exiſtimationis, ut aliæ compoſitiones. Hæc ſunt præſervativa, quæ contra peſtem tam pro divitibus, quàm pro pauperibus, adeoque diverſarum qualitatum hominibus, proponere voluimus. Quod ſi quis commoditate præparationis deſtituitur, vel etiam eadem præſidia non deſiderat, nec iisdem delectatur, (quia ſemper homines ſuis opinionibus gaudent,) ille utatur compoſitionibus aliis cordialibus & alexiteriis, quæ ordinariè in officinis diſpenſantur, ut eſt Confectio Alkermes, de Hyacintho communis, Elect. de Gemmis, Diambræ, Diamargar. frig. & cal. Lætificans Galeni, Diarrhodon Abb. &c. Inter Alexiteria, Theriaca And. Mithridatium, Aureum Alex. Elect. de ovo, Aqua vitæ compoſ. Matth. & aliæ Antidoti, quæ laudabiles etiam & excellentes ſunt. Porrò qui neque his etiam vult, vel poteſt uti compoſitionibus, ille ſimplicibus ſit contentus: non enim Creator noſter voluit, ut ſanitas hominis neceſſariò dependeat à conſiliis, Receptis & compoſitionibus Medicorum, ita ut undique hominem, ſive propè ſive longè abſit à Medicis & Pharmacopœis, gratiâ ſuâ circumdet, dum infinitum numerum excellentium ſimplicium tam in propriis noſtris hortis, quàm in campis, pratis, rupibus ac montibus exhibet contra omnis generis morbos, inter quas maxima copia eſt earum, quæ tempore peſtis ſerviunt, ut ſunt exempli gratia, Ruta, Abſynthium,

Carduus

Carduus benedictus, Abrotanum, Majorana, Thymus, Salvia, Hyssopus, Melissa, allium, Theriaca rusticorum dicta. Item Herba Hypericonis, Veronica, Scabiosa, Chamedrys, Origanum, Marrubium, Millefolium, quod in omnibus pratis & viis enascitur, cujus singularis est efficacia contra pestem. Item, Radices Angelicæ, Imperatoriæ, excellentis & regalis Carlinæ, Talerianæ, Hirundinariæ, Morsus Diaboli, Aristolochiæ. Item fructus citri, aurantiorum, granatorum, bacc. juniperi, Berberorum, in mediis sepibus & hinc inde crescentium, & alia quam plurima simplicia; ne quid dicam de delitiis Aromatum, Balsamorum, Resinarũ liquorum, salium, Terrarum, lapidum pretiosorum, quæ misericors Pater omnium nobis donat, de quibus quodlibet sumptũ quantum convenit omni manè, simulq; bonum regimen in diæta servando, tempore pestis Alexiterium constituere potest.

Præter usum internorum medicaminum sunt ex Medicis, qui plurimum tribuunt adpensis ad cordis regionem, vel sub axillis iisque ex rebus venenatis, utpote Arsenico, sublimato, bufonibus siccatis, scorpionibus & similibus confectis, quæ vocant Amuleta, quasi dicas hostes pestis: sed præterquam quod ejusmodi assertio ratione firma careat, quæ ad experientiam incerta & cui parum fidendum, nihil quicquam ulterius hac de re addam. Potiùs istius loco probarem olea & unguenta bezoartica, & alios liquores bezoarticos, administratos ea ratione, sicut superius de aëris correctione dictum fuit. Cum enim negari non possit, quod spiritualis atque subtilis essentia dictorum per respirationem & occultam transpirationem ad cerebrum cor & sanguinem deducatur, idcircò sequitur, quod impraegnando quasi spiritus multò melius corpus nostrum à malignitate defendant, quam venena prædicta circa collum gestata. Sed de utroq remedio quivis eligat, quod placuerit, quod pro præservatione sufficiat.

Signa & indicia Pestis in genere.

Pestis crudeles atque malignos suos effectus in hominibus dupliciter exequitur, nimirum vel internè tantùm, vel tàm internè quàm externè. Si igitur pro intentione nostra distinctionem aliquam requirimus, cum Paracelso pestem aliam internam, aliam externam vocare possumus, quamvis utraque suam essentiam atque causam in ipso corpore habeat. Signa pestis internæ sunt duplicia, suspecta, & obscura, vel totaliter occulta. Suspecta signa; subitaneus, levis horror intra cutim atque carnem, conatus vomendi, somnus profundus, lassitudo totius, subitaneum delirium & furor, totius inflammatio, oculi scintillantes, facies rubicunda, vel sublivida, cephalæa, pulsatio arteriarum, palpitatio cordis, punctiones laterum cum insigni calore, pulsus in carpo celerrimus, vel extremè debilis, urina transparens, mali odoris. Hæc signa suspecta dico, quia non tantùm sunt indicia demonstrativa & infallibilia Pestis, sed possunt etiam prædicere, vel indicare morbos alios, nempe febres continuas, Synochum putridam,

causam seu febrem, ardentem, febrem pestilentialem malignam, quæ præcedit, vel conjungitur, cum variolis & morbillis, multum à peste (de quo hic agimus) differentibus, Item pleuritidem, febrim tertianam, quartanam, aut alias febres atque morbus chronicos sine contagio, quorum peccans materia in prima commotione, juxta differentiam complexionum atque naturarum corporum eorum, quæ prehendunt, ejusmodi symptomata producere potest, quemadmodum omnes exercitati & periti Medici testari possunt. Signa obscura sunt, quando quis subito subtili spirituum alteratione prehenditur, ita ut in se ipso corporis harmoniam interruptam sentiat, interim tamen dicere nequeat, de quo conqueratur, nec etiam Medicus observare possit idipsum signo quodam, excepto quod parum intuitus aberrare, sermoque inconstans ac dubius videatur, ac si totaliter sanus ac benè dispositus sit, quem tamen nihilominus pestis subitò jugulat, non aliter ac leo fame laborans in tenerum atque debilem agnum incidens, vel fodina seu mina pulveris tormentarii sub pedibus alicujus inscientis, quæ subitò accensa protinus illum attollit, & in instanti removet ab illo loco quicquid adest, antequam quis observare possit periculum unde veniat, quare dicere possumus cum Propheta David Psal. 91. quod pestis ambulet in tenebris, quia non observatur, & interitus qui perdit in meridie; est enim ejusmodi latro, qui non curat claritatem vel populi commotionem, homines tam in meridie quàm alio tempore occidens. Signa pestis externæ sunt ex parte suspecta, ex parte evidentia: suspecta sunt & talia, qualia diximus, à principio, antequam natura venenum à centro ad circumferentiam propellat: postea sunt evidentia, quando præter alia signa dicta laborans tumorem quendam post aures, sub axillis, circa pubem, carbunculum, vel furunculum inflammatum, pustulas vel exanthemata lentium instar rubra, livida vel nigra sub cute monstrat, quibus appetentibus pronunicari potest, ejusmodi hominem peste prehensum esse. Tantum quoad differentias atque signa crudelis infectionis pestiferæ: non autem credendum, more aliorum, quod pestis homines omnes eodem modo adoriatur, & quod natura robustior malignitatem extra corpus propellat, quæ in debilioribus interius maneat; est autem hæc falsa imaginatio, quia sæpiùs observatum fuit, pestem regnasse, quam nos internam diximus, quæ abstulit omnes quotquot aggressa fuit, aliquos subitò per plateas ambulantes, quosdam in tribus quatuorvè horis, quosdam in diei spacio, vel ad summum tertia die sine omni signo exterius expulso, neque in debilibus, neque in robustioribus, nisi post mortem stigmata livida sese ostentent in quibusdam, qua ratione id non negabimus, quia pestis, quam nos externam diximus, interea certas ob causas in corpore retinetur, ut exire nequeat. Quod si causam istius differentiæ inquirimus, credo quod melior ratio reddi nequeat, quam quod prima pestis hoc sibi proprium habeat, quod statim ictu primo cor petat, & interius spiritus vitales ac substantiam aëream ac Mercurialem corporis inficiat. Ubi jam homo debilis,

debilis, & infectio magna, statim, vel in paucis horis jugulat:at ubi robustus est, vel ubi probata remedia in promptu sunt, per insensibilem transpirarionem consumitur, secundum naturam subtilitatis suæ, sine propulsione materialis impuritatis ad externas partes. Contra pestis altera (externa dicta) propriè & directo sanguinem & alios humores inficit, qui sunt materia tumorum, apostematum, pustularum, macularum, ac scabiei communis, ubi robustum hominem adoritur, natura superat similiter, & malignitatem ad externas partes propellit, easque potissimum, quæ sunt molliores, rariores & apertæ, quibus in partibus jam tumorem, jam carbonem, jam pustulas vel maculas format, secundum diversitatem humorum prædominantium & magis ebullientium, quos invenit, quæ similiter sicuti peccans materia maligna sunt periculosa & mortalia.

Remedia & Methodus curandi generalis respectu eorum, qui peste prehensi sunt.

Quamvis Pestis duplici modo, sicut dictum est, homines invadat, non tamen hoc obstat (exceptis accidentibus externis quæ ad Chirurgiam pertinent) quin curatio physica vel interna tam respectu unius, quam alterius, principaliter tribus remediis perficiatur, nimirum per sudorifera Bezoartica, per vomitoria, & per phlebotomiam. Boni effectus, quos Bezoartica sudorifera producunt, triplices sunt, 1. Statim in primo insultu venenum pestilentiale domare: 2. Sanguinem ab omni corruptione & putredine purificare, quam per sudorem, per urinas & per occultam transpirationem expellunt, vel avocando & secernendo longè à corde, ad locum aliquem externum corporis, ubi per remedium aliquod locale vel externum evacuari potest: 3. & cor atque calorem nativum confortare. Vomitorii effectus tres quoque sunt: 1 ventriculum & præcordia inanire ab humore bilioso & alia materia calida excrementitia, quæ corrumpuntur, antequam purgari possint, quæ malignitati pestiferæ junguntur, eamque vehementiorem ac periculosam magis reddunt: 2. abigere vapores corruptos, qui cursu suo alias venas petebant: & 3. quod præcordia purificent à dicta colluvie, corpus consequenter aptum & habile reddendo, quò eo melius auxilium & succursum Bezoarticum recipiat, quæ in stomachum purum recepta facilius, & magno cum successu prædictos suos effectus perficiunt, quod non fieri potest, ubi ventriculus & vicinæ partes immunditiæ plenæ sunt. Boni effectus venæsectionis sunt etiam triplices, 1. corrigere & temperare magnam effervescentiam & ebullitionem sanguinis admodum abundantis & calidi: 2. evacuando venas repletas plurimum, ipsisque aërem communicando, ut superstes sanguis plus spatii habeat agitetur & purificetur per Bezoartica: & 3. quo parti cuidam externè laboranti solatio sit, quæ plurimum sanguinis recipiens ad extremam inflammationem pervenire potest, ut timendum sit de gangræna, quæ sufficiens mortis causa esse poterit, cui ut succurratur, necessario phlebotomia tentanda.

Quod Medicamenta Bezoartica, præ-

prædictasque Antidotos attinet, omniaq; remedia, quibus ad præservationem utimur, si dantur in majori dosi simul etiam ad curationem inservire possunt, semper tamen perpendendo, magnam esse differentiam, corpus aliquod à peste præservare, & quod jam infectum est, curare. Nam Antidoti, quibus ad præservandum utimur, pedetentim per quotidianam continuationem corpus integerrimè balsamica quasi virtute roborare spiritusque ejus essentia sua alexiterica, quo infectioni resistant, præmunire debent. At ex altera parte curare quendam jam infectum, requirit non solùm Medicamenta, quæ sua natura sunt Bezoartica, sed etiam essentialia, subtilia, penetrantia & in suis operationibus efficacissima, quo realiter, sine longa mora in stomacho, mox in venas, arterias & habitum corporis extendant, sese spiritibus immisceant, purificando ipsos ab omni vapore maligno, non aliter quàm sicuti flamma ignis aërem ab omni sorditio purgat eo usque, quò sese vis ejusdem extendere potest. Quocirca, si quis pestiferos curare conabitur, necessarium erit, ut sibi provideat de ejusmodi liquore Bezoartico, sicut est sequens.

Diaphoreticum pestilentiale nostrum.

℞. Granor. juniperi recent. ℔ ij.
Her. Dictamni Cretici
Scordii Montani Cretici.
Rad. Angelicæ
Cort. citri exsicc. ana ℔ j.
Aq. vitæ simpl. poc. viij.
Aq. comm. poc. iiij.

Omnia mittantur in instrumentum distillatorium ex cupro, quod vesicam vocant, tantæ magnitudinis, ut tantùm ad dimidiam partem repleatur, postea apposito pileo, juncturæ sigillentur, ut nullus vapor exspiret, & posito sub tubulum vel canalem magno recipiente vitreo pro recipiendo liquore distillando, subjiciatur ignis parvus, ut materia calefiat pro digestione & emollitione ingredientium quo spiritus eorundem eò melius separetur, quem calorem per triduum continuabis. Postea eodem modo destilletur, sicut etiam aqua vitæ destillari solet, donec omnis spirituosa & inflammabilis substantia separata sit, quæ circiter poc. iij. erit, vel aliquid ulterius, ubi observetur, quod supra dictum est de aqua Theriacali, quo quis certus sit, spirituosam substantiam extractam esse. Postea ad quodlibet poculum istius spiritus adjunge.

Rad. Carlinæ ℥ iiij.
Vincetox, Zedoariæ ana ℥ js.
Succi Veronicæ condensati
Croci Anglici el. ana ʒ ß.
Camphoræ ʒ j.

Digerantur in Baln. Mariæ in vitro benè clauso, ne quid spirituum exhalet, per quatriduum: sed nota, quod vitrum capax esse debeat, quo vapores ascendentes circulentur, & vicissim super materiam descendant. Elapso hoc tempore & Balneo refrigerato per inclinationem liquor infusus separetur, & superstes materia exprimatur quantum fieri potest, & finaliter ad ʒ xxiiij. adjunge syr. papav. Rhæad. ʒ viij. Spir. salis rectif. g. xl.

Quæ

Quæ commista diligenter in phiola vitrea custodiantur instar liquoris pretiosi, quia est ex numero præstantissimorum Diaphoreticorum vel sudoriferorum & aperientium, quæ quis præparare potest contra pestem, de quo perinde secure quis uti potest omnibus, qui mediocres vires adhuc obtinent, ubi necessitas idipsum requirit. Interim obiter hoc moneo, non timendum esse prædicti medicamenti usum, propter calefacientem atque penetrantem facultatem, quod arrogantes quidam Medici facere poterunt, qui respiciendo potius ad circumstantias quasdam, quam veram essentiam morbi, lubentius utuntur medicamentis frigidis vel temperatis, in respectu excedentis caloris, qui ordinarie cum dicto morbo complicatur, & interim non pugnant contra causam morbi, adeoque principalem hostem, contra quem sese armare necessum est. Est enim alia ratio domare venenum ejusmodi periculosum & vehemens, quod homines jugulat neque per caliditatem neque per frigiditatem, sed per occultam subtilissimam malignitatem, quod fieri debet per remedium aliquod specificum & efficax, sicuti supra dictum fuit; alia etiam est ratio cuidam intemperiei calidæ vel frigidæ resistere. Adde insuper, quod medicamentum hoc, fortiter contra venenum pugnando, seipsum consumat atque transpiret durante sudore, sine ulteriori inflammatione vel alteratione partium: imò veneno expugnato, corpus ipsum alterari potest, prout sese occasio offeret, remediis convenientib. Dosis istius liquoris est à ℥ij. ad ℥vj. aut plures. Quod si quis admodum debilis & natura extenuatus sit, vel admodum delicate vivat, ita ut vix pauxillum Theriacæ deglutire queat, ipseque spiritus vini odor ferè totum corpus commoveat, sicuti reperiuntur, inprimis inter tenellas atque blandas puellas nobiles, ut etiam illi, qui hypochondriaco malo obnoxii sunt: prægnantes itidem, senes & infantes, his loco prædicti liquoris pulvis Diahyacinthi, descriptus capite de Antidotis, vel Bezoarticum metallicum, quod à Crollio, Quercetano & Beguino describitur, exhiberi potest, quod est pulvis candidissimus, sine omni odore & sapore, qualitatibus suis temperatus, sufficiens Bezoarticum pro talibus personis, exhibendo de hoc vel illo cum aqua veronicæ & cardui benedicti.

Quoad Vomitoria, consilium meum est, præ cæteris eligendum Oxysaccharum vomitivum, cujus antea facta fuit mentio, quod (præterquam quod absque difficultate stomachum ab humoribus & impuritatibus prædictis eluat) singularem proprietatem habet, qua pesti resistit, super alia Empyrica, quam ob causam omnibus dari potest, qui ad vomendum habiles sunt, toties, quoties, necessitas idipsum requirit. Quod si quispiam Medicorum abhorret ab usu medicamenti prædicti, propter defectum cognitionis Antimonii, cujus naturam, proprietatem & operationem ignorat; is legere dignetur Anatomiam meam Antimonii, & authoritati multorum doctorum Christianorum, sicuti paganorum subscribat, certe secundum rationem & experientiam confiteri cogetur, omne du-

bium, quoad prædictum medicamentum sibi sublatum.

Quoad venæsectionem, quilibet scit, quid dicere debeat. Pro tempore, quo quisque sciat, quo modo cum ordine convenienti juxta tria remedia, nimirum in usu Bezoarticorum, vomitoriorum & phlebotomiæ sese gerere debeat in curatione pestis, sequentes regulæ sunt observandæ.

I. Si quis tempore pestis ad ægrotantem subito morbo correptum vocatur, primum diligenter eo allaborandum, ut cognoscat, an peste prehensus sit vel non, tam examinando signa apparentia, nec non penes ægrotum inquirendo constitutionem corporis naturalem; quam etiam observando, quæ exterius apparent. Et posito quod nihil signorum manifestorum sese offerat, quod infectus sit, ita ut dubitare cogamur, symptomatibus videlicet æquivocis apparentibus, quæ tam alterius cujusdam morbi, quam pestis indicia esse queant, sicuti supra dictum. In hoc casu, si quis methodice procedere vellet, aliquamdiu expectandum esset, antequam medicamenta præscribantur, donec, qualis morbus sit, appareat, ad quem postea curatio dirigatur. Sed ubi consideramus occulta stratagemata, quibus pestis frequenter invadit, quibus in paucis horis aliquem jugulat, priusquam idipsum observetur; item quod tempore contagii regnantis alii morbi, suam originem à corruptis humoribus habentes, propter malam astrorum constellationem, & subsequentem aëris alterationem, facilimè in febres malignas & pestilentiales mutari queant; tutius erit, in cōtinenti Bezoartici cujusdam dosin administrare, nempe pulverem nostrum, vel confecti Diahyacinthi aurei, vel aliud supradictorum, per hoc enim medium cor confortatur & facultas expultrix excitatur, unde fit ut mox peccans materia occulta propellatur, & per alia signa manifestetur, quæ si pestifera est, corrigitur, ut effectus malignos non edat: si alius est morbus, eo allaboratur, ne malignus & pestilentialis fiat, ita ut in hoc negotio Bezoartica sint instar experimenti, quo morbus in principio occultus, manifestatur. Neque hoc solum, sed memorabile etiam est, quod interdum accidat, ut sumpto Bezoartico sub initium alicujus morbi, natura confortata miraculose sese liberet à materia sibi contraria, per evacuationem quandam non cogitatam, ita ut morbus abeat sine ulteriori remedio. Hinc igitur, oblata hac occasione, multò tutissimum ad Bezoartica refugium est.

II. Si laborans, qui Medicum expetit, nullum dolorem vel signum pestis habet in externis corporis partibus: Item si pulsus est ordinatus, urina laudabilis: si non adest dolor capitis, neque extraneus calor: si venæ non sunt tensæ, si nulla adest purgatio vel alvi subductio extraordinaria, sibique penitus sanus videtur, excepta levi lassitudine interna, & parva cordis debilitate, quam sentit: si oculi sunt scintillantes, & non rubicundi, plus justo lætiori, vel tristiori sese gerente ægro præter consuetudinem, vel alias contra naturam sese ostentante: protinus & incontinenti bona dosis optime conveniens, pro ratione virium, de Diaphoretico

tico pestilentiali, vel si est ex numero delicatulorum, dosis Bezoarticorum dictorum cum Aq. Veron. vel card. benedicti exhibeatur. Postea in conclavi calido sese ambulando exerceat, si potest, per dimidium horæ, cum tunica nocturna circumdatus, quo facto lecto sese contineat calido & frictionibus extremorum cum linteo calefacto sudorem promoveat, plus, minus, prout ferre poterit. Post sudorem, frigus fugiat, & observet, quid medicamentum ooperari velit. Quod si patiens se sentit liberatum à priori dispositione (excepta levi alteratione, quæ ordinariè sudorem habitum sequitur, præsertim in personis debilibus) nihil aliud tentandum, quam ut domi sese per biduum vel triduum contineat, bonam diætam observet, & si ventris constipatio urget, clysterem emollientem adhibeat. Si interim nihil mali supervenerit, exire & aerem liberiorem, pro more suo haurire poterit. At si vix dimidia parte post primum sudorem symptoma remissum videtur, post octo horas alia paulo minor dosis Bezoartici reiteretur, quo facto, si bene sese habet, dicto modo gubernetur. Contra si nihil juvamenti sentit ab usu Bezoarticorum, si debilior, & tristior apparet, & urina, pulsus, facies nullam alterationem exhibent, nec etiam natura quædam indicia morbi monstrat, sæpius cordi per cordialia succurrendum erit, attendendo, quod malignitas per modum criseos naturæ exierit, sine tentata venæsectione vel purgatione, utpote quod absq; periculo fieri non potest, nisi necessitas evidens illud urgeat.

III. Si patiens peste laborans sese offerat, qui dolorem capitis, soporem, punctionem præcordiorum & appetitum ad vomitum habeat, cui ventriculus bile repletus & aliis viscidis humoribus infectus, huic statim in principio vomitorium aliquod supradictum præbeatur, postea stomacho purgato, (quod fit in 2. 3. vel 5. horis, vel pluribus) Bezoarticum ad sudorem sumat, sicut antea dictum fuit. Sit autem, ut aliquod signum externum pestis appareat (posito quod venticulus repletus sit, ut dictum) nihilominus curatio per vomitorium incipienda est, subsequente Bezoartico, ventriculo enim à vitiosis humoribus liberato, nec non veneno plurimum à corde propulso & fugato, multo felicius aliquis in cura procedet cum particularibus remediis, juxta varietatem accidentiū, quæ post usum medicamentorum generalium apparere possint, sicut postea docebitur.

IV. Si quis incidat in ægrum pestiferū, qui per totum corpus ardeat, capite doleat oculos rubentes ac flammeos, linguæ, fauciumque inflammationem, sitim intolerabilem, difficilem respirationem, pulsum extreme frequentem & venas atque arterias tensas habeat, protinus absque mora venæsectio instituatur, emittendo bonam quantitatem sanguinis, pro respectu plenitudinis, sine parsimonia, quamvis in lipothymiam incidat, in tali enim casu, nisi quis corpus à superabundantia sanguinis ebullientis & inflammati liberet, frustra laborabit. Verum tamen est, si conveniens minimo videtur ejusmodi magna evacuatio simul & semel tentata, propter impedimē-

tum

tum vel difficultatem aliquam, ut eadem duabus vicibus perficiatur, modo fiat ſpacio quatuor vel quinque horarum, ubi interim, antequam ſecunda miſſio ſanguinis fiat, aliquid cordialium medicamentorum pro confortatione præbeatur. Facta venæ ſectione, Bezoarticum exhibeatur, quo venenum peſtiferum expellatur.

V. Si patiens ſeſe offerat, qui habeat febrim acutam, calorem excedentem & capitis inſignem dolorem, cui ſimul etiam exanthemata rubra, livida, vel alterius coloris, protinus ad Diaphoreticum peſtilentiale recurrendum, & pro viribus ſudor provocandus, quod paulo poſt ſecunda vice propinetur, ſi neceſſarium videbitur, couſque, donec cordis vires recolligi, febrim minui, & exanthemata evaneſcere appareat. Diligenter igitur hîc perpendendum an in ejuſmodi cura per vomitorium, aut per venæ ſectionem ſit incipiendum, utpote quæ nunquam admittenda, niſi poſt malignitatem ſeparatam & expulſam, continuatio fervoris ab ebullitione vel copia ſanguinis deprehendatur.

VI. Si quis peſte prehendatur cum febre lenta, ſopore & dormiendi inclinatione, cum dolore poſt aures, circa collum, ſub axillis &c. ſine glandularum apparentia, nec etiam indicio aliquo tumoris iſtius loci; ſtatim doſis Diaphoretici peſtilentialis exhibeatur, ſudore provocato, ſicuti dictum fuit, reiterando idipſum ſemel atque iterum, donec febris conſumatur, & dolor evaneſcat, vel ſi dictis in partibus tumor aliquis oriri incipiat, qui ad perfectionem perveniens topicis curetur, ut poſtea dicam.

VII. Tandem oblato patiente, cui prima vel ſecunda die carbunculus aut tumor, vel exanthemata ſupervenerint, in hoc caſu medicamenta generalia juxta regulas ſequentes obſerventur. Primo ſi patiens eſt Plethoricus, & ſi in parte, quam occupat carbunculus vel tumor, aut puſtulæ, inflammatio magna & intollerabilis dolor oritur, protinus venæſectio inſtituatur, ſicut ante declaratum fuit: poſtea detur eidem Bezoarticum cordiale, quod eſſe poterit noſtra confectio de hyacintho, vel ſimilis, non tantum ad ſudorem provocandum, quam ad cordis corroborationem, & ejuſdem à veneno defenſionem, quod duabus vel tribus vicibus iteretur ſingulis quinque horis, prout neceſſarium videbitur. Quod ſi patiens non admodum ſanguineus eſt, & inflammatio atque dolor mediocritatem obſervant, venæſectio intermittatur, & bezoarticum exhibeatur, eo fine, quo venenum longe à corde propellatur, eouſque, donec carbunculus, tumores & furunculi per externa remedia curati ſint. Hoc ſufficiat de generalibus remediis pro curatione naturali vel interna, tam ad conſumendum atque fugandum totaliter venenum Peſtis per ſudorem atque inſenſibilem tranſpirationem in principio, & quando adhuc eſſentialis eſt morbus, quam ut à centro ad circumferentiam & ſuperficiem corporis venenum expellatur tunc temporis, ubi per conjunctionem alicujus humoris, cum quo jungitur & unitur, materialis redditur.

Curatio

Curatio accidentium & causarum particularium pestis, quæ exterius intra carnem atque cutim superveniunt.

Affectus atque symptomata particularia pestis, quæ ad curationem chirurgicam pertinent, principaliter tria sunt: primò est abscessus vehementer inflammatus, rubeus, lividus, viridis & niger, quem vocant carbunculum, ob vehementiam ardoris & doloris, quam producit ferè eo modo sicut carbo ignitus carni impressus, secundò est tumor carbunculo major, sed minus acutus, qui non ita dolet ut anthrax vel carbunculus, quamvis sæpè sit etiam admodum venenatus & periculosus: tertiò sunt parvæ glandulæ sæpè duriores atque mobiles, quæ in diversis corporis partibus intra cutim atque carnem oriuntur, quæ etiam sunt perniciosæ, quamvis non in ejusmodi summo gradu, nec tanti momenti cum prædictis. Hæc sunt accidentia externa, quæ curam chirurgicam requirunt, quæ ab aliquibus causæ secundæ, & ab aliis causæ particulares potius quam accidentia appellantur, idque duas ob causas: primò quia sæpius persistunt ejusmodi symptomata, nec cedunt ad curationem generalem vel internam, quam ob causam oppugnanda sunt remediis topicis vel particularibus, deinde, quia sæpius observatum fuit, quod tempore pestis homines subitò prehensi fuerunt carbunculis, tumoribus vel glandulis, more sægittæ subitò inflictæ priusquam signum aliquod aliud, vel alteratio corporis observata fuerit, quibus si quis particularibus remediis topicis non succurrat, venenum ipsorum cordi communicatur, ferè modo eodem, sicuti venenum morsus viperæ, vel alterius animalis venenati. Sit autem ut quis accidentia vel causas nominet, pro lubitu, curationem juxta sequentem processum accommodatam invenìemus.

Pro curatione carbunculi, sit in quacunque corporis parte, triplex intentio principalis requiritur, prima consistit in eo, ut materia virulenta, extreme corrosiva, quæ intus est, evocetur, deinde ut resistamus vehementi ardori & dolori, quem in parte laborante producit: tertio ut ulcus mundificetur, & ad perfectam consolidationem perducatur. Jam verò ut virulenta materia tutò & citò suppuretur, necessariũ erit, ut emplastrum præparatum sequenti modo sit in promptu.

Emplastrum attractivum ruptorium pestilentiale nostrum.

℞. Gum. Sagapeni Ammoniaci Galbani ana ℥. iij.
Terebinth. coctæ Ceræ virg. ana ℥. iiijs.
Magnetis Arsenic. subtil. pulv. ℥. ij.
Rad. Aronis pul. ℥. j.

Gummi depurentur cum aceto scyllitico, & ad consistentiam emplastri coquantur, & postea ponderentur, deinde cum rebus aliis fiat emplastrum lege artis, quod excellentissimum atque specificum est ad extrahendum virus pestiferum ex profunditate ad extra, præcavendo, ne vicissim ad interiora regurgitet, & cor ipsum suffocet, ut credam, inter omnia topica simile remedium non inveniri.

Hoc Emplastro carbunculus obducatur, quod paucis horis venenum extrahet.

2. Ad vehementissimam inflammationem linimentum sequens præparetur.

℞. Minii ℥.j.
Aceti Sambucini ℥.v.

Infundantur in B.M per hor.iij iiij. deinde colentur per inclinationem: colaturæ addantur

Ol. Sambucini
Rosati completi an. ʒ.vj.
Santali rub. pul. ℈.iiij.
Croci opt. ℈.ß.

Misceantur in mortario plumbeo, vel in patina vitreata terrea, usq; dum acquirant consistentiã unguenti. Hoc unguento viciinæ partes circa carbunculum inungãtur.

Præparatio Magnetis Arsenicalis antea dicti.

℞. Arsenici Cryst allini
Sulphuris vini
Antimonii crudi an. part. æqual.

Hæc tria in mortario ferreo pulverisentur, in vase fortissimo vitreo ponantur ad ignem arenæ, donec vitrum optimè incalescat, & prædicta solvantur atque liquentur instar picis, quod observabitur, quando filum quoddam immittatur ad fundum quod extractum postea instar Terebinthinæ trahetur, ubi satis coctum erit. Postea remove vitrum ab igne, & ubi refrigeratum est, rumpe, & subtiliter petram istã rubicundam, quam invenis, pulverisa, quã ad usum serva. Præparationem hujus pulveris scripsi quoque in Anatomia Vitrioli & Ternario Bezoarticorum, ut autem illi, quibus forte desunt libri isti, processum præparationis habeant, idcirco eundem & hic repetere placuit, utpote cum remedium hoc maximè tempore pestis commendatum sit.

3. Anthrace vel Carbunculo aperto, tumor qui restat, resolvatur, ulcus mundificetur, & curatio sequenti modo continuetur.

℞. Succi plantag. Scabiosæ Rosar. rub.
Nicotianæ veræ an. ℥. ij.
Mellis virginei crudi ℥.iiij.
Terebinth. laric. ℥.j. Vitell. ovor. n. iij. Farinæ Hordei ℥.ß.

Coq. lentiss. igne, semper agitando ad consistentiam unguenti.

Hoc ipso interius ulcus curetur, & exterius sequens addatur Emplastrum.

℞. Picis navalis, Resinæ pini Gum. Ammoniaci depurati
Ceræ virginis an. ℥.js. Asphalti ℥.j.
Mellis adusti ad nigredinem subtil. pulv. ʒ.ß.
Camphoræ in ol. succini dissol. ʒ.j.
F. Emplastrum, quod linteo extendatur ad usum.

Quod si carbunculus post apertionem cum magna inflammatione & duritie labiorum continuetur, appositis prædictis remediis, tota pars tegi potest cataplasmate emolliente & refrigerante, quod fiat ex foliis Malvæ, Altheæ, Violariæ, Plantaginis, Rad. Altheæ, & similibus, cum pauco croco & loco oleorum & pinguedinum, melle rosato, Mercuriali & vitellis ovorum adjectis, oleosa enim poros cutis constipant, & humoris calidi & maligni transpirationem impediunt, qui totaliter inclusi & retenti continuatæ inflammationis causam con-

constituunt, quod experientia sæpè testatur, magna cum jactura patientium.

Curatio tumorum & abscessuum pestilentialium.

Tumores prædicti duplici modo tractantur, primo per resolutionem, absque apertione, tunc temporis, ubi tantum apparere incipiunt, quando laborans nihil doloris, nec quidquam inflammationis percipit, quibus indicatur, nihil adhuc malignitatis interius esse: deinde per apertionem & suppurationem, tunc temporis, ubi dolor interius & aliquid inflammationis adest. Primus modus absolvitur per unguentum vel cataplasma quoddam resolvens & digerens, quorum juxta suam experientiam hoc vel illo quilibet utitur, semper tamen eò sollicitè respiciendo, quò Bezortica interna præmittantur, tam ut malignitas cordi non appropinquet, quam etiam ut sudor provocetur, ad poros cutis partis etiam affectæ magis aperiendos, qua ratione materia peccans citius transpirat, ipseque tumor facilius dissolvitur. Hinc igitur medicamenta repercussiva frigida fugienda, quam ob causam utiliter oleum sequens adhibebitur:

℞. Ol. Resinæ Elemi per vesicam destil.
Bacc. Juniperi an. ℥.iiij.
Succini rectif. ℥.ij. Rorismarini,
Styracis liquid. an. ℥.j. M.

Hoc oleo singulis horis quinque tumor calidè inungatur. Quod si prima secundave inunctione videtur dissipari, dictum remedium continuetur. Quod si loco resolutionis tumor augeatur, & patiens de majori dolore conqueratur, concurrente aliqua inflammatione, protinus recurrendum ad alterum curationis modum, & sine dilatione tentanda est apertio, licet perfectè maturus non sit, quamprimum fieri potest. Hoc ipsu aliqui cauterio actuali perficiunt, hoc est, aperturam faciunt ignito ferro, postea sublimati Mercurii quidpiam immittendo: sunt alii, qui caustico quodam potentiali utuntur, quod ex lixivio forti præparāt, eousq; coquendo idipsū, donec aquea substantia penitus exhalet, in fundo sale maximo corrosivo superstite, simulque inungūt maturativum aliquod oleum, similisq; facultatis Emplastrū addunt, ut tumor ad perfectam digestionē perveniat, & materiam instar aliorum abscessuum reddat: Hæc remedia maxima pars Medicorum approbat, ubi nihil difficultatis obstat, præterquam quod escharam & crustam durā atq; siccam introducant, quæ sæpè diutius hæret, quantumvis digestiva & humectantia, simul adhibeantur, & materiæ exitum atque transpirationem impedit. Hoc movet quosdam, ut statim in principio, tēporis lucrandi causa, cauteriis utantur: item alios, ut non super ipsum tumorē, sed in circumferentia ejusdē imprimant, maturativis simul appositis. Potest autem Causticum minerale sat efficax ad hunc usum præparari modo sequenti.

℞. Aq. fortis opt. ℥.iij.
Ol. Vitriol. potentiss. ℥.j.
Sublimati veneni. ℥.ij.

Ponatur in Urinali ad B M. cum elembico, & destilletur, donec nihil amplius humiditatis exeat, postea refrigerentur vasa, & in fundo urinalis liquor oleosus inveniatur, maximè corrosivus, qui in phiola vitrea bene clausa conservetur. Liquor hic subitò operatur sine magno dolore, crustamque mollem producit, quæ facilimè separetur, quemadmodum

etiam malignitati veneni resistit, & ulcus relinquit benè paratum, ubi facilis consolidatio subsequitur. Quando quis eodem utitur, necessum est, ut tumor Emplastro satis tenaci, quod parvum foramen in medio habeat, operiatur, postea fiat globulus ex linamento vel raso linteo, qui dicto liquore imbibatur, & in foramen istud immittatur, alio Emplastro superaddito, sicut aliàs moris est, & brevi tempore suam operationem perficiet, sicuti dictum est.

Alii Medicorum, quibus Cauteria displicent, tumores ejusmodi per medicamenta non solum calida, & maturantia, sed quæ simul etiam vim attractivam, cum acrimonia quadam caustica possident, aperire conantur, unde pars ipsa beneficio talis medicamenti calefacta & irritata affluxum humorum attrahit, & tumor citius ad maturationem & repletionem pervenit. Huic intentioni commendatur cæpa excavata & Theriaca atque croco repleta, postea cinerum calore leni cocta, contusa, subacta, & instar cataplasmatis calidè apposita, singulis sex horis permutata. Eodem modo maximè conveniens est tale cataplasma.

℞. Pulpæ Corian. per setaceũ extractæ
Mellis crudi an. ℥.ij.
Rad. Bryoniæ ℥.j.
Aronis ʒ.ß. Hell. nigri ℥.ji.
Theriacæ Andromachi
Ol. Scorpionum an. ℥.js.
Decoct. Scabiosæ q.s.
F. Cataplasma secundum artem, cujus usus ut ante dictum.

Quidam etiam aliis utuntur, cum radicibus Esulæ, cum cantharidibus, cum Euphorbio & aliis rebus causticis, juxta cujuslibet experientiam: imò solum etiam è simplicibus, nempe de Scabiosa, chelidonio, cicuta & aliis herbis, recenter contusis & exterius adhibitis. Sunt etiam Empirici, qui, salva reverenria, excrementa hominum & animalium aliorum apponunt, quibus scilicet vis inest putrefaciendi subitanea, cujus beneficio dicti tumores maturantur & protinus rumpuntur. Jam verò si fidendum medicamentis ruptoriis auderem dicere, quod nostrum Emplastrum pestilentiale attractivum superius dictum, omnia simplicia & composita medicamenta, quotquot mihi cognita, longè superet: nam præter id, quod ratione compositionis & ingredientium, judicio omnium Medicorum dogmaticorum, idipsum Pestis attractivum specificum sit, & quod emollire, digerere, maturare & aperire bubones valeat, simul etiam experientia patet idem confirmari. Sic etiam glandulosis scrophulis circa collum, bubonibus venereis incipientibus, induratio eò usq; ut per tres & quatuor menses comunibus adhibitis remediis instar lapidum nihil quicquam emolliantur, ita conveniens est, ut in 20. horis intumescant, materia repleantur, & cum admiratione Chirurgorum suppuratione, rumpantur. Quocirca si tam præsentẽ effectũ & operationem in prædictis tumoribus, potissimùm scrophulis, aliàs diuturnis & rebellibus præstat, non dubitandum, quin multo facilius idipsum perficiat in tumoribus malignis & acutis pestiferis. Hoc ipsum admonere volui, spem certam fovendo, Medicos integritate & humanitate

nitate præditos, quando tractatum hunc legent, eò allaboraturos, ut prædictum Emplastrum in usum veniat, quò pauperib. ægris ejusmodi crudeli hoste pestifero detectis succurratur. Ecce, quod attinet apertionem dictorum tumorum: qui autem aperti sunt, supradictis medicamentis postea curantur, quæ dicta sunt in curatione Carbunculi, vel etiam aliis, prout Chirurgo discreto placuerit: non enim hæ curæ penitus indoctis & ignorantibus Empiricis committendæ, qui ratione & naturalium rerum cognitione destituuntur. Tandem quoad cauteria actualia & potentialia Chirurgus diligenter observet, ut in partibus carnosis & musculosis inprimantur: at si bubo vel carbo circa nervosas vel cartilaginosas partes occurrat, eò allaboret, ut in vicinia cuidam parti apponatur, quæ satis robusta sit absque læsione pro sustinendo remedio, supra tumorem Emplastrum vel cataplasma maturativum adhibendo. Quod si spes nulla quoad materiam peccantem à prima sua sede movendam, sese exonerando in partem aliam, veniendum est ad Emplastum nostrum supradictū cum loco Cauterii usurpandum, quia minus formidabile, nec penetrat admodum calore, nec tam profundam escharam producit ut cauteria, sed tantùm in cutem suam operationem perficit.

Pro tertia specie supradictorum accidentium externorum, quales sunt parvæ glandulæ mobiles intra cutim atque carnem, illæ resolvendæ sunt inunctione olei supradicti, vel in forma Emplastri adponatur Gummi Ammoniacum, cum aceto scyllitico depuratum, ut artis est. His mediis (ægro quotidiè sumptis bezoarticis sudorem provocantibus) prædictæ glandulæ disparere solent.

Præter dicta remedia, sunt ex Medicis, qui statuūt, quòd pestis curari possit, mox in principio beneficio helletori nigri, nimirum cutim hinc & inde in extremitate musculorum brachiorum, & femorum perforando radicemq; hellebori immittendo, quo non tantum veneni cursus ad cor inhiberi, sed illud ipsum etiam pedetentim attrahi & evaporare statuunt, non permittendo generationem carbonis vel tumoris alicujus pestilentialis: imò si circa caput, cor vel alis partes in medio corporis apparere quidpiam inciperet, per idem medium revulsionem fieri posse statuunt, à dictis membris malignitatem derivando, quo in locis à centro remotioribus transpiret & exhalet.

Quamvis autem hic curandi modus minus respectu hominum magis autem apud plebejos respectu boum & equorum peste corruptorum in usu sit, ubi satis mirabiles effectus interdum apparent: nihilominus meo judicio, talis est hæc curatio, ut frequenter etiam in hominibus sanandis admiranda videatur, quum fieri solet. Possum enim hoc laudis helleboro nigro tribuere, quod inter omnia simplicia & composita, quæ novi, cujuscunq; generis vel speciei sint, nihil habeatur, quod ejusmodi magnetica & attractiva qualitate præditum sit, pro facienda revulsione peccantis alicujus humoris, ad partem aliquam ruentis, & producenda materia in partem distantiorem, quàm Helleborus niger, ita ut experien-

perientia edoctus eodem in diversis morbis usus sim, potissimùm in Cachexia fœminarum & virginum, ob retentionem menstruorum inveteratam, & aliis dispositionibus, quibus adhibitis miracula præstitit, omnes curas ordinarias aliaque medicamenta superando, de quibus plura non patitur præsentis instituti ratio. Non autem opinetur quispiam Helleborum tale quid operari sua acrimonia, vel facultate mordicante, quam possidet, quemadmodum disputari posset, dicendo, quod omnia facultatem mordicantem habentia vel parumper adurentia, & quæ partis alterationem producunt, applicata calorem præter naturam in parte generent, & juxta Medicorum axioma, ubi calor, ibi attractio, consequenter Helleborum calefaciendo & alterando talem attractionem perficere, quemadmodum videmus vesicatoriis fieri, rebusque causticis, quæ partes inflammando fluxionem & concursum serosorum humorum in iis efficiunt: qui enim hoc modo discurrit, seipsum fallit, quia Helleborus non producit ejusmodi inflammationem, neque concursum serositatum provocat, quibus pars intumescat, sicuti fit vesicatoriis & evidenter adurentibus, sed absque vesicis excitatis sine inflammatione attrahit humores vitiosos & corruptos, imò verum pus & materiam apostematum è profundo corporis educit, quamvis applicetur in locis ab iisdem remotis, eaque minimè tangentibus, instar veri specifici naturæ. Non quidem nego, quin actio ejusdem cum aliquo calore fiat, cui tamen eadem simpliciter attribui non potest. Hinc ego credo, quod causa vehementioris commotionis inter alia purgantia, quando interius Helleborus sumitur, non sit alia, quam prædicta proprietas attractiva, cujus ope peccantes humores in partibus à centro remotioribus commoventur, & superfluitates ac impuritates in venis latitantes attrahendo, vehemens alteratio subsequitur. Sed redeundo ad nostros Medicos, author sum omnibus, quibus officium incumbit, ut ægris pestilentialibus præsint, quo sibi familiarem reddant usum hujus simplicis, ut occasione data convenientem usum sciant, quia coram Deo obligamur, ut quotidiè discamus & laboremus, quo magis magisque perfectam rerum medicarum cognitionem adipiscamur, utpote cum medicamenta clemens Deus nobis communicet, ut iisdem proximo inserviamus, inprimis ubi crudeli ejusmodi morbo, qualis pestis est, resistere cogimur.

Symptomata ordinaria, quæ laborantibus durante curatione prædicta solent accidere, cum suis remediis.

Posito, quod causa mali sublatâ consequenter etiam accidentia sua sponte cessent, hoc tamen non obstante frequenter fieri solet, ut nisi quis symptomatibus succurrat, frustra laboret in exterminanda causa. Nam exempli causa, laboret aliquis ulcere quodam maligno cujus ratione dolor vehemens, inquietudo, anxietas, & excedens partis dolentis inflammatio laborantem affligit, hic sanè conceditur, quod prædicti ulceris curatio consistat in corre-

ctio-

ctione depravatæ dispositionis corporis laborantis, à qua suam ducit originem, non neglectis topicis, quibus carne bona repletur & consolidatur: certum tamen est, nisi quis eò allaboret, ut patiens ad quietem perveniat, dolorem & inflammationem per anodyna leniendo nunquam Chirurgus curationem suam ex voto perficiet quod etiam similiter in aliis multis morbis accidit. Hinc igitur in curatione pestis tam principalibus & vehementioribus symptomatibus succurrendum particularibus suis remediis, quam contra causam malignam prædictis universalibus pugnandum esse videtur. Jam autem symptomata, quæ peste laborantibus his vel illis, pro ratione subjecti differentis accidunt, & non obstante cura generali, continuari possunt, sunt virium naturalium imbecillitas: cordis anxietas, vehemens internus calor cum siti: gravitas capitis vel maximus torpor: vehemens internus calor capitis cum inquietudine & pervigilia, linguæ & fauciũ inflammatio: cruditas atque vomitio stomachi: insignis dolor & punctio laterum alvi obstructio, & sæpius etiam etiam ejusdem contrarium, seu fluxus. His accidentibus sequenti modo succurrendum.

I. Quoad virium naturalium imbecillitatem, necessarium est, ut iisdem sequenti modo succurratur. Ægrotanti sæpius jusculum aliquod restaurans caponis vel optimæ carnis vitulinæ præbeatur, cui parumper fl. borrag. buglossæ, radic. pimpinellæ, incoquatur, addito vitello ovi recentis & pauxilli succi limonum vel arantiorum. Item hordeum mundum in brodio carnis diu coquatur, & postea per setaceũ coletur, additis emulsionibus amygdal. dulcium, sem. Melonum, cucurbitæ, &c. cum aqua rosarum præparatis, item panis tritus & in brodio quodam diu coctus, ac postea cum amygdalino lacte, paucoquo saccharo permistus. Quibus autem mistura cum amygdalis & saccharo displicet. his singulis vicibus, quando quidpiam de restaurativis brodiis exhibetur, aliquid gelatinæ cydoniorum vel citri poterit admisceri, qua ratione non tantum jucundus sapor concilietur, sed simul etiam corroboratur, & malignitati resistitur. Insuper & hoc modo restaurativum insigne præparatur: Recipe caponem optime nutritum & carnis vitulinæ l. j. remotis intestinis, pinguedine, collo, alis, pedibus extremis omnia minutim cum carne vitulina incidantur, & in vitream cucurbitam immittantur cum

Aq. succi Melissæ, Succi Borrag. Buglossæ, Acetosæ ana ℥iij.

Postea clausa cucurbita coq. in Balneo Mariæ per horas 10. vel 12. coletur liquor in linteo carnem fortiter exprimendo, quò tota humiditas exhauriatur, deinde adde

Gelatinæ cydonior. transparenti.
Gelatinæ citri,
Syr violar. cærul. an. ℥js.
Aq. citr. ℥j. Misce.

De hoc restaurativo laborans singulis diebus tribus vel quatuor vicibus sumat quatuor vel quinq; cochlearia, vel etiam plus, juxta necessitatem, ubi semper aliquid pulveris corall. & perlarum addi poterit. Quod si ventriculus ægrotantis, ali-

quid

liquid solidius desiderat, nec febris admodum affligit, caro magis albicans de pectore caponis aspergendo postea per setaceũ exprimatur substantia pultis instar, in qua de Gelatina cydoniorum vel citri quidpiã dissolvatur, & urgente necessitate laboranti præbeatur. Quidam ex rebus nutrientibus & restaurantibus aquam destillatam componunt, sed notandum, quod nil adscendat, nisi tantùm aquosa pars earundem substantia nutriente & restaurante inferius relicta. Melius igitur erit, ut juxta dictum modum procedamus, nisi quis fallere velit ægrotantes, ut credant, quod aqua nutrire & sustentare possit. Quoad potum illud ordinariè sit ptisana vel decoctũ hordei cum Tamarindis, parumper Cinamomo conditum. Interim aliquid etiam vini albi, vel clareti, si febris non magna est cum aqua pimpinellæ, borraginis, acetosæ vel cum pauxillo succi citri & sacchara tẽperatum concedi poterit, utpote quibus additis actio subitanea vini spirituosi corrigitur & alteratur. Et hic est modus restaurationis in ægrotante eousque, donec vehementiam morbi superaverit, ubi postea liberalius cibari, & pluribus solidioribus cibis refici poterit.

II. Contra cordis anxietatem, seu pro viribus ejus conservandis, quo curatio generalis eò felicior procedat, remedium hoc usurpetur.

℞. Conf. fl. buglossæ Gelatinæ citri an. ℥. vj.
Magist. Margarit. ℥ß.
Croci subtil. pul. gr. viij.
Ol. Cinam. g. ij.

de hac compositione duabus vel tribus vicibus in die, vel solitariè, vel cum destillatis cordialibus. Sic etiam istius conditi loco Julapium usurpari poterit, quod Rec. Aq. still. ex suc.

Borrag. Acetosæ Buglossæ Meliss. ana ℥ vj.
Syr. Bugloss. Borrag. Acetosæ de suc. citri an. ℥ij.
Ol. Sulph. rectif. g. xxx.
Misceantur & aromatis. cum aq. cinam. vel cum Spir. Santali Citrini.

De hoc Julapio similiter in die tribus vel quatuor vicibus sumatur, ut dictum est antea de conserva. Sic etiam exterius Epithema fieri potest.

℞. Fl. Calendulæ Rosar. rub. Borrag. exsiccat.
Fol. Melissæ, Santali citrini, ligni Aloës
cort. exter. citri an. ℥ij.
Camphoræ ℈j.
F. pulvis subtilis.

Hic pulvis cum bombace comprehendatur in sacculis ex sindone rubro paratis & inter pastatis æqualiter, postea cum aceto rosaceo & succo citri aspergatur, & regioni cordis paululum calefaciendo applicetur per vices, semper exsiccato uno sacculo, vicissim altero opposito, idque tamdiu continuando, quamdiu idipsum necessarium esse videbitur. Imò naribus etiam eadem compositio serviet, quia odorem spirat restaurationi cordis & spirituum maximè convenientẽ, quando quædam anxietas vel à febri, vel ab habito sudore post medicamentum diaphoreticum adhibitum.

3. Contra maximum æstum internum cum intensa siti bibat æger de ptisana dicta,

cta, quantum placuerit, quo si calor non temperatur neque sitis extinguitur, sequens remedium conveniens erit.

℞. Aq. Borrag. per baln. desti. lib. iij.
Sacch. albiss. ℥ ij.
Salis Nitri præp. ʒ js.
M. & aromatisetur aq. Cinamomi.

De hac potione detur patienti duabus vel tribus vicibus indies, sed advertendo, ne dum hoc remedio patiens utitur, alia vitriolata, vel cum oleo sulphuris acido præparata concedantur, quia nitrum & Vitriolum minimè conveniunt, nec in una sede sine pugna morantur. Quod si tantus sit ardor, ut prædicto liquore temperari nequeat, (observatis regulis generalis curæ superius dictis, & ubi venenum pestiferum jam evictum videtur:) sequenti quoque remedio licet uti.

℞. Aq. sperm. ranar. per baln. destill. ℥j. vel ij. pro ratione caloris & subjecti laborantis
Croci pul. parum, Misce

& exhibe manè, vesperi, vel etiam quacunque hora diei, requirente necessitate, quo medio, vaporibus calidissimis per sudorem & occultam transpirationem evacuatis, color qui non facilè potest extingui, quique fixus manet & in corpore vigens, domabitur & expugnabitur. Sed nota refrigerantibus ejusmodi sic utendum esse, ne quis præjudicium sibi creet, tam quoad materiam expellendam, quàm etiam quoad calorem nativum. Imò pertinent huc etiam plura, quibus quilibet pro lubitu & indigentia uti poterit.

4. Contra gravitatem capitis & soporem præter naturam, quando patiens tantùm dormire cogitur, ubi frustrà conamur eundem sermonibus, vel etiam capiti commotionibus excitare, sequens remedium convenit:

℞. Majoranæ Salviæ cort. arantiorum
Fl. Scorpioidis ana ℥ ß.
F. pulvis subtilis, coquatur cum acete rosac. ad consist. pultis.

Extendatur in linteo duplici, & fronti calefactum apponatur, ubi refrixerit vicissim aceto vini calefacto humectetur & applicetur, prout erit necessarium, si sufficiens hoc non est, aliud superaddatur:

℞. Sem. Amarici Thymi an. ʒj.
Rad. Angel. Vitrioli albific. an. ʒ ß.
F. pulvis.

De hoc pulvere parum calamo scriptorio vel tubulo, quo fumum nicotianæ vel tabaci bibunt, naribus ad excitandum sternutamentum inspiretur.

5. Contra dolorem capitis, cum æstu, delirio & pervigilia.

℞. Fl. Sambuci exsicc. Nymphææ al. Rosar. rub.
Hordei mundi an. ℥ ß.
Succini al. ʒ ij.
Croci Anglici ℈ j.
Camphoræ
Opii Thebaici an. ℈ ß.
F. pulvis subtilissimus, deinde addantur
ol. Nymphææ
Amygd. amar. ana ʒ vj.
Aceti Sambuc. Aq. rosf. opt. an. q. f.

Coq. in formam Cataplasmatis, quod usurpetur modo prædicto.

Quod si remedium istud ad effectum speratum non sufficiens fuerit, resolutio fiat in exhibendo Laudano opiato, quod ritè præparatum sit, & in cochleari syrupi violarum exhibeatur, de quo remedio

 præ-

præparationem hic uon describo, quia plenius de eodem in Opiologia mea tractavi, quod medicamentum extremos dolores lenit, vehementissimos ardores mitigat, & naturalem quietem, absque noxa, producit, maximè quando post evacuationes universales eodem utimur. Pro ratione necessitatis idipsum secunda vel tertia, vice reiterari potest, sed diebus diversis.

6. Contra linguæ fauciumq; inflammationem. Quia n. accidit, ut præter curam generaliter susceptam lingua & palatum intumescant & inflammentur, ita ut gangræna videatur invadere, necessarium est, ut properetur ad remedia, ne in periculũ ægrotantis vita perveniat. Huic affectui succurretur, præter venæ sectionem in brachio, per apertionem venarum sub lingua, sauguinem emittendo, donec sua sponte subsistat, ita tamen ut modum etiam non excedat. Juniores Medici & Chirurgi non perturbentur hoc accidente, quia factũ fuit, quamvis rarò, ut sectis ejusmodi venis sub lingua tam vehemens fluxus sanguinis sequeretur, qui bombacem oleo vitri parum humectatum incisuræ protinus adhibendũ requireret, cujus facultas escharotica & astringens exemplo fluxum sistit, quo neglecto periculũ vitæ subsequeretur. Facta tali venæ sectione patiens mox gargariset, & os sæpius eluat liquore quodã linguam radat & purificet à superfluitatibus, quæ ibid. colliguntur.

℞. Rosar. rub. Fl. Sambuci Sem. Scabiosæ Auriculæ Judæ an. ℥j.
Aq. Caprifol. vel plantag. ℔ j.
Bulliant parum: in colatura addantur Diamori S. ℥ij. Aluminis mundi ℈j. Misce.

Exterius: ℞. Farinæ Hordei ℥ ß.
Pul. Rof. rub. Glycyr. an. ℈ ij.
Sacchari albi præp. ʒj. Croci subtil. præp. ℈j.
Mellis rosar. ʒj. Ol. amygd. dul. ℥ß.
Decoct. auriculæ Judæ vel spongiæ Sambuci q. s. F. Cataplasma.

7. Contra nauseam & vomitionem. Cum sæpius accidat, ut tam vehemens atq; continuum sit hoc symptoma, evacuatis etiam vitiosis humorib. ut nihil ægro præberi queat, sive sit medicamentũ, sive sit alimentũ, mox omnib. per vomitum rejectis, providendũ sequenti fomẽtatione.

℞. Sem. Absynthii Majoranæ, fol. Menthæ crispæ
Thymi Rof. rub. Fr. & Fol Myrtill.
Rad. Galangæ ana ℥ß.

Omnia crasso modo conjunctim pulverisentur, & in sacculo oblongo quadrato comprehendantur, asperso aceto rosaceo calido pro regione ventriculi, reiterando, quoties opus erit. Præterea conveniet cochlear liquoris stomachalis.

℞. Syr. de mentha Cydonior. Melissæ de suc. citri. ana. ℥j.
Aq. Cin. ʒj. Ol. Sulph. rectif. g. xij. M.

8. Contra dolorem & punctionem laterum cum calore & æstu.

℞. Mucilag. ex sem. Cydon. cum aq. rosar. extr. ℥iiij.
Aceti rosac. ℥ij. Ol. rosat. conpl. ℥is.
Boli Armen. ℈ij. Sandali rub. subtil. pulv. ʒj.
Camphoræ ℈ j. Misce.

Hoc ipso duplex linteum humectetur quod tepidè partibus affectis mox applicetur: si verò maximus est dolor, una etiam dosis Laudani opiati præbeatur.

9. Con-

9. Contra ventris obstructionem. Nihil hic tutius & utilius est Enemate, quod similium qualitatum cum sequenti:

℞. Her. Borrag. Violariæ an. Manip. j.
Polypod. q. ℥ß. Brodii vitulini q. s.
Bulliant ad ℥x. in colatura addantur
Mellis rosati ℥ ij.
Vitel. ovor. num. ij. Butyri recentis
℥ j. M. pro Clyster.

Hoc toties repetatur, quoties necessarium esse videbitur, & si non sufficienter laxat, Medicus alia purgantia poterit adjungere, semper cavendo, ne calida & acria misceantur. Quemadmodum etiam, si necessarium videbitur infusio Rhabarbari vel Senæ fieri potest cum manna per os assumenda, vel sumi poterit lenitivum aliquod ex iis, de quibus in præservatione dictum est, queis absque periculo quis uti poterit.

10. Contra ventris fluxum, qui sæpius hunc vel illum ægrum prehendit.

Quando patiens symptomate tali prehenditur, necessarium est, ut Medicus sit vigilantissimus, & observet, num evacuatio sit bona & necessaria vel non, quò vel juxta rationem fluxum istum ad certos usque limites permittat, vel suo tempore eundem astringat ac sistat: si enim quispiam ægrotantem in vitæ discrimen deducit, relinquendo peccantem materiam in corpore, quæ necessariò separanda venit, sanè similiter & ille nocebit, qui separari sinit illud, quod conservari debebat, quando itaque necessarium est, ut fluxus ventris in ægro sistatur, sequens remedium convenit:

℞. Ol. Cydonior. Mastich. de nucemosch.
per express. ana ℥ ij. Misce.

Hoc unguento venter bis terve inungatur, & si necessarium videbitur, dosis Laudani Opiati exhibeatur, cum pauxillo Syrupi violarum. At si remedia dicta non sufficerent, propter exulcerationem & debilitatem intestinorum, sequenti modo procedatur. Recipe caput ovillum recens crudum, secetur in partes duas, cui abscindatur lingua, unà cum cerebro coquatur in s. q. aqua donec in ossibus caro separetur: postea coletur brodium, & mox infunde summitatum hypericonis duos vel tres manipulos, rad. Tormentillæ crasso modo incisarum ℥ j. ponantur ad cineres calidos per tres vel quatuor horas, postea coletur & informa clysteris manè vesperiq; sine rebus aliis additis ægro adhibeatur, & effectum videbis notabilē, quia liquor iste superat alia omnia, quoad fluxiones desperatas, & maximè tunc temporis, ubi vehemētiores punctiones in intestinis deprehēdūtur. Tantùm de accidentibus præcipuis.

Modus & ordo generaliter observandus in venæsectione tempore pestis.

Cum superius venæsectio referatur inter generalia remedia pro curatione pestis, juxta alios omnes Medicos, ubi tamen in specie non determinatum fuit, quomodo debeat usurpari, videtur necessarium idipsum hic annotare, quo lector eadem conjungenda cum prioribus methodum perfectam curandi pestem assequatur. Priusquam verò venæsectionem instituamus cum aliquo peste prehenso,

henso, necessarium est, ut diligens examen instituatur, an sit necessaria, vel non, ne sine discretione quicquam faciamus. Quod si necessitas venæsectionis urget, sequenti modo procedamus.

1. Data venæsectionis indicatione, nullo signo externo in ægrotante sese offerente, nec etiam dolore lateris unius vel alterius urgente, sed febre totum corpus affligente, mediana dextri brachii secetur, & sanguinis q. s. emittitur.

2. Si signum externum circa collum, post aures, vel propè mentum, vel in alia parte capitis lateris dextri appareat, vena cephalica dextri brachii secetur, si ex altera parte, sinistri brachii cephalica aperiatur.

3. Si signum est supra frontem, vel sub mento, venæsectio fiat sub lingua, simul, ubi patiens est plethoricus, mediana brachii dextri aperta.

4. Si signum est sub axillis, vel circa locum istum, mediana laborantis partis aperiatur, vel etiam vena propè digitum minorem.

5. Si signum supra scapulas, cor & pectus, mediana dextri brachii secetur.

6. Si signum est in medio corporis, & dolor magis unum, quàm alterum latus affligit, basilica brachii istius lateris aperiatur ubi dolor major est.

7. Si dolor testiculos affligit, saphena pedis aperiatur lateris dolentis.

8. Si circa regionem genuum aliquid apparebit, vena propè digitum minorem in pede secetur.

9. Si accidat, ut nihil quidquam appareat, maxima tamen gravitas in partibus superioribus deprehendatur, cephalica lateris dextri secetur; & si pars inferior magis quàm superior gravatur, saphena lateris ejusdem aperiatur. Hæc breviter sufficiant quoad venæsectionem, quę non tentanda, nisi tunc temporis, ubi occasio determinata antea, cum de cura pestis generatim ageretur, sese offerat.

Tandem laudant quidam ventosas præsertim in senibus, debilibus, & fœminis gravidis: sed verisimile videtur, ubi necessitas venæsectionis non est, easdem etiam intermitti posse. Quod prægnantes attinet, si maxima necessitas urgeret, venæsectio quoque debito & opportuno tempore posset administrari, tam peste laborantibus, quàm tunc temporis, ubi interdum pleuritide, febre ardente, continua & aliis morbis idipsum requiritur. Quanquam verò ventosæ non videantur evacuare, quod est in venis, sed solum, quod inter cutim atque carnem est, nihilominus non nego, quod ad particularem ventilationem vel evacuationem, ad liberandam partem admodum inflammatam respectu plenitudinis ob carbunculum, vel tumorem pestilentialem, ventosa justo loco adhibita, cum profundis scarificationibus levamē quoddam gignat.

Tantùm de aliis rebus, quibus juxta temporis & opportunitatis rationem quispiam uti potest, semper tamen oculis intellectus eo respiciendo, quod Bezoartica sint vera basis & fundamentum verum ipsius curationis, ubi reliqua remedia secundum locum obtinent: Etenim in casu necessitatis Solis Bezoarticis aliquis infectus curari potest, quod venæ sectione, vel purgatione sine bezoarticis,

non

non absolvetur, si revera quispiam infectus est. Interim utraque conjunctim adhibita cum discretione tenduntad eundem finem, & intentionem nostram adjuvant. Ecce! Lector Amice, breviter habes, quæ succinctè tam de præservatione, quàm curatione pestis dicere voluit, sine discursu prognosticorum, criseon & aliarum observationum, quæ in hoc morbo curiosæ magis quã necessariæ, sc. in hoc morbo acuto, fraudulento & stratagematis pleno, qui sæpius Medicos sagacissimos fallit in suis prędictionibus, dũ potius promptè laborantibus cum bonis & excellentibus remediis præsto esse cupiunt, eousque donec corpus eorum levamen aliquod percipiat, quò ego semper & in hoc meo libro tendo, & hoc modo cor meum Deo æterno (qui radix est omnium bonorum & verus animæ corporisque Medicus) subjiciens, gratias ago pro beneficiis per gratiam mihi concessis, & humiliter peto, ut benedicat laboribus meis, in sui gloriam, & proximi emolumentum & animæ meæ consolationem: & ut dirigat actiones meas per reliquum vitæ in timore suo, finem faciam!

F I N I S.

DESCRIPTIO BREVIS

ANTIDOTI PRETIOSI,

Qua exquisitissimæ ejus virtutes, usúsque multiplex variis in morbis, & humani corporis affectibus, recensentur, nunc primùm luci commissa.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

B*ENEVOLE Lector, etiam magni nominis Medicis solenne olim fuit, medicamenti alicujus particularis virtutes, quas quisque accurata observatione annotaverat, peculiari quodam tractatu literis consignare. De virtute & usu Hellebori, ad Democritum scripsit divinus ille Hippocrates. De aceto scyllitico, antiquissimus Philosophorum Pythagoras. De Betonica, Antonius Musa, Augusti Imperatoris Medicus celeberrimus. ipsius quin etiam Medicorum Dogmaticorum Principis Galeni libri duo, unus de Theriaca Andromachi ad Pisonem, de Centaurio ad civitatem Ticinum alter, extant. Et hodie non desunt recentiores, tam Dogmatici, quàm Hermetici, qui simili negotio suam nobis industriam probarunt. Quod si illis hoc vitio non fuit datum, neque mihi, qui eorum ad exemplum, usum & vires Antidoti nostri pretiosi describo, quod propter insignes ejus virtutes, efficacissimas operationes, & tutissimos effectus, adversus quàmplurimos gravissimos humani corporis morbos, ac symptomata, meritò instar pretiosissimæ gemmæ, præ omnibus aliis sui generis & ordinis medicamentis, habendum. Et quidem, ut hoc modo efficerem, ut ejus utilitas magis ad plurimorum hominum emolumentum & beneficium redundaret, quàm si illud occultum retinendo, in mea tantùm particulari quotidiana usurparem praxi. Quòd verò hic modum ejus præparandi non doceo, neminem bonæ mentis & recti judicii credo sinistrè accepturum: quippe cùm optimè noverit, hoc factum non esse contra charitatem Christianam, aut decorum hujus artis, si Chymiater (qui majorem vitæ suæ partem, in exactè indagandis permultorum remediorum virtutibus, ac illis curiosè propriis manibus præparandis consumpsit, uti ego feci) si, inquam, ille arcanum aliquod sibi retentum*

tum reservet. Cum aliàs satis notum sit, me in his, quæ generaliter meam hac in arte cognitionem, scientiamque concernunt, non esse tenacem & avarum, sed hujus amatoribus liberaliter & sincerè ea communicare, cujus rei multi eruditione, & Doctrina clarissimi Medici (etiamnum in diversis Europæ regionibus Medicam exercentes praxin) mihi testimonium exhibebunt, qui ad discenda Chymiatricæ artis fundamenta, & generaliter inde dependentia, me Præceptorem eligere & acceptare non dedignati fuêre. Quod eò magis benevolum commovebit Lectorem, ut æquius de hoc tractatulo ferat judicium.

Compositionem & Formulam Antidoti hujus pretiosi, aliorumque nonnullorum medicamentorum, illud ingredientium, à D. Combachio candide communicatam, reperiet Benevolus Lector in fine horum Operum.

DE COMPOSITIONE HUJUS PRETIOSI ANTIDOTI IN GENERE.

COgnitum & perspectum est omnibus sapientibus Physicis, & Medicis rationalibus in mundo, quàm excellentes, temperataque proprietates cordiales sint, quas Deo placuit admirabili sua prudentia lapidibus pretiosis infundere ac inprimere, quomodo item, (non obstante eorum fixitate per se indigestibili) Archeus corporis nostri prædictas proprietates eorum vi quadam magnetica & occulta sibi applicet in usum & auxilium nostrum adversus multas infirmitates, ultra rationis & intellectus nostri acumen & discursum.

Similiter certum est experientibus Chymiatris quantumvis ex dictis pretiosis corporibus non potest elici aliquis succus, aut substantia potabilis, subsistens in esse simpliciter, quemadmodum in multis aliis rebus, quod nihilominus tamen mediante additione sua dissolvi queant, subtiliari & recludi tali modo, ut occultæ & abditæ eorum qualitates, quæ in fixitate ipsorum latent, sese aperiant, & de potentia ad actum perveniant, eoq; consequenter multò cum majore efficacia & vi in corpora nostra operentur, quàm faciant in prima ac simplici sua forma.

Insistens igitur fundamento veræ Chymiatriæ, sumo præcipuas orientales gemmas & lapillos pretiosos, aliis in Medicina prælatos omnibus, quos reduco in pulverem subtilissimum volatilem & indivisibiles atomos, mediante arte Chymica, ut ad solvendum fiant apti, tum liquorem solventem accipio non corrosivum, neque offendentem, sedamicum humanæ naturæ, verè medicinalem, Bezoarticum, & concordantem cum proprietatibus eorum, in quo resolvo pulverem

verem prædictum, cumque promoveo in magisteria verè potabilia & solubilia in omni liquore. Sumo deinde certas essentias vegetabiles Alexiterii vim obtinentes, & cordiales, cum quibus jam dicta magisteria commisceo, & excellentissimum medicamentum inde compono in forma extracti solidi, quod Antidotum pretiosum nomino, tam quia præcipuè ex dictis magisteriis pretiosis cognomino, quam quia præcipuè ex dictis magisteriis pretiosis constat, ac propter exquisitissimos ejus effectus, qui & rarum, & supra multa alia medicamenta id reddunt in eodem genere pretiosissimum.

De Qualitatibus manifestis, & specificis proprietatibus, Antidoti pretiosi.

OPifex ille rerum Opt. Maximus in principio, vi verbi sui Fiat, Universum hoc mirabiliter condidit, ac efficaciã omnipotentiæ suæ variis elementis modo non uno est impertitus. Atque ut ex una sola causa multas diversissimasque procreavit: ita etiam easdẽ perpetuo ac immoto inter se fœdere & ordine conjunxit, ut in universo naturæ ambitu firmissima & constans deprehendatur harmonia, eaq; partim amico rerum, ex quibus constat, consensu, partim mutuo earundem dissidio contineri ac sustineri videatur. Placuit namq; supremo illi numini, non per unam aliquam solam rem, sed multas, sed contrarias, suam nobis omnipotentiam ostendere. Quod cùm ita sit, ut revera est, quis non vanitatem eorum agnoscat, qui vel ipsi persuasissimum habent, vel aliis persuadere conantur, esse in rerum natura, vel artis beneficio confici posse medicamentum, quod instar universalis cujusdam universalissimi, nullis vel limitibus, vel terminis circumscriptum, non tantùm qualitates elementares, æquali proportione commensuratas in se contineat, sed & omnibus insuper proprietatibus specificis, quæ vel ex varia illarum commixtione vel à certa aliqua naturali prædestinatione oriuntur, abundantissimè dotatum sit? Quod suppresso calore suo jam refrigerare possit, jam humectare, sic ut exsiccandi potestate nihil damni faciat: jam adstringat, jam incrasset, & contrarias interim facultates planè occultet. Quod idem interdũ per vomitũ, interdum per secessum purget: sudores cieat: urinam provocet: venenis, tanquam alexiterium, resistat: somnum conciliet: deniq; ut in unum omnia conferam, omnes alios affectus, quos causarum morbificarum, tam particularium, quàm universalium diversitas requirit, omni tempore & loco in omni sexu, ætate complexione, & personarum constitutione præstet, omnibus adeò infirmitatibus medeatur, ac nulla unquam ratione corpus offendat? Sunt qui hoc sibi imaginentur, & in inani hac speculatione admodum sibi placeant, non pauci. Verùm illis

——— ———credat Judæus Apella,
Non ego. Certissimæ namq; & indubitatæ est veritatis, quòd virtutes, quorumcunque etiam medicamentorum, tam simpliciũ, quàm compositorum, vel quomodolibet præparatorum, cum in qualitatibus evidentibus ac manifestis, tum iis, quæ à tota sunt, ut loquuntur, substantia, aut forma specifica prodeunt, limitatæ sint ac definitæ, sic ut eorum quædam hoc, alia alio modo operentur.

Fate-

Fateri quidem oportet, quod unum aliquod medicamentum, secundum qualitatum suarum permixtionem naturalem, diversas sæpè facultates habeat, calefaciat prima fronte, & post refrigeret, aperiat itidem, & adstringat, & vice versa. Quemadmodum non Galenus tantum iis in libris, quos de simpl medicamentorum facultatibus conscripsit, non uno loco attestatur, sed & experientia ipsa abunde comprobat. Neque etiam hoc negari potest, in classe medicamentorum reperiri, quæ aliis præstantiora sint ac potentiora, artemque posse in longe majorem ea perfectionem deducere; ac unum sæpe medicamentum esse generalius, vel pluribus morbis accommodatius altero, idque ratione partium humani corporis, quibus appropriatum quodque sit. Certum namque est, & in Ternario nostro Bezoatico à nobis demonstratum, quod medicamentum specificum cordiale, respectu symbolismi, qui ipsi cum corde intercedit, rectius, quàm alia medicamenta, quæ partibus aliis destinata sunt, generale dici mereatur. At quicquid vel illud, vel hoc demum sit, non satis inde causæ est, quare res aliqua universalis Medicina absolute appellari debeat, & si qui ita, vocent, veritati, sicuti supra quoque diximus, insignem eo ipso injuriam faciunt. Valeant hi cum splendidis hisce titulis, quos sine modo, præterque rationem medicamentis suis deferunt. Nos illorum ab errore alieni, Antidoti nostri pretiosi virtutes, usumque, una cum debitis exceptionibus & respectu, modo quem in tali re Medicus bonæ conscientiæ, rationalis & expertus usurpare debet, in præsentiarum declarabimus.

Cum medicamentum hoc compositum sit ex multis ingredientibus inæqualibus, & temperamento ac qualitatibus differentibus, uti etiam ex prima simplici eorum consistentia, immutatis in aliam formam subtilem, ac penetrabilem; irriti sane esset laboris, velle particulatim, distinctè, & per gradus ejus inquirere qualitates, ad judicandum de ejus virtutibus, uti in multis simplicibus fiere consuevit. Generaliter igitur loquendo, fulti ratione & experientia, quæ sola præcipuè nobis debet detegere virtutes medicamentorum compositorum, sicuti Galenus id commonstrat, scribens de differentibus virtutibus Theriacæ, possumus observare, quantum qualitates hujus medicamenti manifestas concernit, illud esse præditum qualitate mediocriter calefaciente & exsiccante, cum facultate primo detergente & aperiente, & postmodum adstringente, adjuncta quadam vi anodyna. Exinde non tantum naturaliter corpus calefacit, crassos & viscosos humores incidit, obstructiones internas aperit, flatulentis & noxiis vaporibus corpori inclusis viam, & exitum præbet, & superfluos serosos humores per urinam, & insensibilem transpirationem expellit: sed etiam partes, & membra relaxata, & debilitata corroborat, ac quamplurimos internos ab humoribus fluidis, acribus, & pungentibus progenitos morbos mitigat, illorum humorum motum & cursum sistendo, illosque ad digestionem reducendo, ut natura postea illos convenienti modo per pro-

pria emunctoria expellere possit. Deinde quantum ejus specificas, aut tota substantia, & ejus compositione procedentes qualitates attinet, est illud præcipue cordiale, Bezoarticum, & Balsamicum tanquam verum naturæ Elixir. Unde mirum non est, si vitalem cordis functionem roboret, resistat venenis aliisque malignis materiebus, easque exulare jubeat, si non tantum à bonis quibusq; humoribus putredinem fortiter arceat, & abigat, sed & eos, quos putredo jam invasit, emendet ac emundet. Atque hæc quidem sunt, quæ in genere de ejus qualitatibus dicenda fuere.

Sequitur particulatim, in quibus morbis, & symptomatis, hoc Antidoto pretioso utiliter ac salubriter uti possimus.

1. PRincipio ergo illud Antidotum pretiosum valde confert iis, qui vel à natura debilis constitutionis sunt, vel per diuturnos morbos, purgationes, sanguinisque missiones crebriores, aut nimiã Venerem, plus nimis imbecilliores redditi. His enim si in debita dosi, vel una vice cottidie, vel ter aut quater in septimana, tempore matutino, stomacho jejuno, per aliquot septimanas administretur, bonaque interim & accurata diæta imperetur, calorem nativum debilitatum restaurabit, visceraq; adeo omnia, & partes labefactatas corroborabit, quantum natura per medicamenta reparare admittet.

2. Si prædicto modo usurpetur, (corpore etiam à crassioribus humoribus per intervalla expurgato, convenienti quodam pharmaco & phlebotomia, necessitate exigente non neglecta,) est efficacissimum contra vertiginem, hemicraniam, cephalalgias inveteratas debilitatem, memoriæ, visus obscuritatem, & auditus difficultatem, sive ea proprio cerebi affectu obtingant à causa frigida & humida, sive à vaporibus malignis oriantur, qui per consensum, vel à depravati stomachi concoctione, vel corruptela sanguinis, vel menstrui in mulieribus retentione & labe nasci, atque inde ad cerebrum effumare consuevêre.

3. Confert multum hoc Antidotum adversus phrenesin procedentem ab humore melancholico, aut materia maligna. Etenim sua proprietate consumit vapores orientes ex fermentatione jam dictorum humorum, qui infestando cerebrum efficiunt vesaniam, & perturbationem mentis.

4. In apoplexia, datum in principio, & ter quaterve reiteratum per intervalla temporis, prout necessitas requirit, extraordinarios præ omnibus aliis remediis edit effectus, ut & in omnibus lethargi speciebus.

5. Contra paralysin est efficacissimum. Nam si non fuerit nimis inveterata, nec ægri nimia confecti senecta, & detur per aliquot dies continuos, illorum spiritus restaurat, partes impotentes & resolutas naturaliter excalefacit, obstructiones tollit, dissipando materiam, quæ transitum spiritibus, & apto nervorum nutrimento intercludit, & consequenter efficit, ut læsa membra motum recipiant.

6. Summo cum successu exhibetur contra omnes epilepsiæ species, tam ad digerendam in epilepticis fluidam illam

pituitam,

pituitam,(in istis enim hic humor peccat) naturalem calorem illorum confortando, & corroborando cerebrum; quam ad separandos, & consumendos in centro acres, aut malignos vapores, qui ascendentes in cerebrum, hunc causantur morbum in aliis: veluti inprimis admirabilis est auxilii in puerorum epilepsia, quæ vitio stomachi è quadam vel flatulentia, vel cibi corruptione, vel vermibus exagitatis obtingit.

7. Est etiam singulare refugium contra illas spasmi species, quarum una caput versus anteriora incurvat, appellata emprosthotonos, & altera contra ad posteriora illud inflectit, opisthotonos nominata, & tertia, quæ æqualitet ante & retro nervos, & tendines corpori extendit, tetanos dicta. Nam naturaliter nervos excalefacit, consumendo omnem flatulentam, & acrem materiam, quæ dictas convulsiones causatur.

8. Magnam iis affert opem, qui affectui, quem incubum appellamus, subjecti sunt. Hi enim noctu dormientes, pulmonibus illorum elevatis, & septo vel diaphragmate tenso, (à copiosis vaporib. flatulentis, ex stomachi cruditate, vel crapula eructantib.) redduntur adeo compressi & angusti pectoris, difficilisq; anhelitus, ut revera sibi ima ginentur, aliquid illos inscendisse, ac velle suffocare. Nam expurgato corpore, & venæsectione, prout opus fuerit, administrata, si hoc utantur Antidoto per aliquot dies continuos, vesperi post parcam cœnam cubitum ituri, egregie illorum corroborat stomachum, corrigit omnes cruditates, expellit ac discutit omnem flatulentiam adeò efficaciter, ut omnino ab hoc liberentur symptomate.

9. Egregie conducit melancholicis, & tristitia affectis, ob melancholiam, quæ fermentata atros suos vapores, instar fuligini ad cor effumat. Nam hoc Antidotum sui qualitatibus dissipando, & repellendo ho vapores, ægrum à prædictis istis symptomatis liberat.

10. Non minoris efficaciæ est in hypochondriacis, aut melancholia flatulenta quæ variis modis affligere solet, idque pro diversitate partium, quas vapores isti maligni impetuosè exagitant. Si n. ad cor subvolitent, spiritus vitales, eo modo, quo serenam lucem nebulæ, obfuscant, & obruunt, idque timore, tristitia & palpitatione mirum in modum exercent: si ad diaphragma & pulmones perreptant, anxietatem inibi, & asthma causantur. Varias verò & ineptas cogitationes, absurdasq; imaginationes, & mala insomnia proferunt, si ad cerebrum usq; delati fuerint: sic aliis aliter molesti sunt. Nam si hujus usui adjungantur purgationes convenientes, ad emundādas partes affectas à materia peccante, aut venæsectio in plethori, vel ad sanguinis nimis calidi, & fuliginosi eventilationem, in his, inquam, affectibus, si bis terve hebdomadatim hoc Antidotum detur, aperit omnes obstructiones, consumit vapores vagabundos & noxios, corroborat viscera & morbidam illorum ita corrigit dispositionem, ut exinde ægri summopere releventur in prædictis symptomatis, & nisi morbus fuerit hæreditarius, aut nimis inveteratus, aut nimis altas egerit radices, per hujus continuationem omnino curentur.

11. Assumptum per aliquot dies continuos, aut per intervalla, satis longo temporis spatio, utilissimum est contra tre

norem membrorum, exortum tum ex imbecillitate, & relaxatione nervorum, ob senilem ætatem, aut humores frigidos; tum ex crapula nimia, & excessu, potando vel esitando commisso, modo ejusmodi homines simul bonam diætam & regimen vitæ instituant.

12. Catarrhosos (qui pituita cruda & fluida, ac serosis abundant humoribus) valde juvat, illorum cerebrum calefaciẽdo & confortando, pituitam digerendo, & dictos serosos humores consumendo per sudorem, urinam, & insensibilem transpirationem.

13. In catarrho suffocativo magno est adjumento. Nam statim assumptum quamprimum catarrhus decidit, pulmonibus succurrit, evacuando humores, qui ejus meatus, arteriasque infarctas reddunt, & spiritibus vitalibus respirationem præbet.

14. Asthmaticis, & quibus respiratio- nis usus tantum non intercipitur, sive ab obstructione pulmonum, sive alterius partis vitio ita laborent, insigniter confert. Nam si interdum detur, meatus infarctos reserat, materiam impactam attenuat, naturamque juvat, ut per vias convenientes se ab hac exoneret.

15. Consimiliter in tabe, & corporis consumptione, à simplici obstructione, tam mesenterii, quam aliorum organorum principalium, & meatuum ortæ, multum proderit. Nam ab hujus usu cessat obstructio, alimentisque per venas transitus, qui perclusus erat, concedetur, nutritio redibit inculpata. Requiritur tamen, ut scirrho, & contumaciore obstructione vacet mesenterium, neque abdomen incurvatum sit, quemadmodum in quibusdam observavimus. In hoc enim casu ad tollendam morbi causam quicquam attentare, nihil foret aliud quam laterem lavare. Eodem pacto in contracturis, quas materies flatulenta, obstructione juncturarum induxit, non est nullius valoris, sic, ut ne alia tamen medicamenta Topica, aliterve necessaria interim negligantur.

16. In principio pleuritidis exhibitum, non habet sui simile, tam ad dissolvendam ac discutiendam materiam adhuc subtilem existentem impediendo, ne in abscessum abeat, quam ad sedandum dolorem, & tollendum læsæ partis ardorem.

17. Singulari præsidio est in palpitatione cordis, lipothymiis, syncope, aliisque symptomatis, in quibus repentina cordis & cerebri consternatio, spirituumque interceptio existit, propter subitam in præcordiis humorum redundantiam, cruditatem stomachi, acrem quandam materiam orificium stomachi pungentem. Nam statim ad cor penetrans suis proprietatibus cardiacis & bezoardicis, naturam fortificat, & quandam expulsionem aut dissipationem prænominatæ causatur materiæ, qua exterminata patiens brevi à præfatis liberatur sympomatis.

18. Prodest etiam stomachi ægritudinibus prognatis ex causa frigida, aut humoribus viscosis, qui illum nimis lubricum & imbecillem efficiunt, appetitum deperditum restituit, & digestionem procurat bonam. Ita etiam appetitum inordinatum ex acri & mordaci materia provenientem, sedat.

19. Nauseam, & non naturales vomi- tiones

tiones cohibet, stomachum corroborat, illorumque causam, vapores, qui in febribus ardentibus & malignis, aliisve morbis à materie in ventriculo coercita, procreantur, consumit.

20. Singulare etiam & eximium est remedium in subversione & perturbatione stomachi ac ventris, quando nimirum homini spontaneæ ac vehemẽtes per superiora & inferiora evacuationes accidunt, quem effectum choleram aut fellicam passionem appellitant, ad sistendas ejusmodi immodicas evacuationes, aut postquam sponte, aut post purgantis medicamenti usum cessarunt, (ut sæpè ratio postulat, ad sufficientem materiæ peccantis expulsionem,) datur ad confortandum stomachum, corroboranda viscera, illaq; à cruditate, & vitiosorum humorum colluvie præmunienda.

21. In fluxibus ventris periculosioribus, lienteria & diarrhœa, quæ à qualitate maligna, vel hypercatharsi, quem adoritur, stomachum confortat, corruptumque serum, quod ex venis & aliis corporis ductibus ad centrum confluit, per sudores urinam, & insensibilem transpirationem è corpore eliminat, materiæ peccantis corruptionem & malignitatem comprimit, nec non visceribus robur afflat: quo ipso fluxus securius quam medicamentis prorsus stypticis compescitur. Per hæc enim humores corrupti in corpore retinentur, quos evacuare oportebat, ac proin ipsa corruptela fovetur, ex quo lethalia non raro accidentia emergunt.

22. In dysenteria epidemica, quæ cum febre ab humorum corruptela & malignitate progignitur, præstantissimum est remedium, si benigno aliquo vomitorio vel cathartico prius expurgatum fuerit corpus. Etenim si detur semel aut bis per diem, recolligit vires dispersas, opprimit malignitatem materiæ peccantis, sedat febrem, omnemque præternaturalem calorem, ac fortificat venas, & vasa sanguinaria, ut ita his mediis prædictus sistatur fluxus. Quod sicubi fluxus diutius perstitevit, viresq; ægri purgationem haud ferant omittatur purgatio, atq; statim ad hoc recurratur Antidotum.

23. Colicam passionem, ventrisq; crudeliora tormina, quæ vel tenax, & vitrea praxagoræ pituita, vel flatus nimium lancinantes, vel aliæ demum causæ pepererunt, præstantissimè sedat.

24. Maximi valoris est contra omnia periculosa symptomata, provenientia à lumbricis, quippe cum illos expellat, ac putredinem in corpore progenitam absumat.

25. Profligat ac tollit etiam plurimos hepatis affectus à causa frigida, obstructione, aut ejus imbecillitate procedentes: efficacissimum quoque est in ictero flavo, post purgantium aptorum usum.

26. In hydropicis, si purgationibus usi prius fuerint, multos per urinam serosos humores expellit, flatus discutit, hepar, ac alias partes debiles roborat, & si plane de iis actum nondum sit, præstantiores quoque effectus producit.

27. Nec minorem adfert utilitatem contra quàmplurima lienis accidentia, ex obstructione & frigiditate ortum ducentia. Et inprimis succurrit iis, qui splenem habent extensum, serosisq; humoribus refertum, instar spongiæ aquæ plenæ,

quod illis progenerat sinistri lateris extensionem, dolores, torporem, vel corporis gravedinem, halitus, dyspnœam, & alia symptomata. Nam si patiens hujus medicamenti usum per aliquot continuaverit dies, bona observata diæta, & moderatis adhibitis exercitiis, expellit dictos humores per urinam, confortat lienem, & omnes alias partes per consensum hujus debilitatas.

28. Scorbuticos, qui multis & diuturnis viscerum obstructionibus sunt obnoxii, sanguinem habent melancholicum & corruptum, suntque valdè debiles, & plus quam dimidio contracti, plurimum alleviat, si septimanatim bis tervè id usurpent.

29. Præmissis & adhibitis per aliquot continuos dies appropriatis crassiorum humorum expurgationibus, medetur cachexiæ, pallidis virginum coloribus & febribus, provenientibus ex retentione menstruorum, aut spermatis corruptione: non solùm aperiendo omnes meatuum obstructiones, naturam impedientes, quò minus superflua expellere possit, resistendo omni internæ corruptioni, & mundificando sanguinis massam per sudorem & urinam, sed etiam universam confortando naturam, & corroborando partes debilitatas, ut inde pristinæ restituantur sanitati, dummodò viscera adhuc sint integra, ut quodlibet suo possit fungi officio.

30. Contra urinæ retentionem, vel ischuriam, ortam ex obstructione renum aut ureterum, ob arenam, materiam limosam, sanguinem, phlegma viscosum, aut flatulentiam, item adversus stillicidium urinæ, vel stranguriam propter calculum vesicæ, collectionem materiæ mucosæ in ejus cervice, aut nimiam refrigerationem, exhibetur hoc Antidotum semel bisvè per diem felicissimo cum successu. Non minus juvat in ulceribus vesicæ per aliquod tempus continuatum.

31. Curat subjectos gonorrhϾ, ex imbecillitate retentricis facultatis in vasis spermaticis, aut ex quibusdam tenuibus, acribus, & stimulantibus humoribus, exuberantibus in prædictis vasis. Eodem modo singulare etiam est medicamentum contra gonorrhæam virulentam, ex lue venerea procedentem, corpore prius pharmacis huic morbo specificis perpurgato, tam ad expellendam omnem corruptionem in vasis seminariis contentam, quam ad illa, aliasque corporis partes corroborandas.

32. In symptomatibus quibusque, quæ ex corruptione spermatis in vasis seminariis proveniunt: in obstructionibus item, quibus Venus impeditur, meatus mundificat, neque corruptum tantum sperma per emunctoria adpropriata expellit: sed totum quoq; corpus mundificat, & à corruptione, quæ totum id inficere posset, vindicat, omnesq; in eo partes renovat. Secundo, obstructiones adimit, semen adtemperat, & quod crassum ante, & frigidum erat, fluxile reddit, actumque ita venereum promovet, unde quanti in procreatione liberorum usus sit, cum conjugum alteruter, vel uterque à dictis causis impeditur, quivis dispicere potest. Neque enim amovet tantùm hæc obsta-

cula, verùm vires insuper potentissimas cordi confert, spiritus auget, ánimumque ipsum refocillat.

33. Bono cum successu hoc Antidotum exhibetur in fluore, vel fluxu albo muliebri, procedente ex abundantia humorum vitiosorum serosorum, & cachexia totius corporis, qui ad matricem concurrentes expelluntur per ejus cervicem. Nam datum (corpore prius a crassiori materia purgato,) instar hydrotici septimanatim semel aut bis, nimirum in satis magna dosi, ut exin in lecto sudent, quantum vires ferre possint, & reliquis diebus pro confortativo, hoc est, in parva dosi, qua sudorem nullum excitet mane è lecto surgendo: Hoc ita continuatum cum bono vitæ regimine, & diæta, incredibiles producit effectus, modo ne morbus temporis longinquitate, ratione subjecti, aliarumque circumstantiarum omninò sit redditus incurabilis, ut interdum evenit.

34. Contra suppressionem mensium muliebrium, procedentem ex superabundantia, vel cruditate humorum, oppilatione hepatis, crassitie sanguinis, aut obstructione vasorum, sanguinem ad uterum devehentium, hoc medicamentum dietim per aliquot tempus usurpatum, corpore prius, pro necessitate, purgato, omnibus aliis hoc in casu palmam facilè præripit.

35. In vino albo, vel cerevisia dissolutum & exhibitum in suffocatione uteri, magnum est præsidium, consumendo istos vapores, qui facultatem animalem in sua sede invadendo, causantur ejusmodi symptomata.

36. In fœminis parturientibus, quæ (propter virium naturalium imbecillitatem) fœtum expellere nequeunt, hoc Antidotum, illas confortando, & vires excitando, excellentes poducit effectus, ut facilè pariant, & eluctentur, & quidem sine vitæ præjudicio alterutrius. Ejicit etiam secundinam ob prædictam causam retentam.

37. Arthriticis etiam multum ab eo auxilii expectandum est: illis videlicet, quos ex capite, venis, aliisque ductibus, in articulos decumbentes catarrhi, doloribus vehementissimis, chiragra, ischiade, gonagra, & podagra divexant. Illis enim post usum purgantium, pulveris nempe arthritici specifici nostri, vel aliorum, tribus vel quatuor matutinis, ter aut quater in forma sudoriferi datum, humores serosos, & subtiles in partibus extremis consumit, tumores resolvit, dolores consequenter mitigat, cerebro, juncturisque robur conciliat, ac has quidem adversus humorum influxum obfirmat. Quod si quis bis, vel ter in septimana usurpet, & interim quavis senescente Luna (excepto tempore æstatis ferventiore, frigoreque hyemoli intensiore,) semel purgationem instituat, neque optimum interea vitæ regimen negligat, experietur profectò totum sibi corpus confortari, sanguinem depurari, vitium aut in dispositione viscerum, sive partium mandantium superfluitatis istius generatrice ita emendari, uti longinquitate temporis malum evidenter imminuatur. Uti verò perfectam curam cuiquam audacter non

polli-

pollicemur: ita intelligi hic tantum volumus eos, qui bono vigore non destituantur, quorumque humores peccantes sint adhuc fluxiles, serosi, calidi aut frigidi: Non illos, quibus mali diuturnitate viscera corrupta sunt, corporisque œconomia penitus collapsa. Quorum partes externæ debilitatæ, suum amplius officium ægerrimè faciunt. Qui nodosi sunt, & fluxionibus humorum viscidorum, & glutinosorum tenduntur: Etsi enim his pro confortativo inservire, & quandam mitigationem adferre potest, effectus tamen suprà commemoratos nunquam præstabit, quod cum malum per se incurabile redditum sit, tum materia inexpugnabilis facta, cuivis per urinam, sudores, & insensibilem transpirationem evacuationi contumacius reluctetur.

38. In febribus intermittentibus, & præcipuè in tertianis, & quartanis diuturnis, & inveteratis, maximè cum habitus corporis per illas generaliter est immutatus, sanguis valdè corruptus, & viscera debilitata, quæ sunt ceu causæ secundæ, vel subjecta, quæ febres fovent: in tali, inquam, casu, postquam corpus à crassamentis fœculentioribus est liberatum, exhibemus hoc Antidotum felici cum successu, quinque aut sex continuis vicibus, tempore matutino, excepta hora, aut tempore paroxysmi febrilis, ut æger inde pro viribus sudet. Nam hoc modo sanguis non solum flava, & atra bile, aut melancholico humore, quo infectus & conturbatus erat, emundatur: sed tolluntur etiam omnes internæ obstructiones, partes debilitatæ corroborantur, & si qua restat materia peccans impeditur, quò minus possit augeri, corrumpi & fermentari, ut hoc medio ægroti sæpissimè à febre liberentur.

39. Consimiliter est efficaciæ & auxilii in febribus putridis, continuis, & diuturnis, ob enarratos effectus.

40. In febribus ardentibus, malignis, & pestilentialibus, in lue Ungarica, ecthymatis item, & exanthematis, aliisque malignis, & venenatis acutis affectibus, si ægri hoc Antidotum imbibant, seque in lecto calidè contineant, cor statim reficit, naturamque adversus materiam peccantem ita munit, ut hinc tandem triumphet, & per debita ex corpore emunctoria sine vel partium damno, vel bonoram humorum jactura exigat. Unde insperata sæpè sanitas cum astantium admiratione consequitur.

41. Ob prædictas proprietates est etiam singulare Antidotum contra ipsam pestem & venena, tam præservativè, quam curativè usurpatum.

42. Qui tinea, scabie, prurigine, aliisque cutis vitiis, quæ ab adusta sanguinis, vel maligna qualitate sunt, lepræque propemodum se assimilant, laborant, ii præmissis purgationibus, & venæsectione, Antidotum hoc quotidie semel usurpent, tumque in lecto sudent, continuando hoc per duas aut tres septimanas, bonamque interea diætam observando, aërem præsertim humidum evitando, sanguis nimis conspurcatus, cutisque defœdata reflorescent, omnia in corpore membra, quæ mali pervicacia, quasi consopita vide-

videbantur, reviviſcent. Quin integra ſanitas reſtituetur, niſi fortè morbus vel hæreditarius ſit, vel radices egerit altiores. Tum verò repetita annuatim curatione hac periculum faciendum, num natura morbum tandem debellare poſſit.

43. Eſt etiam, appropriatis præmiſſis purgationibus, efficaciſſimum remedium diaphoreticum contra ſcabiem, pruriginem, & puſtulas morbi Gallici, & ſæpiſſimè magnum adfert auxilium in ſedandis illorum juncturarum doloribus, præcipue quando materia peccans adhuc tenuis, ſubtilis & vagabunda eſt, necdum alicubi inter os & perioſtium in grumos, tophoſve coagulata ac concreta eſt, quo in caſu alia curandi media, & remedia apprehendenda ſunt.

44. Contra cancrum, fiſtulas, & plagas malignas, ſummi eſt auxilii, ad reſiſtendum malignitati illorum internæ materiæ peccantis, purificandum ſanguinem, clarificandos ſpiritus, & mitigandas inflammationes, & alia ſymptomata, quæ ſæpiſſime dictis accidunt malis: curabilium medelam reddit faciliorem, incurabilia, ut ne pejora evadant, prohibet.

45. Non minus feliciter aſſumitur ab iis, qui in externa quadam corporis parte gangræna affecti ſunt, loco Antidoti, ad prohibendum, ne ejus maligna qualitas ſpiritus inficiat, febrem aut alia periculoſa in corporis centro ſymptomata excitando, donec tandem aptis externis remediis gangræna ſeparata exſcindatur, modò ejus ſit conſtitutionis, ut id fieri poſſit.

46. Dein contra vulnera, gladio aut telis veneno infectis inflicta, ſummum præ omnibus aliis eſt remedium, ut adverſus ictus & morſus animalium venenoſorum, ſi de eo doſes aliquot intra corpus aſſumantur, & parum de eo in conveniente liquore diſſolutum, vulneri applicetur.

47. Item diſcutit omnes contuſiones internas, diſſolvendo ſanguinem coagulatum, à putredine, & aliis periculoſis ſymptomatis præſervat.

48. Similiter excellens eſt vulnerarium in recentibus plagis, aut vulneribus, quæ ad interiora corporis penetrant, ita, ut confortet naturam ob nimiam ſanguinis effuſionem debilitatam, defendatque partes internas à corruptela, aliis accidentibus, ſuppurationem ſuppurandorum maturet, & vulnerum conſolidationem promoveat.

48. Ultimò, ut paucis rem expediamus, non in his tantùm, quos diximus, morbis Antidotum hoc valet, ſed & in omnibus aliis, qui nobiliſſima, ac earundem cum noſtro qualitatum bezoardica deſiderant. Præſertim verò tum præferendum venit, quando omnibus aliis medicamentis abſtinere, & ad ſola confortantia, & cordialia, tanquam aſylon quoddam, confugere Medicus cogitur.

Doſis & Uſus.

DOſis hujus Antidoti pretioſi eſt à duobus vel tribus granis incipiendo à parvulis, & per gradus aſcendendo, ſex, octo, decem, quindecim vel viginti grana

ad summum in viris & fœminis adultioribus.

Exhibetur hoc Antidotum cum vehiculis appropriatis, sive liquores sint, sive conservæ.

Usurpatur pro confortativo, aut in morbis chronicis ac diuturnis, ad aperiendas sensim obstructiones internas, ad corrigendum & resistendum malignitati alicujus peccantis humoris, ut ad expulsionem deducatur: sicut etiam usui est, ut præservativum adversus pestem & venena, debet assumi manè jejuno stomacho, oriente Sole, aut paulo serius excepto, si materiam peccantem dictorum morborum symptomata aliqua consequuntur, utpote defluxiones catarrhosæ à capite ad præcordia, tussis, diversi dolores alii, &c. tunc administrari debet vesperi, idque hora antequam supradicta accidentia superveniunt, animadvertendo, ut id fiat ad minimum duabus à refectione interpositis horis. Et in his jam dictis casibus atque usibus rectius in aliqua Conserva, in forma Electuarii exhibetur, aut in forma parvi boli ad deglutiendum, quàm in forma liquoris.

In morbis acutis porrò, utpote febribus ardentibus malignis, Ungaricis, pestilentibus, pleuritide, dysenteria, epidemia, morbillis, variolis, quemadmodum etiam in curandis peste & toxico infectis, datur in principio morbi, quàm maturrimè ac fieri potest, sine exceptione ulla temporis, quotiescunque necessitas postulat, & poterit reiterari bis tervè in die, prout requirit necessitas. Nec solùm administratur in jam dictis morbis acutis, sed etiam ad occurrendum quibusvis accidentibus subitaneis, utpote in subitanea suppressione urinæ, passione colica graviore, doloribus & puncturis laterum, deliquio animi subitaneo, & lipothymia, convulsionibus subitaneis, suffocatione & præcipitatione matricis ex aliis causis motis, consimiliter in difficultate partus, & retentione secundinæ, detur sine respectu temporis, quoties occasio fert. Et in talibus causis acutis & subitaneis, propinetur in liquore, in qua forma citius penetrat & operatur.

Advertendum etiam, cum usurpatur pro confortativo, conservativo, aut, ut dictum est in morbis chronicis, in minori quantitate exhiberi debet, quam si administretur pro curativo in morbis acutis, aut ad expellendam materiam peccantem per sudorem, quia in tali casu major dosis exhibetur, & patiens sit valdè benè tectus in lecto ut faciliorem operationem medicamento conciliet.

Ecce satis superque explicuimus virtutes, & usum hujus Antidoti, quantum per compendioli leges fieri licuit. Verum enimverò sciatis quæso, hanc prærogativam, quam huic Antidoto attribuimus, non esse fundatam super intentione quadã empirica irrationali, & confusa, ac si mundo persuadere conemur, hoc solum absolutè prædictis omnibus istis morbis & symptomatis mederi posse, in omnib. personis, & omni tempore, sine observatione, primò, si morbus in totum sit curabilis, aut saltē palliabilis, deinde sine respectu diversarum

rum constitionum corporis, ætatis, sexus, quatuor anni temporum, sine respectu qualitatum manifestarum medicamenti, sineque observatione diætæ, bonique vivendi regiminis auxiliove aliorum remediorum tam internorum, quàm externorum,& summatim absque ratione ulla, & methodo, sed hoc nostrum fuit propositum demonstrare saltem excellentiam,& magnitudinem suarum qualitatum & virtutum, respectu aliorum sui ordinis medicamentorum. Nam res absurdissima est, credere unicum aliquod medicamentum, qualecunque illud sit, adeò admirabilis esse efficaciæ, ut possit suis effectis omnem Medicinæ ordinem & fundamenta (quæ summo studio & longinqua experientia à multis seculis à majoribus nostris fuerunt exactissimè observata & scriptis tradita) penitus evertere, uti multi ex hodiernis Alchymistis, contra propriæ experientiæ, atque etiam conscientiæ, testimonium vanissime ostentant jactantque Id, quod sufficiet ad sapientes edocendum, qui quid medicina sit, nôrunt, quæ sit intentio mea circa prærogativam jam ante dicti Antidoti. Pro cujus inventione Deo gratias quàm maximas agimus, illique debitum honorem tribuimus, à quo omnis bona inspiratio provenit, quem & precamur, ut ejus operationibus benedicat in plurimorum ægrotorum salutem. Quem in finem hoc nostrum inventum insinuamus omnibus.

FINIS.

TERNARIUS HEMETICORUM

SEU

HEMETOLOGIA.

Cap. I.

De usu Vomitivorum, Medicinæ, optimorum quorumcunque Philosophorum & Medicorum antiquorum & neotericorum testimonio, omninò laudabili & necessario.

Arbitror certè, quamvis nemo Medicus ullam uspiam vomitoriorum fecisset mentionem, quod nihilominus rationis judicio naturali, (quo summus rerum opifex homines præ cæteris creaturis donavit:) deprehendere quilibet possit magnum illorum usum & inevitabilem necessitatem, quibus generi humano in variis morbis plurimum gratificantur. Idque nonsolum emunctoriorum, quibus corpus variè hinc inde locupletatum est, causa: sed & quotidianæ experientiæ & admirabilium curationum divite argumento. Attamen cum non desint phantastica ingenia, quæ alienæ potius libidinis, quã experientiæ & judicii divinitus sibi concessi rationem habeant:(susq; deque Aristotelis illud æstimantes, negare experientiam propter rationes, imbecillitatem intellectus arguere:) non potui non facere, quin antequam de particularibus præparationibus, & quæ de usu vomitivorum hactenus observare mihi licuit, sermonem aggrederer, osorum virulentis morsibus sequens antidotum opponerem.

Hippocrates enim Medicorum Coryphæus 1. Aphor. 21. Quæ ducere oportet, inquit, quo maximè natura vergit, per loca conferentia, ducere convenit. Id quod cum sale acceptum idem est, ac si Hipocrat. dicere voluisset, quòd omnes evacuationes qualitercunque etiam institutæ absque respectu ad naturam habito, incommodæ prorsus sint & illegitimæ. Quinimo Medicum naturam, cujus Minister est, ceu Magistram intueri semper oportere, ut ne unquam quicquam ipsi contrarium aut impossibile moliatur, sed benè observet, quæ, per quam viam, ad naturæ motus

motus juvandos evacuanda sint: Aliquãdo enim per secessum, aliquando per vomitum, jam per sudorem, jam per urinam, modo extraordinaria via (id quod sæpe, imprimis tempore pestis veneno à corde per pustulas, furunculos, apostemata &c. naturaliter excluso, usu venit) supervacanea purgari expedit. Hinc eodem sensu Hippocrates lib. 1. Aph. 2. affirmat; Si qualia purgari oportet, purgentur, confert, & facilè ferunt, si contra, difficulter. Et iterũ lib. 4. Aph. 3. In medicationibus talia educere è corpore, qualia sponte prodeunt, utile; quæ vero contrario modo prodeunt, cohiberi oportet. Cui ipsi ut majorem fidem conciliaret, exemplum haud inconcinne posuit lib. 1. ab ipso Galeno etiam in commentario probatum: In perturbationibus alvi & vomitibus spontaneis si talia purgentur qualia purgari oportet conferre, & leviter ferri, sin minus contra. Adeoque evidenter conspicitur per has Hippocratis sententias, humores, mineras morbificas non nisi per propria emunctoria & vias, per quas natura se utiliter evacuare solet, deducendas esse.

Ex quo ergo recto talo incedit argumentum; quod vomitoria æque remedia necessaria sint naturæ, quam reliqua; quãdo nimirum natura & humoris inclinatio per vomitũ viam affectat, ut sæpe contingit. Dummodo hoc in negotio satis prudens est Medicus, ad opportunitates Naturæ veras à falsis, naturales & utiles à non naturalibus & noxiis, discernendas, ne ignorantia occæcatus expulsionem deproperet, cui frenum potius injecisse naturæ satius fuisset.

Hactenus quæ Hippocrates in genere pro instructione nobis reliquit; jam & audiendus est, quæ in specie de vomitoriorum usu profitetur.

Libro quarto Aph. cap. 17. & 18. inquit: Eum qui febricitat, cibi fastidium morsus oris ventriculi, vertigo, & oris amaritudo purgatione indigere per superiora significant. Et paulo post: dolores qui sunt supra præcordia, quicunq; egent purgatione, medicari per superiora significant &c.

Videmus insuper Hippocratem vomitivorum usum magnifecisse non in robustis solum, prout alicui videri posset, sed in delicatis etiam & imbecillis. Libro enim de salubri diæta, postquam de tempore vomitionibus oportuno disseruit, in hunc tandem Canonem etiam prolabitur: Quicunque homines crassi & pingues sunt, & non graciliores, jejuni vomant, qui vero graciliores sunt ac debiliores, à cibis vomitum faciunt hoc modo.

Et quod vomitivorum usus tutus in debilibus etiam esse possit, minusque suspectus, quotidiana observatio, qua prægnantes non usque adeo validas in primis mensibus, assumptum cibum quotidie per vomitus rejicere liquet, cum nihilominus maxima pars nil quicquam detrimenti neque corporis, neque fœtus ipsius, imo multum potius emolumenti ad facilem & salubriorem postea partum sentiat, satis superque restatum facit. Sic parvuli etiam & teneri infantes sæpe sponte sua vomunt; Quod ipsum tamen tantum abest, ut naturæ perniciem adferat, ut potius stomacho à superfluitatibus exinanito, multis corruptionibus, ex quibus

bus postea varia symptomata, præveniat, easque penitus eliminet.

Ex quibus omnibus sole meridiano clarius apparet, vomitoriorum usum nunquam interdictum fore in ægrotis, qui alias sponte vomitiones ferre possint, dummodo de bene riteque præparatis, & correctis, ne vel venenosa, vel nimis acria, quibus æque benigni, quam maligni humores rejiciantur, prospiciatur.

Ne tamen in mentem alicui veniat, neminem, quam Hippocratem assertionis nostræ vel autorem vel applausorem extitisse: Avicenna 4. 1. cap. 18. (cujus & Schola Salernitana de conservatione sanitatis mentionem facit:) quindecim sequentibus encomiis vomitoria, quantum ipsorum usum attinet & procul dubio propria suffultus experientia extollit:

Primum est: quod capitis gravitatem tollat, idque maxime, si ex humorum ac vaporum multitudine è ventriculo ac membris inferioribus sursum vergente contracta sit. Si verò à proprio ipsius cerebri fuerit nocumento, ab eo cavendum, ut qui gravitatem magis augere soleat.

Secundum: quod visus aciem subtiliorem reddat, præsertim si visus ob vaporum copiam è ventriculo sursum ascendentem obscuratus fuerit? alias enim offendit potius.

Tertium: quod nauseosam auferat satietatem; Humorem enim in ventriculi spatio innatantem, cumq; ad nauseam excitantem evacuat.

Quartum: quod illi etiam ad cujus ventriculum flava bilis confluens cibum corrumpit, egregie opituletur, eam enim per superiora exturbat.

Quintum: quod stomachi subversionem atque abominationem ex pinguium ac dulcium alimentorum esu contractam submoveat.

Sextum: quod appetentiæ amissionem, & corruptum ipsius ventriculi desiderium, quo nimirum acria solum, aut acida, aut pontica appetuntur, curet. Vomitus namque ejusmodi affectionum causas omnes removet, remotis vero causis, effectus quoque tolli necesse est.

Septimum: quod corporis ex humorum redundantia ortæ lassitudini conveniat, evacuata enim materia, vires corporis omnes levantur & recreantur.

Octavum: quod renum ac vesicæ ulceribus succurrat, materiam namque eo corruentem ad oppositam abducit partem.

Nonum: quod lepræ auxilietur: & maxime quidem, si cum vehementi vomitivo, quale veratrum cum primis existit, eliciatur. Hoc enim lepræ materiam eradicatu difficilem è remotis locis subducit. Quin etiam primæ concoctionis errata corrigit, quo fit ut reliquæ concoctiones absolutiores fiant. Lepræ enim origo est à concoctricis facultatis corruptione.

Decimum: quod corporis colorem ex vitioso aliquo humore depravatum emendet, ipsum enim à cute alio derivat.

Undecimum: quod epilepsiam ex ventriculi cum cerebro sympathia obortam curet: Humorem enim, cujus evapora-

poratione epilepsia accidebat, è ventriculo expellit.

Duodecimum: quod ictero, illi præsertim qui ab obstructionibus initiũ ducit, medeatur: vehementiore siquidem vomendi conamine obstructionum materiæ à locis, quos obsidebant, avertuntur. Ad hæc materia etiam pituitosa, quæ ejusmodi fere parit obstructiones, vomitu educitur.

Decimum tertium: quod asthmati subveniat: causam ejus antecedentem tollat. Quin thoracem etiam ac pulmonem calefaciendo superfluitates absumat, unde asthma gignebatur.

Decimum quartum: quod tremorem atque paralysin curet; harum enim passionum materiam aufert.

Decimum quintum: quod magna & nigra ulcera in extremis partibus, & impetiginem (materiam divertendo) curet.

Arnoldus de villa nova eximius Medicus Papæ, Cardinalium, multorumque Italiæ principum, de symptomatibus inordinatum victus regimen subsequi solitis, sermonem tractando de vomitibus sequentia in medium profert, cap. 10. Breviarii: Multos vidi, qui ciborum & potionum multam receperunt quantitatem, qui illico ægrotare cœperunt, & nisi eis provocassem vomitum, in ægritudinem, vel febrem periculosam, & forte mortem incurrissent, qui statim liberati sunt propter vomitum provocatum. Et ulterius: Competit etiam his qui stomachum habent repletum, Phlegmaticis viscosis, & malis humoribus; & febricitantibus ex plenitudine, & repletione nimia; Competit etiam his qu: habent nimiam gravitatem corporis abominationem, venarum extensionem & rigorem cum calore: hæc enim plenitu dinem stomachi significant, & vomitus hi. competit. Et paulo post de febribus inqui Valet etiam contra tertianã veram & notam, & contra quotidianam & quartanam Proponit etiam inferius vomitiva, quibus ad prædictos affectus uti commod possimus.

Iohannes Fernelius Medicorun dogmaticorum nostri seculi facile princeps, multa rerum experientia clarissimus, quo nomine etiam apud Regem cæterosque Galliæ principes multos annos in magno honore habitus fuit, diffuse de utilitate vomitoriorum disserit lib 3. meth. med. cap. 5. Quæ vero facilis & moderata obtigerit vomitio, inquit, saluberrima est & purgationum omniun præstantissima. Noxios quippe humores ex ipsis fontibus sinceros elicit, & evacuat, omnem quæ in ventriculi capacitate, in ejusve tunicis hæret illuviem inprimis expurgat, è præcordiorum membranis, è cavis jecoris & lienis, & ex pancrea omnis generis supervacuos humores sinceros elicit, quo plerumque nec Hiera, nec aliud vehementissimum ullum, etiam frequen pharmacum in alvum exturbare potest. Id quod observatu dignum est, iis qui omnem stomachi illuviem nor nisi per alvum deturbare vano labor student; Illa enim cum per vomitum potius nata sit expurgari, nihil efficiunt quam quod corpus debilitent, absque tamen

men causæ morbificæ demolitione. Et ulterius inquit: In ventriculum ex his locis viæ breves ac expeditæ magis quam in alvum directæ sunt, per quas facilis est vomitio. Quanquam autem primum ab interioribus evellit, consequutione tamen caput reliquumque corpus levat. Quocirca omnibus opitulatur affectibus, qui à præcordiorum impuritate ortum acceperunt, languenti appetentiæ, nauseæ cibi fastidio, crebræ vomitioni, ventriculo, præcordiisve distentis, ictero, cachexiæ, febribus intermittentibus, hemicraniæ, vertigini, incubo, epilepsiæ, suffusioni, omnibusque capitis affectibus, qui à præcordiorum sympathia contracti sunt, & quos è præcordiis in reliquum corpus affusa impuritas protulit. In quocunque igitur affectu languescit appetentia, & nausea vomendique desiderium fatigat, si pharmaco non satis fit, vomitione curandum. Nam quæ purgatio non eluit, exstirpat vomitio, & quæ illinc non facile labuntur in alvum, prompte in ventriculum remeant. Tanti igitur vomitionis vis æstimanda.

In sequentibus vero totam vomitoriorum tecmarsin, quomodo nimirum, & in quibus personis administranda sint, luculenter demonstrat.

Josephus Quercetanus, excellentissimorum Philosophorum nostri seculi, non postremus Medicus ordinarius Regis Henrici IV. Gallorum, arcanissimorum naturæ secretorum Mystagogus, & utriusque methodi medendi, Dogmaticæ puta & Hermeticæ experientissimus, in Pharmacopœa Dogmaticorum restituta cap. 16. de vomitoriis, quantum ipsorum usum attinet, sequentia notavit.

Vacuatio per vomitum in longe majore frequentioreque olim usu erat, quam jam apud nos. Nonnulli inter Medicos recentiores eum idcirco abdicare videntur quod commoveat, & disturbet, nec non molestissima plura inducat symptomata: adductis præterea his ratiunculis, nostras regiones multo frigidiores esse, quam Græcorum, cujus nationis Hippocrates frequentissime eadem vacuatione utebatur, & infiniti post illum alii Græci authores, ipsius exemplum secuti: addunt etiam, homines nostrarum regionum esse multo pituitosiores, & minus ad vomitum proclives. Sed his rationibus & argumentis parum ponderis inesse, nemo non videt, quæ idcirco tanquam frivola explodentur, cum contra hujus vacuationis usus utilissimus, & summe necessarius sit ad plurimos affectus gravissimos & desperatos profligandos, licet vel iis, quæ maxima agendi vi & potestate excellunt, quorumque ne periculum quidem facere audent, potius ejusdem sint inimici, sic enim naturæ adulatóres tantum sunt, qui imbecillis nimis, & invalidis præsidiis eam frustra propugnare conantur, ne potentibus satis armis, illius hostem ferocissimum adoriri cogitant, qui interim veluti invictus cuncta illorum eccoprotica, imo vomitiva blanda & adulantia ridet, & respuit, quibus elisis vix secundo ad eadem auxilia refugere audent.

Quæ singula authorum testimonia, (meo arbitratu) merito sufficere debe-

deberent, ad opinionem omnibus expectorandam, qua ægrotos misere perire maluerunt, quam ab initio statim, viribus naturæ adhuc integris existentibus, nec tota massa sanguinis intimiore labe correpta, vomitoriorum beneficio auxilium struere. Neque Medicorum turpem ignorantiam, ambitionem, metum, avaritiam, vel quicquam aliud ab ægrorum parte, quod meipsum, fateor, sæpe deterruit, tanti ponderis esse, quæ vomitoriis detrahere, vel usum ipsorum alicui, ne minime quidem suspectum reddere valeant.

Cap. II.

De Remediis ad excitandos vomitus Antiquis familiaribus in genere.

Legimus Hippocratis, Avicennæ, Dioscoridis, Rhasis, & aliorum antiquissimorum Medicorum hanc fuisse sententiam; quod si quis menstruo semel spatio Bacchi Genio tantum indulgeat, ut stomacho ad nauseam usque repleto Vomitus excitetur, sanitas hominis totius conservetur, ægritudines præsertim Chronicæ citius & jucundius prodigentur. Id quod adhuc tum quoque pro studio Sanitatis infallibili à plurimis observatur. Quamvis ergo probabile alicui videri posset, hanc vomitus citandi rationem quodammodo naturalem, & satis facilem esse, argumento scilicet magnæ illius repletionis in stomacho, cujus causa vomendi conatus magis promptior quam jejuno stomacho: itemque quod ebrii ad quævis subenda pericula minus meticulosi sint, quam sobrii: nihilominus prædicta opinio tanti æstimanda non est, uti ceu Salubrem Medicoque dignam illam accipimus. Etenim licet hac ipsa vomitionis specie, omnis vini superfluitas ex stomacho exhausta videtur, nihil tamen quam terrestrior tantum tartareaque saburra rejecta est, spiritibus interim sulphureis præcalidis & penetrantibus à tergo relictis.

Id quod communi potatorum suffragio certum est, qui quamvis fortissimos vomitus, non leves etiam tam per alvum quam per urinam excretiones habuerint, nihilominus extremis capitis doloribus, inflammatione totius corporis, partium nervosarum languore, tremore, convulsione aliisque malignis symptomatibus corripiuntur. Prædictum ergo vomendi genus tantum absit, ut salubre naturæque consentaneum statuamus, ut nemine nisi Bacchi æmulis, vinipotis, Cyclopicis, sponsis Penelopes & fruges consumere natis dignum æstimemus. Siquidem plura alia magis naturalia utiliaque hoc ipso nomine expetenda remedia Deus nobis largitus est. Quinimo ipsissimi opinionis illius Magistri scriptis suis ebrietatem liberiusque potandi studium cane pejus & angue persequuntur.

Alia ergo antiquis magis probata vomitoria, in tres classes principales distributa legimus. Quorum quædam sint lenia, seu dulcia: quædam mediocria: quædam violenta.

In primorum censu collocarunt usum aquæ tepidæ in magna quantitate cum modico oleo olivarum, aut oleo amygdalarum dulcium: vel cum Syrupo Acetosæ,

Oxymelle simplici, aut similibus, leniente, modice abstergente, & incisoria facultate præditis.

Mediocrium ordine comprehendunt decoctionem radicis Raphani, Atriplicis, Erucæ, Nasturtii; sæpe etiam miscent Oxymel scylliticum, aut Hydromel cum radicibus Asari compositum: Quæ ipsa vomitoria practicis Medicis communi stylo inserviunt, quibus nimirum vel nihil, vel parum experientiæ est, de novis Hermeticorum inventis. Quidam etiam in usum revocant summitates Sambuci, semen & radices Ebuli, Radices Betonicæ: vidi quoque coagulum, quo ad casei sequestrationem Coloni utuntur, eodem nomine præscriptum fuisse. Singula enim hæc facultate quodammodo citatiore prędita sunt, quam priora.

In tertium ordinem referuntur Helleborus albus Tithymalus, Peplus, & id genus similia, venenosa & violenta remedia, de quibus mox sermonem habebimus. Observatu autem dignum nobis occurrit hoc in loco: quod secundo ordini inclusa, quamvis minime maligna, aut periculosa, quoniam tamen superfluitatibus corruptis & in ipsis ventriculi tunicis tenacius inhærentibus imparia sint, aliquando magnas ægris molestias creent, & perturbando nil tamen promovendo generandoq; flatus, colicam, torsiones ventris, cruditates, & imbecillitates stomachi aliaque id genus symptomata inducant.

Quod vomitoria illa violenta attinet, nemini dubium est, tam perniciosa ea esse, ut dum adhibentur, ne vitæ quidem parcant, Medicoque vitæ custodes vires adimendo dedecus pro gloria concilient. Quod ipsum antiquorum Antesignanus Celsus ultro testatur (de Helleboro disserendo,) quando apertè dicit: quod non semper bonis ægrorum rebus fiat, quinimo plerumque, in sanis etiam, cum sanitatis maxime jactura conjunctum sit, istiusmodi vomitoriis quicquam tentare. Unde & Hippocrates amico suo Democritò Helleborum vel similia propinare, non fuerit ausus, affirmando, fortibus istiusmodi pharmacis robori vitali maximam securim injici, vitæque humanæ noceri posse.

Et hæc sunt principalia Argumenta, quæ Medicis vomitoria utplurimum exosa merito reddant. Apud Hermeticos vero, quoniam majori cum securitate præsentem materiam tractant, ut diffuse in hoc ipso tractatu demonstrabimus, longe frequentior vomitoriorum usus, & meritò, existit, quam olim apud Veteres.

CAP. III.

De præcipuis Vomitoriis ab Hermeticis Medicis è Mineris inventis; deque illorum præparatione, mirabili efficacia, vero usu & approbatione.

POstquam in præcedentibus satis verborum fecimus & demonstravimus re & ratione, & Medicorum quos unquam Sol vidit clarissimorum authoritate: vomitoriorum usum, omnino ad auxilia Medici-

dicinæ pertinere, & è contra magno periculo antiquitatem crassis Medicinis vomitus procurasse: cujus nomine quilibet Medicus, cui meliora abscondita, in universum merito abstineret; superest modo, in apricum ponere, magnas gratiæ divitias quibus Deus Archiater plurimis Medicis hac ætate benedixit, ingenium scilicet artis Chymicæ, magnæ illius naturæ imitatricis, aperiendo, cujus beneficio jam, nonsolum Medicamenta veterum corrigere, depurare, viribus exaltare, norunt, sed & (anatomias omnium rerum in profundo terræ abysso crescentium Metallorum Marcasitarum, Talcorum, Sulphurum, Vitriolorum, Aluminum, Salium, aliorumque corporum mineralium instituendo.) saluberrimorum secretorum ad sanitatem defendendam talem constituere Monarchiam, quæ omnes veterum medicamentorum thesauros multis antecedit parasangis. Quamvis enim è Græcorum & Arabum familia de mineralibus multa literis mandarint, in superficie tamen hæserunt & cortice rerum, nucleum seu veram ipsarum cognitionem nunquã attigerunt.

Id quod in specie trium vomitoriorum mineralium longe excellentissimorum, & à plurimis multo usu probatissimorum argumento vel maxime liquet. Quantum enim Planetarum & Astrorum cœlestium dignitas & perfectio superior longe est, quam inferiorum corporum: Tantum virtus ipsorum præponderat virtuti antiquorum vomitoriorum. Et hoc est quod Josephus Quercetanus utriusque partis censura scite & rite facta, capite de vomitoriis in sua Pharmac. dicit: Inventa sunt nostra ætate, sicut fœcundo temporis progressu nova rerum inventio indies incrementum sumit, multo præstantiora vomitiva, multoque tutiora, quorum usus plurimus hodie existit in diversis & gravibus affectibus curandis. Iis etiam adjectis, quibus plerique vomitum nocuum & infestum existimant, ut verbi gratia in pleurisibus, quarum plerisque vomitus valde necessarius est, ut pestilentibus & in iis, qui cum lumbricis sive vermibus complicantur, de quibus supra in cap. de aquis, ubi descripsimus aquam nostram benedictam purgativam vomitivam, mentionem fecimus.

Quæ ipsa aqua benedicta nihil aliud est, quam infusio Croci metallorum cum aqua Cardobenedicti Cinamomo correcta, uti videre est dicto libro p. 126 & 127. Eamque benignissimum & efficacissimum vomitorium in prædictis affectibus multis experimentis idem Quercetanus summopere extollit.

Vomitoria ergo quæ è mineralium familia neoterici cito, tuto, jucunde usurpant, præcipue tres materias agnoscunt: Vitriolum, Antimonium, & Mercurium vulgo Argentum vivum dictum. Hæ ipsæ mineræ variis modis ad vomitus excitandos præparantur: quemadmodum hac de re passim plurima.

Cum autem mei instituti non sit singula repetere, multo minus propriis gloriari inventionibus: quinimo usum dũtaxat vomitoriorum legitimũ ostendere,

 & con-

& contra blasphematorum Calumnias cōfirmare; Descriptiones trium duntaxat, familiaritate usus, operationis benignitate, & facilitate præparationis, pauperibus æque quam divitibus commendatissimorum subjungam, uti sunt. Salis Vitrioli, Antimonii præparati, Croci Metallorum & Mercurii vitæ. Eorum ergo præparatio verus usus & approbatio præsto sequitur.

CAP. IV.

Sal Vitrioli seu vomitorium vitriolatum.

R. Vitrioli ungarici cærulei, & optimi, quantum vis facca kinentur in crucibulo ad ignem rotæ, donec in pulverem bruncum seu obscure purpureum abeat.

Observationes.

Si Vitriolum calcinatum, prædictum colorem non adipiscitur, sed rubrum duntaxat instar Boli Armeni permanet, dum sal inde extrahere cupis purum & candidum, nihil accipies quam Vitriolum ejusdem coloris, formæ & saporis, ut fuit antea.

Pariter si nimis calcinatum fuerit, ad nigredinem puta, vel spongiositatem, adeo ut spiritibus acidis spoliatum prorsus sit nec multum salis inde conficies, nec quod purget multum.

Extractio Salis.

Vitriolium prædicto modo calcinatum ponatur in vase vitreo, superfundatur aquæ communis bona quantitas, sensim tamen & sensim agitando ne in fundo conglomeretur, donec aqua affusa (quæ tam calida evadit, ac si Calci vivæ superfusa fuisset:) refrigeretur; alias vitro adhæsio fieret, ut rumperetur. Stent ita viginti quatuor horas, postea trajiciantur per Chartam emporeticam in patinam latam vitream, & fiat exhalatio super ignem lentum furni minusculi arenosi, donec sal in fundo reperiatur, siccum & coloris quodammodo incarnati, qui tamen pulverisando in albedinem convertitur.

Hoc ipsum Sal eodem modo extrahitur de capite mortuo ab olei Vitrioli destillatione residuo, Colcothar dicto. Quoniam tamen operæ pretium non est, ut quilibet, qui sale Vitrioli opus habet, olei ipsius destillationem ad manus sumat: prædictum processum exactius tanto proposui. Vitriolum enim tanti pretii non est, ut quem magna cura, ne perdatur aliquid afficiat: Et Artifex ad prædictum calcinandi modum melius observabit, num satis calcinatum fuerit, nec ne: quod in destillatione olei fieri minime potest.

Alio modo præparatur Vitriolum (ut Medico vomitorii loco inserviat:) in formam subtilis Magisterii substantias puras à terra impura sequestrando, & iterum uniendo simul (quemadmodum in libello meo Anatomia Vitrioli intitulato monstravi) unde in lapidem colore Sapphyreo, multumque transparente coagulatio subsequitur, qui Vitriolum Regeneratum appellatur. Attamen quoniam per triennium hucusque Salis illius confectionem vidi, & ipsemet tractavi,

quo

quo multorum morborum curationes feliciter successere, ejus conficiendi rationem potius, quam cujusvis alius huius loci propriam facere volui, ut quæ facilis præparationis nihilominus virium ad destinatas operationes obtineat.

Virtus & proprietas Salis Vitrioli.

Testor Deum, & certò cuivis promitto Lectori, quod inter medicamenta vomitoria, tam simplicia, quàm composita, & quomodocunque præparata, sive Mineralia sive vegetabilia, quæ vel ab aliis adhiberi vidi, vel ipsamet adhibui, nullum observaverim magis universale, magis interim præ cæteris ad purgandum superfluitates in stomacho, corruptosque humores in ipsius tunicis impactos, benignum, quam hoc ipsum Sal Vitrioli.

Adeò siquidem tutò, adeò facilè operationem perficit suam, ut meritò jure Manna vomitoriorum veniat appellanda Quemadmodum enim manna cœlestis inter omnia lenientia benignissimæ indolis existit, ut propterea nulli non personę absque ullius periculi suspicione exhiberi possit: Ita se res habet cum vomitorio nostro vitriolato, quo ad faciendos vomitus assumpto ordinariè nihil, nisi à Medico præscripta & præparata, à naturâ verò proscripta materia è stomachi regione, absq; majori humorum in centro usque sopitorum perturbatione & naturę lacessitis viribus((quamvis ejusmodi violenta vomitio aliquando ex usu sit pro morbi & materiæ intus hospitantis differentia) rejcitur.

Egregie valet contra Epilepsiam, aliaque cerebri symptomata ex corruptis & acribus è ventriculo sursum actis vaporibus orta: Item contra squinantiam, pleuresin, Febres pestilentiales, Lipothymiam à repletione humorum corruptorum & Bilis circa orificium ventriculi effervescētia. Vermes enecat, Epar, Lienem, & Renes, deobstruit, urinarios meatus purgat. Resistit Catarrhis in pectora & pulmonū organa prolapsis, ut in sequenti curationum exegesi latius patebit.

Josephus Quercetanus in Tetrad. p. 153. dum de utilitate à vomitionibus contra Epilepsiam, Apoplexiam, & similes cerebri affectus procuranda loquitur, sequentibus verbis extollit: Veteres præstantius vomitivum Helleboro albo nullum habuerunt. Multa præscribere possemus, minus quidem vehementia: at aliis omnibus citra discrimen, tutiora. Sed inter omnia, hoc quod sequitur, in omnibus id genus affectibus singulare & congruentissimum subsidium est, sal videlicet colcotharis Vitrioli, extractus, si ex syrupo scyllitico ad scrup. j. propinetur. Mira enim tum præstabit. Idem Sal naribus inspiratus sternutationem etiam egregiè ciet, citra vim cerebrum serosis suis excrementis expediens. Atque hoc quidem ex spagyrica arte petitum est remedium Et in sua Pharmacopæa cap. de vomitivis. p. 394.

Satis mihi sit hic in nostram Pharmacopæam unum saltem vomitivum inserere, quod paratur ex Sale Vitrioli, de quo accipias grana 7.8. vel 10. pro ægrotantis viribus, idque dissolvas in vino, jusculo, aut congruo aliquo liquore, & exhibeas iis, qui eo opus habent, & mirandos eliciet effectus.

Quibus omnibus Medici meritò

moveri deberent (si qua ipsis hactenus parum hoc de sale constiterit) ut pro genuino illud amplecterentur medicamento; è contra verò longa illa Apozemata, quibus sæpe ad mortem usque discruciantur ægroti, & sæpissimè absque profectu, cujus rei plura habemus exempla, post terga relinquerent.

De Dosi.

Dosis salis Vitrioli est à scrupulo s. ad drachm. s. pro una vice, quando qui purgari debent, validiusculi sunt. Assumitur cum vino, cerevisia, jusculo carnis, aut qualicunque alio, contra morbum subjectum inserviente liquore.

Num Vitriolum acrimoniæ & corrosionis causa intra corpus tutò præscribi possit?

Medicorum quorundam scrupulosorum nimis, communis accusatio est, etiamsi nec naturam Vitrioli nec aliorum mineralium satis perspectam habent, quando alios de usu hujus Salis tam rotundo ore differentes audiunt, quod dicant: Vitriolum corrosionis nimis esse particeps, unde stomachus, intestina omnesque partes corporis internæ, quas transeat, immane quantum lancinentur, & pugnacissime pro hac sua sententia, cum tamen ne unicam quidem historiolam ad illam roborandam adducere possiut, pugnare non desinunt.

Ad illorum igitur persuasiones, convellendas, dico; quod si naturam omnium purgantium à summis ad minima usque, ut & rerum balsamicarum & traumaticarum pensiculatè examinare velimus, rem aliter se non habituram, quàm quod singula corrosivam quandam facultatem, cujus beneficio corpori administrata mundificationem partium corruptæ materiæ rectificationem, naturæ corroborationem unitatemque redintegrent, intimius & potentiæ quodam gradu possideant. Quod ideoque corrosivum hoc nomine dicitur revera mundificativum existit: naturæque simplici rosione minimè adversum. Non ignotum quidem est, plura dari, quæ intra corpus assumpta partibus inhærendo viscerum inflammationes, excoriationes, pustulas & vesicas excitent; Cujus farinæ sunt cantharides buprestes Euphorbium, radices & succus Tithymali, & similia. Sed horum maligna operatio nullo modo corrosivæ & causticæ ipsorum facultati, simpliciter ascribenda est, sed malignæ ipsius venenositati quâ scatent, & extraordinariæ qualitatum distemperici, cujusmodi in Vitriolo simul accusari potest.

Quod si ergò ad retentiones urinæ in Hydrope, & aliis infirmitatibus à Medicis dogmaticis ordinentur aliquando hujusmodi vesicatoria quibus ad superficiem tantùm applicatis vesicæ, pustulæ, & excoriationes excitantur, quorsum opprobrium dicamus Vitriolo, cui nemo tanta facinora imputare jure potest? Videtis ergo, quâ distinctione opus sit inter corrosiva & vesicatoria, & venena tenaciter adhærentia & penetrantia. Insuper Vitriolum interius magis corrodens non est, quàm Sal, quem in qutidiano victu ceu verum naturæ balsamum usurpamus. Quod enim utriusque internam attinet substantiam, Oleum Salis tam impense corrosivum & acre reperimus, quàm nemo dixerit

rit esse Oleum Vitrioli; Ab illo enim ritè præparato, ne aurum quidem se defendere potest, ut ne dissolvatur, cum tamen in hoc Vitrioli Oleum facile aspernetur, quòd ideoq; etiam in plurimis ægritudinibus usu variè frequentatur, dum è contra in Oleo Salis adhibendo sat meticulose, ratione facultatis summè subtilis & penetrantis procedere oporteat. Vitriolum ergò, de caustica ipsius facultate loquendo, minus periculosum est, quam Sal commune.

Quod ipsius acrimoniam, quam post se reliquit, attinet, quæque aliunde non est, quam ex mixione substantiæ cupri aut ferri, certò scimus, illud duplo magis virtute illam ipsam ob causam cæteris omnibus salibus præeminere. Quod ipsũ etiam affirmat Paracelsc.c.8.lib. de Vitriolo dum de usu Vitrioli crudi ita dicit: Statuendum enim est, quod unum purgativum cui salsedo & acetositas cum virtute purgatrice conjuncta sit dupla virtutus nobilitate excellat magis, quàm cætera omnia purgantia. Et libro de specificis, Vitriolum & Tartarum solido fundamento pro specificis purgantibus præ cęteris omnibus confirmare studet, propterea quod Tartarum satis acre sit & acidum, ut Medici dogmatici etiam eo ipso ad segnitiem purgantium corrigendam utantur. Exasperat enim facultatem purgatoriam, & ita corrigit, ut nullę torsiones ventris inde subsequantur. Interea tamen Tartarum quoq; tam urens est, ut aurifabri præ cæteris illud ad mundificandum argentum, cujus omnem externam spurcitiem absorbet, assumant. Imò novimus quod Tartarum acrimoniæ suæ causa cuprum consumat prorsus, & in æruginem cogat. Sed quid anxii sumus in hujusmodi æquè frivolis, quàm superciliosis argumentis refutandis? anne videmus quod ne saccharũ quidem, mel, manna, sal, oleum olivarum, acetum, vinum, aliaq; balsamica de quibus paulò superius dictum, quorum tamen & Medicina & œconomia celebres fecit usus, insigni corrodendi facultate careant? In summa omne quod comedimus & bibimus, quam suave etiam & acceptum nobis habeatur, nostro arbitratu corrosivum quicquam participat, vel hoc solum argumento, quod per urinas, per sudores, & per alia excernendi loca, talia evidenter rejiciantur. Nõ ideoque qualitas urens in culpa est, quòd corpus offendatur, sed quantitas, & abusus quibus ipsis limites definire, ad neminem alium quàm ad Medicum pertinet.

Quantum tamen usum Vitrioli attinet, legimus apud Dioscoridem antiquũ Rei Herbariæ Heroa, crudi quoque Vitrioli drachmam unam pro vice usurpandi libertatem ipsum concessisse, quo nimirum cum aqua, vel aceto poto, vel cum melle lincto vomitus proritavit, latos vermes enecavit, & fungorum venenosorum symptomatibus restitit.

Thomas Bovius, Patricius nobilis Veronensis in suo flagello contra Pseudo-Medicos rationales affirmat: quod plurimis Vitriolum crudum bono cum successu contra pleuresin, laterumque dolores, & febres pestilentiales exhibuerit; Imo quod ipsemet in una aurora septendecim suis domesticis ad pestis præservationẽ propinarit, Hoc ego scio, quod multi in Italia Musicã exercentes Vitrioli modicũ per vices, cum saccharo mixtum hauriant,

riant,

riant, ad pectus purificandum pulmonumque organa, quibus ad cantandum accuratius utantur, rectificanda. Sic Vitriolum etiam collyria & aquas Ophthalmicas ad medelas oculorum, omnium partium delicatissimorum, tutò ingreditur. Quod si ergo Vitrioli ita crudi non reformidandus usus est, quidni meliori ratione ipsius sali locum concedamus? puta quod ignis beneficio non solum à magna spirituum acrium & penetrantissimorum copia, sed etiam à terra sua metallica ponderosa, viscosaque liberatum, operationem omnino benignam & salubrem præstat. Cujus rei experientia omnium rationum argutiis longè major, finem haud dubium facit.

Et hæc de usu Vitrioli in Medicina probato. Cui prædictis rationibus sibi minus satisfactum videtur, nec etiam observationibus infrà notandis sibi satisfactum iri arbitrabitur. Huic Deus obstinati sui animi ergo gratiam & saniorem mentem largiatur, opto.

CAP. V.

Vomitorium secundum, seu Mercurius Vitæ.

ARgentum vivum seu Mercurius Metallicus variis modis præparari potest, non solùm ad vomitiones inferendas, sed etiam ad alvum duntaxat sollicitandum sine molestia, non magis quam Aloë Eundem etiam Mercurium Diaphoreticum efficies, qui non nisi per sudores & per urinas operetur. Sunt, qui in lue venerea ad humores peccantes per os extrahendos usurpant: quod tamen absq; periculo non existimo fieri. Quoniam, dum ut opus est, continuatur, maxima injuria cerebro & stomacho accedit, & perniciosissima sæpe symptomata excitantur. Quemadmodum enim magnus ille Paracelsus in Chirurgia magna demonstrat, operatio præter naturam prorsus est, infectos & per totum corpus corruptos humores medicamento versus cerebrum, cor aliaq; nobilia viscera deducere velle. Et esto, quod hæc curandi Methodus in una persona benè succedat: econtra certè infiniti alii ad internecionem usq; miserè torquentur, id quod plurimis exemplis satis superque constat.

Sed ad vomitoria Mercurialia, de quibus ab initio propositum nostrum erat, nos revertamur, quæ nimirum salutaria sunt medicamenta, & nemini benè præparata & exhibita noxia existunt. Potissimum autem hoc in loco Mercurium vitæ comprehendimus. Cujus præparationem seu inventionem potius, ut & plura alia, Paracelsi Archidoxis capite de Mercurio vitæ, debemus. Sic enim inibi: ℞. inquit, Mercurium essentificatum & cum æquali Antimonii portione sublima, postea super marmor dissolve & coagula iterum ad quartam usque vicem. Quamvis enim plurimi Alchymistæ hoc in loco Paracelsum de longè alio diviniori & miraculosiori Mercurio interpretentur: saniores tamen prædictum processum ad literam sequendo, miscendoque Mercurium sublimatum, quem Paracelsus per Essentificatum, id est, subtilisatum & purificatum intelligit, cum Antimonio, & destillando, ad cognitionem benedicti hujus vomitorii adspirarunt. Multi deinde pro suo invento

vento venditarunt. Utut tamen sit; honorem hunc Paracelso solum adscribo, & Scapham Scapham dico, ligonem ligonem, donec alius quidam Æsculapius χυμικώτερ@, si Diis placet, urgentioribus argumentis probarit: Paracelsi descriptionem non, nisi de mystico quodam Mercurio accipiendam esse. Sacra enim Medicina frivolis persuasionibus se contaminari non patitur, sed in rerum experientia & viva demonstratione consistit. Mercurius vitæ ergò conficitur hoc modo.

℞. Antimonii purissimi,
Mercurii Crystallisati ana ℔. ſ.

Redige in pulverem subtilem, & in furno clauso per Retortam destilla oleum, quod rectificatum in arena ad tertiam vel quartam usque vicem evadit, ut ne nivis candori cedat; superfunde postea, aquam communem in magno vase, & pulvis ad fundum præcipitabitur subtilissimus quem lavari tàm diu oportet, donec nullam amplius acrimoniam præ se ferat, postea exsicca, & in vitro apto custodi ad usum.

Quidam Regulum Antimonii ad hoc ipsum assumunt non crudum Antimonium. Quoniam tamen prædictum satis probavi, nec discedere inde, nec de alio, de cujus virtutibus nulla mihi foret certitudo, quicquam asserere volui.

Virtus & proprietas Mercurii vitæ.

Vomitorium hoc Mercuriale longè efficacius operationem perficit suam, quàm Sal Vitrioli. Nam in stomacho comprehensum, facultatem expultricem mirum quantum, ad humorum corruptorum non solum in stomacho, sed & omnibus corporis partibus contentorum attractionem, & postmodum expulsionem per os, per alvum & per urinam, quemadmodum medicamenta verè catholica facere consueverunt, excitat & promovet. Neque tamen ullius calamitatis causam præbet, quantum in personis plus quàm centum, cujuscunque ætatis, infantibus etiam & decrepitis observavi. Maximopere excellit contra pestem, venena omnis generis, vermiculationes, inprimis ad purgandos lue gallicâ infectos, contra sciaticam, juncturarum dolores, Hydropicorum aquas quas supra alia omnia mineralia, Luna purgante solum quæ verum specificum Hydropicum meritò celebranda, excepta, ad votum evacuat. In Helvetia Sancto Galli Operatorem quendam Chymicum novi, qui Mercurium hunc ceu Panacæam in omnis generis quàm contumacissimis infirmitatibus exhibet, & miraculosa dexteritate relictis ab omnibus Medicis sæpe sanitatem restituit. Tale quid Josephus Quercetanus etiam Pharmacopææ suę p 655. de dicto medicamento sequente Encomio testatur: Est enim omnium, inquit, vomitivorum & purgativorum præstantissimum, ultra quam dici aut cogitari potest, stupendosque planè effectus prodit in diversis morbis profligandis. Præstantia tam insignis remedii vi quasi è manibus nostris extorsit clariorem ejusdem descriptionem, quam clausulæ loco, huic capiti appendere volui, ne aliàs mancum mutilumque forte videri posset.

Varia insuper probitatis & virtutis admirandi hujus vomitorii argumenta

producerem, nisi in bona causa & sapientibus tria verba putassem sufficere.

Dosis

Datur ab uno ad quatuor & quinque grana unica vice, inchoando ab infantibus duorum triumve annorum usq; ad robustos & validos: in cochleari uno vini optimi vel jusculo carnis calido, vel etiam cum pauxillo sacchari rosati.

Num Mercurius venenum sit nec ne?

Objicere fortè quis posset hoc in loco: quòd Mercurius prædicti vomitorii principalis pars, ab Antiquis, argumento tam horribilium symptomatum, quæ commune sublimatum, Mercurium tamen præparatum, consequuntur, pro veneno mortifero habitus fuerit, ideoque nec jam tum pro salubri medicina tudioribus obtrudendum esse. Respondeo autem ad hunc modum: primò quòd hoc mera duntaxat sit opinio veterum, puta, qui hac de re certam experientiam nullam habuerunt, sed ab extremitate frigoris duntaxat externi conjecturarunt, ac si Mercurius bellum prorsus ἀσπονδον cum corpore humano haberet; vel etiam, ob ponderis sui causam intestina fortassis perforaret &c. Tanti autem momenti hæc non sunt, ut illis ipsis infascinati, non vacuas etiam aures Neotericorum Medicorum quamplurimorum dicteriis & experientiis concedamus. Siquidem de Brasavola celeberrimo Medico, aliisq; magni nominis legimus, quod & crudo Mercurio contra vermes non solùm in adultis, sed & infantibus, & parturientibus absque periculo usi fuerint; Ad hanc sententiam affirmat Fallopius etiam libro de morbo Gallico cap. 26. Si bibatur argentum vivum, nullum facit nocumentum. Vidi mulieres, quæ libras ejus biberint, & sine noxa. Ego exhibeo in vermibus puerorum & nullum parit symptoma, solùm necantur vermes, Sic notum est, apud aulicos Germaniæ Principum stabularios, minorisque conditionis homines, consuetudinem increbuisse, quod, si qua inter ipos vino quispiam captus nesciat quid faciat, argentum vivum in vino vel cerevisia ipsi propinent, elevando eò usque poculum ut argentum vivum simul & semel intra corpus devolvatur; Nec aliam fundi calamitatem sequi, quàm quod (sit venia dicto) bombis ventris egregiè ebuccinatis, caligas fortè maculando, aliis duntaxat risum moveant.

Adeò luce meridiana dum sudum est, clariùs apparet, antiquos conjectura illa sua toto cœlo aberrasse: dum nimirum, quod naturam argenti vivi concernit, hisce nostris oculis contrarium vivum sublimatum venenatam labem præ se ferat, id non proficiscitur à naturali argenti vivi proprietate, sed à per mixione & coadunatione spirituum salinorum, cum quibus sublimatio facta est, quibus etiam debetur subsistentia illius instar Sacchari. Attamen si sublimatum cum argento vivo anatica proportione mixtum, denuo idq; ad quartam vel sextam usq; vicem sublimatur, donec nimirùm insipidum prorsus deprehenditur; ad triginta vel quadraginta grana absq; omni periculo, ipsius exhibitio esse poterit, &

tam

tam suaviter per inferiora purgabit, ut ne Aloe, nec cuivis alii lenienti medicamento hac in parte cedat. Id quod conspicuum quoque est, quando Vitriolum & Sal nitri invicem misceantur & destillantur, (quamvis neutrum horum per se non saluberrimum præstet remedium:) quod ab hac mixtione corrosivum intensissimum suboriatur, Aqua fortis nimirum gustui omnino intolerabilis, & ad usum corporis internum perniciosissima. Videte ergo quàm sagacem oportet esse Medicum, in rerum naturalium sympathias & antipathias perscrutatione: siquidem & vegetabilia cum mineralibus habeant commune, ut ex duorum pluriumve valdè utilium permixtione perniciosissimum quoddam resultare possit. Sed ut ulterius constet: argentum vivum cum debitis menstruis etiamsi corrosivis præparatum, postea iterum dulcificatum, & benè correctum, Medicinam esse intra corpus minimè reformidabilem; eandem sententiam quoque Petrus Andreas Matthiolus, eorum qui de simplicibus scripserunt per totam Europam facilè princeps, Archiducum Austriæ tempore Maximiliani secundi, Imperatoris Medicus Ordinarius, in Comment. lib. Dioscoridis cap. de Argento vivo: uti etiam lib. de lue venerea, ubi affirmat, quod morbo Gallico infectis præcipitati, (qui pulvis est ex argento vivo cum aqua forti factus) cum Perlis, aliisve cordialibus correcti ad dimidium usq; scrupulum uti & contra Melancholiam, non minus, quàm Lapidis Armenii usus esse possit, verissimam amplectitur. Fallopius tract. de Bubone pestilentiali cap. 12. sequentia de usu præcipitati docet: Sed notate unum, cujus in superioribus mentionem feci, quod aliqui felici cum successu exhibere solent pro pharmaco solutivo præcipitatum per os. Nos non latet Iohannem de Vigo Medicum & Chirurgum experientissimum in variis, iisq; gravissimis luis venereæ symptomatibus hoc medicamento tàm intrinsecus quèm extrinsecus fuisse usum.

Leonhardus Fioravanta Medicus Italus in frequenti usu habebat pulverem quendam ex Mercurio, Ferro, Chalybe, Auro & aqua forti, Lapidem Philosophorum dictum, in forma confectionis, tabularum, in omnibus ferè humani corporis affectibus; Quemadmodum videre est libro Coronæ Medicinalis intitulato. Et novi annosum quendam Medicum in inferioribus hisce regionibus juxta Brabantiæ fines, qui beneficio hujus Medicinæ, curationes ad miraculum præstitit; Cujus nomen publicè hic appellare non licuit, ne ita cuilibet ad tàm nobile secretum aditus aperiretur. Thomasus Bovius in Flagello Pseudomedicorum Rationalium scribit: pulverem quendam ex Argento vivo, Auro & Aqua forti, cum sale communi exasperatum, postmodum dulcoratum, & fragmentis lapidum pretiosorum correctum, quem Herculem propter admirabilem, quà in domendis pluribus effectibus pollet, potentiam, appellat, omnibus aliis cathartieorum speciebus multis parasangis, uti multa etiam exempla recensot, antecedere.

Imò non diffiderem centum Autores mihi præstò esse posse, immotis rationibus confirmantes, quod Argentum

vivum in sui natura, multò minus benè præparatum, venenum minimè existat, imò quod maximarum virtutum particeps merito in tanta existimatione apud omnes versetur. Hinc non injuria factum est in celeberrimis totius Europæ Officinis, pulverem illum flavum, Turbith Minerale appellatum, quo peritissimi Chirurgi ad luem veneream, & multos alios affectus curandos utuntur, prostare. Et hæc sufficiant ad faciendam fidem: Mercurio injuriam fieri si veneni astringatur, dummodo experientiæ, veritatis animæ, & Medicis quibuscumque Christianis non minus quàm Paganis omnia quæ non capiunt, capientibus fides habeatur.

CAP. VI.

Vomitorium tertium, seu Crocus Metallorum.

Antimonium variis modis præparatur, in forma vitri flava, rubra, nigra aliisque coloribus. Destillantur inde liquores cum variis additionibus; sublimantur flores albi grisei, flavi, rubri, & purpurei, per se solum, præcipitatur etiam variis liquoribus Mineralibus. In summa in varias redigitur formas, ad auxilium corpori humano utile inde conficiendum, non solum in excitandis vomitionibus, sed & Diaphoresi promovenda Crocum Metallorum verò quod attinet.

℞. Antimonii pellucidi & venis albicantibus pleni instar argenti, Salis nitri purificati ana, quantum vis, pulverisa insimul, & in olla ferrea satis ampla vel etiam in mortario, vel olla terrea bene vitrificata superinjice carbonem exiguum accensum & incontinenti ignis apprehendet materiam; Moveatur ergò bacillo ferreo, & instar pulveris tormentarii conflagrabitur. Inde Antimonium instar resinæ fusum, redige in pulverem subtilem, & lava cum aqua communi ad Salis nitri reliquias auferendas. Nota tamen quod unica ablutio ad prædictum scopum obtinendum omninò sufficiat. Postea reficca, inque cistula vel vitro benè serva ad usum.

Virtus & Proprietas Antimonii hunc in modum Vomitorii facti.

Si Antimonium substantiæ est venenosæ, extra controversiam versatur, quòd illa venenositas auferenda sit, antequam secure pro salubri corporis Medicina venditari possit. Hoc si ullo modo tentatur rectè; certè eo, quo prædiximus, vel maximè perficitur. Rationes hæ sunt: quoniam videmus quod in illa adustione substantiæ magis volatiles, propter venenositatem maximè suspectæ, consumantur, & in aërem exhalent.

Cujus rei obtinendæ causa olim calcinatio instituebatur, qua Antimonium primo in pulverem albicantem redigebant, postea perfusionem in vitrū, quemadmodum adhuc tùm plures facere consueverunt. Ea tamen præparatio nimis longa, molestaque, nec interim tam secura, quàm prædicta Croci nostri.

Insuper considerandum est, Sal nitri inimicum sua natura exsistere Arsenico, Real-

Realgari, aliisve mineralibus venenis, adeò ut cum illis commixtum & Vulcano traditum non possit, cum proprio spiritu non venena quoque illorum vel in aerem abripere, vel penitus mortificare, qua de causa postea quod relinquitur, tutò intra corpus pro Medicina assumatur.

Quinimò eodem artificio Arsenicum corrigitur, ut in ulceribus malignis internus ipsius usus nil quicquam reformidandus. Quidni ergo prædictum vomitorium ab omni malignitatis suspicione liberum censeamus.

Ergò felicem præstat purgationem corporis ἄνω καὶ κάτω vix minori promptitudine, ac Mercurio vitæ suprà ascripsimus. In genere utilis usus in omnibus affectibus repertus est, in quibus & aliorum præstantium vomitivorum. Inprimis tamen bellum indixit Ictericiæ, obstructionibus lienis, Epatis, febribus intermittentibus, tempore & horis naturæ convenientibus, Nam

Temporibus Medicina valet, data tempore prosunt,
Et data non apto tempore nulla juvant,

Martinus Rulandus Imperatoris Rudolphi Medicus ordinarius pro valentissima, & verè γνησίᾳ habuit Medicina, & sub diversis nominibus modò hac, modò alia specie, exhibitum occultare studuit. Josephus Quercetanus itidem Aquam suam benedictam inde conficiebat ut jam tum diximus ante. Modus ipsius recipiendi in Pharmacopæa pag. 126. ita reperitur.

℞. Croci Metallorum unc. j. aquæ Cardui bened. lib. 2. vel tres: Cinamomi unc. semis. Macera omnia biduum aut triduum; dein transcola, & usui reserva hanc aquam, quæ optimo jure meretur nuncupari Aqua Benedicta: Insignes enim & mirandos edit effectus. De hac sume unciam j. & semis, aut amplius horis matutinis: Non est ingrati saporis; blandè provocat vomitum & quatuor aut quinque sedes, evacuando per superiora simul, quod vix præstabit aliud remedium.

Sic plures alii, & præclari Medicinæ Doctores, eodem hoc remedio laudabiliter fruuntur. Attamen quo effectu nihilonibus fiat, quod malevoli calumniatores, in me meique similes hoc nomine opprobria dicere non desinant, cum tamen longe majori jure, quam illi, (in mystica enim Artis secreta penitius σὺν Θεῷ ingressi, naturam rerum accuratius inspicimus) præparationibus hisce utamur, sincerè judicantibus relinquo.

Dosis

Dosin Croci nostri quod attinet, ordinariè propinatur in infusione à granis sex, ad octo, vel decem in vino, cerevisia, aliove liquore congruo, magis aut minus, secundum quod ægri opportunitas, ætas, aut virium robur.

Hujus loci in Gallico tractatu erat Censura Petri Andreæ Matthioli, quam in Comment. super lib. 5. Dioscorid. cap. de Antimonio quatuor memorabilibus curationibus beneficio Antimonii vitrificati per actis de eodem Antimonio subnexerat.

Quoniam verò integra Orationis series ipsius me defecit, haud nimirum præstò habito ipsomet Authore, satius

duxi, lectorem cum desiderio aliquo, quippe quod ipse facile explere posset, mihi relinquere, quàm me ipsi cum suspicione. Videat ergò qui velit Matthiolum citato loco. Zvingerum in Examine Principiorum Chymicorum, cap.3.

Gesnerum Pedemontanum, Alexandrum, Bovium, Basilium, Valentinum, Alexandrum, Suchtenium, Platerum, Penotum, Crollium, & alios, qui non injuria salbuerrimas Medicinas & τῶν θεῶν χεῖρας ex Antimonio parare summo studio contenderunt, & feliciter quoque consequuti sunt.

Modò appendicis loco Curationibus quibusdam prædictis medicamentis in locis memorabilibus peractis, recensendis vacabimus.

OBSERVATIONES

CURATIONVM,

Pro confirmanda majori fide, de vomitoriorum nostrorum usu & efficacia.

CVRATIO I.

ANno 1609. Genevæ Filius annorum 13 Illustrissimi Domini, Domini Johann-Georgii, Principis Anhaltini, Comitis Ascaniæ, Berenburg & Zerbst/&c. magno aliquo morbo afficiebatur, à catarrho cum tussi & febricula, qui tandem in Epilepsiam quotidianam cum maniacis agitationibus, oris, brachiorum & crurum convulsionibus conjunctam terminabatur. Curam ipsius gerebant præclari Medicinæ Doctores Dn. Marcus Offredus, Castor Novus, Bonetus, & Paulus Offredus, magnaque industria, uti omnino decet, Diætam, purgationes, Clysmata, Phlebotomiam, Scarificationem, unctiones, suffitus, & plura alia suggerebant medicamenta; Verum tantùm aberat, ut juvaretur, ut malum potius quotidiè magis magisque incrementum caperet. Tandem itur ad me, qui cum aliis collocutus vomitionem suasi beneficio salis Vitrioli faciendam. Quo etiam exhibito, ad tres vices, quatridui spatio pristinam sanitatem omninò recuperavit, in qua adhuc vivit Dei gratia sanus & superstes.

Curatio II.

Mense Septembri præterito filiolus Henrici Majeri opificis cujusdam quinque circiter annorum, acerba vehementiq; tussi afficiebatur, cum febri continua anhelitus difficultate, quibus superveniens paroxysmus Epilepticus convulsionem dextri Cruris, postea dextri brachii, colli, oris, oculorumque horribili cum aspectu faciebat. Dumque plus quàm trigesies paroxysmo correptus erat, in tantam ecstasin incidit aliquoties, ut cuivis mortuus videretur.

Accersitus ego vesperi hora nona dum magnam respirationis difficultatem in ipso sentiebam, & mali ipsius principium à catarrho & gravi tussi extiterat, aliter judicare non poteram quàm quòd materie phlegmatica & viscosa à cerebro in thoracem stomachumque delapsa omnis Calamitatis causa fuerit. Mox ergo dedi salis Vitrioli scrupulum unum in cerevisia calida; quo factum est, ut statim vomitus materiæ nigræ instar sanguinis coa-

coagulati & corrupti cieretur, adeoque paroxysmus diminueretur. Tertio post die prædictum medicamentum reiteravi, & alvum duntaxat sollicitavit. Factum tamen est, ut spatio 24. horarum à lc verioribus symptomatibus liberatus fuerit. Cæterum Julepis quibusdam pectoralibus & specificis febrilibus indies ter, quaterve usurpatis à reliquis etiampenitus evasit.

Curatio III.

Præterita æstate filiolus Erasmi Percivvalii Musici Angli sex annorum, febri ardenti & continua, magnoque capitis dolore & inquietudine, tumore ventris, palpitatione cordis, aliisque periculosis symptomatibus ægrotabat. Propino ego vomitorium salis Vitrioli ad purgandum stomachum. Sequenti vesperi, postquam finiat erat purgatio, dedi dosin cujusdã Bezoardici in formam Electuarii, ad sudores proliciendos compositi. Ordinavi insuper julepum vitriolatum ad mitigandum febris ardorem; humores corruptos demulcendos, adeoque confortandum stomachum & intestina.

Et quarto die ab omnib. afflictionibus ita liberatus fuit, ut nil quicquam ipsi ad hæc usque tempora ad sanitatem desit.

Curatio IV.

Similis alicujus morbi curam præstiti in juniori filiolo prædicti opificis Heinrici Majeri, qui tres annos duntaxat natus, beneficio vomitorii Mercurialis, Rosa mineralis appellati, simul cum julepo vitriolato sanitatem recuperavit, ut & hodie superstes vivat.

Curatio V.

Filius Dn. de Beaumont, Comitis Heinrici Nassoviaci Officiarii, Febri ardente exanimatus ferè, assumpto Sale Vitrioli cum prædicto Julepo tridui spatio lectum dereliquit, absque recidiva.

Curatio VI.

Mense Julio Anno 1611. sub mediam noctem defluxio suffocativa filiolam meam adoriebatur adeò, ut intortis oculis impeditaque respiratione morti valdè vicina esset.

Ore vi diffracto aquam vitæ rectificatam absorbendam dedi, & frictionem super nares stomachumque ea ipsa, fieri curavi, & post dimidiam horam ad se redire & loqui iterum cœpit. Tertio post die difficultate respirationis laborare cæpit, & Rosam Mineralem ad granum unum exhibui, unde materia quadam viscosa per os projecta, melius habuit.

Nihilominus octavo die in febrim ardentem subitò incidit, magna cum inquietudine respirationis difficultate implicitam, adeò ut de vita ipsius jam penitus actum arbitrarer; Minutam pilulam ex prædicto pulvere cum Sacchari rosati modico adhibui, tenendo ipsam capite, donec medicamentum operaretur. Et materia biliosa, magna illuvie per os & per alvum rejecta, sanitatem recuperare ab illo ipso puncto cœpit, jamtum σὺν Θεῷ superstes.

Curatio VII.

Æstate præterita, filiola Edovvardi Spillinck Sartoris Angli, tres circiter annos nata, febri lenta & continua diu afflicta,

afflicta, adeò ut corpore tabe consumpto flatibusque ad miraculum distento, nihil spei ferè reliquum; potationibus continuò indulgebat, nil quicquam comedendo. Unica solùm vice pulveris Mercurialis mei granum unum exhibui, unde ἄνω καὶ κάτω purgata, & partibus internis per habitum corporis æquè quàm per urinas deoppilatis, paucos intra dies integrè convaluit.

Curatio VIII.

Anno 1606. Mense Augusto Norimbergæ in Hospitio ad anserem dicto Carolus Berlingerus Consiliarius Cæsarius Sexagenarius valdè corpulentus media nocte impetuosissimum Catarrhum è cerebro in Thoracem sentiebat, cum difficillima respiratione, interceptione loquelæ & paroxysmo simul febrili. Per occasionem huic negotio interveniens ego debito symptomatum examine præmisso, dum usum vomitorii cujusdam valdè opportunum arbitrarer, quatuor grana prædicti pulveris, cum vini Malvatici cochleari propinabam.

Cujus operatione feliciter absoluta statim reconvalescere cœpit, & postmodum medicamentis quibusdam pectoralib. confortantibus assumptis quarto post die iter Pragam salvus & incolumis suscepit. Valdè autem admirabatur pulveris hujus efficaciam, & inde plures ipsius doses pro viatico sibi comparavit.

Curatio IX.

Anno 1610. cum Illustrissimi Comitis Johan. de Nassau Catzenellenbogen, Vianden & Dietz, Domini in Beilstein, &c. Medici ordinarii officium sustinebam, in superiori Palatinatu (ubi generalis militiæ Protestantium Præfectus castra locaverat, Bohemum quendam Johan. Adam Dominum de Zedivvitz Asch, & Krugesreut &c. Walthurni sex miliaria ab exercitu nostro, gravi Catarrho à cerebro ad centrum corporis, omnesque ipsius partes delapso laborantem inveni, cum magna respirationis afflictione, puncturis laterum, acerbissimo dolore dorsi, urinæ difficultate, febrili paroxysmo, aliisque symptomatibus. Re diligenter pensiculata, & cum alio, qui præstò ibi erat, Medicinæ Doctore communicata, salis Vitrioli dosin unam exhibui. Unde plurima pituitosa materia per os, alvum & urinam, refusa, statim quietus factus est (per triduum enim ex suffocationis metu nullum somnum viderat,) & abinde nutritione refectus, secundo post die à prædictis symptomatibus maga animi alacritate meique nominis honore evasit Retrò tamen misi ad corroborandum cerebrum, pectus, stomachumque mundificandum & pulmones à putrefactione præservandos: Balsamum meum Cephalicum, cum liquore quodam ex myrrha, Aloe, & Croco singulo mane guttatim assumendum, & horum beneficio pristinam recuperavit sanitatem.

Curatio X.

Justus Soenen Vir annosus & imbecillis constitutionis, civis Haganus, æstate præterita Catarrho suffocativo cum febri continua, magna tussi, gravique respiratione correptus, meoque usus consilio, Sal Vitrioli intra quadraginta horas bis assumpsit, nec non alia quædam confor-

fortantia, & quinque vel ſex dierum ſpatio integrè reſtitutus ad hæc uſque tempora bene habet.

Curatio XI.

Catharina Petri Sutoris Hagani prope carcerem habitantis uxor multorum annorum in æſtate ex Catarrho, in pectus prolapſo: nec à natura plus juſto imbecilli digeſto, periculoſa pluримaque incidit ſymptomata: Primo Salis Vitrioli doſin adminiſtravi, poſtea potione purgantem, ad orificium ſtomachi emplaſtro de melioto noſtræ inventionis admoto; Et quinque vel ſex dierum ſpatio denuò incolumis evaſit.

Curatio XII.

Superiùs enarratum fuit, quomodo Dominus Zedtvvitz feliciter mea opera reſtitutus fuerit, tum temporis nimirum, quando ſtipendio generoſiſſimi Comitis Naſſoviaci Medicinam faciebam: illud ipſum cauſa poſtea erat, quod paulò poſt ad Dominum Georgium Chriſtophorum Dn. de Walthurn & Waldouvv, &c, vocarer. Is ex defluxione quadam podagrica calida (communiter bilioſa, Paracelſo verò calido reſoluto Sale pontico vel tartaro acuto dicta) in omnes ferè juncturas extremarum partium præcipitata, tanta inflammatione & intumeſcentia laborabat, ac ſi Anthrax ſeu Carbunculus peſtilentialis fuiſſet, cum graviſſimo dolore.

Prima ſtatim vice ipſum vomere feci beneficio Salis Vitrioli; veſperi ſequenti propinavi medicamentum Diaphoreticum & confortativum adhibito quodam cataplaſmate aperiente ſpecifico ad locum affectum. Intra tridui ſpatium tam ſe in melius recepit, ut equum aſcendere, ac libitum exſpatiari, & venationib. intereſſe commodè poſſet. Eodem modo idem aliquando confixus iterum ſimili medicina ab omnibus doloribus vindicatur. Sic vidi in aliis itidem podagricis Sal Vitrioli aliaque vomitoria, inprimis ubi ſtomachus humorum corruptorum labe coinquinatus fuerit, ſummam utilitatem præſtitiſſe. Interim Medicum & in hoc virum oportet eſſe prudentem. Cuilibet enim pro naturæ viriumque conditione adaptanda ſunt remedia.

Curatio XIII.

Affectus Ungaricus ſeu Febris Ungarica ſymptoma eſt, quod homines cum hemicrania, vertigine, cephalalgia extremoque dolore capitis cum inquietudine alias furore vel ſtupiditate omnium ſenſuum, cordis item paſſionibus difficultate anhelitus, pleuritide, ſquinantia, prunella, dyſenteria, lienteria, paroxyſmis febrilibus immane quantum adoriri ſolet. Contagioſum inſuper eſt ideo, ut ad peſtis naturam vere accedat quamvis hoc interſit diſcriminis, quod hoc majori cum vehementia cerebro, & ſpiritibus animalibus inſultet, peſtis minus: Id quod plurimorum hoc ipſo malo afflictorum hiſtoriis confirmare poſſumus. Factum enim eſt quòd ægri capitibus muros impetierint, & ſic cerebrum penitus conquaſſando vitam miſere finierint. Alii hoc eodem morbo defuncti, multos annos poſtea judicii & memoriæ imbecillitatem, & ferè ad ſingulas Lunæ mutationes, conqueſti ſunt. Eodem morbo tum temporis, cum in caſtris Medicum agerem, brevi

antequam exercitus dimitteretur in nostri ordinis milites maximopere sævire, & insultus suos de uno ad alium valde accelerare cœpit adeò ut infectorum à sanis sequestrationem instituere, inque Nosocomio non multum dissito curam ipsorum gerere necessum fuerit. Variis remediorum generibus auxilia tentabam, nil tamen felicius succedere observabam, nec majori dexteritate morbo detrahere, quam vomitionem beneficio Salis Vitrioli promotam. Quando enim in prima statim accessione administrabam, paucis diebus omne periculum eluctabantur. An vero dicta symptomata ab effervescentia quadam corruptorum in stomacho humorum ortum duxerint, quorum nimirum eradicatione beneficio Salis Vitrioli facta, remissio successerit an hujusmodi vomitoria occulta quadam proprietate huic malo bellum indixerint, litem nemini movebo: Certum interim est, hoc eodem medio me innumeros in integrum restituisse, quod hujus loci facere omninò operæ pretium videbatur.

Curatio XIV.

Anno 1602. dum Dresdæ primo praxi Medicæ me manciparem, Cæmentarii cujusdam curam habebam, is à casu ab alto ædificio (unde abstinendo à potione vulneraria abstergente mundificante sanguis interius coagulabatur) diuturnitate temporis tandem Asthma, & tabem cum febri incurrebat, quam affectionem quilibet pulmoniacam arbitrabatur. Consideratis diligentius causis hujus mali, administrabam quatuor vel quinque dies potionem digestivam, postmodum dosin unam pulveris Mercurialis supradicti & tria quatuorve frustula materiæ carnem elixam (præterquam quod duriora) referentis per os rejiciebat, succedebant postea sanguinis guttæ: Quamobrem potionem consolidativam pectoralem propinabam, & intra paucos dies pristinæ sanitati restitutus, relictum laborem, magna omnium admiratione, denuò subiit.

Curatio XV.

Anno 1606. simili ferè curationi ab operario quodam Chymico in quæstione Dn. Baronis de Pandorff circa fines Helvetiæ susceptæ interfui: Is ipse itidem diu ægrotarat, ac si fuisset pulmoniacus atque adeo phthisicus, tā profectæ ætatis, ut ab omnibus ferè Basileensibus & Schafhusianis Medicis prognostico relictus vix meliora speraret. Nihilominus per vomitoria integrè sanitatem recepit, & bis terve interea per eandem regionem iter faciendo ipsum incolumem vidi. Cautius ergo mercari discant imposterum Medici classici, nec sententiam deproperent, antequam rem planius & plenius perceperint, judicium enim secundum Hippocratem difficile.

Curatio XVI.

Non absimile mihi usu venit, cum Secretario illustrissimi Principis Christiani Anhaldini, &c. Dn. Augustino de Kolen. Ille phlegmatis è cerebro in pulmones decidentis causa, singulo mense anhelitus suppressionem patiebatur cum periculo suffocationis Salis Vitrioli unicam solummodo dosin accipiendo, & mox multa per vomitum rejiciendo perfectissimum inde solatium percepit, adeoque eodem die negotia pertractare sua com-

commodè potuit. Et hoc auxilio ipsum sæpius postea sine ulla virium diminutione, vel sanitatis jactura, quod quis fortè repetito ipsius usu suspicaretur, sanatum vidi. Hinc etiam pro certo statuo, hoc ipsum medicamentum longè salubrius menstrui usurpatione ad sanitatem conservandam esse, (in iis nimirum, qui ex liberaliori Genio stomachum Cacochymicum habent) quàm ebrietatem ab Antiquis usq;adeò commendatam.

Curatio XVII.

Absoluta feliciter curatione in Cæmentario illo Dresdensi, quod suprà narravi, fama mihi satis inclarescere cœpit. Hinc ad quendam accersor lue Gallica immane quantum infectum, ita ut ad minimum magnis duodecim tumorib. & ulcerib. ab inguine ad pedes usq;innumeris refertus esset. Multorum Medicorum consiliis usus, suffumigationib. variisque periculosis medicamentis, cruciatib. immaniorem illam reddiderant, tandem pro desperato derelictus erat.

Ego cum conditione retinendi honoris utcunque etiam res succederet, primò ulcera Aqua quadam minerali lavari, Balsamo Sulphuris deinde illiniri, & Emplastro convenienti tegi curavi;postmodum vomitiones & purgationes intendi beneficio Vomitorii Mercurialis satis validi, ter quinque dierum spatio, intercalando semper usum infusionis diaphoreticæ & laxativæ; Et brevi tuberculis & ulceribus profligatis, perfectam sanitatem recepit.

Curatio XVIII.

Anno 1610. Ambergæ Dominus à Schlammersdorff, illustrissimi Principis Anhaldini Christiani Officiarius aliquando sub auroram contumaci Urinæ retentione, cum Colicis cruciatib. ventris inflatione, & anxietate pectoris detentus meum petit consilium. Quandoquidem verò plurimis remediis frustrà lacessitum ipsum agnoverim, pulveris Mercurialis mei quatuor grana præscripsi. Quo ipso felici subsecuta operatione & confestim urina profluente, ab omnibus prædictis symptomatibus liberatus, tertio post die gratus discessit. Sic usum vomitoriorum in pluribus aliis iisdem vel similibus morbis ægrotantib. valdè salubrem observavi.

Nec obstat quando principalis hujus retentionis causa flatus in urinariis meatib. aliisve corporis concavitib. præclusus aliquando extiterit. Eodem n. modo, quo Vinũ vel Cerovisia è dolio evacuari minimè potest, nisi aëri supernè liberior commeatus aperiatur, quando verò apertus est evacuatio subtus facilè sequitur. Ita quoq. dũ per vomitus, eructationes & flatuũ discussiones per os succedũt, derepente urinæ, quoquo modo contumax obstructio solvitur. Et hæc ratio est, quare vomitoria, Clysmata, aliave carminativa hactenus iis, qui vel difficultate Urinæ, vel purgationis laborãt, à Practicis plerunq; commẽdata fuêre. Attamẽ, quoniam Urinæ retentio æquè à Calculo in vesica firmissimè compacto, carnositate item & exulceratione fæculentæ nimirum materiæ causa, procedere potest, Medicus hoc in loco circumspectè agat omninò necesse est. Neque etiam ęgrotus cuivis Empyrico aureos montes pollicenti, ratione interim ad artem necessaria destituto, manum, si se servare velit, injiciat.

Curatio XIX.

Circa mensem Aprilis Dn. Johan Georgius à Romrod Illustr. & potentissimi Electoris Palatini consiliarius & Præfecti in Neumarck Palatinatus oppido, Ambergam alterius sui cruris quodammodo indumentis, attamen interea facultate motiva & sensitiva destituti causa meaccersebat: Exhibui dosin unam pulveris mei Mercurialis Rosæ mineralis appellati, qui non solum per superiora debitum exequebatur officium, evacuando nimirum magnam pituitæ, modicam etiam bilis quantitatem; Sed & attrahendo humorem in dicto crure principaliter peccantem per alvum absq; omni periculo tam prosperè deducebat, ut bidui spatio super illud ipsum crus incedere absq; auxilio posset.

Paulo post thermas sulphureas quasdam in Bohemia frequentatum discessit, ut eo ipso partes affectæ magis corroborentur; Quomodo tamen cum ipso factum sit, nondum comperii.

Curatio XX.

Ne longius, quàm par est, omnium curationum beneficio vomitoriorum feliciter gestarum curatione discedam, unica hæc instar omnium sit observatio; Quod nimirum superiori hyeme anni 1612. Nelecem Jansen in platea vinaria hic Hagæ habitantis uxor jam triduum δυςτοκία laborarit, fætu mortuo existente, & capite alteroq; brachio extra matricem exertis, ita ut ex pessima hac pariendi figura nil quicquam spei reliquum videretur esse.

Illa enim, multorum Doctorum remediis frustrà tentatis, meum tandem expetit consilium.

Valdè autem imbecillis erat, & calor totius corporis à capite ad calcem usque exstinctus ferè, præterquam quod natura facultatis expultricis aliqualiter robustæ speciem præ se ferebat. Confestim ego fomentationem (ex vino & herbis quibusdam appropriatis ad vapores inde excipiendos) fieri curavi, qua ipsa in Cathedra ad Sudores proliciendos affabrè à nobis composita, calore exteriùs universaliter excitato, quatuor grana pulveris prædicti cum vini Malvatici cochleari uno exhibui; Quo facto, dum in lectum iterum deferretur, post horam unam mirabili prorsus auxilio à mortuo illo fætu liberata, & postmodum sensim & sensim naturali vigore recuperato, restituta fuit.

Curatio XXI.

Alter jam agitur annus quod Ambergæ uxor ærarii præfecti Illustrissimi Principis Anhaldini eodem remedio à pariendi difficultate liberaretur. Cum enim fætus jam octimestris multos dies mortuus gerebatur, ab exhibitione pulveris nostri ad ejiciendum fætum supra commendati, capite aliisque partibus immane quantum diminutus & corruptus ejiciebatur.

Curatio XXII.

Pluribus itidem notum est, quomodo in difficultate partus valdè anxiæ mulieri Hagæ juxta sphæristerium habitanti, præter omnem spem opitulatus fuerim, quamvis viribus usque adcò exhausta erat, ut nisi mirabiliter conservaretur nemini non moritura videretur.

Nec mortuo solum fætui vomitorium Mercuriale nostrum accomodatum ἔκβαλον est, sed & vivo adhuc iufanti, dum natura in absolvendo enixus officio deses

desès extiterit, facilem transitum præbet, absque ulla vel matris vel infantis offensione. In hac ipsa ergo difficultate, uti etiam secundinarum retentione, uti existimo, remedium hoc omnia alia facilè superat.

Hactenus testimonia quæ in laudem virtutum prædictorum vomitoriorum mineralium producere ab initio constitueram. Quibus ipsis omnem scrupulum lectoribus remotum esse arbitror, quapropter in legendis Medicorum scriptis de vomitoriis sinistre judicare potuissent.

De Vomitionum in genere administrandarum necessario observandis circumstantiis.

Nemini ignotum arbitror: medicamentorum vomitivorum præparationem minimè Methodi medendi omnem latitudinem absolvere: Sed inprimis & hoc ad unguem tenendum esse: quomodo scilicet præparatorum usu, respiciendo æquè ad materiam superfluam, viresque naturales, ne nimia medicamenti quantitate frangantur, quàm ad medicamenti ipsius naturam, citò, tutò, jucundè perfrui liceat. Consideranda etiam sunt temporis opportunitas, quando scilicet ad naturę auxilium administrari debeant, non nimis cunctanter, nec præcipitanter nimis, sed πάντα κατὰ λόγον. Sæpe enim tota medicandi felicitas inde dependet. Ideoque in Chronicis affectibus humores, ad Paracelsi omniumque Classicorum Medicorum præceptum, non nisi paulatina motione proliciendа sunt. In quibus humores rebelles sunt & vix vomendi conatu convincibiles, diligens adhibenda est præparatio quemadmodum Fernelius hortatur. Quum enim, inquit, vel ex corporis conformatione vel ex humoris situ & crassitie, vomendi conatus augeri solet, ac faciei oculorumque robur, capitis tensio, sudor multus, & interceptus spiritus obtingere, idque citra vacuationem ullam, non nisi adhibita præparatione vomitio tentanda. Econtra in plurimis affectibus utpote subitaneis fluxionibus & Catarrhis suffocativis, in peste & morbis venenatis, in febribus, tam acutis quàm intermittentibus inprincipio statim, materia adhuc in ventriculo, vicinisque partibus cavis hærente & fluctuante, vomitus imperandus est. Quando enim hic res cum mora ageretur, humorum fermentatio & corruptio totam sanguinis massam, spiritusque vitales adeò invaderet ut vel mortis vel morborum Chronicorum incurabilium invictissima causa facile suboriretur.

Consideratione præterea opus est, qui δυσεμεῖς sint, qui εὐεμεῖς. Idque propter periculosa inde supervenire solita symptomata, si viscera crebra validaque nimis concussione debilitentur. Ideoque qui corpore nimis procero ventreque grosso: stricto pectore cum cervice gracili & oblonga præditi sunt: Pulmoniaci item ad febrim Hecticam proclives, stomacho imbecilli, gulæ inflammationibus, doloribus aurium & oculorum ab obstructione & flatibus oriundis obnoxii: Quibus vena rupta & sanguis per os & nares profluit, quibus costa fracta, vel gibbus dorsi ac pectoris: quos notabilis

inteſtinorum ruptura aliave ſimilia exercent, his omnibus vomitio difficilis, violenta, periculoſaque exiſtit. In illis omnibus enim vomitionis motu ſanguis nimium alteraretur, roburque vitale evidenter caderet. Sic ſunt, qui vel ſponte, vel vomitorii viribus laceſſiti, indeſinenti vomitionis preſſura gravia ſæpe incidunt ſymptomata. Ideoque Medicum horum omnium gnarum oportet eſſe, ut telorum præviſorum aciem convenienti remediorum lima vel avertere vel obtundere facilius poſſit. Idquod Fernelio conſentaneum, quando dicit: Si violentior vomitio nimiopere fatigat, ſuperveniatque vertigo, æſtus, anguſtia, ſuffocatio, cordis aut ventriculi compunctio: aut ſi immoderatius exuperat atque vel ſuccos utiles, vel ſanguinem elicit, vel ramenta vel nigrum quiddam fœtidum atræ bili perſimile, lenienda certè & compeſcenda &c.

Pariter ſcire oportet, quæ ſigna apparere debeant à vomitu ritè expedito, cujus utilitas in corpus redundet. Horum quædam Fernelius recte annotavit inquiens: Quumque ſedata vomitione pulſus plenus & validus exiſtit, placidus ſomnus ſponte obrepit, facilis & libera eſt reſpiratio, appetentia bona reliquumque corpus levius, utilis ea cenſeri debet & conſentanea. Contra vero inutilis, & noxia; ſi contraria appareant.

Et hæ ſunt vomitionum maximè generales circumſtantiæ in quas Medicum Chriſtianum officii ſui memorem in prædictorum Medicamentorum uſurpatione animum oculosque ſedulò intentos habeat oportet. Singulas enim accuratè perſequi voluiſſe, non compendium, ſed integrum volumen ſufficienter complevisſet; Quo ipſo tamen nec ignorantiæ quorundam, nec aliorum Theoninis dentibus, malevolisque animis in minimis ſatisfeciſſem.

Colophonidem ergò huic libello impoſiturus, quemlibet adhortor, ut data vomendi occaſione, ad prædictas leges & circumſtantias, tria illa commemorata Vomitoria tali officio dedignari minimè velit.

Ἀκινήτως ἔχω, hoc ſi fiat, non ſolùm ſemel aſſcriptam dignitatem ipſorum non detrectatam iri; Sed vel majorem illam, & majori cum applauſu, ſequuturam; vel eandem contra omnium oſorum ventoſas velitationes conſtanter permanſuram.

Abuſum enim illorum quod attinet, tàm parum, verum uſum exoſum ille reddere debet, quàm parum comedendi bibendique deſiderium, aliave utilia propter exceſſus prohibemus.

Moneo præterea, commendationes haſce meas nemini obtrudi, ac ſi vomitoria in omnibus morborum generibus unica, æqualia & ῥιζότομα forent remedia, ſed, ut me alia quamplurima ipſis conjunxiſſe videre eſt; ita nemo ſolis Vomitoriis ubique confidat, ſed cuilibet morborum ideæ ſuam Medicinam convenienter adhibeat velim.

Denique quia Deus omnia operatur in omnibus, adeoque in Medicina quoq; ab ipſius benedictione ſingula dependent, ut plurima ſacrarum literarum exempla docent, non ſolum Medicus

pro

pro se preces ad Deum fundat, ut felicem curandi manum habeat, sed & ægrum sedulò hortetur, ut peccata commissa agnoscere, pœnitentiam agere, & non minus quoque Deum pro recuperanda sanitate sollicitare velit. Illi ipsi Deo sit honor & gloria Amen.

TERNARIUS BEZOARDICORUM.

QVO IN

Tria potentissima Bezoardica

CONTRA PLERAQVE VENENA, INTOXICATIONES ET corruptiones, tam exterius, quàm interius, sanguini aliisque humoribus impressas, innatasve.

Ad Clarissimum Virum

Dn. ANGELUM SALAM, MEDICUM χαριέστατον Haghanum; amicum & Fautorem observanter suum.

TERNARIUS tuus BEZOARDICORUM, Mi SALA, ut Latinitate donatus in lucem prodiret, feci, non tam meimet commodi; Non enim quod mihi, sed quod multis profuturum ad sanitatem ex officio quæro; quàm nominis tui, & Medicinæ Studiosorum gratiâ.

Quidam enim, quod scio, ignorantiæ caligine occæcati nimis augustè; alii anguste nimis de singulis statuebant. Neutrum equidem boni Nominis tui bono. Nec tamen aliter poterant, in re usque adeò obscura; cum ut P. Syri versus habet, ad tristem partem strenua semper sit suspicio.

Animum autem ad id eò impetuosius everberavi, quo tu memet sæpius,

pius, cum Hagæ Comitis Chymicorum sacrorum causa versarer, æquè ad hunc ipsum tractatum, quàm ad ANATOMIAM Antimonii, quam adhuc brevi prodituram spero, in explicatione stylum convertenda adhortabaris.

Spontè quidem feci, ut aperto sinceritatis clangore, secus quàm tu fecisti, singula ebuccinarentur, & scapha scapha diceretur. Verum dum hoc, ut mihi videor, impensè magis conciliet & famam & Venerem, quibus doctrinæ Filius commendatior hic tuus libellus existat, ne dicam , in unoquoque elucescere debere dona Spiritus ad communem utilitatem; non committes spero, ut ne tu ingenii tui, ego meæ industriæ & sinceritatis, quæ jure possumus, merita reportemus.

Cum autem Typograghi, cui, propter ultimum in Belgiam excursum, totum negotium commiseram, incuria. Ternarius hic cum Hemetologia jam pridem impressus, infinitis mendis scateret, nec non denuò, etiamsi omnia exemplaria divendita non fuissent accuratiori lima opus haberet, non solùm sine mora (errores enim facilè hærent) altera editione illam adhibere volui, sed & de associandis aliis, quibuscum Gratiis sacrificarer, meritò cogitavi.

Ideoque quamvis de Tuis, quod nosti, plurima in manibus mihi versentur, Opiologia tamen tua ad hoc præ cæteris mihi placuit.

Primò, quòd, quantum scio, de Opio & veris Laudanis parum hactenus proditum sit. Secundo, quod Catharcticis & Bezoardicis in periculosissimis affectibus Laudana aliàs subordinata, mirum quantum efficiant. Ideoque ut & alia, illam in Latinum transposui, & cum Ternario Bezoardicorum & vomitoriorum tria illa Laudana conjuncta, sub Titulo Ternarii Ternariorum in publicum prodire feci. Idem ergò Te quoque, quod alii boni Viri, de singulis judicaturum spero: donec interea super exegesin Chymiatricam meam, ex proprio penu aliquid præclarius (de Catharcticorum quorundam Chymicorum tecmarsi assiduè laboro) depromam. Vale, & me pro more tuo amore prosequere qui, εἰς αἰῶνας

ὅσ

ἰσὸς

ANDR. TENTZEL. D.

AD LECTOREM.

AMice LECTOR, si cum ratione, ceu veri naturæ Ministri in omnis generis & ordinis Medicamenta, tàm simplicia, quam composita, ad cognoscendum, quænam illorum virtutibus nobiliora, quæ evidenter auxilium adferendo, & universaliter plurimis resistendo morbis, specifica veluti sanitatis subsidia existant, disquisitionem instituamus, extra omnem dubitationis aleam versatur, ejusmodi se nobis offerre medicamenta venenis resistentia: Bezoardica alias à Medicis, item Theriacalia, Alexiteria, & Antidota dicta, ut merito Gemmarum, aut si quid in Pharmacæa pretiosius, dignitatem adæquent. Quamvis enim multi hanc laudem, propter late patentem usum Catharcticis adscribendam existiment, longe tamen alio modo res sese habet.

Id quod quatuor potissimum argumentis confirmamus: Primò, quod Bezoardica ejus conditionis sint, quæ vel propria natura, vel beneficio præparationis omni venenositate, vitæque hominis insidiatrice facultate careant; dum è contra purgantia omnium Classicorum Medicorum consensu, sua natura, (quamvis alia magis, alia minus,) noxiam venenosamque qualitatem, qua ipsa nimirum operantur, participent. Et hæc causa est, quare ad usum à doctis Medicis nunquam adoptentur, nisi Bezoardicorum beneficio correcta prius fuerint.

Alterum est, quod Bezoardica, (sive per se, sive ex accidente:) ad id inprimis operationes intendant, ut à venenis Cor, sedes animæ, Rex viscerum naturalium, & Sol agens, illustrans, calefaciens, confortans, & singula Microcosmi, id est, corporis humani sic à Philosophis dicti, membra vivificans, cui illa maximam partem bellum indixere, defendatur, & præservetur; purgantia vero principaliter suos edunt effectus in stomacho & intestinis, quæ quidem partes corporis humani pernecessariæ sunt, quibus etiam affectis cor male habet, longe tamen

Vuu ipso

ipso inferiores, cui nimirum omnem vitam, vigoremque suum acceptum referunt.

Tertiò, Bezoardica expellunt venena, quæ ordinarie morbis acutissimis & symptomatibus mortalibus, (nisi cito præveniantur:) causam præbent; cathartica vero humorum crassorum, excrementorumque cibariorum illuviem tantum exturbant; causam quidem multorum affectuum indubitatam, eorum tamen curabilium, boni moris, & chronicorum, quibus etiam afflictus citius quam contagiosis venenosis affectibus sanitatem recuperare potest.

Denique ita se habet cum Bezoardicis, ut medeantur morbis, (adversus quos specifica, amica quasi acceptaque vitæ hominis virtute pollent:) confortando calorem nativum, & vi sua cordiali, balsamicaque humidum radicale à corruptione conservando; cathartica vero, inimica puta naturæ, partes corporis exuunt spoliantque utili suo succo, debilitant calorem naturalem, & indifferenter, (de fortibus & famosioribus mihi sermo est:) utiles bonosque humores cum depravatis ejiciunt, adeo ut miselli ægroti, nisi caute adhibeantur, illis ipsis in summa sæpe desolationis & mortis præcipitia dejiciantur.

Id quod ratio est, quare apud ægrotos & debiles usus illorum rarior longe sit & adstrictior, quam medicamentorum Bezoardicorum.

Vnde satis inferendum: cathartica ipsis Bezoardicis neutiquam virtute & efficacia æquiparari posse; Quamvis & illa ipsa necessaria habeamus remedia, quibus sæpe, ubi opus sit, uti oporteat, præsertim si unum duntaxat humorem, unicamque materiam peccantem, morbificam elective, (veluti sequestratio fit seri à caseo:) nihil eliciendo de bonis humoribus expurgare nobis concessum foret.

Quandoquidem tamen DEVS hanc scientiam nobis adhuc incognitam reservavit, hac difficili via incedendum nobis erit, dum jam melior tutiorque, quæ tamen à doctis anhelis votis exoptatur, præsto minus habeatur.

Antiqui tanti æstimarunt Bezoardica seu alexiteria, ut potentissimi Reges magnique Principes non solum vires simplicium alexiteriorum, ita ut Natura ea producit; sed etiam quomodo egregia inde conficiantur compositiones, summo studio, perscrutati fuerint.

Id quod de Mithridate Rege Ponti & Pithynia literis proditum est, qui perfectam

fectam ſcientiam de ſimplicibus medicamentis contra venena aſſecutus, (illorum enim in facinoroſis ad mortis ſupplicium damnatis δοκιμασίαν faciebat:) nobiliſſimum compoſuit Antidotum, ab ipſius nomine Mithridatium appellatum, hoc etiam tempore maximi in Medicina uſus & exiſtimationis.

Quo ipſo Antidoto prænominatus Rex, (ſingulis diebus de eo præſervationis cauſa aliquid aſſumere conſuetus:) corpus ſuum ita velut balſamo condivit, ſuumque ſanguinem eſſentiis alexiteriis adeo replevit, ut nulla venenorum offenſione unquam læderetur: Siquidem in periculo poſtea conſtitutus, ut ne captivus ad Pompejum abduceretur, Romæque fabula Triumphi fieret, ſæpenumero varia ad ſubitam ſibi conſciſcendam internecionem hauſit venena, fruſtra tamen omnia, quod multum prædicto ſuo Antidoto antea fuiſſet uſus, adeo ut mortem ſibi conſciſcere neſcius, ſocii male amico officio tandem interfectus fuerit.

Alexander M. Rex Macedoniæ, (quibusdam affirmantibus Hiſtoriographis) autor extitit Antidoti, jam tum quoque uſu recepti, Aureæ Alexandrinæ dictæ. Galenus ſuum contemporaneum Attalum Regem Pergami eodem ſe delectaſſe ſtudio refert.

Quibus hiſtoriis fides facile habenda, cum orientales plagæ beſtiarum, creſcentiumque venenatorum proventu valde prodigæ exiſtant; dum inſuper Magni Monarchæ nullo non ſeculo veneficiorum inſidioſis periculis expoſiti, ſubjectiq; fuerint. Idcirco etiam in id annitebantur, ut ſibimetipſis eorum remediorum, quibus à venenis vindicarentur, Magiſtri, neceſſitatis tempore medicatrices manus adhibere poſſent.

Ad hæc Priſci Medici, (quorum nimirum hoc proprium erat officium:) in hac parte nihilominus fuerunt occupati, quemadmodum ex ipſorum libris poſteritati conſecratis videre eſt.

Inter ipſos enim Nicander, diſcipulus Hippocratis, excellens Medicus & Poeta Græcus, tantum ſubiit laborem & diligentiam ad omnium beſtiarum plantarumque venenatarum nocumenta ſimulque univerſalia & ſpecialia ipſorum remedia pernoſcenda, ut duo tractatus ea de re ſcripſerit doctrina & experientia adeo divites, ut multis poſtea harum rerum ſcriptoribus Ingenii quaſi Lumina extiterint.

Andromachus Cretenſis, (qui primus Neronis VI. Imperatoris Romani Medicus fuiſſe fertur:) compoſuit Theriacam, quæ hodie etiam celeberrima omnium, quæ ex veterum manibus ad nos pervenere, Antidotes, &

Theriaca Andromachi nomen in ævum usque in perennem Autoris memoriam retinet. Esdra Medicus invenit magnam compositionem appellatam Antidotus Esdræ. Oribasius Theriacam de Bryonia; Mesues Diatessaron; Damocrates compositionem illam Autoris nomine Theriaca Damocratis dictam. Philon excellens Medicus & Philosophus Græcus, Philonium Romanum. Actuarius Antidotum Asyncritum. Nicolaus Myrepsius Tripheram magnam, & Requiem Nicolai. Et ita plurimi alii in simili labore sudarunt.

Ad nostri seculi examen accedentes Medicinæ gnaris, ordinum modica tantum lustratione expertis manifestissimum arbitramur esse, quod illustrissimi Principes Europæ à multis retro spectantibus temporibus ad hoc usque momentum, in tam nobili artis Chymicæ purum ab impuro separandi, & usque ad sublimiores virtutum gradus exaltandi scientia se delectantes, ad multorum virtuosissimorum Bezoardicorum inventionem simul aspirarint, quæ ipsa multis, quod dicitur, parasangis omnes veterum, artem illam ignorantium, compositiones antevertunt. Et nemo est Princeps, qui ex hac speculatione aut exercitio non capiat delectamentum; quem non minimum cura afficiat, optima quocunque etiam pretio redimenda Bezoardica ad propriam thecam tutioris usus ergo transferendi. Quinimo non desunt inter Neotericos sedula Bezoardicorum indagine exercitatissimi Viri, qui plura arcana Bezoardica tacita tamen ἀυταρκείᾳ *possident, quæ non solum cum quibusvis aliis in seplasiis familiaribus comparare, sed & inaudita difficillimorum morborum curatione illis omnibus jure merito præferre possint. Quod autem inde theatricales minus instituunt apparatus illud propterea fit, quod eorum, quibus veterum Medicorum sputum tantum sapit, è contra verò omnes Novellorum inventiones, quoquo modo etiam experientia stabilitas, imposturis, rebusque nihili adjudicent, injuriam contemtumque ferre minime velint.*

Medicamenta Bezoardica insuper tam necessaria sunt, ut illis destituta Medicina, ne Medicina quidem esset. Nam non solum, (divina cooperante gratia:) Principes à veneficiis illis se tueri possunt, qui Satanæ malitia plurimum hoc nomine periclitantur; nec etiam æstuantium climatum incolæ solum à morsibus venenosorum animalium illorum virtute sibi cavent, sed vel maximus & crudelissimus morborum, quotquot illorum, vel ab aeris contagiosis miasmatibus, vel internis corporis corruptionibus sub acutorum vexillo contra vitam & Cor,

Cor, ejus arcem militant, exercitus horum adventum & pertimescere & fugere cogitur.

Cujus assertionis testes irreprobabiles habeo, omnes, quotquot reperiuntur, Medicos. Nullus enim ullum unquam acutum affectum alicujus momenti superaret absque Bezoardicorum cum simplicium tum compositorum succenturiatu.

Et illi ipsi, quorum curam habent, mali longitudine torturaque ipsius contumacia interdum defessi, & velut navicula impetuosissimis Oceani fluctibus violenta suborta tempestate hinc & inde anxie rejecti, ad hæc ipsa medicamenta velut ad sacram quandam medicinæ anchoram sponte refugiunt. Vnde sæpe usu venit, quod magna assistentium admiratione levicula aliqua re vel minuscula portione de lapide Bezoardico, Vnicornu, Theriaca, Mithridatio aut similibus, vitam, (naturaliter loquendo:) redimant.

Quod ipsum in causa est postea, quod multi Idiotæ & plebei, (oculis videntes suis quæ curationes, & quibus perficiantur:) quando evidenti aliquo affectu corripiuntur, ab illis ipsis etiam expectent & expetant solutionem: & sæpe spe minime falluntur sua, adeo ut absque ullius Medici consilio penitus reconvalescant.

Certum est in Alpinis Grisonum Helvetiorum, VVallachiæ, Tyrolensium aliisque montanis regionibus Europæ, quibus Medicorum Collegia longe absunt, incolas sibimetipsis in variis morbis solo Plantarum aliquot Bezoardicarum usu opitulari.

Singulari etiam DEI, (cui bonum non videbatur, ut homines Medicis destituti majoris ἰατρικῆς διαῤῥωγίᾳ, *quam ipsæ bestiæ, ut quidam somniant, laborarent) factum est providentia, ut nobilis illa Imperatoria, fragrans Angelica, Carlina, Gentiana, Valeriana, Hirundinaria, Cruciata, Peucedanum, Rhaponticum, siler montanum, Calamentum, Meum, Daucum & plura alia egregia simplicia alexiteria inibi producerentur, utque & indoles & modus utendi, si qua necessitas postulet, incolis constaret. In diversis Germaniæ locis, ubi Pagani longe rejecti sunt à Medicis, observavi similiter, singulis annis quosdam succum, vel Rob ex Granis Iuniperi coquere solere, quem* Wacholder-Latwerg *vulgo appellant.*

Similiter ipsi faciunt cum succo vel Rob sambuci, Granorum Ebuli, quæ singula Diaphoretica pollent facultate, venenisque resistunt. Quâ de causa etiam per totum hyemem sarta tectaque conservantur, & in foro ad vendicationem pu-

blicæ licitationi afferuntur. Id quod sæpius Norinbergæ, Augustæ Vindelicorum & alibi videre licuit, ubi nihil minus gravem quamcunque passionem sentientes, è vestigio dosin prædictorum, (quæ Theriacæ & Mithridati loco habent:) assumsere, & ad sudandum in lecto vel hypocausto, quousque satis visum, se composuerunt: Et certe restituti sunt felicissime. Imo repetitis harum Medicinarum vicibus ægros ab oppilatione inveterata hepatis, lienis, aliarumque partium, ab arthritide, stomachi imbecillitate, plagis & vulneribus, & pluribus aliis liberaverunt.

Quæ etiamsi verissima si ad vivum resecarem, vereor, ut ne imperitis mendacium, sapientibus, si diis placet, sales profiteri videar. In Vngariæ regno militibus tempore belli admodum familiaris erat scientia illa præparandi pulverem serventum, Bezoardicum animale, seu pulverem regium dictum, cujus usu sibimetipsis febres acutas, aliosque periculosos affectus ἐνδημίους *averruncare poterant.*

Hujus pulveris præparatio & usus, postquam in Germaniam postea esset translatus, multas extraordinarias curationes morborum venenis complicatorum illo ipso perfici posse observatum est. Quemadmodum si res postularet, ad oculum demonstrare possem. Illustrissimorum Principum, Comitorum, aliorumque Dominorum, quorum in præsentia δοκιμασία *haud dubia facta est, testimoniis.*

Novi etiam multas nobiles fœminas, quæ Medicina se delectantes non solum magnas optimarum aquarum Bezoardicarum simplicium & compositarum divitias possident, sed & multa alia solidioris substantiæ puta de cornu cervi calcinato, & cum aquis cordialibus præparato, Terram Sigillatam Silesiacam, Lachrymam Cervi, (quæ veluti gluten, ad oculum Cervi certo anni tempore reperitur:) os de corde Cervi, Sanguinem Cervi exsiccati, pulverem serpentis supra recitatum, multaque alia Bezoardica in promptu semper habent, quorum beneficio pauperibus magna sæpe præstant solatia.

Ex dictis ergo, & pluribus aliis rationibus Bezoardica digna censenda sunt, quæ diligenter observentur, quæque ab omnibus, qui cum laude & bona conscientia aliquando Medicinam facturi sunt, maximi existimentur.

Quandoquidem ergo multiplicem supradictorum medicamentorum utilitatem in Medicina sum expertus, & ob id in votis habui, ad eorundem efficacissimorum scientiam penitus adspirare, opus ipsum propriis, quod dicitur, manibus

tra-

tractare cœpi. Ideo pretiosissimarum rerum, quæ Bezoardicorum compositiones ingredi solent, cognitionem, adeoque TRIA virtuosissima, & nobilissima assequutu sum remedia, quæ dummodo non superent ad minimum tamen quibuscunque veterum & recentium Bezoardicis compositionibus adæquari optimo jure possunt.

Compositiones tamen hic intelligo, non quæ venenis solum, quibus fieri potest ut & simplicia quædam potentius resistant, contraria sint, cum tamen in aliis angustiis vel pusillum prosint, vel omnino noceant: sed illas ipsas, quæ in genere pluribus diversissimarum causarum affectibus adversantur.

Has compositiones publici juris facere volui, ob tres potissimum causas: quarum prima est, ut qui illis ad necessarium usum opus haberet, sciret, apud quem nomen suum hoc in casu profiteri debeat. Altera est; quo Filiis Doctrinæ, gravis mysteriorum naturalium indagatoribus ipsorum præparatio innotesceret. Denique ut studii mei rationes, diligentiam & labores, quos ad principalissimorum Medicamentorum, ad praxin Medicam assiduo mihi inservientium præparationem sustineo, aliquo modo probarem.

Nam ille demum quod D. Lobelius, Rei herbariæ heros in præfatione in Dispensatorium Belgicum Leydsman *appellatum, & cum illo optimi quique profitentur Medici; Ille, inquam, qui & cognitionem medicamentorum, & præparationem illorum authenticam habuerit, de operatione certus esse potest, quin imo felicior & confidentior erit in sua praxi, quam qui rem universo pede metiens fecerit contrarium. Quemlibet, uti ad idem Caritatis officium obstrictum existimo; ita de hoc ipso proposito meo candide judicaturum, omnino spero.*

DE

DESCRIPTIO PRIMI BEZOARDICI DIASOLIS.

Huic Medicamento DIASOLIS nomen imposui, suæ naturæ & proprietatis causa. Est enim calidum, essentiale, respectu aliarum usitatarum è vegetabilibus compositionum; confortat cor, reficit calorem nativum, restaurat spiritus, expedit obstructiones, resistit corruptibus, malignitatem demum & violentiam venenorum fortiter expellit & retundit. Unde cuivis apparet, quod & naturæ & proprietatis analogia soli respondeat. Discernenda tamen sunt superiora cœlestia, magna activa, ab inferioribus, terrestribus, minutis & passivis. Eò & illi respiciunt, qui hominem magno mundo, aurum Soli, Argentum vivum Mercurio, sulphur igni, & similia alia inter se comparare solent. Quatuor basibus consistit principalibus, prout & nomina & præparationes illarum ordine sequuntur:

Prima appellatur Alexiterium vegetabile specificum, & hoc modo præparatur:

℞. Rad. Vincetoxici,
Serpentariæ,
Scorzoneræ,
Bistortæ,
Valerianæ magnæ,
Imperatoriæ,
Angelicæ odoratæ,
Carlinæ
Tormentillæ,
Gentianæ,
Aristoloch. longæ,
Pimpinellæ hircinæ ana part. æqual.

Omnes istæ radices ejusmodi debent esse: primo collectæ sint tempore suo balsamico, siccatæ curiose, non spoliatæ colore, odore, saporeque naturali, aut ullo modo corruptæ & obsoletæ. Alias extractum inde conficiciendum, aut nihili, aut vix modicum valeret.

Hoc modo electæ radices, minutimque concisæ, optimo aceto ex vino Hispanico irrorentur, lenteque, ad impraegnandum melius cum spiritu aceti reficcentur, postea in aquæ vitæ, vel similis alterius destillatæ sufficiente quantitate per integrum mensem simul, primo gradu ignis digerantur, separetur denique illarum Essentia in forma resinosa & servetur ad usum, cujus inferius fiet mentio.

Secunda Basis appellatur Diaromaticum essentiale, cujus præparatio talis:

℞. Ci-

℞. Cinamomi officin.opt.
Santali albi refragrant.
Ligni Aloës resinosi.
Macis.
Zedoariæ.
Galangæ,ana part.ij.
Caryophyllor.
Cardamomi mag.
Piperis longi
Zinziberis albi
Cort.extern.Citri in umb. exsicc.
Spicæ Nardi elect. ana part. j.

Infundantur omnia in Quinta Essentia vel sulphure cœlesti ex iisdem aromatibus destillato: eliciaturque extractum cujus singulis unciis admisceantur
Ambræ griseæ opt.
Moschi oriental.
Balsami Peruviani rub. & odorifer.ana ʒß.
Camphoræ scrup.1.
servanda in vase vitreo bene clauso.

Tertia Laudanum Benedictum, denominata ita conficitur:

℞. Essentiæ opii Thebaici extractæ ad modum nostræ opiologiæ part.ij.
Tincturæ Croci Anglici per aquam rosar. diligent extract.p.1.
Extract. Mumiæ elect. seu sanæ, & non ex cadaveribus morbif. & corrupt. ante mortem.
Essentiæ castorei per Q. Essentiam aromat. more spagyrorum extract. ana part. ß.

Incorporentur simul,& quousque ad bonum Laudanum conficiendum opus est, digerantur.

Quarta Elixir Bezoardicum appellanda venit, cujus ἐργασία talis:

℞. Salis Essentialis compositi ex omnium supradict.ingredient.per aquam Veronicæ extract.
Sulphuris potentialis ex Balsamo aquatico, diaphano, fixo, per quartum gradum ignis Spagyrorum sublimati, inque formam liquidam redacti an.p.j.
Sulphuris cœlestis sive Balsami volatilis à liquore Catholico, Specifico, Cardiaco per B. M. distill. & ab omni superfluitate depurati part. iiij.

Tria hæc probe invicem mixta, inque vase circulatorio ad id apto bene clauso, in calorem naturalem ad digerendum per sex septimanas collocentur; Tum liquidum à sicco per distillationem sequestrando, in fundo residebit Elixir album & fragrans. Et hæ quatuor illæ Bezoardici Diasolis bases sunto, quarum uniendarum sequens observanda proportio est.

Compositio Diasolis.

℞. Extract. Alexiterii vegetabilis specif.ut supra præparat.
Diaromatici Essentialis.
Laudani Benedicti ana unc.j.
Elixir.Bezoard. drach.iij.

Hæc in scutella Myrrhina in modico cinerum calore simul mixta, ad lentam nimirum extractorum dissolutionem, melioremque contemporationem, in vase vitreo postea vel porcellanico, vel aureo, vel argenteo inaurato, nequaquam plumbeo, stanneo, cupreo vel ligneo, probe custodiantur.

Estque nostrum Diasolis, vel Theriaca aurea, quæ quamvis nihil accipiat de viperarum carne, nihil de lapide Bezoar, unicornu, terra lemnia, bolo orientali, fragmentis pretiosorum lapidum, auro, argento, perlis, corallis; nihil de gummatibus, resinis, liquoribus, herbis, fructibus, floribus, seminibus, aut infinitis aliis; potentissimum tamen multorum affectuum remedium est, de quo suo loco.

DESCRIPTIO II. BEZOARDICI CHRYSO-BEZOAR APPELLATI.

Alterum nostrum Bezoardicum nomine CHRYSO-BEZOAR insignitum propterea est, vel etiam BEZOAR auratum, quod principaliter ex auro constet; Quinimo etiam, quod virtute & potentia, non minus quam aurum cuncta Metalla, omnes res Bezoardicas ex lapidibus & mineralibus facile superet. Id quod experientia ad usum præ lapide Bezoardico, unicornu, aliisque pretiosis Bezoardicis illud conferentibus satis demonstrabit, sequenti modo præparatur.

℞. Auri purissimi,
Mercurii Martialis ana part. æq.
Roris Solis Philosophici cum Spiritu Salis Mercurialis per medium Vulcani in auram elevati & rursum in aquam solarem conversi q. s.

In hac ultima aqua prædictas materias seorsim in parvo matracio solve, postea liquorem Mercurii Martialis depuratissimum in liquorem auri decantata, in Balneo Mariæ phlegma destilla, donec in fundo ipsius liquor instar mellis spissus transparens, citrinusque relinquatur.

Postea in B. roris clausa cucurbita per mensem digere, ut Spiritus Balsamici Aquæ solventis melius cum dictis uniantur Metallis. In fine digestionis aperi vas, & cum sufficiente Aqua Tartarisata ponderosum separa à levi, & terram ab aqua; & pulverem habebis subtilissimum, lavandum toties cum aqua pluviali destillata, donec omnem amittat acrimoniam, siccandumque demum in vase vitreo. Irriga tandem oleo Balsami universalis, ut fiat quasi pasta, ad umbram iterum exsiccanda. Postea misce cum quadruplo pondere Florũ Resinæ Metallicæ, & in crucibulo oblique super prunas collocando calcina, donec materia incanduerit. Tere cum aqua sequenti aromatisata, ut Pharmacopæi in corallorum præparatione super lapidem Porphyrium solent, ut fiant Trochisci, si placet, ad usum diligenter recondendi. Exsiccati pulverem facient brunei coloris, verum Chryso-Bezoar.

Aqua vitæ aromatisata.

℞. Spiritus Vini odorati sine phlegmate unc. iiij. Santali citrini, Cinamomi ligni, aloës resinosi ana scrup. j. Ambræ griseæ scrup. j. Infundantur tres, quatuorve dies. Postea ad usum recondantur.

TERTIUM BEZOARDICUM, UNGUENtum Bezoardicum.

UNguentum hoc, quod Bezoardici nomine appellandum veniat, facultati ipsius, qua principaliter omnibus venenis adversatur, proprie ascribendum est. Ratio præparationis sequitur:

℞. Succi Nicotianæ lib.iiij.
Rutæ
Absynth.
Abrotani
Cardobened. ana lib.ij.
Axungiæ Cervi juvenis lib.ij.
Olei Scorp. opt.
de sem. citri expres. ana lib.ſ.

Ebulliant simul lento igne, in olla vitreata ad phlegmatis consumptionem, mox cola & refrixari sine, postea unguentum superius à succorum sedimento quod viridiusculum, sulphureisque dictarum herbarum substantiis valde repletum, separa & adde:

℞. Extracti Alexiterii specifici ut supra præparati unc.iij.
Extracti opii Thebaici per Spiritum aceti.
Essentiæ Mumiæ
Castorei ana unc.j.
Ol. Balsami Peruviani odoriferi per Retortam destillati.
Ol. de liquid. Ambra.
Ol. Styracis liquidæ.
Ol. succini albi non rectif. ana drachm.iiij.
Caryophyllor.
Ligni sassafras.
Thymi.
Rosmarini.
Camphoræ ana drachm.ij.

Extracta primo cum unguento misceantur in mortario vitreo: Postea affundenda olea destillata, in quibus tamen camphora fuerit dissoluta, & erit paratum.

Hoc in plumbeo aut vitreo retinaculo bene clauso, inque frigido serva ad usum, quem mox declarabimus.

BREVIS DIRECTIO, SEU METHODUS PARTICULARIS, declarans supradictorum Bezoardicorum usum ad se præservandum & curandum, tam à venenis & intoxicationibus, quam pluribus aliis affectibus.

QUamvis medicamenta Bezoardica, multivaria, vereque polychresta sua proprietate, benignaque operatione multis aliis internis præferantur medicaminibus, iique qui ne extremis digitis quidem fundamenta artis attigerunt, felici sæpe illorum fruantur successu, quod jam pridem in præfatione hujus libri satis demonstratum est: nihilominus ad genuinum, directumque ipsorum in venenis, aliisve chronicis compositisque affectibus assequendum usum, metho-

dice rectaq; ratione ea administrentur necesse est: idque non solum considerando in genere ipsorum naturam, facultatem & dosin; sed quibus aliis medicamentis usus ipsorum proprie prosperandus sit, & dirigendus, secundum diversas Artis indicationes & Regulas. Exemplo res fiet manifestior.

Si quis ægrotet ex stomacho cacochymico, crassis & depravatis humoribus repleto, purgandi utique necessitas urget, antequam Bezoardica injungas, modo tempus aut alia non contra indicent; alias cum ratione insanires, æque ac si quis conclave, incenso à fœtore alicujus excrementi, alteriusve rei male fœtentis, correcturus Thymiamata velut Diis sacrificaturus circumcirca faceret, intacta interim relicta fœtente illa sorde, unde bono odore nihil superante malum, aer nihil minus infectus remaneret, ut antea.

Existente plethora ad phlebotomiam procedas necesse est ad diminuendum sanguinem; alias Bezoardicis commeatus minus esset transeundi, nec operationem perficiendi suam. Si curam geras hominis alicujus gulosi, potationibus, aliisve cupediis dediti, regimen victus ordinatum instituendi ipsi scientiam habeas. Similiter si qua, domitis gravibus affectibus beneficio Bezoardicorum, symptomata quædam interna, externave succenturientur, occurrendum ipsis mature est debitis appropriatisque remediis. Et ita omnes aliæ respiciendæ sunt circumstantiæ, ad integre restituendos consolandosque miseros ægrotos. Etsi enim ea laude, quam supra perstrinximus, Bezoardica dignemur, mens tamen nostra minime est, absolutam ipsis proprietatem ac si omnibus affectibus, neglectis aliorum remediorum, & regularum auxiliariis copiis, securim injicerent, attribuere velle. Nec enim eundem cum Alchymistis funem trahimus, idem de incognito & invisibili suo Philosophorum lapide somniantibus. Ad quem possidendum vana, profanaque spe illectati atque illaqueati, iniqui naturæ coctores, noctes atque dies turpiter terendo, quicquid possident, dilapidant, expectantes interim ipsius adventum & succursum, veluti Judæi suum Messiam. Quandoquidem igitur proximo meo pro ingenii modiolo gratificandi desiderio tenerer, præsentem hanc methodum in quibusdam pertexere volui, qua in prætereundo longas causarum morbificarum enarrationes, prognosticationes, regulas Diæteticas, res non naturales, aliasque similis argumenti, quæ ad perfectam Methodi omnium adfectuum corporis humani traditionem pertinent, breviter tantum declarabo, quæ Bezoardicorum nostrorum usum concernere principaliter visa sunt. Idque pro Filiis doctrinæ ingenii aliqua perspicacitate præditis. Quantum enim ad alios, quamvis omnia ad vivum usque resecandi & explicandi & studio & cura integrum annum me maceraissem, anceps tamen essem adhuc, an ejusmodi res ipsorum tenebricosis oculis, quorum radiis forte occæcari possent, objicerem.

❧(o)❧

CAP.

CAP. I.

Quomodo per Bezoardica à venenis fiat præservatio.

DUæ sunt principaliter rationes à venenis se præservandi, tuendique secundum doctorum sententiam: Una prophylactica variis regulis & observationibus consistens, quibus nimirum illa & cognoscuntur & declinantur, de qua scriptum à multis abunde est. Altera therapeutica, quæ nititur certis quibusdam antidotis, cujusmodi illud Regis Mithridati erat, ad venenum jam conceptum expellendumque vincendumque idoneis; quæ ipsa ratio multo tutior & certior priori. Quandoquidem enim Diabolus omnis improbitatis pater adeo subtilem intoxicandi artem discipulis suggerit suis, ut illis, (spreta omnium Medicorum cautione:) veneficio occulte quoslibet inficiendi nihil sit facilius; ratio utique patet, quare internis specificis Alexiteriis securius confidendum sit, quam incertis & fallibilibus prophylactycæ præceptis. Nihilominus tamen & illa suo modo observanda erunt, quatenus nimirum cibos, potiones, odoramenta aliaque veneno infecta homini per imprudentiam internecionem adferentia interdicunt.

Quantum ergo præservationem dictorum Bezoardicorum attinet; si quis assiduo venenorum metuat pericula & ab illorum successu securitatem exoptet, sequenti se subjiciat ordini necesse est.

Primo persuasum sibi habeat omnes afflictiones & miserias propter transgressiones homini impendere, omnes è contra prosperitates animi & corporis à Deo esse omnium rerum creatore & directore. Et propterea quemque inprimis in id incumbere decet, ut de remissione peccatorum sollicitus, firmiter sibi propositum habeat ad Deum se convertendi, inque meliorem se recipiendi frugem, ad benedictionem scilicet demerendam largiorem super id, cui tanquam medio manum admovere cogitat. Illa enim est, qua sine procul dubio nihil auspicato, nihil utiliter cedere potest.

Postea Medicinam quod attinet, si dictis Antidotis usurus quispiam crudis abundet humoribus, purgationem inprimis aliquo, vel vomitorio, vel etiam catarctico moliatur, ita ut natura humorum, locus, ἰδιοσυγκρασία corporis requirunt. Id quod decrescente potissimum Luna, ad ultimam Lunæ quadram, felicius succedet.

Facta purgatione, vena dextri brachii media secanda dummodo tamen nihil mali in eo, quod impedimento sit. Quo in casu altera ejusdem nominis in sinistro brachio aperienda, ad mediocrem sanguinis evacuationem plus tamen aut minus, pro habitus corporis diversitate, aut secundum quod quis phlebotomiæ antea assueverit.

Duabus hisce evacuationibus præmissis patienti dosis exhibeatur Diasolis nostri, pondus nimirum 8. 12. vel 15. gran. plus aut minus secundum vires ipsius, mane antequam è lecto surgat, sudetque per horam aut ulterius, quantum ipsi ferendo satis est, ne dissolvatur nimium. Eoque ipso die, ut & sequenti, aërem frigidum studiose

fugiat. Sudore ita provocato, altero post die, sub auroram 5. vel 6. grana ejusdem Bezoardici, nihil tamen ad sudandum se componens hauriat, & hoc singulo die postea, vel ad minus tertio quoq; die hebdomadatim per annum integrum, vel biennium, vel etiam per totum vitæ decursum, quamdiu intoxicationis pericula timet, continuet.

Confectio ista Diasolis commode assumi poterit, instar Theriacæ vel Mithridatii, vel etiam deglutiri, ut pilulæ, ad quarum formam effigiandam, ut & consumendam fluxibilitatem, modicum pulveris rosatum exsiccatarum admisceatur. Contemperare etiam poteris cum conserva Majoranæ pro phlegmaticis; observando tamen quantum cujuslibet assumseris, ut ne de convenienteDiasolis dosi, quæ quotidie usurpando 3. 4. 5. aut 6. grana pro differentia corporis nunquam excedit, dubius postea hæreas.

Quod superest qui huic se credidit medicamento, bono victus regimini studeat oportet, cavendo sibi à crapula, ebrietate, luxuria, melancholia, cholera, violentis exercitiis ut Venere, &c. Hæc enim singula viscerum & partium nostri corporis œconomiam destruunt, functiones vitales animales & naturales dissolvunt, corrumpendoque utiles humores, brevi totum corpus distempeтant, adeoque certe, optimis licet contra positis Antidotis, ad facilius intromittenda venena disponunt.

Quemadmodum enim bonum semen in sterilem terram projectum, salubrium fructuum messem minus apportabit; eodem certe modo Antidota Bezoardica optatos minus expedient effectus, in corpore valetudinario & distemperato.

Qui sanguine & cholera abundant, temperatam semper observent diætam, vinum nimis vaporosum & forte tam supercalefactionis ipsius corporis, irritandique humoris, quam ipsius medicamenti sua natura satis calidi ratione diligenter evitent. Quinimo per totum frigida potius quam calida ad corpus ejusmodi in sua temperie retinendum amplectenda victus ratio est.

Pro phlegmaticis & melancholicis contraria potius eligenda sunto; hâc tamen adhibita συγκρίσει, ut melancholicos; emaciatos nimirum, attenuatosque ad parciorem, vini præsertim generosi, ciborumque calidorum usum, quam Phlegmaticos & Plethoricos adstringas. Non enim tam necessarium est, ad Melancholicorum frigidam respexisse crasin, ut illa ad calidam reducatur, quam uti siccus, squalidusque illorum habitus, obstructiones & debilitates mediocriocriter calida, humida & restaurante diæta humectentur, deoppilentur, reficianturque.

Quilibet ita certò persuasum sibi habeat, si Diasoli nostro ad se tuendum contra venena ad præscriptam normam usus fuerit, majores quam à quolibet alio Antidoto expectari posse successus, se oppido expertutum. Nam assidua ipsius assumptione omnes corporis humores, imo & spiritus Essentiis illis alexiteriis cordialibus, anodynis, balsamicis, ex quibus constat, adeo impraegnantur, ut si qua clanculum postea venena se insinuent, illorum vires statim reprimantur, cor ab ipsorum malignitate omnes-

omnesque similiter partes totius corporis liberatæ triumphare possint. Pariter efficacem præservationem nihilominus etiam unguentum nostrum Bezoardicum, quotidie, vel tribus, in septimana, diebus, illinendo pulsui, brachiis, naribus, regioni cordis, spinæ dorsi, volæ manuum, plantis pedum, pollicetur.

Integrum cuilibet sit, quod velit, eligere, modo in vivendi ratione, quam præscripsimus, prævaricationem fugiat.

CAP. II.

De Intoxicationum Curatione.

QUoniam difficillimum est, quando quis intoxicatus est, qua veneni specie hoc factum sit, cognoscere, & propterea impossibile, particularem aliquam secundum naturam, qualitatemque veneni instituere curationem. Ideoque confestim Medicos ejusmodi remediis curam aggredi oportet, quæ quasi generale omnibus venenis indixere bellum, ad evitandum majus periculum, quod dilatando, inquirendoq; in alia specialiora interim irruere posset. Id quod sæpe sæpius usu venit, dum nimirum Medici rixantur inter se de veneni natura, miselli ægroti exspirant, aut in Chronicos desperatissimos, & incurabiles plane incidunt affectus.

Ad curandum ergo beneficio nostrorum Bezoardicorum ejusmodi ægrotos, præterquam quod cito citius ad remedia festinandum est, tria insuper velut prima capita observare oportet.

Primò, Venenum è corpore iterum eliminandum est, ne ad cor usque subrependo malos ibi parturiat fructus, spiritumque vitæ suffocet. Postea particularibus medendum erit affectibus superstitibus nimirum post expulsum venenum in illis partibus, quas transiit.

Denique pro colophonide adjicienda, corroborandum corpus est, reficiendumq; ut sequitur:

1. Quando in homine bene constituto post cibum vel potum, vel odorem cujuscunque rei admissum ex subito insultantibus symptomatibus, veneni suspicio oriatur, ad rejiciendum à corpore venenum, intercludendumque ipsi aditum ad cor duæ potissimum intendendæ operationes sunt: Ad concitandum vomitum scilicet; & proliciendum sudorem.

Primæ intentioni sani satisfiet alterutro subsequentium vomitoriorum.

℞. Flor. Antimonii iij. iiij. v. vel vj. gr. prout vires patientis sese habuerint.
Conservæ Flor. violar. ℥ij.
Misce, fiat Bolus, ægroto simul & semel offerendus.

Vel dissolvendus in aqua Borraginis ut hauriatur potus. In defectu tamen Florum Antimonii hoc aliud similis fere efficaciæ erit.

℞. Salis Vitriolis ʒß. magis aut minus pro viribus patientis & stomachi repletione.
Aquæ succi cardobened.
Syrupi violarum, ana ℥j.
Misceantur & aromatisentur cum Aqua cinamomi.

Se-

Secunda intentio, (postquam æger jam vomuerit:) duobus modis absolvitur, Primò, corpus patientis unguento nostro Bezoardico bene obliniatur in locis nimirum supra manifestatis, idemque ægrum, vel in lectum vel calidum hypocaustum collocando, singulis quatuor horis, donec evidentibus signis de mortificatione veneni edoctus fueris, reiteretur. Secundò, (si unctio ad optatum minus cedat:) exhibendæ sunt duæ vel tres doses Diasolis, per intervalla supra posita, eo usque identidem procedendo, donec omnino vincatur expellaturque venenum.

Hæc tamen dum fiunt, his duobus etiam instructum oportet esse Medicum:

I. Difficulter vomenti ægro, (undecunque sive à naturæ proprietate, sive humorum indispositione illud oriatur,) sæpe exhibeatur de ptisana, cum hordei itemq; passularum justa quantitate præparata, cui quotiescunque administrandæ tantillum Butyri recentis vel olei amygdalarum dulcium misceatur. In defectu ejus, ad opem ferendam si brevis hora est, ejus loco assumatur jusculum carnis, vel etiam serum lactis cum modico Butyri recentis. Alterum est, quod ægroto per sudores continuos imbecilli reddito succurrendum sit, spongiis Aceto rosato imbutis, naribusque admotis, itemq; etiam administrando cochlear j. vel alterum jusculi restaurantis, in quo dissoluta sit portio Gelu Cydoniorum, vel Syrupi succi Cydoniorum. Et hæc quantum ad veneni expulsionem.

II. Quamvis cura veneno infectorum primario in veneni proscriptione sita sit, ut supra declaravimus; nihilominus, cum expulsio ista tam prospere nunquam abeat, ut ne vel una vel altera pars, magis aut minus mali quippiam alterationisve inde contraxerit; sæpe accidentia quædam particularia, quibus remedia adferre omnino ex usu est, & necessarium, relinquuntur. Multa quidem ea esse possunt, magis tamen familiaria quinque; Cordis dejectio, imbecillitas Hepatis, compressio stomachi, inflammatio Renum, & calor intestinorum præternaturalis.

Quibus extirpandis duplici utendum est ratione: Una ex parte remediis specificis appropriatis. Ex altera certa diæta eo usque nimirum protensa, donec integre patiens fuerit restitutus, veluti ea sequitur inferius.

Contra cordis deliquia.

℞. Conservæ fol. Melissæ unc. iij.
Magister. corall. rub. scrup. ij.
Chryso-Bezoar. scrup. j. Misce.

De qua compositione æger singulo mane jejunus, vesperi etiam cubitum iturus drachm. j. vel. ij. assumat.

Ad imbecillitatem hepatis.

℞. Conservæ Rosar. rubear. unc. iiij.
Olei Vitrioli Ungarici rectificati gut. xxiiij.
Misce.

Dosis drachmæ ij. mane & vesperi ut supra. Circa regionem hepatis sequens applicetur Emplastrum hepaticum.

℞. Tincturæ flor. Hypericonis in consistentiam picis liquidæ redactæ.
Sapæ Cytoniorum.

Succi rosarum rubear. condensati ana unc.j.

Ceræ albæ

Therebinthinæ Laricis in aceto rosaceo lotæ.

Ol. Cytoniorum ana unc. j. & drachm.ij.

Santali rubei Subal, pulv.

Coralli rub. more ordinario præparat. ana drachm. vj.

Granorum Tinctorum.

Lacrymæ Draconis ana drach.iij.

Cera, Therebinthina & Oleum misceantur simul ad ignem in sartagine absq; ebullitione. Tum ab igne removendo tam diu agitentur, quousque incipiant refrixari. Postea succi affundantur condensati, & cætera subtilissime pulverisata, perque cribrum missa misceantur, inque olla vitreata terrea ad usum reserventur. Est enim medicamentum externum, si quod aliud, ad confortandum jecur præstantissimum. De quo propterea quilibet Medicus sibi pro necessitate semper præsto aliquid habeat. Emplastro tamen hoc præ manibus non existente, vel sumtibus & tempore ad illud præparandum non suppetentibus, alia communiora ad hunc usum adaptanda sunt remedia, cuique pro libitu.

Ad compressionem stomachi.

℞. Pulpæ, Cydoniorum condit. vel Gelatinæ Cydoniorum

Conservæ Florum Betonicæ ana unc.ij.

Diasolis gr.xxx.

Tincturæ croci gr.x. Misce.

Æger mane & vesperi drachmam unam assumat. Cavitatem pectoris innungat modico unguenti Bezoardici vesperi duabus ante Cœnam horis.

Contra ardorem Renum.

℞. Succ. Plantag.

Portulacæ ana unc.iiij.

Seminis Papav. albi contusi unc. ß.

Lactis vaccini recent. lib.iiij.

Ad ebulliendum collocentur supra ignem in olla terrea vitreata, statim vero quando inceperint bullire, auferantur misceanturque Aluminis Rochæ scrupuli quatuor, dissoluti in tantillo aquæ rosarum. Frigida colentur, addanturque sacchari optimi cum albumine ovorum, si opus, clarificati unciæ tres vel quatuor, aromatisentur ultimo aquæ cinamomi 6. vel 8. guttis. De hac potione bis terve in die patienti bonus propinandus est haustus tepidiuscule. Ardor tamen nimius circa regionem Renum tali mulceatur linimento.

℞. Seminis papav. albi

Psylli ana ℥ß.

Cydoniorum ℥ij.

Aquæ rosarum ℥vj.

Fiat emulsio s.a. deinde add.

Ol. Nenuphar.

Lilior. albor.

Rosar. ana ℥ß. Misce.

Aliud.

℞. Lithargyrii auri pulv. ℥j.

Aceti rosacei ℥iiij.

Acetum calefactum superfunditur Lithargyrio, miscenturque agitando paululum cum spatula.

Postea infusa per tres vel quatuor

horas per inclinationem colantur quam potest, clarissime, miscendoque in mortariolo plumbeo olei rosati uncias j. Linimentum inde conficitur album & subtilissimum, quod felici cum successu ad prædictum malum usurpabitur.

Contra Intestinorum calorem.

Calor intestinorum, qui venenis succedere solet, regulariter ab excoriatione illorum provenit, producta à venenis intestina sua proruptione permeantibus. In curatione ipsius non solum ad refrigerandum, verum etiam ad consolidandum dirigendus scopus est. Quod ut fiat:

℞. Fol. Violar.
Malvæ ana manip. j.
Alchimillæ
Summitat. Hypericonis ana manip. ß.

Bulliant in sero lactis quantum ad uncias decem decoctionis sufficient.
Colatur. trajectis adde
Mellis Mercurialis ℥ij.
Pulpæ Tamarindorum ℥j.
Butyri recentis ℥j.

f. Clysma, toties Patienti injiciendum quoties necessitas postulaverit. Et si calor fuerit exasperatus valde, singula vice adjungere poteris ℥j. Aquæ Aluminis Rochæ in arena lento igne, ne spiritus acres, subleventur destillatæ. Loco etiam Aquæ Aluminis Rochæ, aqua spermatis Ranarum commode substituitur. Varia enemata ad propositum conferentia præparari possunt, ex quibus eligendi cuiq; integrum esto judicium.

Hæc sunt illa medicamina, quæ contra supradicta symptomata brevi suggerere volui, quibus utendum, secundum quod circumstantiæ concesserint. Unicum namque si se prodiderit symptoma, unicum etiam medicamentum opponendum ipsi erit. Si vero multa verbi gratia, affectus cordis & stomachi, remedium tentandum pro corde sub auroram oriente Sole; sub occasum duabus ante Cœnam horis aliud pro stomacho. Hepate & stomacho simul affectis stomacho mane prospiciendum erit, jecori interim rectificando supradictum accommodandum Emplastrum. Insuper si malo renum intestinorum affectus esset implicatus, medicamenta interna & externa renibus administranda forent, subserum nihilominus aliove tempore Clysmate injecto. Et sic pro reliquorum symptomatum differentia etiam gubernanda utique erit curatio.

Quod si vero necessarium visum fuerit corpus evacuare, intrinsecus præ cæteris omnibus hoc in usum veniat catarcticum.

℞. Rhabarb. elect. ℥j.
Aquæ succ. Cichor. ℥iij.

Infundantur per 3. aut 4. horas, & in colatura dissolvatur.
Mannæ calabrinæ ℥j. f. potio.

Propinetur Patienti manè jejuno stomacho, itemque etiam post horam jusculum carnis vitulinæ sorbeat, vel serum lactis tepidum modico sacchari adspersum, accelerandæ operationis causa.

Sed & hoc alterum huic indicationi inservit.

℞. Syrup. rosat. sol. ℥j.
Cass. recenter extract. ℥ß.

Cre-

Cremoris tartari ℈j.

Aquæ ſucci fumi terræ ℥iij.

Aqua prius paulisper calefacta, miſceantur invicem, ſtentque ita tres quatuorve horas, & interea caſſia fermentando mucidum evomet excrementum. Bene cola, & corrige tantillo aquæ cinamomi.

Pro illis ipſis qui potionum reſpuunt formulas, eligendum Extractum Rhabarbari eſt, præparatum ſcilicet cum ſucco pomorum dulcium, idque in bolo vel pilularum forma. Et ut multa paucis comprehendam: Rhabarb. Manna, caſſia & Syrupus Roſar. hoc in caſu omnibus aliis longe anteferenda ſunt.

Quod ſpectat phlebotomiam, vena incidenda minime eſt, antequam corpus rite purificatum, & â veneni ſuſpicione liberatum fuerit. Hoc vero ſi præceſſerit, & nihilominus perſeverarint ſymptomata, in corpore plethorico, ſi vel febris, vel inflammatio cujusdam partis ex ſanguinis abundantia metuenda ſit, illam adminiſtrandam non nego, modo id fiat prudenter & κατὰ λόγον.

Jam ad Diætam, quæ Medicamentorum prędictorum individua quaſi pediſſequa debet eſſe. Habita ideoque ratione imbecillitatis functionum vitalium & naturalium, idemque ardoris plerumque in corpore, exterminato quamvis veneno reſidui, æger iſtiusmodi tractetur cibariis, quæ εὔχυμα ſint & εὔπεπτα, humectantia & lenitiva, ut ſunt caro vitulina, agnina, hædina, gallinacea, perdicum aliarumque campeſtrium, avium, ova recentia & præcipue jura dictarum carnium butyro recenti elixarum. Similiter ptiſana ſeu cremor hordei, juſculum cum pane minuto, Butyro recenti vel oleo amygdalarum dulcium nuper expreſſo accommodatum. Ex piſcium genere eligantur truttæ, percæ, aliique ſimiles, itemq; gammari fluviorum: Quamvis enim illi ipſi aliquantum difficilioris digeſtionis ſint, mitigatoria tamen facultate & nonnihil etiam reſtaurante proprietate, venenisque reſiſtenre pollent, cujus gratia, nemini appetenti deneganda puto. Ex fructibus hiſce ægrotis nulli plus utilitatis præſtant, quam poma dulcia aſſata ſuper prunis; ex conditis vero amygdalata, piſtaciata, pignolata recentia, itemq; paſtæ ſaccharatæ ex pomis dulcibus & cytoniis &c. Potus eſto ordinarius cereviſia mediocris, ſapore nec amara nec acris, nec ingrata, cui, ſi deficiat, bona ptiſana de hordeo & paſſulis, tantillo aquæ Cinamomi aromatiſata ſubſtituatur. Vinum vitetur prorſus, quouſque nimirum ardoris, eroſionum punctionumq; internarum aliquis ſenſus. Si qua tamen, quocunque id fiat modo, uſum iſtius concedere cogamur vinum illud ſit album, ὀλιγοφόρον, bene maturum, dulcedinis potius quam alterius qualitatis particeps, dilutumque aqua diſtillata ſucci Borrag. Buglosſæ aut pimpinellæ domeſtic. Et tantum pro Diæta.

Denique pro tertio, poſtquam jam à venenis omnibusque ſymptomatibus liberatus fuerit æger, ad confirmandam penitus curam, corpusque corroborandum, exhibeantur xv. aut xx. dies continuos ſingulo mane Chryſo-Bezoardici noſtri duo aut tria grana, in cochleari ſyrupi Cydoniorum Quibus ſimul cura adjungenda eſt, ut ne

Yyy 2 ven-

ventis, pluviis, aëri insalubri vespettino exponatur, abstinendo ab ira, Melancholia, & quæ perniciosissima sunt, Ebrietate & Venere. Ita sensim & sensim ad pristinam vivendi rationem proserpat. Subito namque hic procedendo discedendoque à præscriptis Regulis, metus erit, ne propter alterationem præcipitem in alia graviora mala incidat, catarrhum nimirum suffocativum, colicam, hydropem, febrem chronicam, phthisin & id genus alia.

CAP. III.

De usu Bezoardicorum ad præservationem pestis.

QUantumvis pestis omnium, qui genus humanum adoriri solent, affectuum vehementissimus, contagiosissimus, & difficilimæ curationis sit, tam propterea, quod flagellum divinæ super peccata indignationis, ordinariis naturæ Artisque remediis minus cedat, quam quod venenum adeo Essentiale & λεπτόμερον, cor arcem vitæ præoccupet, antequam medicamentis præveniri possit: Nihilominus tamen sæpius observatum est, sæviente hoc contagio, Deum ad demonstrandam infinitam Misericordiam, mitigando scilicet iram suam in media clade ita benedixisse remediis naturalibus, ut beneficio illorum infiniti, salvi & incolumes magna Medicorum admiratione evaserint. Propterea omnibus Christianis tempore hujus infectionis inprimis recurrendum est ad fontem Medicinæ, unde nimirum vera aqua vitæ scaturit, secundum quod scriptum est: Venite ad me omnes qui sititis &c. & hoc nomine adhibitis medicamentis expectent eorum effectus ad Dei benignam voluntatem, in timore, humilitate, precibusq; perseverantes. Ita minime dubitandum erit, ipsum tanquam patrem Misericordiæ erga pœnitentes, auxiliumque ab ipso petentes in mediis angustiis furorem iræ suæ remissurum, & gratiam abundanter largiturum. Nam quemadmodum Avicenna 1. Metaphys. quamvis à Christianismo alienus, testatur: Ira Dei reconciliari potest sanctis devotisque precibus.

Remedia ideoque contra pestem usurpantur dupliciter. Primò, ad se præservandum à tali infectione. Secundò, ad restituendum jam tum infectos. Ad præservandum illos qui nec debent, nec volunt, nec possunt, de loco infecto abire, nostris Bezoardicis fruantur duobus modis.

Primò, singulo mane accipiant Dosin Diasolis de qua c. 1. absque venæ sectione, purgatione aut diaphoresi, nisi necessitas ad id urgeat, idque continuare oportet, quamdiu grassetur pestis.

Alter modus, ut pulsus carpi, nares, tempora in omni aurora illiniantur unguento Bezoardico, antequam foras se recipiant. Ex his duobus quilibet eligat quod velit; utrumque enim satis est ad defendendum corpus à corruptione pestilentiali quantum naturæ possibile est.

Insuper multum refert etiam, scire quomodo aër domesticus vel cujuscunque loci in quo subsistimus, beneficio suffumigii purificetur. Ad quod commendo sequentes Trochiscos.

℞. Flor.

℞. Flor. sulphuris
Myrrhæ electæ ana unc. j.
Balsami Peruviani odorati q. s.

Ad formandos Trochiscos. De quibus super carbones positis excitetur fumus quotidie, vel ad minimum alternis diebus, intereaque donec fumus cesset, in aliud conclave te conferas.

In defectu Balsami Peruviani cætera duo ingredientia nihilominus adhibeantur mixta & incorporata cum sapa granorum Juniperi; vel etiam flores sulphuris solum.

Vix enim in rerum natura simile his remedium, propterea quod sulphur in se ipso contineat Resinam mineralem, verumque Balsamum terrestrem, qui nunquam corrumpitur, aut vires suas perdit, quod alias Resinis, Gummatibus, liquoribus & Balsamis vegetabilibus commune est; ad depurandam aëris corruptionem, reperietur. Id ipsum præterea ignis est potentialis, facultate sua ignea consumens omnia venena, uti Medicorum anatomiæ, rerum naturalium peritorium schola unanimiter testari poterit. Sulphur debito modo mixtum cum pice, subductum lignis, non permittit, ea neque à ventis neque à pluviis aliisque externis injuriis putrefieri, aut vermibus esca fieri, quamdiu ita serventur. Vapor seu fumus ipsius debito instrumento in aquam corruptam penitus turbidam, salitamque præcipitatus, intra paucas horas ipsam fermentat, omnesque impuritates ad fundum dejiciendo clarificat, & purgat ab omni terrena illuvie. Fumo Sulphuris dolia vinaria veluti condiuntur, quo longius in ipsis sine corruptione perdurent vina. Quin imo quæ à naturali perfectione ex parte declinaverunt turbidaque existunt, hoc modo pristino splendori bonitatique restituuntur, Id quod œnopolæ testimonio suo facile comprobunt. Eodem quoque fumo Tinctores serico crudo splendorem puritatemque argenti fere æmulatricem conciliant. Fæmellæ Venetianæ maculas ex vino rubro, (quod inprimis Itali valde amant:) mappis mantilibusque impressas eo ipso dextre eluunt. Quædam etiam solo dicti vaporis beneficio capillos albos splendidosque præstant, quibus, & quæ, si brevitas pateretur, adduci ulterius possent, nemini non persuasum erit: Sulphur mediante acido suo fumo aërem quoque mundificare, omniaque ipsius μιάσματα separare & consumere posse.

Sic divinus Senex tum temporis quando Athenienses horribili peste ex Græcia affligebantur, integram sylvam combussisse fertur, uti calore istius flammæ, vel fumo etiam arborum lignorumque odoratorum prædicta infectio consumeretur, idq; felici cum successu. Quod dum ita fiat, quæ dubitatio restet, quin fumo sulphuris, ignis adeo virtuosi, & balsamici, aer quoque alicujus domicilii alterati, eoque inhabitantibus sanitas vel restitui vel conservari possit? Equidem omnes Medici Nosocomiis præstituti ex prædictis causis in id sedulo dent operam, ut continuò sulphuris suffumigium instituatur. Cætera siquidem quæ communiter ad hoc usurpantur, facultatibus suis minus paria sunt tam subtili, acutoque veneno.

Nec possum hoc in loco propter

pauperes silentio involvere, quod sulphur sublimatum in omnibus fere Europæ officinis vili pretio redimendum, ad pondus scrupuli unius vel drachmæ semis, secundum quod vires permiserint, cum modico aceti vini vel oxymellis assumtum, liberalem excitet sudorem, totumque corpus subtili vapore suffundat, unde & aër internus & sanguis, simili, quo supra dictum est, modo egregie mundificetur, ventileturque.

Multis hæc infixa opinio est: quod tempore pestis purgatio instituenda sit venæque sectio, in iis, quibus corpus natura cacochymicum, corruptisque humoribus coinquinatum, eam nimirum ob causam, uti corpus ab immunditie vindicetur, & consequenter focus auferatur, in quo ignis pestilentialis flammam facile alias conciperet.

Certum tamen est, nullum catarcticum corporis natura impuri pravisque humoribus repleti illuviem adeo radicitus tollere, ut ne simul aliis succrescendi subinde relinquat occasionem. Præterea eò dirigenda ratio est, quod catarctica turbando corpus non depravatos solum humores exonerent, sed & utiles simul succos, unde partium exinanitione facta meatus hient, Spiritusque viribus ægrotent, & sic corpus tanto proclivius ad attrahendum venenum reddatur. Talis enim conditio omnium partium est, ut proportione humorum naturali diremta, vapores, aëremque contagiosum magis admittant, quam si plenæ ipsorum extiterint. Id quod à pluribus observatum est, qui huic innixi fundamento, (nullo ad cacochymiam respectu habito:) nunquam foras se receperunt, tempore contagii, nisi vel pastu & vini vel cerevisiæ haustu refecti antea, sentientes eo ipso se præservari ab omnibus infortuniis, quibus alias jejuni fuissent expositi.

Illis ergo, qui imbecilles, nec purgationibus assueti sint, licet cacochymicis, purgationes minime arbitror convenire; quin potius Bezoardicorum beneficio corpora, humoresque ipsorum tanquam balsamo muniantur, & putrefactiones corrigantur. Attamen si qua corpus cacochymicum obviam fiat, adhuc robustum venenoque minus vastatum, &, quod accidere potest, definitis purgationibus assuetum illam ipsam curationem mereri non nego, ne scilicet à consueta actione subito deducendo ægrum, exitium magis, quam auxilium accersamus.

Quo in casu sequens pilulatum descriptio inserviat:

℞. Infus. Violarum
Rosar. pallid. solut.
Succi Cichorei
Borrag. ana lib. j. unc. iiij.
Aloës lucidæ lib. 1.

Infundatur Aloës in B. M. sex vel octo horas, postea per destillationem separando humiditatem in consistentiam picis quasi, ut pilularum formationi congrua sit, redigatur, cujus singulis unciis adde Tincturæ Rhabarb. per aquam è succo cichorei extractæ, & ad consistentiam solidam redactæ scrup. iiij.

Tincturæ Croci per Aq. Rosarum extractæ. scrup. j.
Balsami peruviani odorif. scrup. j.
Flor.

Flor. Sal. Communis more Spagyrorum sublimat. scrup. ſ.

Omnia ſimul in maſſam conformata, oleoque amygdalarum dulcium oblita, cum pelle ovina fictili vitreato committantur uſque ad uſum. Pilulæ hæ materiam fæculentam è centro uſque expurgant, ſine humorum attractione vel perturbatione, alimentorum putrefactioni reſiſtunt, & cordi robur conciliant.

Doſis earundem eſt à ſcrup. j. ad drachmam ſemis, ante cœnam ſingula quinto die aut menſtruo ſpatio ſemel. Qui tamen ſæpius uti illis velint, ad alvi ſegnitiem ſolummodo tollendam, ſingulis ſeptimanis ſemel bisve accipiant.

Phlebotomiam quod attinet, utilem illam in corporibus languidis & deſolatis nullo modo arbitror eſſe, modo non evidens neceſſitatis lex contrarium ſuaſerit. Bezoardica ſiquidem ad rectificandum ſanguinem omnibus phlebotomiis palmam præripiunt. Illa enim ſæpius adminiſtrata ſanguinem deteriorem magis reddit, quam quod quicquam commodi alterius præſtet. Quod reipſa videre eſt, in iis, quibus ſæpe ſanguinem mittendo, ſanguis tanto ſeorſior poſtea, pallidior & imperfectior affluit. Cujus rei cauſa neminem Medicum tam plumbei judicii exiſtimo eſſe, cui non cogitanti ſtatim obvia veniat.

Quod ſi tamen perſona athletica, robuſtaq; magnopere interim plethorica ad manus venerit, ad præveniendum affectibus repletiones alias facile ſubſequutis venæ ſectionibus locum minime abrogo.

Diæta talis ſit: Comedendum bibendumque liberius eſt, quantum nimirum opus fuerit ad ſatiandum naturam, non ad vires opprimendum. Abſint carnes porcinæ, lac, piſcis, herbæ, fructus, & legumina, quæ facillime corruptionem, cruditatis malique ſanguinis ortum promoverent. Qui vero neceſſitate coacti ſuo modo vivere minus poſſunt, firmiter ſibi perſuaſum habeant, divinam benedictionem, optimum ciborum condimentum, ſimplicem & frugalem cibum, pauperibus æque ſalubrem quam dubiam divitum cœnam præſtituram.

Cæterum Venus & Bacchus, Melancholia & cholera moderata omnino ſint, illis præſertim qui valde à peſte abhorrent.

CAP. IV.

De uſu Bezoardicorum ad curandum peſte infectos.

NOtandum ab initio eſt, duas peſtis ſpecies eſſe; una graſſatur duntaxat intra corpus: Altera foras protrudit ſub cutem puſtulas, furunculos, Apoſtemata, Carbonesve peſtilentiales. Prima appellatur peſtis interna; Secunda externa; quamvis & hæc principaliter interiora viſcera invadat, ſuamque originem inde deducat non minus quam alia. Secundum hanc igitur differentiam Medendi quoque methodum diverſificari oportet.

DE PESTE INTERNA.

CUratio internæ peſtis in duobus conſiſtit potiſſimum: Primo, veneno injiciatur frenum, illudque è corpore proſcribatur.

batur. Secundò symptomatibus, postquam jam veneni nulla amplius suspicio, securis injiciatur. Illa enim, malignorum suorum effectuum ratione, igni optime comparari possunt, qui arborem apprehendens subito tantam infert stragem, ut licet in continenti fere extinguatur, nihilominus tamen vix mica naturalis potentiæ ad pristinum vigorem in arbore relinquatur.

Venenum expellimus, ægrotum ab initio statim sequenti potione tractando.

℞. Diasolis x. xv. xx. vel xxv. grana ad conferentiam sc. ægroti, considerando utique, majoribus ad expellendum è corpore venenum viribus, quam ad prohibendũ, ne se insinuet, opus esse.
Spiritus Vini rectificati drachmas ij.
Syrupi succi Cydoniorum vel Citri unc. j.

Mixta patienti propina & sudabit satis fortiter. Post quinque horas dictam repete potionem, si opus fuerit, atque iterum sudorem provoca, donec nihil intus veneni amplius. Vicem hujus potionis commode supplere posset Unguentum Bezoardicum supra citato modo adhibitum. Quod si qui ægrotet, nimis tenellus & medicamentorum abstemius, ut neque saporem neque odorem ferat; superiorum loco Chryso-Bezoar iij. iiij. v. vel vj. grana pro dosi cochleari aquæ è succo Veronicæ vel Carduibenedicti exhibeas, idque quamdiu necessarium ad Methodi legem judicaveris.

❧ (o) ❧

DE SYMPTOMATIBUS.

Symptomata magis communia, & συνεδρεύοντα Pestis, quibus manu opus est medicatrice sunt: Deliquia, Ardor, Angina, punctiones laterum, difficilis anhelitus, deliria, vomitus, & fluxus ventris. Contra deliquia.

℞. Conservæ Flor. Buglossi.
Gelat. Citri ana ℥vj.
Magister. Margarit. ʒß.
Croci subtiliter pulverisati, grana iiij.
Olei Cinamomi gutt. ij. Misc.

De qua compositione patienti bis terve in dies porrige per se, vel cum aqua quadam destillata.

Pariter etiam inserviet Julepus Cordialis sequens:

℞. Aquar. Borraginis
Buglossæ
Acetosæ
Melissæ ana unc. vj.
Syrup. Buglossi.
Borrag.
Acetosæ
De succo Citri ana unc. ij.
Ol. Vittrioli rectificati ad acorem.

Misceantur & aromatisentur cum aqua Cinamomi, vel cum Spiritu Santali Citrini. De dicto Julepo sæpius patienti bibendum concedito.

Sed & aliud minoris pretii pro iis, qui dictis conservis, aquisve destillatis destituti sunt, præparari potest.

℞. Aquæ

℞. Aquæ fontanæ libr.xij.
Flor.Rof.Rub.exficcat.Man.j
Cinamomi opt.ʒ.ij.

Supra ignem in olla vitreata ad ebullitionem usque cum aqua coctis, & colatis ſtatim, (aliàs amarus adſtringensque ſapor nauſeam excitaret,)poſtquam tamen refrixerint, adde Olei Sulphuris vel Vitrioli ad acorem ; Sacchari item pro ſingula libra compoſiti unciam unam, vel ſemis ad minimum. Hæc duo clareta, aut quomodocumque appellare velis, excellentiſſima ſunt in peſte. Nam ratione Olei Sulphuris vel Vitrioli, quod ingreditur, (quod omnino corruptionem reſpuit, pariterque acidum ſuavemque præ ſe fert ſaporem,) contrariatur corruptioni, ſitim extinguit, cor confortat, omnesque alias corporis partes robore magis demulcet, quàm quivis alius liquor fructusq; acidus, aliàs Medicis familiares.

Contra intemperiem calidam internam.

Deproperandum hic, quantum poteſt, auxilium eſt, præſertim ægro viribus deſtituto.

Quemadmodum enim ſtipula arida citius in cinerem ignis violentia reducitur, quam viride aliquod lignum; Non aliter ejusmodi corpora citiùs calore febrili ad internecionem marceſcunt, quàm ſanguinea adhuc & ſucci plena. Ideoque ad id reſpiciendum ſedulo eſt, ut ne ſitim longiùs ferant ; Quinimo liberaliter bibant de ptiſana, aut ſuprà dicto clareto.

Poſtea ſemel in die hanc paregoricam & refrigerantem bibant potionem.

℞. Aquæ Spermatis Ranarum per Baln. deſtillat. ℥.j. vel ij. ſecundum patientum conditionem, malique vehementiam.
Tincturæ croci grana ij. Miſce.

Porrigatur ægro manè vel veſperi aliave diei hora, quandocunque oportunitas poſtulat.

Ad eundem finem R. Aquæ fontanæ poculum, diſſolve in ipſo Salis Nitri præparati unciam ſemis, & propina ægro ſemel vel bis in die, vel ſæpius etiam, ſi neceſſitas poſtularit ; Curatione tamen adhibita, ne Oleum Vitrioli aut Sulphuris ſali petræ conjungatur ; Nunquam ſiquidem illorum auſpicatum in corpore matrimonium. Hic potus ut alicui vel ſimplex, vel effœtus ad divitum præſertim palatum videatur, magnarum certè virium eſt. Refocillat Epar, totamque ſanguinis maſſam, urinam promovet, conductus aperit, deoppilat, & denique vapores æſtuantes per διαπνολῶ λόγῳ θεωρητὶν abſorbet. Uſus eo ipſo ſum liberaliter; nunquam non auſpicatiſſimè. Cum in Germania alicujus, qui me multis diſcurſitationibus, equitationibusque huc illuc oneraret, officio adſtrictus veſarer, tempore aliquando æſtivo immane quantum jecur & renes propter ſuccuſſatorem equum ad calorem diſtemperatos habui, dictam potionem aliquoties reiteravi, & actutum reſtincto calore, urinaque de rubro in naturalem & inculpabilem colorem reducta, melius habui. Id quod tenendum illis eſt, meum conſilium qui ſequi velint; in quorum gratiam ſi qua inter illos præparationem Nitri quidem minus intelligant, nihil

obstante, quod & alibi descripta reperiatur, illam de novo huc adducere volui.

Salpetræ puriss. l.j

Funde in crucibulo, & accensis super ipso floribus sulphuris, donec drachma una ipsorum ab igne deglutiatur, in ollam vitreatam ad coagulandum iterum effunde. Dissolve in Aquæ Rosarum tribus libris, per chartam emporeticam, calidum adhuc cola, & ultimò Aquam iterum lento igne evaporare finito: continuò interim movendo materiam cum spatula lignea, donec Salpetræ iterum siccescat, inque pulverem subtilem & album redigatur, quem serva ad usum.

Contra Anginam.

Hujusmodi affectibus tria potissimum obviare remedia solent. Primò, Gargarismi frequentes ex sale petræ, ut supra dictum; Item Scalpra abstersoria, quibus lingua mundificetur; & Linctus quibus obducitur lingua, ex quorum classe hic inprimis eligendus.

℞.Syrupi Diamori simpl.
Dianucum ana ℥.ſ.
Sal.Nitri præpar.℈.j.
Misce ad auferendum subtus natam crustam tartaream.

Alterum est potus Aquæ supra dictæ sæpè reiteratus.

Tertiò, si venæ sanguinis copia nimis turgeant, vel etiam φλόγωσις ipsius in parte affecta vehemens timeatur, Basilica secanda est in dextro brachio, & sub lingua etiam si necessitas postulet, aliter minus. Continuando enim ejusmodi remedia, symptomata protinus cessabunt.

Pro quibus tamen Salpetræ præ cæteris veluti specificum, ob id à Medicis Salis prunellæ nomine indigitatum, non levi brachio commendamus, quamvis illud factum quis dicat, ad rem indoctis suspectam quodammodo abscondendam, probrumque ipsorum declinandum. Sub morbi declinationem scabrities, asperitasque linguæ fortè superstes, adhuc Syrupis emollientibus & lenientibus de Tussilagine, Dianucum, vel etiam sero lactis, quo in flores Malvæ, violarum, Caprifolij aliorumque similium bullierint coerceatur.

Ad somnum Narcoticum.

℞.Majoranæ.
Salviæ.
Flor.Rosarum rubrar.ana.℥.ſ.
Corric. Aurantiorum ℥.ij.
In pulverem grossum redacta aceto florum sambuci vel rosaceo irrorentur, atque calefacta, duobusque linteolis interposita, fronti patientis applicentur, rediutegranda, si calorem deposuerint.

Prætereà ad sternutandum insuffletur naribus tantillum pulveris sternutatorii sequentis.

℞.Summitat.Majoranæ
Thymi ana ℥.j.
Rad.Angelicæ
Salis Vitroli an. ℥ſ. f. pulvis.

Ad inquietudines & deliria.

Ægro inquietudine, perturbationibus mentis, vigiliis, capitisque doloribus multùm discruciato, ita subveniendum puto: Primò respicias, num fuerit plethori-

thoricus; num ventriculum nimio plus bile habeat onustum; num alvus contumax egestionibus; Si enim Plethoricus, venam tunde sub pollice dextri pedis, si fuerit possibile, ad revellendum magis sanguinem, præter naturam ad caput usque ebullientem. Secùs alia quædam vena incidenda in oculos magis incurrens, juxta prudens Medici consilium. Ventriculo plus æquo humoribus inquinato medeberis tali vomitorio.

℞. Syrupi violar.
Aqu. Borrag. ana. ℥. ſ.
Salis Vitrioli ℈. j. vel ʒ. j. pro re nata.

Misceantur & aromatisentur cum aqua Cinamomi pro dosi. Pro tollenda ventris constipatione cogitandum est de clystere quodam emolliente, vel suppositorio aluminoso, supremis ad hunc scopum auxiliis, in hunc modum.

℞. Aluminis Rochæ pulverisat. q. v.

Cum Tragacantho in Aqua Rosarum soluto fiat massa, & inde suppositoria majora minorave, prout videbitur, & exsiccari sinito. Ad usum verò commodiora ut fiant, oleo Amygdalarum dulcium lubrica facta applicentur. Evidenter inde experiemini effectus non solùm ad intestina à recrementis repurganda suis; Sed ad vaporum etiam amarorum calidorumque ad cerebrum usque evolitantium revulsionem.

E capitis dolore quod superest molestiæ, facili postea deletur negotio, administrando scilicet suprà frontem tale linimentum:

℞. Emulsionis è sem. papav. albi, & Hyoscyami cum Aqua Rosar. extract. ℥. ij.
Aceti Rosacei
Olei Nymphex ana ℥. j. Misce.

Pari modo Petiæ cum Alumine Rochæ pulverisato albumini ovorum & Aquæ Rosarum misto, retrò caput adhiberi rectè possunt. Illud enim sæpe numero magnas tulit suppetias.

Quantum ad inquietudinem debellandam, somnumque conciliandum, audacter exhibeas dosin unam Laudani in forma pilularum, vel etiam in Aqua destillata appropriata dissoluti idque vesperi occidente Sole, vel mane illo exoriente.

Ad dolorem laterum.

Quando æger de dolore ardoreque laterum, ut sæpè accidit, conqueritur,

℞. Mucilaginis, seminis Cydon. cum Aqua Rosar. extract. ℥. iiij.
Aceti Rosar. ℥. ij.
Olei Rosati completi ℥. j.
Boli armeni ʒ. ij.
Santali rubei subtilit. pulverif. ʒ. j.
Camphor ℈ j. Misce.

Linteolum duplicatum, intusque madefactum, & tepidum quodammodo admove: Et dolore existente prænimio tria insuper vel 4. gr. Laudani boni ad supradictum modum præscribas.

Ad dissolutionem stomachi.

Quandoquidem symptoma hoc ventriculum sæpè tanta irruit sævitia, & abinitio morbi statim, ut nec medica-

 menta,

menta, nec cibus absque rejectione ingeri queant, roborationem moliri sequenti fotu necesse est.

℞. Summit. Absynth.
Majoranæ
Ol. Menthæ crispæ.
Thymi
Flor. Rosar. rub.
Fruct. Myrtill.
Rad. Galangæ ana ℥.ß.

Pulverisata simul grosso modo acetoque rosato adspersa & calefacta loculo sive scuto insuta superimpone extùs regioni ventriculi. Frigida facta, calore, iterum recuperato, denuo adhibeantur, donec opus amplius non videbitur. Interim Oleum Vitrioli vel Sulphuris ordinariæ ipsius potioni admisce. Vel etiam sequentis liquoris ad confortandum stomachum prævirtuosi cochlear unum per intervallum propina.

℞. Syrup. Menthæ
Cidoniorum
Melissæ
De succo Citri ana ℥.j.
Aquæ cinamomi opt. ℥.j.
Olei Sulphuris rectific. gutt. xij. vel xv. Misce.

Ad fluxum Ventris.

Ægroto ventris fluxione detento, Medicus etiam atq; etiam cogitet, oporteat num necessaria & utilis ejusmodi evacuatio, nec ne; uti neque Naturæ in suo motu laudabili remora injiciatur, neque ultra limites frenum ipsi laxetur. Nam si ex materia, quæ naturaliter excerni debeat, in corpore retenta, vitæ discrimen imminere potest, pariter etiam ex nimia fluxione illius, quod commorari intus debebat, pertimescendum erit. In casu ergo profluvii præternaturalis ad sequentia confestim properandum erit.

℞. Ol. Citoniorum
Mastichini
De Nuce Moschata ana ℥.ij.
Misce.

Hoc in linimento bis terve indies Venter inungatur, & circa hepar Emplastrum nostrum Dysentericum supra cap. 11. descriptum adplicetur. Quinimo, si ex usu videatur, dosis Laudani cum Syrupo Citoniorum semel atque iterum exhibeatur.

Quodsi tamen dicta remedia malo huic exstirpando, supervenientis fortasse excoriationis intestinorum ratione, minus sufficientia fuerint, ad subsequentia confugite.

℞. Caput ovinum crudum per medium dissectum, linguaque exutum cum cerebro ad bulliendum in aquæ sufficiente quantitate constitue, donec caro ab ossibus penitus secedat. Juri colato statim immitte duos vel tres manipulos summitatum Hypericonis & radicum Tormentillæ grosso modo pulverisatarum unciam j. vel ij. Infunde per tres vel quatuor horas cinere calido. Colatum patienti duabus ternisve vicibus in die in forma Clysmatis injicito, & mirabiles sese prodent effectus; Liquor enim iste præstantissimus est in desperatis ventris fluxionibus, inprimis etiam ubi continuis vomitionibus ægri excarnificantur. His Clysmatibus etiam ægros persanavi, quibus omnia corporis emunctoria hiabant, adeò ut nimiæ inanitionis,

tionis & dissipationis spirituum causa periculosæ convulsiones, torsiones oris, sensuumque plane sequerentur, quibus insuper ne tantillum quidem neque medicinarum, neque alimentorum suggestorum intus retinebatur. Id quod annotare hîc diligentius volui, illorum causâ, qui dum hoc cum morbo conflictantur, eorum remediorum prævalente auxilio, forte opus sunt habituri.

CAP. V.

De Peste externa:

IN peste externa, quæ nimirum foris parturit symptomata, duæ quasi curationis species occurrunt: Una Physica, interna concernens viscera & quomodo cor à veneno defendatur, illudque à centro ad circumferentiam, vel quorsum natura voluerit, expellatur. Altera Cheirurgica, quæ in eo occupata est ut venenum topicis remediis attrahatur, à regressu intercipiatur, pars affecta ab humorum concursu præservetur, maturanda materia ad maturitatem reducatur, aperiendum aperiatur, suppurationem materiæ peccantis promovendo & denique digerendo, mundificando, consolidando & omnia ad perfectam sanationem manuaria opera perducendo.

Quantum ad curationem Physicam; illa eodem modo quo supra pestem diximus internam, absolvitur, in principio nimirum statim nostri Diasolis unguentive Bezoardici una, duabus vel tribus dosibus, vicibus successivis, obviando, uti supra declaratum est.

Curatio Chirurgica divaricanda est pro differentiis, externorum affectuum, quorum tres potissimum sunt. I. Glandulæ mobiles intra cutem & carnem. II. Tumores majusculi duri renitentes absque suppuratione. III. Apostemata sordida, excrementitia quadam, maligna virulentaque materia tumida, quæ Anthraces, Carbones, Bubonesque pestilentiales appellantur. In quibus hanc subsidiariam præstetis operam.

Ad glandulas:

℞. Gummi Armoniaci depurati, q.s. impone quasi Emplastrum, & consumentur, modo curatio physica antecedat, vel simul cum hac ipsa conjungatur.

Ad Tumores renitentes.

Ad tumores renitentes & difficulter suppurabiles, Cataplasma componito sequens:

℞. Amygdal. amarar. contus. unc. ij.
Gummi Armoniaci clari
Farinæ Fabarum ana unc. j.
Salis Gemmæ unc. ß.
Oxymel. squillit. unc. iij.
Decoct. carduibenedict. unc. viij.

Bulliant ad consistentiam Cataplasmatis & addatur Theriacæ Diatessaron unc j. De quo satis inspissato applicetur tumori q.s. Aperit poros, transpirationem materiæ peccantis prosperitat, resistit putrefactioni, & duritiem sine periculo resolvit.

Ad Anthracem seu Carbonem:

Ad medendum Anthraci seu Carboni

boni, tribus rem aggredi oportet operationibus Primò excessivus partis affectæ calor & dolor mitigandus. Postea intercipiendum venenum, ne retromeet intra corpus,& suppuratio promovenda. Tertiò ulcus detergendum ad perfectam usque sanationem.

Ægro ideoque existente plethorico, & viribus aliisque circumstantiis phlebotomum permittentibus, ante omnia sanguis ad partem offensam præter naturam affluens, & olei instar ignem exuscitans revellendus est, tundendo venam secundum celebrium Authorum institutionem, magis convenientem, mittendoque necessariam quantitatem. Quod si verò in omnibus minus probetur, ejus loco Ventosæ cum profunda satis scarificatione non ita procul ab Antrace, uti major sanguinis copia profluat, applicandæ sunto. Circa Bubonem tamen ad duos tresve digitos hoc Defensivum adprimè confert.

℞. Minii unc.j.

Aceti Sambucini unc.v. infundantur in B.M. per hor.iij. Deinde colentur per chartam,& addantur

Olei Sambucini

Rosaci completi ana drachm.vj.

Santali rub.subtil.pulv.scrup iiij.

Croci opt.scrup.ß

Misceantur in mortario plumbeo, vel in patina terrea vitrificata, usque dum acquirant consistentiam unguenti, quo ad prædictum modum utendum, resiccatum subinde renovando. Et his duobus auxiliis maximus ille ardor mulcebitur, parsque ab aliis perniciosis, quæ ipsi accidere aliàs possent, accidentibus tuta retinebitur. Postquam ita Defensivum adminiſtraveris, mox Anthracem sequenti quoque Emplastro super delicatam pellem satis largiter extenso cooperi.

℞. Gummi Sagapeni

Ammoniaci

Galbani ana unc.iij.

Therebinthinæ coctæ

Ceræ virginis ana unc. iiij. ß.

Magnetis Arsenicalis subtil. pulv. drach.xviij.

Rad. Aaron pulv. drach.viij.

Gummata defæcata prius oportet esse aceto scyllitico, coctaque in formam Emplastri & pondere æstimata. Tum demum Emplastrum inde cum aliis speciebus f.a continuetur. Ad foras alliciendum venenum, virusque in pus convertendum, excedenti specificaque virtute pollet.

Præparatio Magnetis Arsenicalis supradicti.

℞. Arsenici Cryſtallini.

Sulphuris vivi

Antimonii crudi ana part. æquales.

Pilo simul subigantur in mortario ferreo, mittanturque in matracium vitreum satis forte. In furnum venti postea in arenam posita ignem tamdiu subtus habeant, donec vitro benè calfacto dictæ species simul instar picis colliquentur. Id quod cognosces, si dum filo fundum contigeris, materia adhæreat, trahaturque instar Therebinthinæ. Postea frange vitrum, refrixamque materiam, subfuscum quæ repræsentat lapidem, subtiliter tere, & ad usum custodi.

Anthrace ita aperto, tumorem superſti-

perstitem dissolve, ulcus absterge, & colophonidem demum toti negotio injice sequentem ad modum.

℞. Succi plantag.
Scabiosæ
Rosar. rubrar.
Nicotianæ veræ ana unc. ij.
Mellis Virgin. crudi unc. iiij.
Vitell. ovor. num. iij.
Therebinth. unc. j.
Farinæ Hordei unc. ß.

Coquantur igne lentissimo, semper agitendo materiam, ad consistentiam unguenti; quo ipso ulceri intus prospiciendum, sequenti super imposito Emplastro.

℞. Picis navalis
Resinæ Pini
Gummi Armoniaci depurati
Ceræ Virginis ana unc. j. ß.
Asphalti unc. j.
Mellis adusti ad nigredinem, & subtil. pulver. unc. ß.
Camphoræ in oleo succini dissoluti drachm. j.
Fiat Emplastr. s. a. quod servetur ad usum.

Quodsi Carbone aperto magna instaret inflammatio, orisque ipsius durities seu callus; præmissis duobus supradictis remediis cataplasmata ex foliis Malvæ, bismalvæ Violar. plantaginis, Radicum Altheæ vel similium emollientia, & refrigerantia adhibere & loco oleorum vel pinguedinum, Mellis rosati, Mellis Mercurialis, lutei ovorum aliquid admiscere oporteret. Res enim unctuosæ poros constipant, transpirationem humorum malignorum impediunt; quibus conclusis & repercussis, continua partium inflammatio dolorque, ut magno Medicorum probro quotidiè testatur Experientia, consequeretur.

Quod spectat ad Diætam ipsorum, ab initio usque ad ἀκμὴν, quamdiu nimirum & febris & ardor internus excedunt, ab omni assumendorum superfluitate, quamvis etiam appetierint, valdè caveto.

Natura enim, seu restaurator, (uti Paracelsus loquitur,) in conflictu contra destructorem occupatus, superveniente stomachi repletione, uti cadat victoriâ, non minus perturbari potest, quàm si quendam ducto contra hostem exercitu jam jam aciem aggressurum, amicus totius negotii componendi nomine à qualibet pugnandi superandique potentia & occasione interim detinuisset.

Propterea vires naturales tantum conservare studeas, facilis digestionis victu, calorem febrilem contemperante, corrigenteque materiam peccantem. Ad quod conveniret Hordeum mundum in aqua pura coctum, butyroque recenti & aceto rosato, vel sambucino, vel jure Citri, Aurantiorum, Granatorumve ad libitum præparatum. Omnes enim istiusmodi liquores gustu suaves, prædictoque usui conferentes existimo. Quod si grata aliorum vicissitudo sit, panem minutum, lentè diuque in aqua coctum præparatumque ut de hordeo diximus, imperabis. Existente ægro valdè delicato, sequentib. consummatis & jusculis restaurantib. confidendũ.

℞. Caponem benè nutritum, & visceribus pinguedine, pedibus, collo, extremisque alis spoliatum.
Carnis Vitulinæ lib. j. in minutas partes scinde, & matracio impone. Sic

℞. Aquar.

℞. Aquar. Succi Melissæ.
Succi Buglossi.
Succi Scabiosæ ana unc. iij.

Clauso matracio ne quid exspiret, in B.M. bulliente aqua spatio 8. vel 10. dierum retine, postea cola & per linteolum exprime, addendo

Gelatin. Cytonior. transparentis.
Gelatinæ Citri.
Syrupi Violarum Cœrulei ana unc. j. ß.
Aquæ Cinamomi drachm. j.

De quo patienti debito tempore unum, duo, tria cochlearia pro dosi exhibeantur, singulis vicibus admiscendo 4. vel 5. magisterii Perlarum grana, vel etiam duas tresve guttas auri potabilis, alio nomine Magisterium auri appellata in forma liquida. Ad potum, Vinum minus convenit, donec periodus morbi omninò absolvatur, cujus loco interea ptisana jucunda & delicata accipiatur. Declinante tamen morbo paulatim ad jam pridem interdictorum eduliorum usum procedere nihil interest. Et tantùm de modo & ordine ad legitimum Bezoardicorum nostrorum usum in peste observandis. Quamvis etiam dicta occasione & Methodo deficiente adhibere illa non esset religio, de quo sub fine hujus tractatus.

CAP. VI.

De usu Bezoardicorum pro exstirpanda febre ardente.

Quamvis καῦσος seu febris ardens malignitate contagioneque adeò effrænata non sit, ut pestis; nihilominus tamen tanta symptomatum sævitia, tamque præcipiti decursu quemquam adoriri solet, ut vel sex octove dierum spatio robustissimos etiam jugulare queat. Ideoque mora hic æquè perniciosa, ac suprà de peste diximus. Posito enim, causam hujus febris aliam non esse, quàm igneum calorem in putrida quadam materia, absque veneno; minori tamen diligentia, consilioque regenda curatio non est, ad illum extinguendum, quam ad expellendũ venenum in lue pestifera: eò quod utrinque subitanea, acuta, lethaliaque symptomata. Verum equidem est in febri ardente sæpenumero usuvenire, quod absque ullo remedio, natura motu Critico corpus à morbificæ materiæ tyrannide, redimat, eoque ipso persanet. Qua de causa multi Medici ad Criticum naturæ conatum attendentes, ægris diætam, rerumque non-naturalium legitimam administrationem solum absque Pharmaceuticorum medicamentorum usu commendant.

Verum tamen cum Deus ter. Opt. Max. tanta medicamentorum, quibus cum temporis opportunitate uti liceat, copia nos locupletavit; Ego sapientissimorum Practicorum opinioni adhæreo, qui ipsi naturam sæpè desidem nimis ad necessaria sua officia, gnaviter medicamentis adjuvare, corpus debitè purgare, caloremque attemperare in tempore student. Et hac Methodo decem restitues dum vix quatuor possis, si alia incedas via id quod experientia abundè demonstrabit.

Triplici ergo via incedendum tibi, ut febri ardente correptos restituas. Primò mi-

mò minuendo humorem biliosum, focum nimirum febrilis inflammationis, qui totam venarum molem subrepens sanguinem inflammat, & corrumpit, spiritusque alterat, universum corporis habitum desiccat, & quibuscunque sollicitatos ejusmodi febricitantes videmus, symptomata producit.

Secundò uti cor à vaporibus malignis, adustisque defendatur. Tertio uti in universum corpus, ne in tanta combustione succumbat, humectetur, refocilleturque.

Quod attinet ad primum, in principio statim, quando tali se morbo confixum sentit, modo facile ferat vomitus, sequens exhibe vomitorium.

℞. Fol. Gratiolæ drachm. j. ß.
Fl. Centaurii min. scrup. j.
Tartari albi crudi drachm. j.
Aquæ Scorpionidis sive Calendulæ unc. iij.

Infundantur per horas iiij. Colaturæ addantur Syrup. rosar. solut. cum Rhabarbaro unc. j.

Aquæ Cinamomi gutt. x. vel xij. Fiat haustus.

Quem dum offers patienti, in promptu habeas prisanam, vel serum lactis clarificatum, uti in siti bonos ipsius haustus præbeas. Illud enim in partibus sitim restinguit & operationem medicamenti facilitat ἄνω καὶ κάτω. Hic potus quidem amarus valde, virtute tamen tam præstat, quam vix aliud purgativum. Si æger tamen liberaliter genitus & mollis fuerit, facilis item ad vomitiones & purgationes, non nisi mediam, vel etiam tertiam ipsius partem concedas. In hoc enim prudenti consilio opus est. Quod si acerbitatis causa talia non ferret, ipsorum loco flores Antimonii, quemadmodum cap. de intoxicationibus dictum est, assumas. Si nec his proficias, quod fortassis à vomitoriis prorsus ab hac vel illa causa abhorteat, infusionem Rhabarbari cum Manna, uti cap. de peste infectis ostensum fuit, purgationem instituas. In summa, quoquo potes medio, humorem biliosum egregiè quantum res postulat, viresque patientis ferendo satis sunt, ab initio statim diminue, & ita proprìissimum febris subjectum è corpore removebis.

Secundò peracta purgatione uti nusquam impingas, num corpus Plethora laboret, numque missionis sanguinis opportunitas adsit, considera. Si namque Phlebotomia necessaria visa fuerit, ipsam sine hæsitatione moliri, sin minus suspendere oportet; postea dare tale Bezoardicum:

℞. Aquæ Succi Veronicæ unc. j.
Diasolis grana viij.
Chryso-Bezoar gr. iiij.
Misce.

Quo assumpto, sudori viam, secundum quod patienti tolerabile naturæque consonum, paululum concedito. Si namque pori nimis hient, ægerque sudore ultra modum sponte satis superque diffluat, sudorem remorari satius esset.

Tertio ad restinguendum nimium calorem & inexhaustam sitim, nihil dubites, quin subinde potum, quandocunque velit, excepto sudationis tempore, porrigas. Dum tamen modicè calfacias antea. Nunquam enim non humectandum corpus est, præsertim in gracilibus ad prohibendum, ne, ut ita dicam, tanto calore nimium præaffetur. Potus magis convenientes

nientes hoc in casu sunt ptisana simplex vel vitriolata; aqua fontana, tantillo syrupi violarum oleoque sulphuris & Aquæ Cinamomi guttis quibusdam correcta. Alias hæc potio singularis ad hunc scopum efficaciæ est:

℞. Seri lactis caprini vel vaccini lib. x.
Succi Buglossi.
Borrag.
Endiviæ ana unc. iiij.
Sacchari unc. v. vel vj.

Mixta simul clarificentur albumine ovorum ad pelluciditatem usque Aquæ fontanæ; Aromatisentur. Aqua Cinamomi, & frigida pro potu liberaliter dentur. Restinguit enim sitim, lenit partes internas nimio calore exasperatas, humoremque biliosum per urinam evidenter educit.

Quod si adhuc aliorum refrigerantium opem implorare necesse est, eo nomine Sal nitri præparatum cum Aqua Sperniolæ eligito. Et sic aliis supervenientibus symptomatibus, ceu vomitionibus, ventris fluxionibus, doloribus capitis, &c. cuique suum opponere remedium.

Æger pridem valetudinarius, tenellus & languidus, nec purgationibus nec phlebotomo turbandus est. Quinimò ab initio statim grana 4. vel 5. Chryso-Bezoar cum cochl. j. Syrupi Cydoniorum assumat, idque tertio quoque die, interponendo usum Magisterii Corallorum & Perlarum in tabulas cum Sacchars connati ad roborandum. Lenitioni promovendæ Eccoprotica vel clysmata non nimis δραςικὰ, sed lenia adhibenda. Purgantia enim si dentur minus quàm debent ἐνεργητικὰ, operatione frustraberis, propter maximum, qui intus est, squalorem, dum nihilominus satis perturbent stomachum; Si justè fortiora, his viribus impares penitus fortè succumberent.

Quod superest, postquam ita Methodo & pietate ægrum tractavimus, quilibet benedictionem divinam spe seria expectet. In omnibus enim actionibus ad Medicinam pertinentibus, ut & alias, Colonos imitari debemus fideles & cautos. Ii enim cum terram excoluerunt, semenque suo tempore & modo inaravere suum, tùm toto onere levati sponte acquiescunt, & prosperitatem expectant, ab illo qui, dum vult, vitam & incrementum singulis largitur creaturis; postquam autem ad sententiam messis advenit, cum reverentia & gratiarum actione fructus colligunt & amplectuntur, cognoscendo in universum Sapientiæ, Justitiæ, & Misericordiæ DEI, quæcunque acceperunt, accepta referenda esse. Quinimò totum universum supra captum nostrum ab eodem conservari & gubernari, ut nec immutare quicquam, nec corrigere unquam possimus.

CAP. VII.

De Pleuritide.

QVamvis diversæ pleuritidis species, diversa producentes symptomata, ab antiquis recenseantur Medicis, considerando tamen generale ipsius subjectum, & in quibus partibus soleat hospitari, reipsa cognoscimus, omnia Medicamenta sanguinem attenuantia, corruptioni resistentia, meatus partesque obstructas deoppi-

oppilantia, evaporationem humorum calidorum in alia atque alia corporis regione conclusorum promoventia, singulis pleuritidis speciebus remederi posse.

Ut ergo in tempore hoc morbo confixis Bezoardicis nostris struatur auxilium; primò dispiciendum est: num φλόγωσις sanguinis, venarumque distentio adsit. Secundò: num bilis aliive crassi, vel acres & vellicantes humores in stomacho superabundent. Sanguine enim existente præcalido, incunctanter vena Basilica lateris affecti tundatur, eousque mittendo sanguinem, quousque temperamentum, ætas, morbi magnitudo, anni tempus, aliæque phlebotomiæ circumstantiæ permiserint; de quo ut & aliis in morbis Capivaccius & accuratiùs & uberiùs.

Hora post altera hanc præscribe potionem:

℞. Aquæ succi papav. Rhæadis diligenter destillati unc. j.
Diasolis gr. viij. vel x. Misc.

Quo assumpto in lecto coopertus stragulis benè sudet, quousque vires absq; incommodo ferunt.

Econtra stomacho humorum illuvie nimis refarcto, auspicanda cura est à sequenti vomitorio.

℞. Salis Vitrioli ʒß. vel ℈ij.
Mellis Rosati.
Aquæ Carduibened. an. ʒß. vj. Misc.

Vel propinetur Aqua Vomitoria præstantissima in hunc modum præparata.

℞. Vitri Antimonii Hyacinthini more Matthioli præparati, & in subtilem pulverem redacti.
Salis Carduibenedicti ana gr. xxxx.
Aquæ succi Veronic. unc. v.
Aqu. Cinamomi gutt. xxx.

Infundantur in B. tepido per horas 24. postea colentur per chartam, & serventur ad usum.

De quo patienti 3.4.5.6. vel 7. drachmas secundum quod repletus, robustus, facilis, vel difficilis ad purgandum fuerit, propinabis; Singula enim drachma hujus aquæ singulum Vitri ipsius granum viribus adæquat. Excitato sedatoque iterum vomitu, potio Bezoardica, ad præscriptum assumatur.

Nullus quidem dubito, quin vomitoriorum mineralium à multis pro venenis potius, quam pro Medicinis habitorum usu, stomachum plurimorum valdè concitaturus sim, Verùm sua cuique esto Helena, mihi mea. Quamvis enim quis dicat: Vomitiones medicinas esse exagitatorias, spiritus impensè nimis exaggerare, alterare sanguinem inq; partibus affectis magis inflammare, &c. singula tamen ad veritatis trutinam ponderantibus tanti momenti non reperiuntur, ut ne vanarum ociosorum ingeniorum conjecturarum, & experientię contrariarum machinationum turpitudinem effugiant, ne dicam ea quenquam à vera sententia abducere posse. Vomitoria siquidem supradictorum humorum massam, subjectum scilicet, ex quo multi vapores, iique mordaces & acres ad partem affectam subinde ascendunt, expurgant; adeoque febrem ipsam diminuunt, inflammationem præcavent & vel punctiones laterum tollunt vel mitigant. Quæ ipsa profectò non contemnenda pericula minantur, si corrupti humores in corpore impunè relinquantur. Concedo quidem tùm, quum vomitus cietur,

spiritus partesque quodammodo ad indignationem perturbari, attamen illam eousque non persequi, ut ne æquo animo ad integram postea sanationem consequendam sufferri possit. Et quid tibi aut mihi, aut ulli viro bono argumenta, ubi sensus judex est, multorum etiam celebrium Medicorum authoritate arbiter.

Sed ad propositum μελέτημα revertor. Si ergò accideret, ut ambæ hujusmodi repletiones, sanguinis scilicet & vitiosorum humorum, in corpore concurrerent, & evacuatio utrinque æqualiter indicaretur, quod sæpe fit, tunc vomitoriis prima, venæ sectioni altera, Bezoardicis tertia curationis cura debeatur.

Alias, quando neutrum eorum præstò est, nec vel purgatio, vel venæ sectio indicatur, interim etiam natura patientis viribus prostrata succumbit, à Bezoardicis, mediocriter sudorem provocando auspicari oportet.

Attamen & venis meatibusque apertis, si sudore fluxo, sanguis phlebotomia adhuc ventilaretur, maxima alleviatio sequeretur; inprimis melancholicis, frigidis, imbecillis & meticulosis. Venis enim apertis & spiritibus calore excitatis, (usu nimirum Bezoardicorum,) sanguis tenuior & fluxilior, æger etiam ad ferendam sanguinis missionem idoneus magis redderetur. Quæ ipsa etiam militat ratio, quod in febribus intermittentibus aliquando, ægrotis nimirum melancholicis existentibus, venæ sectio necessaria visa, durante paroxysmo magis quam ἀπυρεξίας tempore committatur; idque vel pari, vel majori successu, quam dum alias in febricitationis tempore vena sanguineis & robustis secetur. Hactenus de remediis generalibus, & specificis.

Jam quando dolores in parte affecta valdè sæviunt, sequenti unguento bis in die usurpando, illos demulceas.

℞. Succi Nasturtii aquatici unc. viij.
Quinquenerviæ unc. vj.
Butyri recentis unc. vj.

Bulliant lento igne ad consumptionem humiditatis. Deinde addatur olei succini albi non rectificati ℥ß. Misceantur pro Linimento.

Ægro tussiente, & sanguinem aliamve materiam per os respuente, ad digerendam & abstergendam eam, convenientia pectoralia subministrabis.

Ad restrictam alvum emolliendam, & ventos vaporesque conclusos dissipandos Clysmata rectè injicies. Cæterum pro diæta, cane pejus & angue habeatur vinum, potius esto ptisana hordeacea uvis passis communibus vel Corinthiacis, Hydromelite, cerevisiâ secundariâ, Syrupo aliquo vel tussilaginis vel violarum dulcorata, fugiantur acetosa. Nutriantur pane, cremore hordei, cum butyro recenti, vel oleo Amygdalarum dulcium præparato; Lacte amygdalino, pomis dulcibus, assatis cum saccharo, &c. debito tempore dum febris exulat. Post febris finitionem juscula restaurantia, ova recentia, pullorũ, aviumque campestrium caro, modicum vini etiam cum ptisana, assuetis præsertim, maximopere prodest.

Cum tamen febris abest, & horripilatio, & imbecillitas insuper molestias creant, vinum petentibus non denego, dummodo in decenti illud exhibeatur quantitate.

CAP.

CAP. VIII.

Curatio Variolarum.

VAriolarum morbus universalis adeò est & communis, ut rarò videas, qui quadraginta vel circiter annis superatis, ab illis intacti prorsus immunitatem jactare possint.

Communiter pro salubri & exiguo malo habetur, puta quod naturalis evacuationis modo corpus mundificare, & à menstruosa malignaque ab alvo matris usque contracta labe liberare creditum est.

Verum enim verò illud sæpè adeò contagiosum & crudele existit, ut non solum quamplurimos, adultos etiam quos corripit, jugulet, sed etiam pestilentialem prorsus aërem post se relinquat.

Quin imò sæpe observatum est, illius malitia multos in externis partibus adeo devastatos fuisse, ut, ne penitus interneci oni ipsos tradere opotteret, Medici ad crudelissima, vereque cruenta remedia, ferrum scilicet & ignem usque, pervenire coacti fuerint.

Fieri non potest, ut quenquam à tali morbo præservemus; imo cum periculo non levi conjunctum est, periculum ipsius facere.

Officium ergò Medici, quantum hic præstare potest, in hoc consistit: ut naturæ jam afflictæ & delassatæ, auxiliarias mittat copias; utque viscera à corruptione defendat, & in doloribus aliisque symptomatibus remedia suppeditet.

Ad humores, (quibus natura tantopere delassatur,) foras ejiciendos, considerare inprimis oportet, num stomachus, communesque viæ, superfluitate aliqua redundent, nec ne. In tali siquidem casu à purgatione tanquam à linea auspicaberis, duplicem ob causam. Primò, quod eo ipso Corruptionis subjectum, ab humoribus, dum præter naturam retenti fuerunt, fermentatis, corruptis, & à calore interno, qui totius fundi calamitas est, accensis, obortum rescindatur & expurgetur.

Secundò, quod stomacho ita perpurgato Bezoardicis postea locus magis detur, quam dum ille variis sordibus adhuc scateret.

Quandoquidem ergo Ventriculum ab illuvie sua vindicare omnino necesse est, statim in prima morbi invasione, antequam pustulæ foris conspiciantur, ita agito:

℞. Salis Vitrioli gr. v. vj. vij. x. aut minus pro circumstantiarum conditione.
(Adulto debetur ʒ.ß. ad ℈.ij.)
Syrupi Violar.
Aquæ Scabiosæ q. s. ad magnam vel parvam potionem. Fiat potiuncula.

Propina ad vomitum excitandum. Vice Salis Vitrioli, si qua sapor ipsius formidabilis sit, Vomitorium Antimoniale præcedenti cap. descriptum assumere licet. Pariter quando parentes ex inscitia neutrum admiserint, purgationem ex Mannæ & Cremoris Tartari simul unitorum sufficiente quantitate institue. Illa ipsa enim ex purgantium familia benignissima verè sunt & Benedicta. Parem tamen cum prioribus efficaciam & opera-

 ratio-

rationem ab his nemini polliceor. Non enim satis est cavere, ne corpus purgatione aliquantulum sollicitantibus medicamentis atteratur; Quinimò ad id sedulò convertenda cura est, ne illa nimis tarde perficiant operationem, relinquendo ea quæ relinquere minus oportebat.

Quidam periculosam valdè arbitrantur usuram purgantium medicamentorum in hoc affectu, quomodocunque etiam sive per secessum sive per vomitum operantium, his suffulti rationibus, quod nimirum materia peccans à circumferentia versus centrum ea ratione magis illiceretur, impediretur que materiæ per poros dissipatio. Attamen possum affirmare contrarium ab ipsis effectibus, quos sæpè hisce meis oculis vidi. Nam quoniam purgatio porrigitur antequam pustulæ prorumpunt, eaque minus violenta vel hydragoga, quâ humor serosus de longè attrahatur, tantùm abest, ut naturam ab expulsione per loca conferentia impediat, ut potius illam hoc modo exoneratam, ad reliquias per poros detrudendas alacrius confortet, & impellat. Id quod observavi, in propria filiola annorum quatuor cum dimidio, inprimis morbi prædicti symptomatibus valdè afflictata & stomachum, pectusque impurum habente, adeò, ut natura hoc modo impedita ab officio expurgationis cedere prorsus cogeretur; Statim enim dum per vomitoria purgationem una aut altera vice tentavi, ipsaque biliosa simul cum phlegmatica illuvie rejecit, pori recludi, totumque corpus pustulis abundare cœperunt, ita ut feliciter absque ullo symptomatum, pectoris, gutturis, consueto succenturiatu restituta jam tum quoque sana vivat.

Similiter superiori æstate mihi accidit Hagæ cum ancilla Domini Baumont, Illustris Principis Henrici Nassoviæ Equisonis, triginta quatuor annorum hoc eodem morbo ægrotante.

Postquam enim stomachum valdè coinquinatum, magnam oris amaritudinem, urinam valdè biliosam cum magno vomendi desiderio una sentiret, Vomitorium propinabam mole ad constitutionem ipsius mihi visa conveniente. Quo factum est, ut humoribus ad exitum benè dispositis (minima enim medicamenti illius erat dosis) purgatio adeò succederet, ut postquam quater vel quinquies vomuerat leniter, continue postea ad vesperam usque nonnullis arduis symptomatibus supervenientibus, dejiceret. Exhibui ipsi dosin unam Laudani, & postridie benè quietam iterum inveni, ventris enim fluxus desistebat, mensque benè habebat iterum. Sequenti verò die tota pustulis obsessa à capite ad calcem usque fuit, & brevi postea ad se tutò rediit. Quod si purgationes materiæ morbificæ secretionem impedirent, in hoc casu, ubi æquè subtiles quàm crassi humores eliminabantur, minimè curatio successisset.

Insuper quid dicendum de Laudano ex opio ad omnium ferè Medicorum sententiam frigido in 4. gradu, & narcotico? Anne secundum hanc theoriam inferendum fuisset, quod in corpore usque adeò exinanito sensus esset stupefacturum, incrassaturum materiam peccantem, & reliquum caloris nativi suffocaturum? Nihilominus tamen contrarium usu

venit,

venit, dum Laudanum suas Laudes in hoc fluxu sistendo, somnum inducendo, vires recuperando & sic materiam morbificam naturæ viribus auctis secernendo, egregiè probavit. Et plures observationes adducere facilè possem, si opus esset, & brevitas scripti pateretur.

Ad rem autem revertendo dico: statim post purgationem infanti exhibenda esse unum, duo vel tria grana Chryso-Bezoar in aqua destillata succi Veronicæ in forma potionis ad sudandum modicè: (nimia enim sudoris prolicitatio utilis non est:) tenendo ipsum calide donec pustulæ foras prodierint. Quod si cum difficultate fiat, ut sæpè accidit, repetenda prædicta Chryso-Bezoardici dosis est, etiam ad tertiam vicem, si opus videtur. Hoc enim modo facultas expultrix robore aucta, apertisque poris, facile noxia à se protrudit.

In putris corporibus loco purgantis medicamenti statim Bezoardicum administretur. Et tantùm in genere de prædicta cura.

Insuper valdè necessarium est in accidentia quoque hujus morbi animadvertere, sequenti modo.

Primò, oculis suppetiæ ferendæ sunt, ne corrumpantur, hocque nomine in usu celebria sunt Crocus & Lac, mixta invicem, & mox ab initio circumcirca inuncta. Crocus enim facultate sua incrassante, & anodyna, penetrationi malignorum subtiliumque humorum resistit, ardorem mitigat, & concursum materiæ peccantis eo modo impedit, unde communiret benè habere solent, si ab initio antequam materia fluxerit, adhibeatur.

Sæpè inflammatio & putrefactio in gula & ore, præsertim prætermissa ab initio purgatione, negotium facessunt, tam ratione officii partis affectæ, qua sine homo sustentari non potest, quam respectu situs. Optimum igitur erit per intervalla cochlear liquoris lenientis modice abstergentis, resistentisque putrefactioni propinare. Ad quod inserviet sequens Julepus.

℞. Aquarum succi Fragariæ.
Plantaginis.
Sambuci.
Succi Glycyrrhyzæ.
Tussilaginis.
Dianucum simpl. an. ℥. ß. Misce.

Dosis ipsius ter quaterve indies exhibeatur, & in casu constipatæ alvi applicetur suppositorium ex melle rosato.

Corruptioni & putrefactioni partis cujusdam externæ, quæ interdum, quamvis rarò, accidit, vereque periculosum symptoma est, occurrendum est remediis infra de Gangræna descriptis.

Contra sitim potus audacter, ad satietatem concedatur de Julepo aliquo suavi, vel de ptisana edulcorata & tepefacta, præsertim in principio, ne calor nativus subitaneo horrore repercussus à laudabili proposito desistat. Cavendus etiam magnopere vini usus est, præsertim ubi febris adfuerit, quippe quod & febri focum accenderet, & paroxysmis epilepticis, spasmo, convulsionibus, ipsique morti etiam ansam præberet.

Si caput dolore prænimio afficiatur, noctesque insomnes habeantur, commendatum tibi habeas granum dimidium vel integrum Laudani in pauxillo aq.

Car-

Cardobened. dissolutum, dummodo pectus minus viscidis humoribus repletum, & respiratio libera fuerit. Et hoc medicamentum somnum conciliabit, dolorem, ardoremque mitigabit egregiè.

Quando variolarum vestigia turpitudine faciem afficiunt, dupliciter resistendum est. Primò, impediendo, dilatando, dissipandoque materiam, ne tam in facie hospitetur, quam in aliis corporis partibus. Postea præcavendo, quando jam foras gliscunt pustulæ, ne nimium carnem derodant. Quandocunque ergò in principio infantem tali morbo decumbere animadvertis, singulo die, ter quaterve unguento aliquo astringente & mediocriter refrigerante faciem illinias, verbi gr. liquore Myrrhæ unguento rosato permixto; idque sine intervallo, donec pustulæ cutem totius corporis benè occupaverint. Sic enim pori adeò constringuntur, ut materiæ peccanti omnis aditus egregiè præcludatur.

Interim tamen benè prospiciendum est ipsi Naturæ, ut diximus, ad eum finem nempe, ut in exterminanda materia noxia, eaque longius à corde propellenda, sese alactiorem præstet.

Alterum illud, ne nimium erodant carnem, obtinebis, humectando pustulas jam formari cœptas, tepida malvæ decoctione, cum pauxillo sacchari concinnata, vel instar Cataplasmatis superposita; pulpa itidem pomorum dulcium in lacte coctorum, perque cribrum actorum, & cum saccharo & croco permixtorum. Ejus enim remedii beneficio celeriter marcescunt. Quo facto abscindendæ sunt subtili forcipe, & postea foliorum plantaginis decocto lavandæ, permodicoque mellis rosati ad purificationem juvandam demulcendæ. Denique quando jam arescere incipiant, seque bene habeat infans, faciei omni sero fomentum superinducatur ex decoctione surfuris frumentacei, cum sacculo in lactis sero cocti, ad poros cutis aperiendos sudoremque proliciendum. Sublato eo inunge oleum, quod antea in promptu habeatur, tali modo præparatum.

℞. Olei de vitellis ovorum per expressionem.
Olei de Benn.
Vini albi opt. ana ℥. iiij.
Myrrhæ electæ subtil. pulver. ℥. j. ß.
Gummi Sandarachæ,
Asæ dulcis sive Gummi Benzoin. ana ℥. ß.

Infundantur in vitro, & ponantur in B. M. vel fimo equino per 40. dies, deinde colentur & serventur ad usum. Quæ ipsa inunctio semel quotidiè, vel ad minimum alternis diebus, per duas vel tres hebdomadas continuanda est sine intermissione. Nisi enim quibusdam in casibus, veluti si infans nimis parvus, & delicatulus extiterit, contra judicetur, procul dubio egregiam experieris operationem. Nec ignoro ad hoc idem ex variis classibus Medicamenta desumi posse, quibus, qui volet, proprio ingenio fretus, ad prædictum scopum dextre utatur. Meum interim bono publico inserviendi studium boni consulatur. In adultioribus tam purgantium quam Bezoardicorum dosis, ad proportionem ætatis virilem, ipsiusmet morbi semper dimetienda est.

CAP.

CAP. IX.

Contra morbillos.

HIc affectus, nisi febri ardenti inplicatus, usque adeo periculosus non est, nec etiam tam contumax ut variolæ, propterea etiam utplurimum ad Medicorum manus non pervenit. Nihilominus quia materea peccans naturam lacessendo expultricem ejus facultatem impedire potest, ad sequentia attendere oportet:

℞. Chryso-Bezoar. gr. j. ij. iij. ad proportionem ætatis & virium.
Aquæ stillatitiæ de succo Pimpinellæ cochl. ij. & propina.

Postquam propinaveris, in lecto se gerat calide mediocriter, & dubio procul, dummodo natura non omnino victa fuerit, morbilli foras apparebunt. Quo facto, tam regiminis victus, quam aliorum particularium accidentium ratio recte habeatur. Ad quod superius caput remedia quoque subministrabit.

CAP. X.

De Dysenteria.

DYsenteria, seu profluvium sanguinis per intestina & alvum, ad Classem morborum acutorum & populariter grassantium pertinet. Propterea, quod in populum grassando, brevi tantam excitet stragem, ac si fuisset pestis ipsa. Idque potissimum circa autumnum, quando fructuum abundantia, ex stulta cupedia, vel etiam penuria homines nimiũ repleti, ad aquæ potum sese conferunt. Eo ipso enim vires ipsorum dejiciuntur, stomachus pravis humoribus repletur, Temperamentum Epatis alteratur, sanguis depravatur, humores dissolvuntur, facultas retentrix partium labefactatur, expultrix irritatur, adeo ut in febres ardentes fluxui sanguinis complicatas facile incidant, & paucissimis diebus vitam finiant suam.

Tractabimus hoc in loco tantum de dysenteria illa maxime universali, & maligna, non item de cæteris sanguinis profluviis.

Duobus itaque remediis cura ipsius absolvenda est. Uno Prophylactico; Therapeutico altero.

Prius consistit in eo, ut caveamus nobis à nimio fructuum esu, à potu tenui & frigido, præsertim si fructus comederimus, sumantur item singulo mane guttæ iij. vel iiij. olei sulphuris vel vitrioli in cochleari vini vel cerevisiæ, vel aquæ communis. Et hoc tam vili emitur pretio, ut nemo, credo sit, cui ad illud ipsum ad totam æstatem redimendum non suppetant sumptus. Ditiores à fructibus prorsus abstineant, in eorum locum salubri victui operam dantes. Quod si etiam cum ægrotis familiaritatem habere oporteat, sæpe utantur Diasoli nostro cum conserv. rosar. rubr. vel etiam Syrupo Cydoniorum permixto. Mane nares muniant ungento Bezoardico, contra malignitatem aëris, graveolentiam item ab hoc morbo subortam. Stomachum pravis humoribus onustum si sentiant, pilulis nostris Balsamicis supra 3. Cap. descriptis, sero ante cænam purgationem instituant, potissimum

quando lactuca; fructibusve horariis pasti mali aliquid suspicantur. Et sic à dicta labe εὖν θεῷ, conservari quemlibet posse existimo.

Curam auspiciari oportet subito, quando nempe vires adhuc valuerint. Primò, expurgando humores viscosos & peccantes. Secundo, robur partibus conciliando: Profluvio simul resistendo vel eundem omnino præcavendo.

Ad primum scopum collimamus sequenti hemetico.

℞. Lapid. Philosophici Fioravantini gr. v. vij. viij. ix. ad x. pro virium differentia.
Conserv. rос. rubr. ℥ij.
Ol. Cinamomi gutt. j. Fiat Bolus.

Quo devorato, os liquore aliquo colluatur, ut melius ad stomachum succedat. Possunt etiam pilulæ inde formari, cum Syrupo quodam & Boli loco degluriri cum custodia. Hoc loco dignatus sum Vomitorium istud, quod egregie se mihi pluries præstiterit, tam facultatis, qua pollet, hemeticæ, quam adstringentis, & roborantis causa.

Et hoc inde proficisci arbitror, quod in ejus compositionem chalybs & ferrum magna satis copia ingrediantur, prout videbunt, qui præparationi ipsius horas operasque impendent. Consulatur Fioravanta in Corona Medicinali. Attamen ab aquæ fortis spiritibus cum beneficio, ignis tum ablutionibus ut ritè vindicetur necesse est. Nec enim sufficit, rudi tantum Minerva medicamentum præparare posse, sed & opus est, scire particulariter, in qua substantia, in qua operatione, benignæ malignæve ipsius sitæ sint qualitates & multa alia. Et necessariam hanc fuisse admonitionem arbitror, quod plures noverim hisce arduis studiis sese intermiscentes, eo ipso veri sanitatis turbatores, qui ne tantillum quidem instructi de corio humano immane quantum ludunt.

Alterum vomitorium, cui in Hemetologia nostra, & hoc etiam in loco, merito suas quoque debemus laudes, tale est:

℞. Salis Vitriol. ℈j. ʒß. vel ℈. ij. ad differentiam corporum Syrup. Cytoniorum.
Aquæ Betonicæ ana unc. ß. vel j.
Aquæ Cinamomi gutt. x. Misce & propina.

Quod si quid vomitoriorum usum prohibeat, ut sæpe usu venit, materiam peccantem infusione Rhabarbari cum Mannæ ad sufficientiam purgari operam dabis.

Purgationi succedat venæ sectio, quando ea indicabitur, postmodũ Chryso-Bezoar, dosis j. in cochleari Syrupi Cydoniorum. Pro pauperibus Crocum Martis, (pro cujus integra libra justo pretio numeratur dimidius coronatus,) ad grana x. vel xij. cum conserva rosar. rubratum commendo. Et quidquid horum usui destinaris, viginti quatuor horarum spatio bis exhibeas.

Si magnus dolor urgeat, pilula una Laudani degludienda detur. Ea enim dolor fugatur, quies conciliatur, totique curæ egregium auxilium præstatur.

Ita quoque venter inungatur bis in die oleo Cytoniorum, Myrrhæ, Mastichis invicem contemperatis. Et dubio procul bonus inde sequetur effectus.

Quod

Quod Diætam attinet, jusculis potissimum, cibisque aliis restaurantibus facilisque digestionis, ratione tamen diligentia ad omnes circumstantias, an item febris adsit, nec ne, habita, nutriantur. Potus esto ordinarius, bona prisana, bene cocta, dulcorata, & Cinamomo aromatisata, aliquando etiam modicum vini clareti, aquâ Menthæ vel Melissæ mixtum.

Reliquas dysenteriæ species quod attinet, particulariter nempe ab epatis imbecillitate, ulceribus intestinorum procedentes, earundem remedia ex superioribus singulatim hauriri possunt. Pro epatis imbecillitate operas præstabit suas, Emplastrum Dysentericum; pro intestinis, Infusio Hypericonis cum jusculo capitis vervecis facta, uti diximus cap. de febrib. ardentibus, & sic pro aliis alia.

CAP. XI.

De Hemicrania.

Quoniam Bezoardica præcipue venenis acutisque affectibus opposita sunt, magis pro re nata fore duxi, toto veluti libello in duas partes diviso, prius de acutis morbis tractasse, antequam sequentium, Chronicorum nempe curam auspicarer. Quamvis tamen animus nunquam fuit generalem methodum, vel medicinales institutiones, quin potius directionem, & usum trium nostrorum Bezoardicorum tractasse; Nihilominus benevolus Lector meam manuductionem hanc, dum jam ad Chronicos etiam affectus utilitatem Bezoardicorum demonstro, æquo animo, spero, accipiet. Pro iis ergo quibus caput Hemicrania laborat,

℞. Flor. Betonicæ,
Melissæ ana ʒß.
Diasolis ʒß. Misce.

De hac mixtura singulo mane per 3. quatuorve septimanarum spatium ægro exhibeatur, corpore tamen sequentibus pilulis Cephalicis rite purgato.

℞. Suc. fœniculi,
Rosf. rubr.
Betonicæ,
Melissæ ana ℔ j.
Majoranæ ℔ ß.
Aloës lucidæ ℥viiij.

Aloë in succis depuratis in olla vitreata dissolvitur & humiditas decoquitur, donec simul picis consistentiam adepta fuerint, pilulæque formari apte possint. Postea aloë ita composita accipitur, & ad singulam ipsius unciam incorporantur sequentia.

℞. Essentiæ fol. senæ per aquam Tartarisatam diligenter extractæ ʒiij.
Essentiæ Hellebori nigri Strigoniensis (vel ex alio loco) ver. & opt. per lixivium ipsius Hellebori extract. ℥j. ß.
Ligni Aloes resinosi,
Cariophyll. an. ʒiiij.
Spicæ Nardi Ind. ʒij.
Ol. Majoranæ,
Angelicæ,
Nucis Moschatæ, succini albi non rectif. an. gutt. x.

Mixta & incorporata in membrana oleo amygdalarum dulcium irrorata bene custodiantur ad usum. Dosis earum esto à ℈i. ad ʒß.

 Den-

Dentur mane jejuno stomacho; Vel etiam vesperi ante cœnam, & tum in minore pondere usurpantur. Post purgationem hanc & venæ sectio institui potest, in corpore sanguineo calidoque: alias minus.

Sic & tempora inungantur interdum unguento Bezoardico.

Ex his remediis rectam victus rationem observando, ventis, nimio calori aut frigori se subtrahendo, brevi morbo huic nuncium remissuri sunt, nisi forsan radices egerit, vel senium naturæque imbecillitas difficultatem pariat.

CAP. XII.

Contra oblivionem vel hebetudinem memoriæ.

AD memoriam, à frigidis humoribus in cerebro prædominantibus deperditam, restituendam, sequentia præscribimus capita.

1. Semel atque iterum purgatio pillulis Cephalicis ex præcedente capite instituatur.

2. Singulo mane per tres septimanas tria vel 4. grana Diasolis cum conserva florum Rorismarini sumantur; caputque pectatur, & hebdomatim lotione purgetur, capillis intercalando pulverem Ireos, Majoranæ, fricandoque pannis asperis calidis; vel caput lavetur lixivio super Rosmarinum, Majoranam, Thymum, Melissam, radices Acori, Iridis, aliarumque rerum capitalium aliquandiu infuso.

3. Mane aliquando Nucha inungatur ungento Bezoardico. Adhæc si recta victus moderatio accedat, per tempus diligenter à frigore cavendo, nullum erit dubium, quin brevi memoria in pristinam vivacitatem restituatur. Exceptis iis casibus, ubi hebetudo ista à generali corporis debilitate enata fuerit, vitæque melior pars transierit.

CAP. XIII.

Contra Vertiginem.

VErtiginosis consulendum est, ut omni mane pauxillum Diasolis cum conserva Florum Betonicæ intro deglutiant, interdum etiam stomachum per Sal Vitrioli expurgent, sanguinemque pro necessitate ex vena Cephalica dextri brachii (attamen cum discretione,) mittant.

Denique & ipsis inunctio in tempora & nares ex unguento Bezoardico, præsertim ubi mali originem ex cerebro magis quam stomacho inspiceris, valde convenit, cum alias si ex stomacho malum proveniat, duobus prioribus remediis totum negotium conficere liceat.

CAP. XIV.

Contra Lethargiam vel stuporem cerebri.

QUamvis Lethargiæ nomine nullus alius morbus proprie appellandus veniat, quam magna illa cerebri stupiditas, cum privatione memoriæ, continuo somno, & linguæ titubatione, qua ipsa plurimi etiam adfliguntur? Nihilominus tamen Carus, congelatio, & coma quæ quam proxime ad Lethargiæ propriè sic

dictæ

dictæ naturam accedunt, generaliter sub Lethargiæ cura tractari possunt.

Et sunt tales affectus, præsertim congelatio, periculosissimi, & verè deformium & horribilium symptomatum causæ.

Quod ipsum multi mecum superiori æstate experti sunt in quodam juvene hoc modo ægrotante, cujus nomini hoc in loco parco, annorum circiter viginti sex, boni corporis habitus, temperamenti inter sanguineum & phlegmaticum medii, bonæ indolis, & ingenii ad modestiam & amorem nati. In accessione enim mali (quod quidem interdiu nullos observabat typos, attamen noctu infallibiliter revertebatur:) tanta sensuum inordinatione corripiebatur, ut nec motus, nec vitæ ipsius ullum reliquum erat indicium, præter lentam respirationem, caloremque corporis; Oculos semper fixos & apertos instar glaciem incantes tenebat, per horas alias plures, alias pauciores, secundum quod vel minor vel major copia materiæ in cerebrum irruebat. Expergefactus omninò inscius omnium rerum erat, nec insomniorum, quæ procul dubio viderat, recordabatur amplius, imò pro certo statuo, quod, si auris, manus, aut pes ipsi decisa vel abrepta fuissent, (quamvis aliquando, licet raro in titillatione plantæ pedis, absque tamen ulla experrectione, movebatur,) ipsum dolorem non nisi obscurè percepisse. Aliquando enim, cum ita stupidus jacebat, sub sinistrum genu, ruptorium ad cauterium excitandum applicare feci, & paulo post ligaturas removendo & super escharam digestivum apponendo, nihil quicquam doloris percepit, sed alto sopore obrutus semper mansit.

Post aliquot horas demum experrectus, doloremque & ligaturam sentiens, mirari subiit, quomodo sibi inscio hæc omnia advenissent. Aliquando idem eodem paraxysmo triginta aut quadraginta horas sine experrectionis intervallo detinebatur; Quin imò ad hæc usque tempora, quamvis mitius, eodem modo interdum adfligitur. Sed ut ad rem redeamus, quamprimum Lethargiæ halitum olfacimus, ante omnia purgatio per sufficientem Salis Vitrioli dosin, vel per Mercurium vitæ instituatur; eaque postridie, etiam si necessitas postulet, pilulis cephalicis nostris, aut quibuscunque aliis continuetur, donec corpus ab omni humoris pituitosi superabundantia optimè rectificetur.

His præmissis, quatuor aut quinque autoris in lecto sudor proliciatur unguento Bezoardico toti corpori obducto, ad modum, quem capite de intoxicationibus significavimus, frigus postea summo studio cavendo. Humore seroso ita per sudorem exhausto, & sanguine fluxili reddito, in plethorico & juvenili corpore, vena etiam Cephalica dextri brachii cum fructu aperiri posset. Sic enim & spiritus quodammodo alterarentur, & venæ capitis exonerarentur.

Tribus his peractis, ægro singulo manè sequens compositio commendetur.

℞. Conserv. Majoranæ
Melissæ an. ℥j.
Diasolis. ʒiiij. Misce.

Insuper tempora, nares, nucham modico unguenti Bezoardici aliquando oblinias, & sternutationes, capite de peste infectis, ejusque particularibus symptomatibus descripto, cieas. Hanc methodum quinque vel sex hebdomadas usque continuando, & Diætæ convenientis regulas observando, (abstinendum enim est à cibis phlegmaticis, ventosis, acribus, alterantibus variis, nimio potu, somno, violentis exercitiis, Cholera, Melancholia, Venere, humorum ebullitionem causantibus:) humorem illum narcoticum materiamve peccantem cerebro impactam brevi consumtam, sensus redintegratos, totique morbo per omnem vitam maximam securim injectam iri, nullum erit dubium.

Quod si malum fuerit inveteratum, vel ex naturali propensione obortum, semel singulis annis vel ad minimum biennio, tempore veris prædicta repetenda sunt remedia. Inprimis multùm confidat in pilulas nostras Cephalicas, Luna sextiliter Solem adspiciente, postmodum etiam in unguentum Bezoardicum, ut dictum est præsertim in aurora, cœlo existente nebuloso humidoque, quòd, quàm fieri potest, declinandum.

CAP. XV.

De Epilepsia.

EPilepsia morbus est ut plurimum infantibus magis quàm adultis familiaris, idque duplici ex causa. Vel enim ab utero matris, sanguinisque ipsius inquinamentis malum hoc secum apportant; Vel ab humorum acrium & vellicantium copiâ, flatibus item ventris, dolorem & extensionem intestinorum causantibus facilius in illud incidunt.

Et hæc distinctio adprimè ex usu est, ad infantium curationem. Illis ergò quibus Epilepsia connata est, ad duplicem scopum collineando auxilium præstabimus: primò nutriendo ipsos rebus Epilepsiæ specificè oppositis. Secundò administrando medicinas convenientes secundum ætatem.

Utrumque humorum corrigendorum, spirituum illustrandorum, morbiq; ipsius essentiæ diminuendæ causa.

Quod primum attinet considerandum est: annе mater infantis valetudinaria, natura melancholica, timida sit, cujus gratia spiritus facilè turbantur, & impressionibus phantasticis, ærumnosis, obnoxii existunt. Miselli enim infantes ab ejusmodi matribus tantam labem lacte quotidie insugunt, ut per totam vitam postea morbidas ærumnas eluctari nequeant.

Inprimis ergò nutricem habeant juvencam, sanam, & temperantem in cibo, potu, cholera & reliquis rebus non naturalibus. Victus, itemque potus ipsius esto, non ventosus, neque nimium calfaciens sanguinem: singulo manè (si se pro salute infantis dare velit,) assumat conservam Betonicæ quantitate nucis castaneæ cum grano j. vel duobus Diasolis permixtam. Sæpius bibat Aquam Betonicæ, Hypericonis, florum tiliæ, vel infusionem illorum solam vel ordinario potui attemperatam: Idque decem vel duodecim continuos menses vel etiam per totum lactationis spatium.

In

In matrimonio si vivit, sedulò attendendum est, quãdo imprægnatur, ut infans vel ablactetur, vel ab alia nutriatur; vel etiam pultibus aut pane trito cum aqua & pauxillo butyri recentis oleive amygdalarum dulcium satietur.

Quoad pharmaceiam: singula Lunæ mutatione dentur granum j. vel j. ß. Chryso-Bezoar in cochleari Aquæ succi hypericonis, vel ejusdem Syrupi ex floribus compositi, quod summum mali hujus remedium laudo, si ad prædictum usque tempus continuetur. Et hoc modo morbus felicissimè profligabitur, dummodo ab initio paroxysmi non usque adeò impetuosi & vehementes functiones vitales, & animales penitus aboluerint. Alias enim intra paucos dies, quotidiana docente experientia, vitam cum morte commutare solent. Infantes labe hac accidentaliter ab acri quadam materia, sanguine in stomacho grumescente, flatibus &c. decumbentes, præterquam quod ad supra dictam normam tractandi sint, singulo quoque die dimidium granum, gr. j. ij. ad ætatis differentiam, Diasolis, cum cochleari olei amygdalarum dulcium recenter absque igne expressi sorbeant, & unguenti Bezoardici tantillo umbilicum & pectoris concavitatem inungi patiantur. Si sunt constipati, applicetur suppositorium ex melle rosato ad dejiciendas intestinorum feces. Quibus remediis magnum ipsis solatium adferes.

Adultiores Epileptici utriusque sexus ad sequentem ordinem tractentur.

℞. Conservæ Hypericonis ℥iij.
Diasolis ℥iij. Misce.
Detur singulo mane ad ℥j. per 6. 8. vel 10. menses. Singulo bimestris spatio ad vomitum provocentur sufficiente Salis Vitrioli, vel Vitrioli nostri Regenerati dosi, (illud reperitur in nostra Anatomia Vitrioli,) pridie Novilunii vel etiam biduo ante:

Sic & tempora & nucha unguento Bezoardico inungantur. Et notandum, patienti temperamento calido prædito, cui adventante vel finiente paroxysmo, nares & os sanguine diffluunt, loco Diasolis singulo manè duo vel tria grana Chryso Bezoar cum conserva rosarum rubrarum magis convenire. Hebdomatim etiam exhibeatur dosis Laudani nostri vesperi duabus horis ante cubitum. Sic & vena dextri brachii hepatica semestri spatio semel aperiatur, diligenter in paroxysmorum tempora advertendo, in quibus nempe planetarum concursibus, vel quadrato aspectu Martis insultum faciant. Observavi enim sæpius venæ sectionem paulò ante paroxysmum factam, egregiè successisse. His regulis observatis, uti etiam bono victus regimine, secundum cujuslibet temperamentum, morbique diversas causas, æger sublevabitur multum. Medici verò honorem & existimationem inde reportabunt, dummodo morbus simul cum generationis principiis, & sic naturaliter non fuerit implantatus, ut sæpe factum experimur.

CAP. XVI.

De Catarrhis.

AD auxiliandum iis qui phlegmatici sunt, quippe propter nimiam cerebri

bri humiditatem, catharris frigidisque defluxionibus laborant, sic erit procedendum.

Primo ℞. 4 5. vel 6. grana Mercurii Emetici secundum personarum constitutionem, cujus in nostra Hemetologia mentionem fecimus, ac porrige ægroto in cochleari vini albi ad declinationem Lunæ, tempore matutino ante Solis ortum dum adhuc in lecto decumbit. Dignum autem observatu est: quod per vices jusculum aliquod calidum ad promovendam medicamentis operationem vomentibus præbendum statuamus.

Die sequenti, nisi quid contra indicet, ut perfecta fiat evacuatio per alvum, subsequens detur Bolus.

℞. Resinæ scammonii, seu scammon. more Spagyrorum depurat. gran. x. vel xij.
Conservæ rosarum rubræ. ℨij.
Ol. Caryophyllorum gutt. j. fiat Bolus.

Corpore evacuato, tribus aut quatuor auroris, sudor proliciatur unguento Bezoardico, modo in capitulo de lethargia prædicto.

Demum 15. vel 20. dies continuos exhibeatur horis matutinis 4. vel 5. gra. Diafol. in conserva florum Rorismarini, inunganturque tempora unguento Bezoardico. Atque hac ratione brevi mitigationem sentiet æger: adde, quod vivendi rationem ad curationem, pro virili quoque dirigere necesse sit.

Quam ipsam curam reiterare quotannis semel, verno, aut autumnali tempore operæ pretium erit

Alias catharris non tàm à frigidorum humorum superabundantia, quam sanguinis præternaturali ebullitione, vaporibusque calidis vellicantibus, & pituitam cerebri colliquantibus, exortis, quod sæpe plethoricis, intemperatis, & bibonibus, item mulieribus suppressionem Menstruorum patientibus accidit, sequentem normam observare debent.

1. Viris vena sæpius secetur, singulo triduo, postea dosis j. Chryso-Bezoar cum conserva rosarum exhibeatur, decoctiones item herbarum refrigerantium & hepaticarum cum sero lactis vel Julapiis ad refrigerandum sanguinem accommodatis. Interim etiam purgatio instituatur infusione Rhabarbari quantum vires portaverint.

2. Quod fæminas attinet, dabis operam, ut menses provocentur, modo id ætas non dissuadeat, medicamentis, quæ peculiari capite sumus propositut.

Sic enim sanguine diminuto, caloreque ad temperiem reducto, cessabunt vapores & catarrhi simul, dummodo facultas cerebri retentrix non omnino labefactata, vasa ipsius resoluta, aut longo tempore natura ad malum habituata fuerit. Eo enim in casu, quicquid ad integram curam molieris, operam & oleum perdes. Ideoque suaserim, palliativa potius & mitigatoria administrare remedia, veluti Laudanum, quod singulares ad vapores prædictos inhibendos, humores subtiles incrassandos, partesque imbecilles corroborandas, præstabit effectus; Abstinendum tamen est inprimis à fortiter purgantibus Medicinis. Illa ipsa enim valde perniciosa esse, ratio manifestè probat.

CAP.

CAP. XVII.

Contra Tussim.

TUssis morbus diversas habet causas, quas recitare hoc in loco mei propositi non est. Quilibet enim qui volet, in infinitis aliis libris omnia reperiet. Ejus tantum curam attingam, quæ ab humore frigido à cerebro per intervalla in asperam arteriam delapso, aut frigida simplici pectori nocente qualitate, ut decrepitis usu plerumque venit, exoritur.

Tussis ergò à catarrhosa & frigida destillatione ut averruncetur, ad generalem catarrhorum curam superiori capite descriptam, confugiendum est. Demptis enim hoc modo causis, accidentia quoque inde suborta, domari facilius poterunt, sin verò alia difficultas in causa sit, verbi gratia, quòd tussis sit inveterata, corpus debile, quod prædictam curam sustinere minus possit, vel quod morbus adhuc sit in fieri, nec tum confirmatus, levioribus medicamentis superandus; sequentem curationis viam calcabis.

℞. Axungiæ caponis ℥iij.
Unguenti Bezoardici drachm. ß.
Misce.

Quo ipso pectus ægroti obliniendum serò ante lecti ingressum mappulâ benè calidâ superpositâ.

Dum hæc fiunt, porrigas simul tria quatuorve grana Diasolis cum pauxillo Syrupi Tussilaginis; idque duabus vel tribus vesperis usurpatum, magnum adferet solatium.

Stomachus cacochymicus si adfuerit, ad evacuandum ipsum, Sale Vitrioli, pro virium morbique magnitudine utaris: Inter vomitoria siquidem non ultimum illud obtinet locum ad hunc præsertim scopum. Attamen si quid obstet, ejus loco pilulæ balsamicæ substituantur, quarum descriptionem tertio cap. de peste tradidimus.

Infantibus tussi à nimia refrigeratione absque phlegmatum concursu vexatis satis erit, pectoris cavitatem duntaxat supradicto linimento inungere. Humoribus autem crassis & viscosis in pulmonum branchiis infarctis, & respiratione quodammodo impedita, protinus 4. 5. 6. vel 7. grana Salis Vitrioli cum pauxillo Syrupi consolidæ regalis ad evacuandum pectus, majoraque evitanda symptomata, administrentur. In hoc enim levissima etiam mora vel mortis ipsius, vel maximarum sollicitudinum causa esse potest, quemadmodum sæpe videre est ab ipsis, qui parentum plus justo meticulosorum causa, arma hæc salutis è manibus extorqueri sibi patiuntur, & omni spe conclamata, in vigore demum morbi velint, quod incipientibus morbis tempestivè secundum Hipp. 2. Aphor. 29. exequi debuissent. Illi verò parentes non magis affectus in filios demonstrant bonos, quam simiæ, quæ sobolem amplexu interficiunt.

CAP. XIIX.

Contra Paralysin.

PAralysis inveterata ad sanitatem rarò reducitur, imò dixerim nunquam, nisi

nisi longa balneorum specificorum, medicinarum egregiè confortantium, & diætæ denique restaurativæ continuatione, inque juvenilibus & robustis corporibus.

Bezoardicorum verò usus uti methodice contra paralysin dirigatur, considerandum protinus in principio est, num curationis spes habenda sit nec ne? Ea ergò existente curabili, examinandum est: num corpus fuerit plethoricum nec ne; utriusque enim fortis homines, æque debiles & exinanitos, quàm plethoricos invadere sæpè solet. Plethoricis ad catarrhos & defluxiones dispositis inprimis vomitus provocetur conveniente quantitate Mercurii vitæ. Aliàs si sanguis solummodo abundet, è Cephalica oppositi brachii mittatur, quantum sufficiet.

Præmissa evacuatione & partibus affectis hoc modo ab humorum illuvie quodammodo liberatis, postmodum etiam unguento Bezoardico perunctis, linteolo calido totum corpus involvatur & manuli ligneo peculiari industria ad sudores proliciendos concinnato includatur, ut linteolis undique subductis, pauxilloque Asæ dulcis aut ligni Aloës, in ignitario subtus pedes, accenso, sudor, quantum opus est, provocetur. Quod uti felicius succedat, pulvinis & lodicibus circa collum præsertim, ita cooperiatur, ut ne fumus foras prorumpere, nec capiti molestias creare possit.

Hoc facto, instrumentum iterum removeatur, ægerque calidè ad sequentem auroram usque quiescat, camerâ conclusa, & ligno Aloës acetoque florum Lavendulæ perfumatâ. Superveniente deliquio spongia aceto prædicto imbuta nares demulceantur, & aqua florum Lavendulæ seu Cinamomi cum Aqua Rosarum in B. Mariæ destillata & ad dulcedinem insaccharata, ad cochleare exiguum exhibeatur. Ventrem constipatum emollias Clysteribus.

Postridie dabis operam, ut eodem, quo supra factum est, artificio, sudores proliciantur. Si tamen vires non suppeterent, die adhuc uno vel altero interposito, idem si fiat nihil interest.

Postquam hoc modo per sudores, quantum necesse erat, superabundantiam serosorum humorum, defluxiones, sanguinis incandescentiam, & pororum constipationes amolitus fueris, singulo mane 3. vel 4. gr. Diasolis in cochleari Syrupi Melissæ propinentur. Vesperi partes affectas sequenti tractabis unguento.

℞. Axungiæ vulpis ℥ij.
Liquoris lumbricorum sine additione olei ℥j.
Unguenti Bezoardici ℥ij. Misce.

Et hoc unguento, quamdiu opus erit, perseverabis. Quod si stupor partis tantus sit, ut unguentum calidum magis magisque aperientis naturæ oporteat esse, pondus unguenti Bezoardici augeatur, & singula unguenti uncia mediam drachmam salis plumosi subtiliter pulverisati, mediam item aquæ vitæ rectificatæ unciam accipiat. Quo ipso unguento ità acuto reddito diutius non uteris, quàm donec coloris mutatio partisque quasi intumescentia persentiatur. Pari enim industria, ac frigida in hoc morbo vitanda sunt linimenta; ita quoque calidorum

rum

rum abuſus omninò perniciem infert: dum nimirum nervos ultra modum exſiccat, nutritionem avertit, aliaque ſymptomata generat, quo in reſpectu ſatius eſſet totum negotiũ naturæ ab initio reliquiſſe. Idem accidere poteſt unguentis quamvis temperatiſſimis, ſi terminus adhibitionis eorundem plus juſto prolongetur. Tantum enim abeſt, ut influxa materia eorum virtute exhauriatur, ut econtra illa ratione prohibitæ tranſpirationis magis pertinax ſpiſſa & immobilis reddatur. Medicum igitur & in hoc virum oportet eſſe prudentem, qui loco unguentorum, morbo uſque adeò perſeverante, fomentationes ex ſpecificis herbis cum lixivio aliisque liquoribus factas præſcribere commode poſſit. Notandum tamen, accidentalem illam humiditatem à fomentationibus relictam beneficio ſudorum exhauriendam iterum, eſſe. Quæ tamen moleſtiæ evitari poſſunt iisdem herbis in Emplaſtri formam ſequenti modo accommodatis.

℞. Sapæ Baccarum Ebuli.
Mellis Juniperini.
Reſinæ pini.
Olei ſambuci an. ℥iiij.
Gummi ammoniaci in ſucco ſummit. Ebuli vel ſambuci depurati, ℥ij.
Chamepytios.
Fol. Meliſſæ.
Flor. Lavendulæ.
Camomillæ ana ℥j. ʒij.
Salis Gemmæ torrefacti.
Tartari ad nigredinem calci. an. ʒiij.

Sapæ primum coquantur in conſiſtentiam ſatis viſcoſam, poſtmodum Reſinæ, (quę puræ ſint, & ſpiritibus adhuc repletæ,) diſſolvantur in oleo ſambucino. In fine dum ab igne remota modiceque agitata fuerint, usque dum ſponte unguenti ſpiſſitudinem acquirant, admiſceantur Gummi ammoniacum, ſapæ, cæteraque ſubtiliter pulveriſata. Unde maſſa inſtar Emplaſtri de Meliloto communis, non nimium unctuoſa, nec nimium humida evadet.

Hoc emplaſtrum partibus paralyticis adplicatum mediocriter calefacit, materiam peccantem ſubtiliat & abſtergit, ſudoremque promovet abſque omni ſymptomate ab unguentis alias metuendo.

Diætam quod attinet: ordinanda illa eſt non ad morbi ſolummodo naturam, verùm etiam ad ægroti temperamentum & conſuetudinem.

Quemadmodum enim terra non niſi arida pluviam ſitit, humida verò ſolis radiis gaudet: ita ſe res habet, cum corporibus noſtris. Emaciata corpora humida, pinguia contraria poſtulant. Alias eodẽ modò, quo ſemina vel ſuffocãtur vel corrumpuntur, ita quicquid naturale eſt, in corpore diſtemperato, victuque neceſſario deſtituto funditus perire neceſſe eſt. Potus paralyticorum non ſit vinum, præſertim ab initio morbi, non propter calorem vini, ſed quod ſubtilis ſubſtantiæ cauſa ſpiritus impellat, cerebrum perturbet, pituitam colliquet, & conſequenter nervoſum genus debilitet. Verùm potius Hydromel ſimplex, Cerevisia ſecundaria, vel ptiſana radicibus Caryophyllatæ aromatiſata uſque ad morbi declinationem. Et tantùm de Paralyſi à manifeſta defluxione cum pituitoſi humoris redundantia ſuborta. Ad alias enim paralyſeos ſpecies, ut & reliquas

 cura-

curationis circumstantias sermonem extendere animus non fuit.

CAP. XIX.

De Febribus intermittentibus in genere.

QVamvis Febres intermittentes diversissimæ sunt, tàm ratione periodicationum, quàm ipsiusmet materiæ peccantis; nihilominus tamen prudentē Medicum ægrotum in omnibus sequacem & robustum institutis, secundum Hippocratis sententiam, generalibus medicamentis restituere posse minimè inficior. Meam nihilominus sententiam, utut plurimi in contrariam inclinent, nostraq; usu comprobata medicamenta hoc in loco recitabimus.

Et notandum ab initio est, quod Hippocrates lib. de veteri Medicina immotis rationibus confirmat: Febres nimirum non à calore, nec frigore ortum simpliciter ducere, verùm inprimis à materia amara, acri, salsa, pontica, insipida, &c. calori aut frigori conjuncta, intra corpus corrupta & fermentata; qua etiam expulsa febres oppidò cessent. Quod item Paracelsus amplectitur, dum docet, quando eò usque perventum sit, ut hominem febris invaserit, jam tum materiam peccantem necessario præparatam esse, & propterea absque mora purgationem imperari debere; & præparationi humorum diu incumbere nihil aliud esse, quàm corruptioni & alterationi per reliquam sanguinis massam occasionem impertiri.

Quod dum ita se habet, quid de calore & frigore vanis speculationibus nosmetipsos discruciamus? dum nimirum non sint nisi fermentationis illius materiæ peccantis accidentia? quid longis illis Apozematibus & Syrupis digestivis tempus frustrà perdimus? Liberari se & brevi tempore in integrum restitui qui cupit, sequentibus medicamentis aut similibus, quorum natura ditissima est, curam aggrediatur.

Primò, quando quis in febrim incidit intermittentem, chronicam, ut ex signis facile deprehenditur, examinandus æger est, de natura sua, de temperamento, ætate, viribus, eo fine, ut iis omnibus postea curationem accommodare, materiam expellere, vel fortibus, vel levioribus & minorativis medicamentis, possis.

Statim ergo in principio, si vires sustinuerint, vomitorium è Gratiola herba supra cap. de febr. ardent. præparatum, vel etiam Syrupum ipsius è succo, vel denique Infusionem Antimonii cap. de Pleuritide descriptam propinabis. Sequenti autem biduo, triduo, vel quatriduo, Apozemate hoc purgante instabis.

℞. Fol. senæ ℥xij.
Tartari albi crudi ℥iiij.
Summitat. Cardui bened.
Absinthii.
Centaurii minoris.
Fol. Pilosellæ ana ℥j.
Aquæ succ. Card. bened. ℥xiiij.
Infundantur in vase terreo vitrif. per horas vj.
In colatura dissolvantur
Mannæ Calabrinæ ℥iiij.

Clarif.

Clarif. cum albumine ovi s. a. & aromatisentur cum Aqua Cinamomi.

Dosis sit quarta ipsius pars, plus, aut minus, secundum quod corpus robustum vel alias dispositum fuerit.

Quod si vero æger à prædicta potione abhorreat, vel propter amaritiem, vel ob formam potulentam quod sæpe usu venit, substituendæ erunt pilulæ nostræ Cephalicæ duobus tribusve Diagridii granis acriores factæ.

Corpore ita purgato penitus, hoc enim omnino, quamvis imbecilles fuerunt ægri, necesse est, febris sponte evanescet, vel de vigore suo multum remittit. Ulteriori tamen cura si opus esset, hac via incedito: Mane scilicet Mediana vel Basilica dextri brachii secetur ad mittendum sanguinem, pro copia ipsius & virium conferentia.

Vesperi proximo quatuor vel quinque grana Chryso-Bezoar in cochleari aquæ stillatitiæ è succo papaveris Rhœadis, ad sudorem in lecto promovendum, exhibito, postridie & tertio post die idem repetiturus, adeoque Medici officium penitus absolvito.

Diæram oportet esse è cibis boni succi & facilis digestionis, nec cibandus unquam æger est, nisi finito paroxysmo. Vinum pro potu sub mensam nemini interdicatur, dummodo consuetudo etiam coindicet, illudque sobrie assumatur. Nimis tamen generosum si foret, aqua fontana vel boraginis, pimpinellæ, cichoreæ, cerefolii, & empyreuma non redolentibus diluatur necesse est.

In ipso paroxysmi ardore ad sitim sedandam ad libitum ptisanam, vel aquam fontanam oleo sulphuris modo cap. de febr. ardent. proposito, correctam concedimus.

Post paroxysmum lapsas vires dissipatosque spiritus, pane tosto vino & saccharo imbuto, seu panatella, haustulo item ejusdem vini reficimus. Et hac ratione ægri sanitatem, Medici existimationem assequuntur.

Quod si æger usque adeo debilis foret, ut supradictam curam tuto minus perferret, mitigationi tamen symptomatum homorumque rectificationi incumbere oportet.

Ad quod opus est, ut stomachus pilulis nostris Balsamicis ad purgationem sollicitetur, & per intervalla ante paroxysmum Chryso-Bezoar vel exigua pilula Diasolis exhibeatur. Sitis, dolor capitis, alvi constipatio, vigiliæ, aliaque febrium symptomata remediis supra de peste descriptis sublevabuntur, convenientem victus rationem secundum quantitatem, qualitatem & tempora diligenter observando. Et sæpe accidit, quod istiusmodi ægroti imbecillis scilicet constitutionis, vili aliquo remedio æque feliciter restituantur, quam qui fortibus utuntur medicamentis; idque has ob causas: quod in corpore debili lenis Medicina tantum operetur respectu naturæ ipsius, quantum efficacissima alia, respectu corporis compacti & robusti. Quod item tantam humorum illuviem in imbecillibus febris nō reperiat, ut sine commutatione cum salute vel morte diu hospitari queat. Cum è contra robusti, juvenes & plethorici, ratione

tione superabundantis materiæ, sat habeant, unde febris longissimum tempus, nisi fugetur medicamentis, nutriatur.

Qui gloriantur de secretis febri fugis specificis, quod absque corporum purgatione modo illam febrim profligarint, & proinde universaliter inferre non erubescunt, ac si omnes cujuscunque generis febres simili modo profligari possint, illi certe veritatem non dicunt. Certo enim certius est, ejusmodi remedia, quamvis in suo genere ἐνεργικώτερα, nullum unquam habiturum effectum, nisi vel naturæ vel artis beneficio purgatio præcesserit. Accessiones febrium intermittentium impediri posse non nego, nunquam tamen hoc fiet, ut ne recidiva vel alia graviora symptomata reduplicentur. Vidi talem & talem, inquiunt, qui tantillo pulvisculi albissimi cultelli cuspide comprehenso, febricitanti ab initio exhibito intra 24. horas sanitatem feliciter restituit.

Alium item, qui posthabitis purgationibus, phlebotomiis, & à Medicis provincialibus pro desperatis habitos, exiguo aliquo secreto pristinæ sanitati restituit. Respondeo: primum casum de non alia, quam febri ephemera accipiendum esse, quæ ipsa sua sponte etiam intra 24. horas terminatur. In alio casu quodcunque factum est, illud potius præmissis medicamentis attribuendum dico; purgatio siquidem si præcessit, huic merito acceptum referatur, non secreto illius Agyrtæ, si quid præstitum fuit. Quod vero usurpatis catharcticis nihilominus aliquando febris æqualis, vel etiam acrior perseveret, id fit propter subtilium humorum intra venas, quas Diaphoretico prius dissipari oportet, reliquias. Vel etiam: quod corpus ita apertum, aut dilatatum à frigido quocunque aereiterum offendatur, ut febri postliminio locum cedat.

Idem autem usu venit istiusmodi Empiricis, qui purgationibus radicalibus ab aliis præmissis, corroborante aliquo sanitatem demum conciliant: ac illis, qui propugnaculo seu porta bene munita hostibus foras propulsis, sine armis arcem occupare & defendere dicuntur. Nulli tamen Medicinæ, qualicunque etiam, dicteriis hisce probrum dixerim, quum nulla tam tenuis videatur, quin proprietatum virtutumque quarundam certa de se præbeat testimonia. Quinimo magis ad docendum illos, quibus curæ & cordi est, morbos tuto & jucunde curare, ea omnia prolixius prosequor.

CAP. XX.

De Febri quartana inveterata.

OMnium febrium intermittentium Quartana, secundum quod Hippocrates, & quotidiana testatur experientia, mitissima est, tutissimaque. Attamen dum vitam nostram querelis, vel maxime exosam reddit, ob id variis modis ægrotantibus infestissima est.

Postquam enim corpus occupavit semel, raro ante 6. 7. 8. 12. 15. 18. 24. mensem, prout invenit, quo nutriatur, resolvitur. Absumpta etiam materia corpus usque adeo labefactatum, marcidum, & nigricans derelinquit, ac si in Arabia vel Ægyptia aliquandiu vixisset. Quidam asseve-

severant sanitatem inde constantiorem implantari; attamen horum

Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.

Verum ideoque est, quemquam absque ipsius auxilio sanum persistere posse; Quinimo quisque non exoptet aliter, cum antequam ad id perveniat, homines tam discruciet, tantisque ærumnis, scyrrhis renum & hepatis, hydrope, ictero, melancholia hypochondriaca, & id genus aliis languoribus afficiat, ut nihil supra.

Inter Medicos valde controvertitur de loco primario, ubi materia hujus febris proprie diversorium habeat, adeo ut nullo modo indagari medicamentis, nedum fugari queat. Qua de causa etiam opprobrium Medicorum dicitur. Verum relicta hac disputatione ad duo principalia puncta consideranda nos accingamus. Primo, num quid observatum sit à febri quartana confirmata, medicinæ opera quenquam unquam convaluisse? Secundo, si qua convaluerint, quibus remediis illud factum sit? Quibus utrinque debite pensiculatis, facilius postea de loco, ubi materia consistat, (à perceptione namque effectuum sæpe in causarum notionem felicissime provehimur,) judicabimus.

Quod primum attinet, nullo modo abnegandum est, febrem quartanam confirmatam à quibusdam tam externis quam internis medicamentis profligatam esse, nec erit Medicus practicus, qui Æsculapium tam difficilem habuerit; ut ne semel vel aliquoties hoc ipsemet perfecerit.

Si jam inquiramus in medicamenta eorumque qualitates, quibus hoc factum fuit, reperimus ea calida, acria, penetrantia, quæque omnia meatus aperire, sanguinem agitare, spiritus alterare, & inprimis in venis operationem edere potuerunt.

Ex numero siquidem externorum alter Apium vel Rutam minutam concisam carpo, duabus tribusque ante paroxysmum horis superimponit. Alter cæpam Theriaca repletam, & tosturæ medio in Cataplasma reductam; Alius telam aranearum Therebinthina oleoque spicæ commixtam adhibet; Alius iterum unguentis calidis & subtiliter penetrantibus utitur. Quinimò egomet ipse (absit jactantia) quosdam curavi, brachio solummodo applicando mixturam è cornu cervi nuper combusto ad nigredinem, Mumia item & allio. Quæ singula calidam, subtilemque facultatem impense participant, pustulas etiam, ruborem & inflammationem in subsita parte, dolorem item capitis, spirituum alterationem, sudorem, modo lecti juvamen adsit, suscitant. Similiter nonnemo ad se rediit, infusione aquæ vitæ cum pyrethro, zinzibere, pipere longo ante horripilationem larga dosi assumpta. Quo ipso etiam Empiricus quidam in his regionibus plurimos è rusticorum tribu curæ se concredentes ipsius, sudorem nimirum in lecto provocando, vel forte aliquod exercitium injungendo, liberavit.

Alii pristinam sanitatem integre assequuti sunt, solo sinapi in aceto vino calido assumpto; Alii beneficio succi Chelidoniæ & Rutæ; Multi etiam liberali dosi Theriacæ vel Mithridatii, floribus item sulphuris cum acetoso vino; Aqua etiam vitæ multi, cum Vitrioli aqua. Sic cuprum,

prum, stannum & Mercurius præparata rite, & Diaphoretica facta, aliaque plurima, quæ singula ad prædictorum naturam accedunt, plurimum profuerunt.

Proinde ex illis curationibus, medicinarumque enumeratarum effectibus colligere indubitata ratione possumus: Causam febris quartanæ confirmatæ proximam, aliud nihil esse, quam subtilem materiam in sanguine hospitantem, ad cujus incrementum, fluxum & refluxum statis temporibus interveniente caloris vel frigoris commutatione, paroxysmos parturiat, instar æstatis & hyemis, cujus tamen causas ad unguem reddere nullus & nemo potest.

Ejusdem argumenti est, quosdam quartanarios nuper restitutos transeundo aquam, vel loca concava, humida, in idem malum facilime incidisse, quod satis superque etiam confirmat nostram sententiam: in causa nimirum esse subtilem quandam, & naturæ contrariam essentiam in sanguinis massa & spiritibus, quæ in instanti quasi alterata febrim iterum ceu crabrones excitet.

Quod opinionem attinet illorum, qui putant: materiam febris quartanæ esse humorem viscosum, melancholicum in liene, hepate, mesenterio aliisque stomacho vicinis partibus delitescentem, eam tribus potissimum argumentis proscribo; Primo quod non video, quomodo Epithemata aliaque pulsui superposita ad profunditatem usque corporis transire, & prædictum humorem expellere per loca conferentia possint; Quem ipsum humorem tamen puta febris ipsissimam causam, necessario antequam febris solveretur, è corpore removeri oporteret. Attamen illa sine omni dejectione, per quam grossi humores alias exturbantur, feliciter operantur. Quinimò nec Diaphoretica interna usui forent, utpore, quorum usum, dum setosos & subtiles tantum humores spectent, idque per sudorem & urinas, crassior humorum viscosiorque, & consequenter febris difficilior status esset subsequuturus.

Secundo, quod, secundum hanc theoriam, me dicamenta purgantia vere ῥιζότομα harum febrium, quamvis confirmatarum penitus, forent remedia, ubi è contrario purgare corpus in quartanis fere nihil sit aliud, quam perturbare, dirisque cruciatibus absque ulla mitigatione corpus augere. Id quod aliunde non proficiscitur, quam quod prædictæ partes subtiles, è venarum mole, purgantium opella, ad centrum corporis & ad cor usque revellantur, absque tamen absoluta earum per sedes amolitione, uti demonstravimus.

Tertia ratio est; quod illas partes si causam febris istius foverent, necessario obstructas & aggravatas oporteret esse, quod in omnes non cadit, sed in quosdam duntaxat. Quamvis contendere quis ultra posset, à diuturnitate potius febris illa accidentia in uno quidem magis, in alio minus pro partium dispositione multiplicari. Si namque ex vitio hepatis & lienis sanguis alterationem & corruptionem contrahit, quidni etiam eadem facilitate sanguinis perversitas ad illa ipsa proserpat? Verum enim vero, quod diximus, tanta fundamentorum evidentia nititur,

& cui-

& cuilibet in oculos manifeste incurrit, ut sermonem ea de re longius producere, omnino supervacaneum existimemus.

Neque ergo inconveniens dictis, neque impossibile arbitror esse : quod materia febris Quartanæ ab initio quidem in stomacho concepta, postea vero humoribus crassis intimitus mixta sanguinis massam coinquinet, uti dictum est, ibique mansionem suam statuar. Et super hoc fundamentum totam curationis normam superædificandam censeo. Quicunque ergo affectum hunc tam immanem prævertere cupit, statim in principio, ubi stomachus male habere, & superabundantia humorum alterari incipit, ad methodum generalem supradictam se convertat, purgando scilicet corpus repetitis vicibus, donec ab omni impuritate penitus exhauriatur, postmodum constipatos meatus aperiendo, sanguinem sudorum provocatione clarificando, ventilandoque venæ sectione. Quorum omnium beneficio æger à multis morbi miseriis, & afflictionibus præservabitur.

Quod curationem attinet, æger, quartana aliquandiu satis exanimatus, posthabita quorundam rudi sententia ; in cursu nimirum suo quartanam non esse impediendam, neque tamen purgatus, purgationem inprimis instituat mitiorem, quam ut stomachi vicinarumque partium regionem superet, ne scilicet in curationis progressu humorum effervescentia, eorumque ad periculosiora inferenda Symptomata perversitas metuenda sit. Ad id muneris perficiendum vomitoria præsto sint supradicta, non tamen scyrtho lienem vel hepar infestante : Eo enim in casu non tam vomitoria, quam Cathartica usui sunto : Ægro vero emaciato, humoribusque viscosis redditis, biduum vel triduum, (indies tres vel quatuor haustus assumendo,) sequens digestio prodest.

℞. Seri lactis vaccini recent. unc. xvj.
Syr. scolopendrii D. Fernelii.
Fumariæ simpl.
Violar. solut.
Mannæ calabrinæ ana unc. ij.
Salis Tartari Vittiolati gran. xxiiij.

Misceantur in vase terreo vitrif. clarif. cum albumine ovi, & colata aromatizentur cum A. Cinamomi. Stomacho hoc modo evacuatuo pro exigentia ipsius, (alias Cathartica missa faciamus,) tribus quatuorve horis ante accessionem totum corpus, potissimum tamen spina dorsi unguento Bezoardico bene inungatur, & sudor in lecto, vel beneficio Instrumenti lignei supra nominati, liberaliter provocetur. Attamen si patiens enervatus nimium, prædictam tractationem sufferre nequeat, in peculiariter ad id composito instrumento sedeat, capite foras protenso, subtusque decoctione Malvæ, bis malvæ, florum Meliloti & Camomillæ collocata, ad calorem nativum excitandum, poros aperiendos, sudoremque denique facilius proliciendum. Decocti enim illius vapor cutim humectat, poros penetrat, materiam præparat & simul educit, multo majori cum conferentia, quam alias in sicco aëre fieri solet. Ideoque accedente victus humida ratione, potissimum hausto jusculorum carnis tepido, seri lactis, vel hydro-

 mellis

mellis simplicis assumpto mirum in modum & sudorem & morbi profligationem promovebis.

Tertio post die operationem hanc reiterare necesse, ubi prima vice febris non fecerit divortium. Corpore autem bene calefacto, ventosas, unam vel alteram cum scarificatione super lumbos applicabis, easque sanguine bene saturatas secunda vel tertia etiam vice, secundũ quod ægroti vires sufficiant, reiterabis.

Proximo vero die paroxysmi ab omni vacandum remedio, ad attendendum solum, num cessatit nec ne. Hoc enim si factum est, salva res est, sin minus, singula ad tertiam vel quartam usque vicem repetere operæ pretium erit.

Cæterum durante eadem cura, debito tempore, & victu multum restaurante nutriendus æger est, ventris constipatio tollatur Manna, cum pauxillo infusionis senæ vel per Clysteres.

Peracta feliciter curatione, in victus regimine, quantum potest, recte se gerat, aerem frigidum, ventos, pulviasque fugiendo, donec penitus pristino vigori restitutus fuerit. Quocunque enim errore in recidivam delapsus, septies tanto periculosius decumber.

Quod restat oppilationes Epatis, lienis, labefactum ventriculum, à febre relicta, suo quodlibet remedio recuperare oportet.

1. *Contra duritiem & Obstructionem lienis.*

℞. Unguenti rosati ℥j.
Unguenti Bezoard, ℥ß.
Olei Gummi Elemi. drach. ij.
Misce f. unguentum.

Hoc ipso regionem lienis singulo sero, duarum vel trium septimanarum spatio superinunges.

Contra Oppilationem hepatis.

Hic maximopere valebit unguentum Nasturtii aquatici ut supra de pleutiride præparati. Quotidiana itidem Diasolis cum conserva cichorei, flor. bugloss. vel borraginis exhibitio. Super omnia tamen, in icteri etiam & Hydropis initio, his duabus partibus obstructionem commodissime jugulabis, decoctione vulnerariarum herbarum, aperitivarum, detergentium, expellentium, virgæ nimirum aureæ, vincæ, pervincæ, veronicæ, centaureæ, saxifragæ, aquileiæ, millefolii, pentaphylli, cærefolii, scolopendrii & aliarum similium.

Sola imbecillitas si adfuerit, nulla indispositione partium relicta, decem vel duodecim dierum spatio, singulo mane Chryso-Bezoar ad ij. vel iij. grana cum pauxillo Gelu Cyronyorum deglutiat, & multum sine dubio confortabitur.

CAP. XXI.

De Hydrope.

Hydrops ad morbos pertinet Chronicos, & insanabiles, præsertim si fuerit inveteratus, diversas agnoscit causas, prout Doctores earum mentionem faciunt. Tres vero duntaxat ex usu sunt.

Primo Aqua in hypochondriis collecta exhauriatur, postmodum singulæ partes corroborentur, & fervor hepa-

hepatis contemperetur. Sic enim & generationi materiæ in ipsa parte, & collectioni in partem debite resistimus.

Quod primum attinet, cogitandum est, num materia ad expulsionem disposita satis sit nec ne. Id quod particulariter ex urina alba, quodammodo subjugali instar seri lactis, & quando calori admota confestim dissolvitur, ex parte tamen instar coaguli inspissatur, colligere est. In hoc ergò casu tali Hydragogo opem parabis.

℞. Magisterii Argenti dejectorii grana iiij. v. vel vj. pro viribus.

Vini Malvatici vel albi opt. ℥ij.

Dissolvendo invicem f. potio frigida.

Exhibeatur bis terve, tertio semper die, si opus est, eo usque, donec omnes aquositates penitus absumantur.

Aliud.

℞. Sem. Ebuli recent. ℥ß. vel drachm. vj.

Secundum virium differentias.

Fiat emulsio cum jusculo carnis vitulinæ veluti amygdalarum, modico saccharo dulcoranda & aqua cinamomi aromatisanda. Bibatur satis calide, reiterato, quotiescunque opus est,

Aliud.

In defectu superiorum sequens substituatur.

℞. Scammonii more Spagyrorum deparati gr. x. xij.

Ol. Salis Gemmæ gutt. iiij.

Ol. Caryophyll. gutt. j.

Conserv. rosf. drachm. j. Fiat Bolus.

Non minori promptitudine quam priora, aquas per alvum & urinas deturbabit.

Huic usui etiam Extractum Esulæ, Elaterii, Hellebori aliorumque hydragogorum inservire commode possunt. Quisque pro suo arbitratu vel potius pro sua experientia eligat, quod velit.

Ad corroborandas partes labefactatas quinque vel sex auroris continuis detur Chryso-Bezoar cum Syrupo jusculi Cytoniorum, sed nec sudor prohibeatur, si natura eo sit proclivis.

Calorem hepatis restinguit sal prunellæ per 3. hebdomadas singulo mane, ad viij. gr. cum aqua succi Cardobenedicti exhibitum. Interim victus instituatur è pullis, avibus, carne vitulina, agnina tosta, ovis recentibus. Potus sit Claretum si fieri possit.

Tumor ventris rebellis existens adeò, ut ne superioribus rite administratis cedat, sequenti unguento, modo de progressa purgatione nullum sit dubium, tractandus est,

℞. Summit. Ebuli vel Sambuci viridis ℔ iiij.

Butyri recentis ℔ ij.

Bulliant ad consumptionem humiditatis. Colaturæ addantur

Ol. Sem. carvi recenter destillati ℥j. Misce.

Corpus eo ipso ungatur circa tumorem bis in die, & consummetur.

Interdum vesiculæ, pustulæ, vel inflammatio in scroto, coxendice, cruribus aliisque partibus, acris materiæ intra

 cutem

:utem restitantis causa, alias in principio, ilias in declinatione suboriuntur, & tum nter plurima remedia hoc fere primarum obtinet.

℞. Auricular. Judæ num. xx.
Aqu. Sambuci unc. xx.

Infundantur per horas xij. Deinde bulliant ad casum medietatis. Colaturæ addantur

Semin. Mali Cydonii drachm. ij. & fiat Mucilago in qua permisce.
Olei Sambuci
Rosar. completi an. ℥ i ß.

Quo ipso subito omnis ardor & dolor mitigari, profligarique poterunt.

CAP. XXII.

Contra mensium retentionem.

PRovocatio menstruorum præter naturam retentorum, operatio est tam incerta, variabilis, tamque infinitis subjecta circumstantiis, quam forte nulla alia tota Medicina. Quemadmodum enim matrix ratione formæ, facultatum, officiorum, proprietatum & operationum vere secundus Microcosmus, & vas mirabile existit, adeo, ut intellectum nostrum natura ipsius longe excedere videatur; ita & affectus ipsius ejus conditionis sunt, ut vix ac ne vix quidem eorum omnium causas ad unguem indagare & cognoscere liceat. Liquet illud vel maximè, quod suppressio mensium, non solum à manifestis qualitatibus, intemperie calida, humida, frigida, sicca, repletione, inanitione, humorum corruptione, venenis, contusionibus, in sensum incurrentibus, sed & ab amore, gaudio, subita consternatione, cholera, melancholia, aliisque plurimis methodo minime substantibus exoriatur. Ad quorum cognitionem Medicus nunquam perveniret, nisi ἐν πλάτει ab ipsa patiente instrueretur.

Nostrorum Bezoardicorum usum eo solum dirigemus, quomodo illorum beneficio retentioni duplici ex causa ortæ remederi liceat: Primo, quando menses retinentur, propter cacochymiam phlegmaticam totius corporis; Secundò, quando à propria matricis vicinorumque meatuum obstructione.

Ad primam intentionem dabis Mercurii vitæ dosin, quo frigidi humores per os & per alvum mirabiliter purgabuntur.

Postridie exhibe Scammoneæ depuratissimæ gr. v, vj. vij. viij. vel x. cum conserva Betonicæ vel Gelu Cydoniorum ad majorem gratiam dissolutæ; Idque tamdiu, donec nihil impuritatis in corpore reliquum fuerit; ægrum interea bona victus ratione sedulo tractando.

Peracta evacuatione sudori studendum est, tribus, quatuor, vel quinque auroris, unguento Bezoardico; Quo ipso nimirum frigidæ partium externarum superfluitates consumentur, sanguis attenuabitur, membraque calore refecta à frigidorum humorum detentione liberabuntur.

Post sudorem duarum triumve septimanarum spatio singula aurora, quatuor vel quinque granis Diasolis cum Syrupo Melissæ utantur. Abstineant à frigidis, humidis. Et sic bonis & laudabilibus succis regeneratis, temperamentoque

toque in naturalem statum reducto, non poterit non felix effectus succedere.

Quòd retentio ab alia causa nempe particulari constipatione matricis profecta fuerit, deprehendere est ex eo, quòd tempore, quo alias fluere consueverunt menses, omninò desistant, dolorque capitis, inflammatio oculorum, defluxiones calidæ, & aliquando hæmorrhagia per os & nares subsequantur.

In hac obstructionis specie, nisi forsan insignis plethora, & sanguinis abundantia interfint, non usque adeo necessaria est venæ sectio: Quamvis enim à venæ sectione in Saphena facta sanguine ad inferiora detracto adjumenti aliquid fiat, quantum præsertim capitis symptomata attinet, primarium tamen scopum, qui est, ut obstructio tollatur, non attingit. Et vix una è millibus venæ sectionem admissa in Saphena, sanitatem recuperat.

Curationi ergò huic sequenti modo Colophonem imponimus; Statim ab initio dum stata purgationis tempora relinquuntur, & menses retineri incipiunt, exhibeatur Extractum Hellebori nigri ad gr. xv. vel, scrup. j. mane ante exortum Solis, eoque die sæpè juscula calida propinentur, viteturque frigida. Et quando corpus strenua medicamenti actione forte alteratur nihil interest. Nec enim præter rationem illud accidit, & cochlear aquæ vitæ Matthioli vel aquæ theriacalis in continenti iterum auxiliabitur.

Bis terve si dejecerit, bene est, corpore præsertim humoribus non multum referto. Attamen si nihil omninò operetur, altero die idem repetatur.

Factâ purgatione quinque vel sex grana Diasolis cum Syrupo Artemisiæ mane jejuno ad decem usque vel duodecim dies commendentur.

Et abhinc quiescendum usque ad proximum mensem, quò alias fluere naturaliter consueverunt, ad cognoscendum, num sponte cursum iterare forte velint. Sin minus, eâdem viâ incedere oportet quâ prius; Sed si ad quartam usque vicem repetita singula nihil proficiant, per 2. vel 3. dies continuos propè matricis orificium pessarium hoc gestitet.

℞. Pulv. Fol. Persicariæ maculatæ Sole existente in Leone collectæ, in umbra exsiccatæ drachm. ß.
Radic. Ellebori nigri pul. ℈ß.
Et cum Gummi Tragacantha in vino albo infuso formetur pessar. s. a.

Hoc ipso sanguis menstrualis cum multis uteri quisquiliis prolicietur.

Quod si vero remediis prædictis, quamvis specificis attractivis, incassum laboraverimus, & ægrota fortunam artemque ulterius experiri voluerit, ultimum præsidium esto balneorum usus, secundum Medici alicujus συμβουλίαν institutus, & interea per intervalla pessarium interponatur. Si verò nec tum ex sententia succedit, incurabilis prorsus habeatur obstructio, nullisque remediis imposterum tentanda. Diæta correspondeat medicamentis necesse est, idque secundum constitutionem, temperamentum, consuetudines, ætatem, morbi durationem & alias circumstantias.

Ad eundem modum puellis quoque mensium primitias promovemus, atta-

men cautè, ne hoc fiat præmaturè, ne plantarum flores carpantur antequam crescant. Fieri enim potest, ut majori hinc afficiantur damno, quàm ad sanitatem auxilio.

CAP. XXIII.

Ad difficilem partum.

Difficultas parturiendi, diversis causis procedere solet. Ad harum itaque diversitatem diversa quoque excogitentur remedia necesse est. Nos verò ea tantum perstringemus, quibus labores istiusmodi, quamvis fætu naturaliter jacente, & tempore completo, ob facultatis expultricis ignaviam tantum, exasperari, sublevari & promoveri possunt. Quo in casu ad duo præsertim, veluti sanitatis anchoras, confugiendum.

Primo detur Diasolis quantum convenit cum cochleari vini Malvatici, vel alterius vini albi generosi.

Secundò umbilico illinatur unguentum Bezoardicum, &c. Si tamen minorem, quàm par est, efficaciam præstiterint, Mercurius vitæ debita dosi exhibeatur in cochle. vini vel jusculi carnis. Et in continenti, quando nauseare & vix vomere cœperit, facultas expultrix ad expellendum fætum simul calcar accipiet. Nec abhorreatis à tali medicamento. Eo ipso enim plurimis in acie novaculæ quasi constitutis, hoc in casu præstò fui, æquè delicatis quibus nulla spes superstes erat, quàm robustis & paganis, ut undiquaque hariolari quis posset. Quinimò fætum semiputridum sæpè, & secundinam biduum vel triduum post partum relictam beneficio istius, salva matris vita, discedere fecimus. Mercurium vitæ ergò quilibet Medicus hac in parte optima de nota commendatum sibi habeat. Inter omnia enim quæ huic usui natura suppeditavit, (quamvis in maxima copia,) illum ipsum experientia veluti Regem nobis probavit. Neque existimandum, puerperas nimium tormentis eo ipso discrutiatas iri, dum aliàs ἄνω καὶ κάτω satis perturbat: Operari enim incipiendo, ut sic loquar, operam finit suam; unde meritò cuiquam videri posset, confortando potius, quàm quovis alio modo prædictos effectus omnes perfici & exerceri.

CAP. XXIV.

Contra Calculum.

Curationis eorum qui calculi tormentis afficiuntur, summa hæc est: Uti nimirum adsumant dosin Diasolis in cochleari vini albi, & lumbis unguentum Bezoardicum obducere sinant.

Dum enim in lecto prædictis remediis sudare cœperint, meatibus urinariis diductis tophi facile dejicientur. Attamen ad hoc etiam attendendum est, quòd ventre plurimum constipato & hypochondriis flatibus distento Clystere Carminativo flatus dissipare oporteat. In casu, quod prima vice frustranea fuerit opera, nec alvus Clystere dejiciatur, ventositatibus interim respirationi frænum injicientibus, uti sæpè repetitis etiam clysteribus

teribus usu venit, Mercurius vitæ vel Sal Vitrioli vomitum ciendo integram curam præstabunt.

Præservationi studemus commodissimè, exhibendo bis quotannis, (vere scilicet & autumno,) salis Vitrioli quantum sufficit. Interea dosin Diasolis cum vino albo maneante novilunium ad sudandum porrigimus.

Et hoc modo diætæ convenientis regulas simul observando, temporis successu causa hujus mali, sævaque symptomata ipsius penitus extirpabuntur. Nolo tamen intelligi de iis, qui vitio hæreditario aut naturæ defectu decubuerint.

CAP. XXV.

Contra scabiem pruriginosam & malignam.

QVi scabie à sanguinis corruptione humorisque melancholici confusione exorta, divexantur, nec delumbes interim, inprimis ad curandam valetudinem dosi Mercurii vitæ ad ciendum vomitum opus habent. Altera post tertioque die purgationem Extracto Ellebori nigri instituant, Viribus autem destituti hanc assumant potionem.

℞. Epithymi recent.
Fol. senæ ana ℥ j. ß.
Agarici albissimi non troch. ℈j.
Tartari albi ℥j.
Seminis Fœniculi ʒß.
Aquæ succi fumariæ ℥iij.
Infundantur per horas sex, colaturæ addatur Mannæ Calab. ℥j. fiat haustus.

Postridiè etiam vel tertio post die pro re nata reassumendus. Qui verò hanc potionem aversantur, pilulas nostras cephalicas, (præmissa tamen humorum, appropriato aliquo lactis sero, capite de febre ardente supra descripto, præparatione,) in locum ipsius pro purgatione adsciscant. Respiciendum autem sedulo est ad siccitatem corporis. Pilulas enim in siccis constitutionibus, sine humido vehiculo ante & post ipsarum usum exhibitas, plerumque steriles sequuntur operationes.

Post purgationem sanguis mittatur, postmodum quinque vel sex dies continuos mane sudori studeant, beneficio instrumenti ad eum usum capite de paralysi peculiariter destinati, exhibendo scilicet intrinsecus Diasolis aliquot grana & superbibendo, ad promovendum sudorem, hydromelitis simplicis bonum haustum; si tamen adhuc sanguinis evacuatio usui foret, illam repetere tantò magis prodesset.

Diætandi ratio sit, ut quævis salita, dulciaria, ferina, allia, cæpe, synapi, vina aliaque sanguinem calefacientia, spiritusque irritantia, studiose evitentur. Pro potu inserviat hydromel, ptisana, aliquando etiam serum lactis, Betonica, Buglossa, Boragine, cærefolio, fumoterræ, scolopendria, cichorea, ceterach, vel id genus aliis contemperatum, & albumine ovi uno vel pluribus, secundum indigentiam clarificatum, denique saccharo dulcoratum, & aqua cinamomi modicè aromatisatum. Et hoc modo triginta vel quadraginta dies procedendo, per vices etiam leve catharcticum pro-

propinando, & singulo mane exiguam Diasolis pilulam absque tamen sudoris expulsione, nisi postulet natura, degluriendo, fieri non potest, quin sanguis mundificetur, & proxima scabiei causa penitus pessum prematur.

Pendente hoc curationis negotio, quando opus videtur linimento aliquo extrinsecus usurpando, subsequens præparatio præeligatur.

℞. Suc. Nasturtii aquatici depurati,
Plantaginis ana ℔ij.
Rad. Peucedani recent. in minutissima frust. incis. ℔ß.
Unguenti rosati ℔j. ß.

Bulliant in vase terreo vitrif. ad consumpt. succorum.

Expressioni addantur
Spirit. Therebintinæ sulphureat. vulgò Balsami sulphuris ℥ß.
Sublimati Veneri subtil. pulverif. ʒj.
Camphoræ ʒß.

Hoc unguento corpus subtiliter bis terve singulo biduo, decrescente luna, delibatum, ilicò ardoris mitigationem, materiæ digestionem, ejusque per poros cutis depulsionem, desiccationemque, quæ omnia in scabie per habitum corporis curanda necessaria sunt, experietur. Quibus singulis lectoris mentem deliberare volui, ne desint miseris ægrotis veræ Medicinæ solatia. De gallica illa scabie tractare hoc in loco animus non fuit. Quamvis enim prædicta remedia nonnihil eo in morbo prodesse possit, nihilominus tamen methodus medendi alia meritò instituenda.

CAP. XXVI.

Ad sugillata & contusiones.

SUgillatorum seu contusionem medela ordinaria hæc est: Contusio vehemens magnæque activitatis venæsecium illicò indicat in brachio oppositi lateris. Toto autem corpore conquassato, in vena dextri brachii media. Unctionem item bis terve repetendam ex unguento Bezoardico: dummodo os fractum, vel dislocatum non fuerit, & interim contusio exterius apparuerit. Hoc adeò proficitur, ut nullo alio opus sit unguento.

Interna contusio præter venæ sectionem sequentis traumaticæ potionis usum quotidie mane & vesperi ingeminari postulat, ab unica dimidia ad unciam integram per vices.

℞. Oculor. Cancri pulv. ℈iiij.
Aceti vini albi odoriferi ℥vj.

In magno vitro fiat infusio in Balneo Mariæ tantisper, donec acetum non ebulliat amplius, postea colaturæ per inclinationem adde sacch. pulv. ℥ij. Diasolis gr. xxx. Æger se teneat calidè abstinendo à frigida potione, studendoque calidæ victus rationi. Ventrem stipatum Clystere emolliat. Hâc Methodo paucos intra dies sanitas redintegrabitur, dummodo non pars quædam principalis noxam acceperit, ad quam resarciendam nulla forent remedia.

CAP.

CAP. XXVII.

Contra Gangranam.

CUi Gangrænam curare animus est, ante omnia malignitatem ipsius benè perspectam habeat necesse est. Non multùm enim differt à morsibus venenosorum serpentum. Quamvis enim tam acutis, subitaneis & perniciosis symptomatibus in vitæ fontem non sæviat, ut in morsibus viperarum, aspidum & similium fieri solet; nihilominus tamen sensim & sensim tantam corruptionem inducit, ut & spiritus quoscunque tangit, lethaliter inficiat. Quæ ipsa infectio, dum per arterias cordi usque subrepit, intolerabilium symptomatum, imò ipsiusmet mortis, quamvis tale quid ab initio suspectum non fuerit, ansa existit.

Ad detruncandam ergo Hydram hanc, idque Herculeo successu, non solum collimandum est ad remedia Topica eaque Balsamica essentialia, quibus nimirum membra à corruptione defendantur, & natura in extirpatione carnis mortificatæ adjuvetur; sed etiam ad Bezoardica, quibus cor athleticè muniatur, & supradicta infectio eminus arceatur.

Quod externa remedia contra Gangrænam attinet, quæ ἄνευ παρολκῆς & cito administranda, eorum magna est diversitas; Et quodvis fortè approbari potest in suo genere oportuno tempore adhibitum. Inter maximè generalia tamen & securissima hoc se nobis offert.

℞. Ol. Salis communis diligenter destillati.
Ol. Vitrioli potentissimi ana ℥. j. ß.
Salis ammoniaci purificati ʒ. j.
M. in vitro.

Usus ejus est, ut superior carnis mortificatæ pars scarificata, Emplastro pro defensione quadam circumposito eo ipso subtiliter fricetur. Si enim pars sana tangitur, non tam metus est, eam corruptam, quàm dolorem fortassis immanem excitatum iri. Illico etiam cataplasma tantæ magnitudinis, ut circumjacentes partes bene cooperiat, imponatur.

℞. Farinæ Fabar,
Hordei ana ℥. j.
Decoct. summit. Carduibened. & Anethi q. s. coquantur in formam Cataplasm. & addantur
Oxymell. simpl. ℥. ij.
Theriacæ Diatessaron. ℥. j.
Myrrhæ Troglodit. subtil. pulv. ʒ. ij.
Misce.

Ad hæc si visitando ægrum Gangræna in escharam quidem redacta reperiatur, ea tamen optatò non progrediatur, repetendus supradicti corrosivi usus minime est; quinimò Cataplasma solum eò usque continuandum, donec caro mortua à viva perfectè separata conspiciatur.

Hoc enim dextre peracto, Chirurgi ad alia medicamenta, prout se indicationes offerunt, tuto progredi poterunt. Circumcirca etiam pauxillum Diasulis si placeret inunctum, malignitati Gangrænæ summoperè resisteret.

Prædictum causticum escharam inurit separatu facilimam, humorum con-

cursum sistit, carnem à corruptione præservat & undiquaque laudabile fundamentum producit. Neque in minimis æqualia iis metuenda erunt symptomata, quæ aliàs Arsenicum singulari licet artificio (si Diis placet) ad eum usum præparatum, & fixum vel dulce redditum inferre solet. Docebo prius ἐργασίαν ipsius, postea historiam de sinistro prorsus, & funesto ipsius usu, (quippe venenum est specificum, naturæque humanæ inimicum,) recitabo. Optima ergo præparatio hujus, quæque ab omnibus etiam Paracelso lib. 1. de reb. naturalibus cap. 9. pro suspecta minime habetur, talis est:

℞. Arsenici Crystallini,
Salis Nitri purificati ana part. æq.

Pulverisata in Crucibulo, cooperculo in medio perforato tecto, mittantur ad ignem rotæ, tantisper, donec albus eleve-tur fumus, (à quo sibi cavendum benè est) nec amplius vapor aut fumus appareat. Refrixâ materiâ, quæ alba est instar salis nitri fusi iterumque coagulati, eximatur.

Maxima enim ejus pars nitrum est, quippe dimidium ponderis absumi, prædictumque fumum non aliunde quam ab Arsenico proficisci, in propatulo est.

Dicere quis posset, quum Arsenicum totum in auras evolavit, consequenter etiam malignitatem Arsenici abolitam fore. Verum enim vero Arsenicum quidem totum fugatum est, non item Arsenicale; tantumque abest ut sal nitri Arsenicum correxerit, ut potius venenositate Arsenici potitum, seque ipso redditum venenosius, quando vulneribus applicatur, longe sæviora symptomata inducat, quàm alias simplex nitrum, quippe quod intrinsecus etiam assumitur, facere consuevit. Adsertionem hanc luculentiùs historia confirmabo: Æstate præterita contigit, ut civis quispiam magno ulcere sinistri cruris laboraret. Huic carnis spongiosæ & fœtidæ demendæ causa, Chirurgus Arsenicum, ut supra, præparatum adhibuit: Æger certè paucas post horas tantis convulsionibus, stupiditate manuum pedumque, sudore frigido, palpitatione, deliquio cordis, & vomitionibus correptus fuit, ut nisi in continenti Bezoardicis aciem intus forisque contra instruxissem, procul dubio disperiisset. Ab hoc & similibus aliis, quos simili successu in cancro, aliisque malignis ulceribus observavi, quisque summo studio sibi caveat. Ego certè quousque vixero tale remedium meum nuncupare, nec etiam usum ipsius approbare nunquam audebo. Et quorsum hoc? Cum rerum omnium Archetypus plurimis aliis, de quorum ἀσφαλείᾳ dudum nobis constitit, nos liberalissimè locupletarit.

Adsumpsi quidem Arsenicum ad Emplastrum Bubonibus pestilentialibus adhibendum, verum multùm interesse cogitabis, an super vel subter cutem, adhibeatur, an item cera & Therebinthina delibutum vel non; præterea concursus humorum attrahentium admixtorum facultate elicitus, retro magis repellit, quàm quod intrò serpens venenum admittat.

Denique Arsenicum eo modo, quem de peste externa descripsimus, cum Sulphure & Antimonio præparatum, totum

virtute

virtute facultatem escharoticam & caustisticam planè exuit, dum è contra Salpetræ illud acutum magis reddat. Inter Salia enim nullum magis penetrat, nec inflammatiora reddit ulcera, quam Salpetræ in furno calcinatum. Hanc ob causam etiam Emplastrum meum diutius non usurpo, quam donec Bubones maturari, suppurari, materiaque purulenta, foras protrudi incipiunt.

Jam ad μελέτημα propositum revertento statuimus, statim dum hæc fiunt, vel etiam paulò ante, ægro dosin Diasolis cum Syrupo Carduibenedicti porrigendam esse, idque continuandum postea singulis auroris, donec victi mali istius signa evidenter acceperimus.

Victus prætерea moderandus sedulò est, ne spiritus alterantibus, sanguinem nimium calfacientibus, febremque excitantibus cibo potuve utantur. Hoc enim ordine Gangræna domari facilè, & exstirpari poterit, dummodo vel delumbis ætas, vel partis alicujus principalis offensio remoram non injecerint.

Usum ergò nostrorum tot numero morbis resistentium Bezoardicorum jam satis superque, (quantum ad χειραγωγίαν solummodo opus videbatur,) declaravimus. Colophonidem ergò Tractatulo huic addendo, DEUM ter Opt. Max. supplex precor, ut his omnibus Medicamentis ad usum afflictorum exoptatum benedicere, meque ab Invidorum virulentis morsibus, ad quos ipse solus antidota novit, munire & custodire dignetur. Cæterum candidum Lectorem peto, ut hunc qualemcunque laborem æqui bonique consulere, & si qua error ignoranti subrepserit, illum sincere, æque, ac sibimet vellet, meo si sederet loco, interpretari velit. Quis enim homo est, errare à se qui alienum prorsus affirmaverit? Deus est, ut Propheta dicit, qui solus justus est. Omnes è contra homines mendaces.

Πάντοτε δόξα ΘΕΩ.

F I N I S.

TERNARIUS LAUDANORUM,

SEU

OPIOLOGIA,

De Natura, proprietatibus, vera præparatione & usu OPII,

SUB TRIBUS PRÆCIPUIS LAUDANIS.

Psalm. 145. v. 10.

Confiteantur tibi DOMINE omnia opera tua, & Sancti benedicent tibi.

IN

OPIOLOGIAM Dn. ANGELI SALÆ, &c.

ILla Opii abstrusim detenta scientia, Praxis,
Vis varii effectus, delituere diu.
Hic timet admixtum, fortè alter abutitur, ille
Vel leviter sacrum præparat anodynum.
Hinc patitur genus humanum, pulcra Ars latet omnis,
Grassatur passim corpore dira lues.
Dira lues frænanda Opio, sananda Opiatis,
At SALA pulcrum Opio, credite, pandit iter.

Andreas Honterus.

AD LECTOREM.

BEnigne LECTOR. *Nullus dubito, quin, quando hunc meum libellum in publicum emitto, plures futuri sint, qui dicant: Num Sala hoc ipso annititur scribere, quid sit Opium, & quomodo exinde nobile illud medicamentum, Laudanum appellatum, concinnetur contra omnes corporis humani internos dolores, febriles ardores,*

ardores, fluxus ventris, vigilias, & inquietudines, &c. Anne utroque respectu agit, tum quia idem & antè, nec absque industria & judicio, multi præclari Veteres sub manibus & literis habuerunt, tùm quia, quod ipsius Opii [illegible] *medicam attinet, moderni quoque Medici in scribendo industriam & experientiam in communicando cum aliis sinceritam satis probarint? Illis meritò hic scutum obverto, & quantum sermonem suum de Natura Opii accipi volunt, quæro: Quisnam unquam antiquorum Medicorum hoc de medicamento tam abundanter, tamque solidè scripserit, ut nihil eorum, quæ scripsit, vel contrariis labefactari, vel imminui, vel melioribus aut similibus augeri possit. Profectò vix ac ne vix quidem erit, qui ad producendum talem quemquam satis instructus prodeat. Quid enim opus esset hac in parte tot disputationum in Academiis, & privatis Medicorum consultationibus, tam laboriose institutis lucubrationibus, de Natura Opii, ejusque usu, uti hactenus consuetum est. Vana certè curiositatis argumentum magis, quam solidæ prudentiæ foret, de re & doctrina disputare, & dubitare velle, quæ jam dudum ratione & experientia confirmata, & certis regulis comprehensa antiquitus proponeretur. Usus ergo Opii ambiguus adhuc, & incertus plurimis existimandus est.*

Si verò ita sese res habet, nec interea interdictum, vel Veterum inventis addere, vel de ipsis opinari; vanitas, meo judicio, obtrudi mihi non potest, quod & meam ea de re sententiam ad Rationem, Sapientum tam veterum, quam recentium Authoritatem, ipsamque Experientiam conformatam bonis multorum rebus in medium producam. Inprimis cum institutum mihi non sit, neque in hac neque in alia scribendi materia, quod plurimis commune est, mihi seorsim docendo vendicare.

Porrò quod diversi Medici nostro tempore Opii & præparationum Chymicarum ipsius in Laudano Opiato, & aliis mentionem faciant, non inficias eo, quin imò partim authoritate & testimoniis ipsorum utor: Verùm quod propterea Laudanum, & usus ipsius res vulgò trita, & communis sit, nemo est, qui vel credat, vel contrarium mecum non probet. Certum enim est, vix è centum Medicinæ Doctoribus, prout in Europa Medicinam faciunt, quinquaginta reperiri, qui Theophrasti vel aliorum libros de LAUDANO scripturientium legere dignentur, tantum abest, quod illud usque adeo ipsis familiare, vel notum existat. E quinquaginta his vix viginti erunt, qui eo utuntur. E viginti hisce mirum iterum si decem reperias, qui αὐτοχείρως illud præparare poterint. Ex his

iterum & magis mirum, si tres solummodo sint, qui inde cognitas sibi virtutes, ut nunc homines sunt, consulto aliis manifestare, vel ægrotis audacter usurpandum proponere, proque merito commendare velint.

Possum certo adfirmare plures Europæ civitates Medicos alere, quibus ne chry quidem de ipso Laudano, vel in sermone, vel in usu; puta, qui vel ingenitum illud, vel à re medica alienũ prorsus habitum sibi, aliter tractare non possint. Certus etiam sum, ut popularius rem examinemus, hoc ipso in loco, (non obstante quod supra dixi,) è millibus tam viris quam fœminis, alias magnarum quarundam Compositionum, velut Theriacæ, Mithridatii, &c. ad titulum & usum gnaris, vix quinquagesimum quemque de Laudano quicquam unquam alicujus momenti auribus percepisse. Ad quos singulos tamen, ob multiplicem usum, aque Laudani ac supradictarum rerum cognitio spectaret.

Quod si ergo hic Tractatulus meus vel ad hoc duntaxat conferat, quod simpliciter nomen Laudani ad multos deferendo, occasio sit: quo tempore necessitatis illud à Medicis quærant & expetant, siquidem sævissima quæq. morborum symptomata nulli alii remedio tam cito, tuto & facilè quam huic ipsi cedant, sane vel hoc solum nomine labor meus sat utilis commendandus foret. Ad quid tamen alterius aditus multis aperiat, prudens lector statim animadvertet.

Cæterum vero, qui ad vulgare proverbium: Qui a la gorge pleine de fiel, ne peut cracher doux: propriis passionibus correpti, sibi soli sapere videntur, nec alterius quomodocunque etiam utilem institutum laborem probare consueverunt. Horum authoritas certè minor est, quam ut iis obstaculo sint, qui operas suas ad Dei gloriam, emolumentum proximi, & propriam utilitatem convertere conantur.

Num Medicamenta Chymica in universum vehementiora sint & periculosiora, quam vulgaria: & num propterea nullius usus, nisi in extremis affectibus, quod quidam obstrepunt.

Sunt nonnulli Medici, idemque multi, (vel artis Chymicæ parum gnari, vel δοκησίσοφοι duntaxat,) qui ab ægrotis suis interrogati: quidnam Chymicis me-

cis medicamentis in genere tribuendum sit? aliud responsum haud reddunt, quam quod laudabilia quidem remedia sint, verum quod nihilominus violentas & periculosas perficiant operationes, secus quam vulgaria medicamenta faciant, & propterea non nisi extremis affectibus in acie novaculæ, quod dicitur, accomodari & debeant & possint.

Ideoque antequam sermonem hic de Opio ejusque præparatione ulterius protraham, ignominiam illam à Chymia & cultoribus ipsius avertere, & quæstionem debitè resolvere operæ pretium duxi.

Quod ergo responsum adversariorum attinet, duobus potissimum argumentis Censuram ipsis complebimus, quibus tamen ὀφθαλμοφανερῶς apparebit, insipidum prorsus illud esse & futile.

***Primum in eo consistit**, quod sibi de rebus judicium arrogent, quarum nec cognitionem, nec experientiam habeant, sed ex vana tantum conjectura vel lubrico aliorum relatu.*

Secundum: Quod nulla adhibita distinctione, vitio duntaxat unius vel alterius commoti, omnibus eo nomine insultare, eaque conspurcare audeant.

Verum, ut ne plus operæ insumam ad redarguendum id, quod nemine non animadvertente, heautontimorumenon est, ad alterum progrediendo, dico: vehementiam ruditatemque falsò medicamentis chymicis imputari; siquidem eo ipso nomine in genere non solum magna illa Vomitoria & cathartica, ex Antimonio & Mercurio; verum etiam singulas Vomitoriorum species, mediocres & benignas, omnia è vegetabilibus sumpta purgantia dejectoria, à maximo usq; ad minimum, veluti de Scammonea usque ad Rosam & Aloen, ut & totam classem Diaphoreticorum, Diureticorum, cordialium, anodynorum, hypnoticorum, roborantium ad varias partes affectusque appropriatorum, & denique totam medicamentorum seriem Galenicorum æque, quam Spagyricorum impugnent, maleque audire faciant; quamvis ea quidem in methodo componendi præparandique à se invicem discedant.

Quando ergò maculam hanc Medicamentis chymicis constanter vellent, è generali pronuntiatione particularis formanda esset; dicendumque: Esse quædam inter spagyremata illa, quæ δραστικὰς & violentas perficiant operationes. Non absolutè: Medicamenta Chymica esse violenta: Hoc autem dum

dum faciunt; quamvis ita veritatem ipsis non cedere non possimus, ad confitendum tamen hortamur eos, quod non solum nos ejusmodi quædam habeamus, sed quod & ipsi non dissimilia multa ad varios usus ambabus manibus amplectantur.

Huc usque concordiâ inter nos factâ, si nec ulterius accusare cessant, probandum utique incumbit ipsis, quod Medicamenta Chymica vehementia & δραστικὰ, crudiora tamen sint & periculosiora ipsis vehementibus vulgaribus aut ordinariis, & quod benigniora illa vulgaria Chymicâ præparatione periculosiora evadant, quod in ipsorum potestate esse minimè existimo. Certum enim est inter sanos Medicos, (præterquam quod experientia quoque plenis tibiis acclamat,) hujusmodi remedia Chymica cum Veterum fortibus illis vomitoriis, Elleboro, Tythimalo, Cataputia, & aliis collata, adeò mansueta, benignaque censenda esse, ut quis meritò dicat: non Senam, non Rhabarbarum, ad Scammoneam, Colocynthida aliaque fortia ejusmodi esse. Dicant, si placet quod Elleborum album in usu ipsis non sit, nec Tythimalus, idque propter exitiales eorum, quas metuunt, operationes, en sibimet ipsis manifestè adversantur, quod egregiè ad nostram sententiam confirmandam facit. Nunquam siquidem obtinuerunt: Antimonium & Mercurium ritè præparata parem in corpus tyrannidem exercere, in supradictis. Porrò si se laudabile quid perfecisse putent, dum Veterum instituta imminuendo, periculosa ipsorum medicamenta proscripserint, èque salubrium classe exterminârint: quid non nobis quoque ad malignorum extirpationem & salubrium quorumcunque introductionem eadem licentia restet? Nec est quod ipsis parum ad rem hæc dixisse videar, propterea quòd ipsorum judicio vomitoriis uti nimis periculosum sit, vomitusque nullo modo proritare liceat: Sufficienter namque frigidæ huic objectioni respondi, & contrarium ad oculum demonstravi in tractatu illo, quem Hemetologiam inscripsi. Ideoque actum agere hoc in loco nolui. Instant: Antimonium tamen & Mercurium quodammodo corpori humano esse infesta; imò visceribus tenaciter inhærendo illa occultam infectionem toti sanguinis massæ inprimere, quæ non statim quidem, attamen decursu temporis instar Ichneumonis foràs proserpat & calamitatem abundanter nimis adferat. Argumentum ad persuadendum magis aptum, privatim rudi plebeculæ, quàm quicquam certi demonstrandum. Evidenter enim constat, dummodo non ipsi sponte cæcutire vellent, maximam partem eorum, quibus Antimonium vel Mercurius ritè præparata exhibita sunt, foràs singula rejicere,

rejicere, idque vel per vomitum, dum vix operari illa cæperint, vel per alvum, prout in eventu postmodum excrementa satis evincunt.

Insuper Metallica illa quia sunt & fixa, digestioni stomachi minime obediunt, nec in Chylum convertuntur, & consequenter sanguinis massam, aliasque partium substantias neutiquam subeunt, id quod alias medicamentis à Vegetabilium & Animalium classe desumptis, propter commune symbolum, quod intra se invicem alunt, familiare est. Et hæc procul dubio causa est, quod Venena plantarum malignarum, Serpentum, aliorumve animalium venenosorum, saviora sint, magisque subitanea, quam vel ipsum Arsenicum vel Realgar minerale.

Verum etiamsi hujusmodi rationum arietes, ad demonstrandum: Medicamenta Chymica vehementia, inprimis duo jampridem citata, in quæ plurimum invehuntur, benigniora esse, quam antiquorum illa sæva vomitoria, imò tuta magis, quam quævis ex Helleboro, & aliis supradictis desumpta species, copiosa pertexere serie facile possim, singula tamen propter brevitatem contrahere merito hoc in loco placuit.

Accedo jam ad quæstionem: Num Medicamenta vulgaria simplicia, natura benigna & innoxia, Chymice præparata, plus justo vehementiora & periculosiora evadant, & quod boni habent, cum malignitate commutent? Quemadmodum verò à purgantibus ceu usitatioribus in plerisque corporis affectibus exordiri placuit, ita illorum exempla satis erunt, quod identidem etiam Diaphoretica, Diuretica, Alexiteria, &c. ea suspicione liberentur. Ratio ergo luculenter dictitat: quodlibet medicamentum fæculentia & terrestreitate sua spoliatum, purgatumque beneficio Vulcani, minus noxium, malignum, vel periculosum; imò ad cito, tuto, jucunde curatoriis indicationibus satisfaciendum longè magis dispositum esse, quam quodvis aliud crudum, vel male præparatum, puta impuritatibus adhuc suis vel nihil ad rem facientibus, vel multum nocentibus, coinquinatum, vinctum, & ligatum. Nec causa ejus obscura est, quia quod ignis examine ab impuro nondum fecit divortium, dum in ventriculum ægri deglutitur, naturam jam tum in certamine contra morbum satis labefactatam, ad coctionem illam intempestivè rapiendo lacessendoque eousque veluti enecat, & exanimat, antequam quicquam confert, ut sæpe sæpius vel eo duntaxat nomine ægros jugulatos manifesto conspicias.

E contra quod Artificis industria purificatum, coctumque intra assumitur ἄνευ παρολκῆς, κατὰ τὴν λεπλομερείαν, *qua pollet, dissolvi, dilatari, vel levissimo etiam calore actuatum, incipit, absque gravi negotio, quod Naturæ facessat, absque alteratione, adinstar conjuratissimi amici, cum prædicta illa sæpe magnas molestias Naturam fatigando creent, ut meritò Tyrannorum more in ægros sævisse, non servasse quempiam confitearis.*

Præterea nec illud susque deque habendum, quod τεχνουργήματα *Chymica à fecibus repurgata, quando in corpus ingrediuntur, minus habeant, quod conspurcando quisquilias accumulent, partesque ad internecionem præcipitent, quemadmodum vulgaria apozemata solent.*

Quod siquidem rationibus hisce contradicunt, denuo objiciendo: quod tantum absit, ut vera profitear, ut Chymica illa ob subtilitatem, tenuitatemque, quam habent, nimiam, naturam magis irritare, & ad præternaturales actiones cogere possint, quam quævis alia. Responsio tamen in promptu est satis valida: quod quidem inter species Chymicas plurima sint valde subtilia, velut olea destillata, Essentia Vini, aliorumque vegetabilium, & varii liquores efficaci potestate penetrantissimi, & hoc ultro concedimus; illa tamen non sunt extra usum. Sunt enim morbi in quibus nihil utile indicatur, præterquam, quod usque adeo subtile penetrans, tantaque activitatis est, non crassa feculentaque illa. Proinde absit, ut undiquaque quod subtile est & tenuium partium, vel insalubria censeamus, dummodo, citra ἐπιζόπραξιν *ad indicationum materias assumantur, quæ tamen cautio non magis Chymicis quam Galenicis remediis necessaria est. Ad hunc porro censum nec omnia alia ex Chymico agro prolata pertinent, nec quod aliquibus duntaxat familiare est iisque paucis, omnibus improperari debet. Quis enim jure in extracta purgantia hoc nomine invehatur, quæ nec subtilia sunt, nec* ταχύπορα *nec* λεπτόμερα, *puta quæ in Sapæ succive condensati formam decocta, Spiritibus subtilibus & irritantibus exuta planè sunt, quæque à quibusdam forte subtilia celebrata, non tam causa virtutis penetrantis sortita sunt, quam cita in quovis liquore resolutionis ergò, quà res cunctas è quibus extracta erant, facile superant.*

Postea experientia non mentitur, Extracta Mechoacæ, Rhabarbari, Senæ (quæ benedictæ annumerantur,) multo benigniores effectus dare; quam res ipsissimas adhuc integras vel crassa solum Minerva præparatas. Sed quid ulterius? Num Chymica arte Colocynthidem, Scammoneam, Catbartica alias impense

aeria & venenosa, adeo domari videmus, ut libere, velut cum Rhabarbaro facimus, ad humores tibi proprios usurpemus? Privatim hoc notatu dignum: Scammoneam spagyrice præparatam ad viginti usque grana robustis uncia vice in Conserva Rosarum, &c. exhiberi posse, ad debitam solummodo corporis evacuationem, absque ullis ventris torminibus, perturbatione, vel viscerum inflammatione, quæ tamen vix raro ab aliis dividua sunt purgationibus. Imo veluti Maxima est in hac arte, non Scammoneam solum, sed & alia Cathartica venenata, & plus justo vehementiora, ut sunt, Elleborus, Tithymalus, &c. Artis nostræ industria facultate maligna & acrimonia privari, èque Draconibus ignivomis mites columbas, in variis scilicet corporis affectibus veræ salutis nuncias, reddi conciliarique posse. Cui ipsi tanquam verissimo Epiphonemati, cum sexcentis aliis sat profunde edoctis, hoc in negotio merito acquiescimus. Et immotam hanc qualemcunque defensionem contra licet acerrimas quorundam ἐπιπληκτικὰς ῥηθορείας *facile retinebimus. Medicamenta tamen ordinaria in officinis hoc in loco culpare animus non est. Etenim & illa bona sunt, & salutaria inventa, dummodo vero fine definiantur, non abusu, aut artificum pertinaci ignorantia. Nihilominus opera danda est sedulo, ut Medicinam ritè excolamus, illustremus, exaugeamus, si non ipsiusmet artis, quæ per se dicente Hippoc. de leg.* πάντων τεχνῶν ἐπιφανεστάτη, *attamen Charitatis ergo in proximum. Nec quicquam, utut recens introductum simpliciter aversemur, priusquam rectæ rationis examine experti fuerimus*

——— quid turpe, quid utile, quid non;
——— ——— quid distent æra lupinis.

OPIOLOGIA,

SEU

TERNARIUS LAUDANORUM.

CAPUT. I.

De natura & qualitate Opii ad veterum Medicorum sententiam.

OPIUM, quemadmodum Veteres testantur, nec moderni inficiuntur Medici, est lachryma seu liquor viscosus, è capitibus papaveris albi, vel nigri, certo anni tempore, incisione in primam corticem seu ultimam superficiem ipsorum facta, extractus, prout Dioscorides tradit lib. 4. Simpl. cap. 62. Hic liquor seu lachryma postea condensatus, ut monstrabitur, usui accommodatur pro necessitate: Id quod ex Historia Petri Bellonii de succo ipsius dum recitavero, dilucidius patebit.

Præstantissimum habetur, secundum Dioscoridem, aliosque veteres, quod fuerit ponderosum, densum, gustu amarum, odore soporiferum, & quod facilè aqua solvitur, læve, candidum, neq; asperum, neque grumosum, non ceræ instar adhærescens, dum colatur, nec ad Solem æquabile, quod lucernæ admotum non atra lucet flamma, & extinctum integrum retinet odorem.

Impostotiè vitiatur Glaucii, vel lactucæ sylvestris succo & gummate, cujusque tamen nota facilè perceptibili relicta. Flavedo enim deprehenditur ex Glaucio, quando in partes dirimitur, diluiturque. Adulterium ex succo lactucæ sylvestris indicatur ab asperitate, & quod odore nimis obscuro præditum sit. Quando lucidum est, minorisque efficaciæ, gummi admistum habere non dubium præbet indicium.

Crudum ervi ferè quantitate sumtum, omnes dolores levat, digestionem adjuvat, tussibus & stomachi defluxionibus subvenit. Facit etiam ad capitis dolores cum rosaceo inspersum. In aurium doloribus cum amygdalino oleo, Croco, Myrrhaque utiliter instillatur: in oculorum autem inflammationibus cum tosto ovi vitello & Croco. Prodest idem vulneribus sacrisque ignibus cum aceto; podagris verò cum humano lacte & Croco. Quin etiam sedi pro balano subditus, somnum facit. Diagoras, Ætius, Mnesidemus usum Opii reprobant in prædictis malis propter virtutem quam habeat stupefacti-

pefactivam. Dioſcorides verò defenſorem ipſius agit non ignavum, falſamque ipſorum redarguit opinionem. Experientia enim remedii hujus vim ex eventu contrariam teſtatur. Nihilominus in alio loco magnam ipſius noxam futuram agnoſcit, ubi in quantitate quis modum exceſſerit; & lethargiam in fine, & vitæ jacturam ſequuturam. Id quod ulterius etiam confirmat libro 6. de venenis eorumq; remediis, ubi ſymptomata in magna nimis quantitate Opium potum ſubſequi ſolita recenſet. Ita nec Nicander, nec Ætius nocumenta Opii ſilent. Itidem Galenus lib. 2. & 3. de comp. Medic. Opium medicamentum periculoſum & lubricum proclamat, quod ſenſus hebetet, & mortalium ſymptomatum cauſa exiſtat. Unde accidit, quod tam raro in uſum veniat, niſi in extremis vitæ periculis dolorum ſævitia ſubortis. Cui quoque Plinius multique alii calculum adjiciunt, quamvis ab altera parte non deſint, qui contrariam opinionem propugnent, iique tam Neoterici, quam Antiqui Medici.

Cauſa triſtium operationum, quas crudum Opium producit in liberaliori copia potum, nimio ipſius algori attribuitur, ſiquidem maxima Medicorum pars in quartum uſque frigidorum ordinem illud collocavere.

Hiſtoria de Opio ex Lib. III. Cap. XV. Petri Bellonii de ſingular. rerum memorabilium Græciæ, Aſiæ, aliarumque Regionum.

Rerum omnium, quæ quemquam in ſui admirationem trahant, nulla prope obſervatione magis digna videtur, quam Opium, quod jam in Turcia, præcipuè Achaja, Carachara, Spartada, Emetelinda, inque vicinis alis locis Paphlagoniæ, Cappadociæ & Ciliciæ copioſe naſcitur. Agrum ibi conſerunt papavere albo, uti nos ſolemus tritico; tamque dediti huic ſeminationi ſunt, ut quilibet Agricolarum tantam meſſem affectet, quantam ſervorum ſuorum opera & metere & colligere poſſit. Et quando jam papaver capitibus emergit ſuis, inciſione duntaxat in exteriorem corticem facta lachrymam guttatim promanantem adinſtar lactis excipiunt, quam ad ſpiſſimentum usque coagulari faciunt. Sunt agricolarum quidam, qui decem uſque libras hujus colligunt; alii ſex, alii etiam plus & minus, ſecundum quod unusquisque majori ſervientium opera & auxilio ſtipatus. Nam non tam intereſt, quod quisque magnam agri partem inſeminarit; quam quod ſatis ſervorum habuerit, qui metant, & colligant. Ideoque quamvis Turcis in magno uſu ſit; non tamen vulgo adinſtar aliarum domeſticarum mercium, hinc & inde venditur. Nec Turcarum quispiam eſt, qui non aſſiduè ſibi comparet. Si vix aſperum poſſidet, medium ejus ad Opium emendum inſumit, quod & armatus & togatus ſecum undiquaque geſtitet. Mercator quidam Judæus, ex Natolia pro certo indubitantur nobis adſerebat, nullo non anno quinquaginta Camelorũ onera à paganis Paphlagoniæ, Cappadociæ, Galatiæ, Ciliciæ eo ipſo compleri, quæ in Perſiam, Indiam noſtramque Europam, & alias longè diſſitas terras, ut non minus etiam, quæ Turcico imperio adhuc ſubſunt trans-

transmittantur. Cui fidei parum habuissemus, nisi ille ipse, ratione accuratè instituta, probè monstrasset, quid quantumve unusquisque vicus ex confinio Caracharæ, aliarumque civitatum Paphlagoniæ, Cappadociæ, Armeniæ minoris & Gallogræciæ finitimis nationibus suggereret. Dicebat etiam quod Persis epulum hoc longè familiarius esset, quam Turcis. Aliquando autem experiri animus erat, quantum satis esset, quod pro una vice quispiam assumeret, sine periculo. Et Janitschirum antea nobis notum, cuique quotidie eo uti alias insolens non erat, offendebamus, is pondus semidrachmæ haud ægrè deglutiebat, nobis præsentibus. Postridie insuper in Taberna quadam drachmam integram nobis ponderari curabamus, quæ denuo data ipsi nihil omnino nocumenti, præterquam quod ebrii instar paullulum turbaretur, attulit. Usque adeo Opio vesci in Turcia res insolens aut nova non est. Ratio verò quare illud tam ardenter & appetant, & devorent, alia non est, quam quod persuasum sibi habeant, eo ipso se alacriores & quorumcumque periculorum bellicorum contemptores evadere. Hinc etiam bellicis obortis motibus, quando milites conscribuntur, tanta ejus, increscente nimirum usu, penuria oritur, ut omnis ferè regio his suis divitiis careat. Ideoque etiam in trivio ipsis dicitur ut probri objiciendi causa: Esitavit Opium, æquè nempe probrosum, ac si nostrates aliquem ebriositatis insimulent. Armenius quidam Christianus, cui diversorio nos diu eramus conjuncti, sæpè nobis præsentibus partem aliquotam Opii assumebat, & facto periculo nihil quicquam mali inde experiebatur, nisi quod pectora aliquantisper exæstuari, cerebrumque leviter turbari, ac in somniis turbulentis quodammodo affici se, sentiret.

Si cuidam animus esset, papaver hujusmodi in Europa, Gallia, Germania, Italia, &c. plantare, rem simili successu, ac in Asia, non carituram existimaremus; dummodo tempus colligendi debito studio observaretur. Clima siquidem Natoliæ non magis calet, quam illud Galliæ. Et factum est ejusdem fortis & bonitatis cum eo, quod ab authoribus descriptum legitur. Quod si verò eo usque progredimur, de mixtura ejus, ac si parum candide quid intervenisset, dubitare minimè possemus. Mercatores enim antequam in nundinas secum ferunt, quo possunt modo multiplicare illud, adeoque adulterio contaminare non intermittunt. Ideoque ut quisque sibi ab hujusmodi fraudulentia cavere ritè queat, notas, è quibus optimum eligitur & agnoscitur, describere haud cessabimus. Probatissimum ergò est, gustu amarum, acre, imò linguam nonnihil mordicans & ferè inflammans, colore ruffo, intus grumosum, odore fastidiosum & forte, ut temperamento frigidum statuatur. In Natolia in frusta conficitur, quatuor circiter unciarum, aut ad summum semilibræ. Mercatores vero lucri causa medietatem aliunde sufficiunt, adeoque massæ in Seplasiorum Venetorum officinis integram ferè libram adæquant.

Hucus-

Hucusq; Bellonius de Opio. Quamvis autem ante hac in Europa Opium omnibus his notis absolutum perfectumque vix repetiebatur, hoc tempore tamen terrâ nostra copia ejus abundanter affluit, quod quidem omnes probitatis notas evidenter exhibet; nullis verò seminariis aut granulis intus refertum, (quod fortè ab alio collectionis modo provenit,) nihilominus & utile & preciosum satis deprehenditur. A plerisque Opium appellatur Thebaicum, κατ' ἐξοχὴν, quod probatissimum illud æstimetur, quod Thebaides conficiunt.

CAP. II.

Quod Opium sive crudum, sive mixtum, in Medicinam tuto veniat, absque ullo vitæ damno.

SUnt inter Neotericos plurimi, qui plus justo veterum opinionibus addicti, jurati que Opii hostes, non ipsi solùm credunt, sed & aliis persuadere conantur: Omnia horum authorum in ignominiam medicamenti hujus dicta & prolata, irrefragabiliter oraculi instar accipienda, tenendaque esse. Hos responsi loco scire volo: non licere liberalem Medicum se mancipium dare alienæ libidini, ad credendum, quidquid etiam per somnium dixerint alii. Verum quotidianas rerum observationes, & matrem scientiarum Experientiam esse, quæ in quolibet negotio judicium nostrum ad Veritatem aptè conformet, & confirmet; & quicquid minus inde depromtum, vel eidem contrarium, detestandum mendacium agnoscendum esse. Non minus enim quam nos hoc nostro tempore, veteres etiam tam Græci, quam Arabes, ut apud plurimos in magna existimatione habiti, infirmitatibus & vitiis velut arrogantiæ, invidiæ, contradicendique studio dediti fuere; ut vel inde causæ satis sit, nemini manum injiciendam esse, nisi rationem Veritati & experientiæ conformem attulerit. Galenus, Plinius, & alii errores suos de usu Opii per totum mundum spargunt, eumque nemini non suspectum reddunt. E contra Oribasius, Dioscorides & alii illud valdè utile, & ad multos corporis affectus debellandos non minus necessarium deprædicant.

Neutra pars fidem constanter detogat alteri. Utra verò recto talo incedat, quis melius arbiter extiterit, quam ipsa Experientia? Ea ergò dum frustraneum illum metum monstret de Opio, quinimo, illud intra corpus etiam ad sanitatem consequendam tuto usurpari posse: Ideoque Oribasius & Dioscorides de Opio verè scripserunt; illi alii verò osores valdè lapsi sunt, undecunque etiam sit, quod mendacio magis quam veritati blandiri voluerint. Hoc enim multo studio inquirere ad propositum nihil facit; siquidem qualiscunque etiam illa causa sit, tanti ponderis esse nequeat, quæ Experientiæ sacra dicteria evertat.

Quod autem OPIUM dignum sit ut intra materias indicationum à singulis recipiatur, duo mihi sunt potissimum argumenta.

Primum

Primum ab eo ſumitur, quod Petrus Bellonius, imò ſexaginta alii magnifaciendæ authoritatis, de Opio teſtantur: quod Turcis larga etiam copia in uſum veniat, ut vix dies ab aſſumptione iſtius vacuus tranſeat, idque tamen absque ullo ſanitatis incommodo. Unde ſatis ſuperque conſtat: Opium multis paraſangis abeſſe à venenoſitate & malitia illa, qua plures illud mendaciter inſectati, & vituperare conſueverunt.

Dicat quispiam, me hoc ſermone meo parum receptui canere. Clima ſiquidem calidum, ſub quo Turcæ degunt, frigiditatem Opii, ut felicius digeri queat, longè ſuperare. Id ipſum verò Chriſtianis Europæis minus ſperandum eſſe, quorum nimirum loca habitationum longè frigidiora. Huic objectioni reſpondeo: Etiamſi conceſſerim omnia illa præſuppoſita, nihilominus digeſtionem majorem, minoremve impropriè Climatis temperaturæ aſcribi, ſed, ſi quid rei ſubſit, unicè in cauſa eſſe Robur virtutis naturalis in hominibus. Sic enim Hippocr. ſ. 1. Aph. 15. Καὶ τὰ προσάρματα πλείω δοτέον, καὶ γὰρ τὸ ἔμφυτον θερμὸν πλεῖον ἔχουσι. Et Gal. in Comm. Non aliud quidquam præter calidum hoc innatum, anima ab initio finxit formavitque, non aliud poſtea ad juſtam magnitudinem perduxit, non aliud denique ad finem usque vitæ aluit ac ſuſtentavit. Siquidem omnium naturalium actionum cauſa exiſtit. Imò ſi quicquam valeat regionum habitus ad appetentiam, concoctionem & digeſtionem, tantùm abeſt, ut loci caliditas ea promoveat, ut è contra magis impediat, & labefactet. Quia aëris nos ambientis calore ſoluta natura, Gal. in comm. ejusdem Ahp. calor nativus, qui concoquere & perficere debet, paucus habetur, in Comm. Aph. 17. E contra calor circumſtante extrinſecus frigore intus coercitus major & vegetior. Jam videamus, utrum ille Turcarum à noſtrorum hominum naturis tantùm abſit, ut ſpecie differat, nec potius ſecundum magis & minus? Vel: utrum tantæ activitatis ſit, ut, quod aliis populis venenum, hiſce ſolis corporis & animi commoda pariat? Ad utrumque reſpiciendo ſtatim pronuncio: virtutem naturalem in ipſis Turcis non ſpecie aliam eſſe, ſed accidentibus duntaxat, & quod dicitur, ſecundum magis & minus. Si enim intenderetur ſecundum ſpeciei diverſitatem, eo quoque modo intenderetur etiam eſſentia ipſorum, atque adeò ipſi Turcæ vel magis homines eſſent, quam nos, vel nos magis quam illi, quod valde ridiculum. Eſt omne accidens proprium non ſolum æquale eſſentiæ, ita ut converſione mutua utriusque de utroque prædicatio, ſed etiam ut voluit ſubtiliſſimus Johannes Duns, idem. Ideo cum eadem ſpecie virtus naturalis ſit in Turcis & in noſtratibus; non alius toto genere effectus erit in illis, ac in nobis ipſis experimur; & conſequenter, pro alimentis non habebunt, quæ nobis tota ſubſtantia ſubitanea ſunt venena. Eſt quidem obſervatio, quod planta eadem uni ſit homini ſalutaris, alteri exitialis & mortem inferens, velut Caſſiæ fiſtulæ hauſtu

hauſtu certam interiiſſe familiam; Item Cicutam quoſdam interficientem, in Liguribus Taurinis pro deliciis haberi in acetariis, addo etiam elogio ſalubritatis; Urinas quoque ciere validè admodum. Ea autem ſingula non ipſis herbis, earumque diverſitati debentur. Venena enim non ſunt individualia; ſed vel perſuaſio in cauſa eſt, quæ ſæpè tanta impreſſione animos afficit, ut ea deleri nunquam poſſit; vel aliud ailiquid exterum, poteſtatis undiquaque impetuoſæ, velut in illo qui ab Antimonio ſemel læſus, ne videre quidem Antimonium poterat, quin alvum dejiceret. Alicubi etiam venenata creſcunt, quæ ratione loci venenoſitatem exuunt. Quemadmodum enim ſpeciebus ſua cuique eſt natura proprietatis, in qua item invenias individua ab aliis diverſa, ſi in mores inſpicias, individuis: ita & loca certa certis ſpeciebus. Neque ſolum illa longè lateque patentia; aerem avibus, aquam piſcibus, terram aliis; ſed etiam deſignatis præſcriptiſque regionibus aliqua, quæ in aliis vel non ſunt, vel non ejuſdem naturæ ſunt. Quas inter ſpecies & loca illa, privatim nonnihil naturæ peculiaris eſt, non omnibus aliis ſemper communicatum, aut vulgo cuivis notum.

Illa omnia adverſario parum conducunt ad propoſitum. Quis enim perſuaſionis aut phantaſiæ locus in venena, ſi Opium in gratiam ipſius pro veneno habendum ſit? Et hic præſertim, ubi per tot annos Turcæ prælia farituri, vel conventus annuos celebraturi epulum illud eſitent, inque eo irreverſim perſeverent: neque Turcæ ſolum, ſed totius Orientis incolæ. Ita enim Scaliger Philoſophorum hujus ſeculi phœnix: Ex affinibus atque amicis noſtris illud pro vero non dubitanter affirmare poſſum: Opium in multis Aſiæ agris ex albo papavere ſativo expreſſum, eſſe toti Orienti in quotidiano uſu ad animi, ut ajunt, commoda comparanda. Quis alicui externo? dum illa omnia de Natura Opii referantur, quòd omnibus indiſcriminatim (quamvis, ut arbitror, pro temperamentorum diverſitate aliis magis, aliis minus) compartiatur. Neque Opium quod in uſu apud Turcas eſt, pro Turcis peculiare ſervatur, ſed & ipſum transferri in hæc loca uſque conceditur; nuſpiam tamen de eo proditum eſt, quod ipſum ſolum proſit, cætera verò noceant, & mortem inferant.

Ais? Conſuetudinem multum poſſe, ob id à Galeno naturam acquiſititiam dictam. Velut apud Indos conſuetudo peti ſeu Tabaci, herbæ non ſolum narcoticæ ſed vehementer quoque vomitoriæ, quæ inde ſenſim & ſenſim in Europæ provincias introducta, neminem aſſvefactum uſu ſuo periculoſe afficit. Multum equidem poteſt, eaque procul dubio in cauſa eſt, quòd tam frequens uſus Opii Turcis minus exitialis ſit. Nec quicquam dubito, quin plurimi quoque inter Europæos, dum prius adſuefiant, æque Opii ac Tabaci, quamvis haud eadem quantitate, nec toties aſſumti, (Opium quippe velut pura eſſentia eſt ex herba; eſſentialia verò ἐνεργητικώτερα ſunt integris & impuris:) futuri ſint decoctores. Et certum eſt, ſi è Tabaco reſinoſa ſulphureaque ſubſtantia ſeparata, inque Opii conſiſtentiam redacta, iis, qui alias Ta-

paci fumos trahunt, exhiberetur, vix sextam partem ejus, quod in foliorum substantia alias hauriretur, tanta facilitate quenquam pati, vel concoquere posse, quod sæpius probatum, fidem jure optimo meretur.

Neque ignoro Empiricis vel maximè familiarem, attamen non usque adeò crudelem crudi etiam Opii exhibitionem esse, ad varios affectus, vel eadem, vel largiori paulò dosi; quàm Dioscorides præscripsit, & nihil corrigentis loco miscent, præter modicum seminis Carvi in pulverem redacti. Ex his ergò concludo: Opium non solum non venenum esse, & impune, sed & salutare & utiliter, æquè ac Turcis, nobis quoque usui esse posse. Quamvis enim illi ab infantia agrestiori, & crassiore victus genere enutriti, & educati robustiores sint, & ad largius edendum Opium ob id magis dispositi, quàm Christiani; Correctio tamen Opii, quàm infra addemus, quodquod Natura parcius nobis concessit, optimè & cum fœnore compensabit. Propterea adfirmare haud verear: ubi casus indicationis hujus necessarius accideret, me absque ulla animi suspensione, crudum etiam Opium, pendere duorum triumve granorum exhibiturum. Quamvis enim Opium nunquam penitus deglutierim non præparatum, sæpe sæpius tamen gustu saporem, olfactu, vaporibus in magna copia in cerebrum & pectus attractis, odorem & efficaciam, absque ulla offensa satis exploravi. Interea verò author nemini extiterim, ut, dum commodius liceat, crudum in usum assumat.

Alterum, quod Opio utendi libertatem nobis confirmat, est, quòd saniores quoscunque Medicos ejusdem sententiæ asseclas habeamus; quodque ipsorum suasu in nobilissimas qualscunque compositiones: Alexiteria, Diaphoretica, Anodyna, Confortantia, & alia desperatissimorum morborum remedia velut basis optima ingrediatur; Unde & ἔτυμον est, quòd Opiata appellētur, cujusmodi sunt Theriaca Andromachi, Mithridatium Democratis, Tryphera magna, Aurea Alexandrina, philonium Romanum, Tarsense, Persicum, Requies Nicolai & alia quorum usus, à multis seculis ad hæc usque tempora perseveranter mansit, & adhuc in posterum haud dubiam vigoris spem in laudatissimis quibusque seplasiis promittit.

Rationum quibus Antiquitas commota Opium prædictis confectionibus admiscuit, monumenta certè non levia fuerunt.

Proprietas enim Opij est: sedare omnis generis dolores, internos & externos, roborare meatus, nimium hiantes & apertos; præcipitare, & consumere vapores malignos hinc inde productos; incrassare subtiles & rodentes humores, corrigendo illorum malignitatem & acrimoniam; sistere fluxum dysentericum & menstrualem, extinguere calorem ardoremve febrilem; provocare inquietis somnum; & denique instar Balsami partes à corruptione defendere.

Quæ ipsæ virtutes omninò necessariæ sunt omnibus compositionibus, pluribus simul morbis dicatis; ad quorum depul-

depulſionem ordinariè, vel una, vel altera harum proprietatum deeſſe non poteſt. Cujus ſententiæ teſtem Quercetanum habemus in pharm. ubi de facultate Opii tractat his verbis.

Pauci enim ſunt morbi, qui non ſimul complicentur vel ardoribus, vel inflammationibus, vel inquietudinibus, commotionibus, languoribus, oppreſſionibus, vigiliis, defluxionibus, vel varii generis doloribus, capitis, pectoris, ventriculi, ventris, vel cujuſcunque alterius partis: ad quorum omnium ſymptomatum ferociam compeſcendam Opium ſpecificam & peculiarem quandam habet proprietatem, quâ vel unum ex his ſymptomatis ſeorſim, vel plura cum malo conjuncta, ſimul cum admirabili adſtantium, & ipſorum ægrorum admiratione evincit ac ſubigit, unde ſæpenumero in ejuſmodi caſibus tam mirandos ſanationum effectus prodere videmus theriacam, Mithridatium, antidotos Eſdræ & ſimiles, quæ Opium excipiunt, &c.

Et hæc ſunt, quæ ſingula uſum Opii, ſecurum nobis ad plurimos corporis humani affectus promittere, & præſtare bene poſſunt; Quin imò, quibus ſanitatem conſervabimus, morboſque profligabimus, dummodo pietate & methodo (cautione æquè in aliis medicamentorum Speciebus neceſſaria) ſingula adminiſtraverimus.

CAP. III.

De Cauſis benignorum malignorumve effectuum, ab Opio corpori humano contingentium.

Quod Opium eo, quo ſuprà dictum eſt, modo appoſitè ſcilicet exhibitum, ægris varias præſtet utilitates; econtra verò accedente abuſu infinitis & immedicabilibus malis fomitem accendat extra omnem dubitationis aleam verſari arbitror. Quid verò cauſæ ſubſit τὸ δι' ὅτι, non omnibus ea de re eadem ſententia. Maxima Medicorum pars extremam, quam ad quartum uſque gradum habere dicunt, frigiditatem accuſant. Argumenta ab effectibus deſumta hæc proponunt; Opium vigilantibus ſomnum conciliat, ſubtiles & tenues humores incraſſat. Vigiliæ verò cauſam habent ut plurimum calidam & ſiccam, vel cum vel ſine materia; tenues item & diſſoluti humores à caliditate oriuntur. Ergò cum his contrarietur Opium, prædicta qualitate præditum oportet eſſe: Inſuper authoritates jactant Galeni, Plinii & multorum aliorum, nec non obſervationes & exempla, quod Opio abutentibus inexpugnabiles ſomni, Lethargia, ſenſuum privatio, membrorum ſtupefactio, ſuffocatio caloris, nativi, & denique mors ipſa imminuerint.

Agedum non inficior me eo uſq. Logicum non eſſe, ut in verboſæ diſputationis πτεριτίσματα magis quàm rerum ipſiſſimarum fundamenta, adeoq; Veritatem inten-

:entum habeam animum; nihilominus & tantò magis quidem, quia rerum turbam in Scriptoribus licitum est de rebus experientia ipsis notis pro libitu disserere, meum quoque judicium, salva tamen eruditorum authoritate, eadem de aperiam. Opium ergò non sub frigidorum medicamentorum classe continetur, ut vulgaris opinio est, Ratione & Experientia certissimè comperio: Ratio calorem præfert, quia sentit non solum amaritiem, sed & adustionem & excoriationem, quæ calidi temperamenti signa esse abundè docemur è communi sapientum de rebus amaris judicio, & quòd ex lumine Naturæ constet inter elementa ignem duntaxat corrodere, inflammare, & calfacere; sentit insuper, quando Opium siccamus, inque pulverem redigimus, obscuram flavedinem illi, quam Aloë & Myrrha præ se ferunt, non absimilem. Vulgò autem creditur: Omnia flavedine uncta præsertim amara simul calore exuperare. Quod Experientiam attinet, illa duplex nobis Magister est, quòd Opium calidum potius, quàm frigidum statuamus. Primò enim, Turcis comedentibus hilaritatem, alacritatem & magnanimitatem præstat ad concertationes.

Postea ad unum duove grana ægris exhibitum, in lecto decumbentibus, tantos sudores rorare facit, quantos vix aliud sudorificum remedium eliceret, quod mehercle nullatenus à frigiditate procedit.

Objiciunt fortassis: Turcas impense calidum habere temperamentum, & ob hoc ad actiones rectè obeundas ignavos esse & minus hilares, æquè ac in nimis frigidis corporibus accidit. Opium verò hunc temperando calorem, atque adeò ex accidenti animum emasculare, roburque corporis viribus addere. Pariter haustum frigidæ ad bibendum concessum, æquè sudorem provocare, nulla, quòd manifestum, caliditatis culpa.

Respondeo verò: si Turcæ vires animumque sibi compararent, à temperatione caloris per frigidum, frustra illos sumtus impendere in Cerealis hujus sationem Opiique collectionem; siquidem eundem appetitum, qualibet aqua profluens, seu fontana majori cum successu expleret, quæ nimirum omnes corporis partes actuali frigiditate non sine voluptate etiam mulceret, citoque reficeret; tantum verò abest, ut hic idem aquæ effectus cum Opio, ut contrarium potius, virium scilicet animique dejectionem, & ignaviam sequi videamus. Quod autem aqua quamvis frigida actu & potentia, nihilominus sudorem promoveat, intellige, à causis per accidens non duci firma argumenta.

Non enim in omnibus temperamentis vel affectibus hujusmodi aquæ effectus est, sed in aliquibus duntaxat: veluti quando febricitanti vel corpori calido exhibetur; Tum enim imbibitione frigidæ (velut infusione in flammam vel lapidem ignitum,) copiosi excitantur vapores, hi à natura condensati iterum, vel per poros, vel per ureteres expellantur necesse est. Ideoque hoc tale non à facultate quadam diaphoretica proficiscitur, sed contingit ita ex eventu, & accidentaliter, ut dictum est, non semper.

Ad

Ad prima ergo argumenta illorum qui Opium frigidum probare conantur, ex eo quod somnum provocat & subtiles incrassat humores, dico: illa infirma esse, & nullius authoritatis, hoc in loco. Primo enim, non solum somnus à causa calida impeditus ab Opio restituitur, sed & cæteræ somnum intercipientes causæ ab hujus actione immunes non sunt, quamvis illæ variæ ab Avicenna & aliis definiantur.

Deinde, nec calidi duntaxat humores ab Opio incrassescunt, sed & alii impense frigidi, pituita nimirum crystallina, vel vitrea, è cerebro in subjacentes partes destillari idonea. Quam necessarium ergo lemma ab operationibus Opii, quemadmodum ἀνταγωνισταὶ arbitrantur, desumendum sit, quis sanæ mentis non videt? Si enim ad hunc sensum argumentorum conclusio necessaria foret, certo sequeretur: quæque frigida esse soporifera, quacunque etiam de causa vigiliæ fuissent productæ; item sedare dolores, incrassare humores subtiles quoscunque, sive calidi illi essent sive frigidi; & denique omnes Opii actiones æque à quibuscunque aliis frigidis expectandas esse, calidis è contra contraria efficientibus: quibus tamen Experientia expresse contranititur.

Neque enim Argentum vivum potum, neque Magisterium plumbi, quod tamen Saturno propter summam frigiditatem comparatur, neque Salpetræ, neque Alumen; singula frigidis salibus annumerata, neque Aqua, spermatis Ranarum, seu sperniola, quæ vel sanguinem etiam frigiditate sua coagulare dicitur, cũ Opio similes hos effectus edunt. Quinimò dicam, quod ne quidem glacies vel nix, quamvis iis in magna copia uti liceret, dormire, omnesque dolores cessare faciant; sed vel singula in statu eodem permanere, vel exasperari. Quamvis fieri posse non nego, quod quædam frigida somnum inducant, is tamen effectus neque semper, ubi opus est, neque tanta cum fiducia, velut ab Opio, sperari potest.

Deinde tantum abest, quod calida inquietudines humorumque crassorum subtiliationes causentur, quin potius illorum plura reperiantur, quæ somnum conciliare, humoresque subtiles & virulentos incrassare tam possint, quam ne infinita quidem frigida. Id quod videre est in Myrrha, Aloë, Storace, Olibano, Absinthio, Betonica, Croco & id genus aliis. Quinimò ipsum Sulphur, quod tamen ignis instar Naturæ potentialis est, somnum inducit, adeoque calidos acresque humores coagulando retinet, ut & phthisicis ad fluxiones retardandas dextre præscribatur.

Præterea res veris Spagyris notissima est, Aquam, Vinum, Spiritum vini beneficio Sulphuris tam coagulatam consistentiam adipisci, quam vel in mortario pulveris instar subigere, atque iterum pristinæ formæ reddere liceat.

Non ignoro dicturos quosdam: quaslibet res tam frigidas, quam calidas operationes in corpora perficere diversimode, secundum diversitatem subjectorum, quæ offendant: pari modo, quo ignis res quasdam coagulat, quasdam resolvit, & eliquat; Eodem modo de frigore rem

accipiendam. Quod itemOpium quia extreme frigidum alicubi agat, ubi alia minus frigida nil quicquam possint.

Hæ duæ rationes tamen scopum disputationis nostræ parum attingunt; Opium siquidem de quo sermo nobis hactenus in corpus humanum per electionem non agit, neque discernit diversitatem temperamentorum; sed indifferenti odio cunctis vigiliis, cunctis item doloribus à quacunque demum causa ortis, vigorem præscindit, quemadmodum supra quoque dictum est.

Secundo: Etiamsi Opium ponatur frigidissimum: nihilominus in tantilla portione, qua propinamus fieri non posset, quin magnitudine frigidorum aliorum, qua in usus medicos veniunt facile superaretur.

Et quæ non absurditas dictu audituque foret, unicum duntaxat binave Opij grana majori frigore prædita affirmare, quam integram Aluminis sive crudi sive præparati drachmam? pluris illius frigiditatem æstimare, quam vel scrupuli Magisterij plumbi, vel unciæ Sperniolæ, vel binarum unciarum Aquæ Nymphææ; vel unius alteriusve unciæ Argenti vivi, pluribus in casu vermiculationis & alibi remedij consueti, quodque instar frigidissimæ glaciei corporis singula membra percurrit?

Pariter singula prædicta os omniaque membra, per quæ trajiciuntur, manifesto algore afficiunt, quod Opium tamen non solum non facit, sed & contrarium, calefaciendo urendoque & os & pectora, facit.

Hæ ergo similesque rationes veritatem rei non spectant, neque certo de frigiditate probant, quod authores proposuerant: sed velut declamationes otiosæ in verbis potius artem, quam in re ipsa præse ferunt.

Quantum jam symptomata ex nimia ipsius quantitate attinet. Experientia monstrat: Vinum adustum, essentiam calidam & subtilem, in extrema quantitate exhaustum eosdem prorsus effectus prodere. Siquidem multoties visi sunt plus justo ebrij, tanta stupiditate, sensuum privatione, tremore, lethargia affecti, quanta vix ab Opio etiam nimio credas; & quando vitam finierunt suam, tantus in corporibus repertus livor fuit, ac si summo frigore inglaciati periissent. Similes effectus simplex quoque Vinum abutentibus præstare, funesta exempla illorum probant, qui, quod in Papatu pluribus in locis valde inolevit, ad supplicia rapiendi vino prius nimium inebriantur. Pars enim plus quam humana audacia cantantes morti obviam quasi currunt; pars velut stupidi instar bestiarum supplicia ferunt, nullo martyrij metu, dolorumque morsibus perceptis, imo, quod pessimum est, absque facinoris patrati recordatione, pio vel ad Deum misericordem se convertendi affectu. Vinum secundum omnes Authores imo ipsam experientiam abusu phrænesin, maniam, rabiem, furorem, stupiditatem, lethargiam, paralysin, aliosque detestandos affectus temporis successione parit, non minus quam Opium; interim quis illud frigidum statuendo contra totius mundi confessionem Experientiæ scuticam pateretur.

Ideo-

Ideoque liberè nobis concludendum reſtat: OPIUM qua Turcis audaciam, & hilaritatem præſtat, qua ægris vigilias doloresque internos compeſcit, minimè, neque frigidum neque calidum eſſe, (quamvis in ſe quod calidum exuperet, manifeſto liquet,) ſed unicè à ſpecifica occultaque totius ſubſtantiæ proprietate illa omnia proficiſci. Simili prorſus modo, quo cathartica non calidi, non frigidi, ulliusve purè elementalis qualitatis virtute, ſed ſpecifica item proprietate ſua, omnis mirabilitatis ſubjecto, corpus mundificant. Purgantia legitimè uſurpata excrementa corporis dejiciendo non dici poteſt quantum commodi producant, ſed abuſu contaminata & diſtorta tanto magis offendunt, vitæque nocent. Ita OPIUM ſalutari ſuo uſu bene ſacrum eſt, abuſu verò intempeſtivum, ſtupendum, & lethale.

Quod ergo in omni medicina opus eſt, id vel maximè ad hoc dextrè uſurpandum: Medici duces eſſe debere. Rationem, Experientiam, bonamque Conſcientiam. Iis qui innititur, honorem DEI & ſalutem proximi ad Artis ingenium ritè promovebit.

Cap. IV.

Quid Theophraſtus Paracelſus de anodynis ſtatuerit, & privatim de OPIO.

JAm Veterum ſententia de OPIO in genere, ejus natura, virtute & uſu explicata, & quid intercedat controverſiæ inter neotericos adverſus ſe invicem de ipſius qualitate: operæ pretium etiam viſum fuit, Theophraſti unici pæne illius Naturæ miraculi, & Chymicorum principis judicium quoque ponderare.

Hic ipſe ergo uſum medicamentorum anodynorum in genere tanti habet, ut non aliter quam pro principali totius pharmaceuticæ columna diſcipulis ſuis eadem offerat & commendet: quodque ad averruncandos graviſſimos morbos nobiliſſima omnium ſint remedia.

Lib. 7. Archidox. cap. de ſpecifico anodyno ſequentia habet: Ad ſcribendum etjam de ſpecifico hoc anodyno multæ cauſæ nos induxerunt. Multi enim morbi nobis occurrerunt, in quibus quævis arcana nos deſeruerunt, excepto ſolum anodyno ſpecifico: Non enim aliter anodynum ſpecificum extinguit morbos: quam aquam ignem extinguere videmus: Quod enim quieſcit vel dormit, non peccat, non intelligitur naturaliter, ſed paroxyſmus dormit, quo fit ut impediatur ejus operatio, frangaturque, &c.

Ex lib. 1. de reb. natural. cap. de Sulphure Embryonato, ubi in genere hypnoticorum & anodynorum laudes celebrat, his utitur verbis: Quodnam Medicus magis arcanum habere deſideraret, quam hoc, quod & omnes dolores & ardores omnes aufert & compeſcit? Hoc qui potitur, nec Apolline ipſo, neque Machaone, neque Podalyrio ſcientia minor. Sententia utique digna, quæ candidè ad animum revocetur.

In Comment. ad 2. Aphor. Hipp ſect. 2. Ubi ſomnus delirium &c. ubi de utilitate ſomni in fine explicationis loquitur, hæc adfert; Somnus in medicina revera maximũ arcanum eſt, ſuper omnes gem̃as & lapides pretioſos, (quod tamẽ in opprobriũ ipſis

ipsis non dico:) & vellem videre, qui ad quoscunque corporis affectus divinius mihi monstraret remedium.

Somnifera ergo undecunque etiam desumpta, minime despicienda sunt; quin imò Medicus qui arcana somnifera à vera essentia sumpta naturæ egenti commode applicare potest, merito apud omnes magnifaciendus veniat.

Quod autem Theophrastus & Opium intra somniferorum & anodynorum censum referat, expresse videre est. è prædicto cap. de specifico anodyno, quo in nullum aliud somniferum in confectionem illam assumit, quam solum Opium, eique tantas asscribit virtutes, ut non hominem eo ipso dormire, sed totum morbum duntaxat dicat.

Lib. de morbis amentium, dum de vesanis, Lunaticis, Maniacis, phreneticis, & epilepticis tractat, Opium in quintam essentiam redactum eodem titulo, & ordine dignatur, cum Auro potabili, Argento potabili, Magisterio gemmarum, aliorumque pretiosorum prædictis morbis adversantium medicamentorum.

Hoc in loco forte invidus quispiam item nobis intempestive, ut alias omnia, noverct, obtrudendo, si tam pretiosa nobis præsto sint arcana, quî fiat, quòd non omnium morborum quorum curam suscipimus, radices & cruciatus tollamus? Hinc κατ' ἀνθρωποφορὰν respondeo: Quare nec ipsorum medicamenta, institutiones & Regulæ ad eosdem curandos sufficiant? Non enim illa Chymica eousque sese extendunt, quamvis magis cito, tuto, & jucunde operentur, ut melioris præparationis ergo, qua cuncta quidem Galenica post se longè relinquunt, omnium affectuum, sive hæreditarii illi sint, & ingeniti, sive aliàs incurabiles; aut quod justitia Dei sine intermissione ægrum exerceat, jugula petant, eosque ceu Cæcias nubem, quod dicitur, interficiant.

Lib. de morbis resolutis, lib. 1. de morb. mineral. & in pluribus Operum suorum locis honorificam Opii mentionem facit, quam quisquam alius Medicus, quamvis magni fecerit illud.

Adhæc loquendo de Opio prout remedium in corpus exhibendum est, non intelligit crudum illud & simplex, vel etiam crassa Minerva duntaxat cum aliis permixtum & compositum, sed rite præparatum & correctum. Lib. 1. namque de reb. natur. cap. de Sulphure embryonato affirmat, malignitatis quiddam habere OPIVM, Mandragoram, & Hyoscyamum, & propterea non usurpanda illa esse, nisi sub forma duntaxat quintę Essentiæ. Idemque occasione inde sumpta Medici Spagyrici opus operi adhibendo, modum tandem invenerunt, tam pretiosum & nobile medicamentum ritę præparandi, cui certe, quoad subitaneam miraculosamque operationem, neque in Spagyrica neque in Dogmatica Pharmacopæa ullum æquale, ne dicam eo ipso præstantius unquam repertum fuit remedium: pro quo quilibet Christianus omnium bonorum Datori Deo meritò gratias immortales agere debet.

CAP.

CAP. V.

De vera Opii præparatione, & in quibus illa consistat.

POstquam ergo de mire utili necessitate Opii in Medicina varia produximus, progrediamur jam ad declarationem Methodi, qua Spagyrici ad liberiorem tutioremque Opii exhibitionem, secus quam Veteres, qui crudum admiscebant medicamentis, facere potuerant, in præparatione ipsius usi fuere. Ita enim Quercetanus de compositione Theriacæ in sua Pharmac. dogmat. restit. pag. 414. de Opii correctione queritur.

Deplorandus enim error est, nobili hujus medicamenti alexipharmaci compositioni, in tam magna, trium scilicet unciarum dosi admiscere tantum venenum, quale Opium crudum & minus præparatum esse constat. Quo ipso Quercetanus non authores Theriacæ, multo minus ipsam Theriacam, cujus successum quotidianus usus satis probat, vituperat; sed duntaxat insinuat, quam majori cum fiducia uti Opio licuisset hactenus à multis seculis, si Artis Spagyricæ veram cognitionem, qualis Dei gratia nobis concessa est, habuissent. Æquo tamen gratoque animo accipienda merito sunt, quæcunque illi secundum Experientiam quam acquisiverunt, literis nobis posteris prodiderunt.

Interea inventionem veræ præparationis Opii jure merito in honorem Theophrasti Paracelsi, ceu omnium classicorum Philosophorum, & Chymicorum facile primi, referimus; Is ipse enim universam fere Medicamentorum materiam Chymicis præparationibus nobilitavit, & ad morbos profligandos tuto jucundeque usurpandos præstitit, cum alii è contra in ancipitis propositi de Lapide Philosophorum bivio hæsitando non solum non utiles labores maxima cum totius Reipublicæ, tum eorum qui sese æmulos præstarunt infelicitate, sed & perniciosissimas fraudes, nugose tantum tractarint.

Consistit autem præparatio illa Opii in tribus potissimum: Primo substantia quædam oleaginosa in ipso superflua, malignæ ipsius & narcoticæ facultatis propria quasi sedes, auferenda est.

Secundo, corrigenda leniendaque prænimia ipsius acrimonia, & febrilis ardor, quæ Tythimalo aliisque lactescentibus acribusque plantis fere similia obtinet.

Tertio beneficio aliorum quorumcunque præstantissimorum prosperanda, adjuvandaque ipsius actio est; quemadmodum ex sequentibus descriptionibus in specie manifestabitur.

CAP. VI.

De triplici modo Opium à sulphure suo narcotico malignoque vindicandi, quod primum omnium esse debet, antequam Essentia extrahitur.

AD Opii superfluitatem auferendam tria media principaliter exhibentur:

Primum est: quando ad mentem

Paracelsi Tract.2.de morb. Amentium, rebus aromaticis admixtum, cumque Sapa, vel Rob Cidonioru, in massam reductum, in malo Cidoniorum excavato, cumq; pasta farinacea involuto, in furno panificatio coquitur, posteaque exemptum in pulverem teritur macerandum in idoneo liquore ad extractionem usque ipsius Essentiæ; quamvis eo loci Paracelso sermo tantum sit de Spiritu Vitrioli ad Epilepsiam composito.

Alterum medium est: ut Opium in minutas parteis dissectum, in patinam immittatur ferream, seu laminam etiam ferream, assetur que tamdiu, lente tamen, donec Sulphur ipsius in specie fætidi densique fumi, à quo sibi pro virili cavendum, evaporarit. Quidam aceto Rosaceo irroratum spatula miscent ut instar Aloes fundatur, postea super laminam extendendo tamdiu evaporare faciunt, donec omnis fumigatio cesset, & quod restat, tam siccum evadat, ut in pulverem abeat, non tamen, quod sedulo observandum ustionem contrahat. Qui ipse modus à Quercetano, & multis aliis neotericis valde approbatur. Neque egomet habeo quod in hoc vituperare possim. Ideoque quandocunque Laudanum concinnavi eam ipsam rationem semper magnifeci, & adhuc magnifacio.

Tertia præparationis σκευασία est: ut Opium antequam misceatur reliquis, in liquore aliquo digeratur prius, bulliatque lente, donec sua Sulphura, & Venena noxia, spumam nempe seu cremorem unctuosum, in superficiem rejiciat; succus autem qui restat usui tantum commodus servandus est.

Hæc eadem ratio Crollio in Basil. Chym. cap. de Laudano, valde accepta secretaque existimatur.

Ex his tribus præparandi methodis, antequam extractionem moliatur, quilibet pro libitu, quam velit, eligat.

CAP. VII.

Quomodo extrahatur Tinctura, Quinta Essentia, seu quomodocunque etiam Substantia Opii appellanda veniat, in quo bona ipsius virtus inest. Quomodo item exitialem ipsius acrimoniam auferre liceat.

Ad Tincturam Opii à malignitate Sulphuris sui jam defæcati, extrahendam, communiter usurpantur aqua vitæ rectificata, vel acetum, jus Citri, Aurantiorum, Cydoniorum, aliive liquores aciduli; omnibus aliis tamen præfero semper acetum. Nam in universum omnes liquores acidos proprietatem quandam venenositatibus rerum adversam habere, ut &, qua illarum acrimoniam, vimque causticam retundant, Chymicis notissimum est. De aqua vitæ autem nemo tale quid vere adfirmarit.

Hanc eandem ob causam Veterum quoque instituta postulant, ut Scammonea cum succo Cydoniorum, liquore sc. acido, vel etiam Spiritu Vitrioli Philosophice corrigatur. Sic Euphorbium, Elleborus, Esula, aliaque venenositatis, & corrosionis nomine suspecta, beneficio aceti, vel irroratione inde, vel infusione facta, mitescunt.

An-

Antimonium eodem modo, ad vomitus prius Essentiis paratum, extractione cum aceto destillato instituta, secundum modernorum experientiam, loco quod nauseam & magnam corporis alterationem excitarit, Medicinam præstat Bezoardicam ad sudores naturaliter provocandos convenientissimam.

Ita quoque Arsenicum perniciosissimum venenum, & Mercurius sublimatus, corrosivum insigniter noxium, cum aceto per digestionem adeo correcta castigataq; apparent, ut in Chirurgia tutissimus ipsorum usus esse possit.

Præterea acetum, aliaque acida, in tanta omnium existimatione versantur, ut nullatenus fere excellentissimarum Medicinarum, veluti Lapidis Bezoar, Unicornu, Terræ Lemniæ, Theriacæ aliorumque alexipharmacorum usus permittatur, nisi vel oxymellis simplicis, vel syrupi Cidoniorum, vel Citriorum, vel Granatorum, de Berberibus, Acetosæ, aliorumve acidulorum societate directorum. Nec mehercle sine causa, ut arbitror. Singula enim acida in universum stomachum confortant, venenis resistunt, ardores internos mitigant, & corruptiones arcent, & vel maxime acetum. Quod, si non aliunde patet, ex eo satis colligere est, quod & se, & immixta alia integra inviolataq; conservet, secus quam succus Citri vel Aurantiorum, vel Granatorum; non oleo quodam superficietenus superinfuso, ut ne crassus aer subire possit, facere consueverunt. Insuper experientia fretus affirmare omnino possum, Opii Essentiam cum Aceto factam, longe efficaciorem esse, quam cui extrahendæ spiritus Vini servierit; cum tamen is ipse spiritu subtilitatis veræque Essentiæ, qua plures aliæ prospetantur Medicinæ, alias super omnia merito extollat, quamvis in hoc, ut acetum, æque commendari certas ob causas nequeat. Administratio ergo Essentialis Opii extractionis hæc est:

℞. Opium ad supradictum modum præparatum & pulverisatum, immitte in cucurbitam recti colli, & singulis ejus unciis affunde ad minimum octo uncias vel aquæ vitæ vel aceti, quodcunque magis placuerit. Orificio bene clauso stent in Balneo Mariæ vel ad Solem, vel qualemcunque fornacem, in qua panis conficitur, triginta vel quadraginta dies, ad digestionem consumendam. Hoc enim modo Opii acrimonia, & cruditas omnino mutantur: non aliter, quam fructus alias immaturos, & austeros, & acres, ad Solis ferventes radios dulcedo, maturitasque sequitur Id quod Ficus exemplo patet, quæ in principio lac valde corrosivum præbet, & quod carni superinductum pustulas & scabiem excitat, quando vero ad Solis gratissimum jubar maturescere incipit, suc cum dulcissimum delicatissimumque prioris loco offert.

Consummata ergo Opii digestione subtile à spisso separatur decapulando, inq; B Roris, ad extracti debitam consistentiam redigitur. Usui destinetur, qui infra sequitur.

CAP. VIII.

De tribus diversis confectionibus Opiatis, Laudanis à Spagyricis appellatis.

SPagyrici Paracelsum, qui in pluribus locis medicamenta anodyna & confortantia LAUDANORUM nomine insignivit, sequuti, Opio composito illud nominis quemadmodum videmus, imposuere. Nihil autem hoc nomen significat aliud, quam medicinam propter raras nobilesque virtutes multis laudibus dignam prædicandamque. Qua de causa etiam Crollius ad propositum valde adposite loquitur: LAUDABILE, inquit, medicamentum, quod plane suo nomini respondet, si Laudanum dicas.

Variæ, imo vix numerabiles Laudanorum præparationes passim venduntur, & arrepta semel ipsorum utilitas, adeo partim curiosis, partim sciolis imposuit, ut quisque fere Medicus de proprio, quod commentus est, certare possit. Ne vero absque magnete hoc in mari rudiores navigare permittamus, tria velut præstantissima famosissimaque Laudana, ad quæ cætera quæque omnia apte referri & applicari possint, candide recitabimus. Et ὑπομνημάτων χάριν, utque applicationis istius, vel unicum tantum exemplum ob oculos exhibeatur, nostram quoque Laudani Opiati usu & experientia fors non minus, quam alia probati spectatique, confectionem sincere adjiciemus.

LAUDANUM PRIMUM,

Seu Anodynum specificum Theophrasti Paracelsi, secundum descriptionem lib. 7. Archidox. tract. de Specificis.

℞. Opii Thebaici unc. j.
Succi pomorum Aurantiorum
Cydoniorum ana unc. vj.
Cinamomi
Caryophyll. ana unc. ß.

Contusa perquam optime simul omnia, mixtaque ponantur in vitrum cum suo coopertorio cæco; digerantur in sole, vel fimo per mensem, postmodum exprimantur, & imponantur iterum cum sequentibus:

℞. Musci scrup. ß.
Ambræ scrup. v.
Croci unc. ß.
Succi Corallorum.
Magisterii perlarum ana scrup. j. ß.

Commisce, postque digestionem ipsorum uno mense factam, adde Quintæ Essentiæ auri scrup. j. ß. qua permixta cæteris, Anodynum specificum erit, ad auferendum quoscunque dolores internos & externos, ut nullum torqueatur, vel arripiatur membrum latius.

Et hoc Specificum Anodynum est Paracelsi, quo in pro basi anodyna solum ordinat opium, quod notatu hoc in loco dignum. Quoniam enim in virtutum relatione illud

illud medicamentum prædicat omnibus doloribus à forma specifica fugandis conveniens, non leve certe pondus, quæ supra de qualitate à nobis dicta sunt, ad demerendum fidem accipiunt.

LAUDANUM SECUNDUM.

Iuxta descriptionem Quercetani Pharmacop. dog. pag. 452.

℞. Essentiæ Opii, à suo dissolvente per Balneum vaporosum, ut supra separatæ, (id est, beneficio aceti fortis vel juris Limonum extractæ ex Opio siccato supra laminam ferream, ut semetipsum interpretatur pag. 451.) unc. ij.

Essentiæ Croci, cum aqua Limonum extractæ ℥j.

Hæ duæ Essentiæ confundantur invicem in parvo quodam vasculo argenteo: his adde.

Gemmarum
Magist. Hyacinthor. & Corallor. ana ℥j. ß.
Terræ sigillatæ veræ ℥j.
Pulver. Bezoard. veri.
Unicornu
Ambræ griseæ ana ℈ij.

Hi pulveres sufficient, ad bonam consistentiam Laudano inducendam: miscendo & agitando omnia continuo ad ignem lentum, donec ex materia frigefacta pilulæ formari possint: sufficit exhibere de hoc Laudano magnitudine piperis grani: Et insignes, ac suspiciendos percipies hujus Anodyni effectus, quod te spe tua nunquam frustrabit: Nam confert citra molestiam, & cerebri ullam perturbationem, adversus omnis generis dolores à quacunque causa subortos: contra omnes hæmorrhagias, sive fluxus sanguinis, in quacunque corporis parte fuerint: contra omnes defluxiones, & fluores ventris, dysentericos, hepaticos, lientericos, & similes: & ad adducendam gratam tranquillitatem, in febribus ardentissimis, in quibus ipsis rationis sensus læditur, & in phrenesin æger plerumque delabitur.

Huic & aliud subjungitur, quod Hyoscyamum, & triginta circiter alia Bezoardica & cordialia recipit. Si placet curioso lectori, idem expendere poterit. Hujus loci illud facere haud placuit propter operosum molestumque nimis processum, quem ad sui præparationem requirit; & quod ejus vicem quodmodo descripsi, ubique & commodè supplere possit. Hyoscyamus etiam multis est suspectus, de quo tamen alibi.

LAUDANUM TERTIUM

Osvvadi Crolli descript. in ipsius Basil. Chym. pag. 173.

AB initio Crollius de usu omnium Anodynorum laudabili hæc præmittit:

Multi sunt morbi, qui absque Anodynis sanari non possunt. Ergo in omnium morborum curationibus, ubi dolorem comites vigiliæ, viriumque resolutiones adfuerint, Anodyna intrinseca appropriata possunt administrari, ut ablatis symptomatum ipsis radicibus pernitio-

orum cruciatibus, amica quies Naturæ reddatur.

Postea Compositionem sui Laudani, quod Paracelsi Laudanum indigitat, ita recenset:

℞. Opii Thebaici ℥iij.
Succi Hyoscyami debito tempore collecti, & in sole prius inspissati ℥j.ß.
Spec. Diambræ & Diamoschi fideliter dispensatarum ana ℥ijß.
Mumiæ transmarinæ select. ℥ß.
Salis perlar. Corall. ana ʒiij.
Liquoris Succini albi per Alcool Vini extracti.
Ossis de Corde Cervi ana ʒj.
Lapid. Bezoar.
Unicornu animalis vel mineralis ana ʒj.
Moschi, Ambræ ana ℈j.

In defectu genuini Auri potabilis nullis corrosivis comquinati, addantur
Oleor. Anisi.
Carvi
Aurantior.
Nucistæ
Caryophyll.
Cinamomi
Succini ana gutt. xij.

Fiat ex his secundum artem Chymicam massa seu Extractum, è quo ad necessarios usus possint pilulæ efformari.

His observationes quasdam notabiles de Opii & Hyoscyami præmittendis præparationibus aliisque circumstantiis, ut & eadem seorsim componendi ratione subjungit.

Dosis hujus est à granis 2. ad 4. ad Authoris præscriptum. Virtutes quod attinet, illas inferius sub instructione de usu Laudanorum in genere posita comprehensas communicabo.

NEPENTHES AUREUM
nostrate

Hypermeri loco adjectum.

℞. Essentiæ Opii, per Spiritus Aceti Cardiaci extractæ ℥iiij.
Tincturæ Croci more Quercetani extractæ ℥j.
Lapidis Bezoardici Regii, seu Auri purissimi more Spagyrorum purpurisati, & in veram Medicinam Cardiacam redacti ℈ij.
Resinæ, Ligni Aloes,
Ambræ griseæ opt. ana ℈j.

Misceantur & incorporentur simul in vase vitreo, eoque bene clauso serventur ad usum.

Animadversiones.

1. Intelligo Opium à Sulphure suo maligno, beneficio prædictæ exsiccationis probe vindicatum; postea per integrum mensem cum aceto super debitam quantitatem Santali albi odorati, Melissæ, Rosarum rubrarum, & Cinamomi distillato, digestum; denique in picis liquidæ, vel paulo solidiorum consistentiam redactum.

2. Pro lapide Bezoardico Regio accipio Aurum purissimum in formam lapidis beneficio menstrui Balsamici Philosophorum elaboratum, inque Medicinam vere Bezoardicam & Cardiacam redactum, adeo ut unum duntaxat istius granum nihil cedat sex octove granis Bezoar Orientalis opti-

optimi. Id quod requirente necessitate ὀφθαλμοφανῶς demonstrari potest.

3. Crocus debet purus bonæque notæ esse; infunditurq; in aqua Limonum ad Quercetani mentem, donec eliciatur tinctura. Ea sensim decantando separanda est, & lento calore, ne nobilior Spiritus avolet, inspissanda.

4. Non immisceo Magisteria lapidum pretiosorum, Corallorum & Perlarum aliorumve Cordialium. Puto enim Aurum prædictum instar omnium horum esse, postea singulares alias habeo rationes, quas allegare hoc in loco minus convenit.

5. Quod Ambram griseam, quæ ingreditur, attinet, testari possum me nunquam vidisse, mulieres hystericas ab ejus usu quicquam mali, ut fors suspicio quorundam, percepisse. Qui tamen ea in re anceps, pilulam prædictis mulieribus exhibendam modica olei succini portiuncula tangat, & audacter postea deglutiendam offerat.

Et hæc Laudana illa sunt, seu confectiones Opiatæ, de quibus hoc in tractatu tractare mihi proposueram. Bona illa omnia sunt, & præ cæteris omnibus quæ Opium recipiunt, laudatissima, & quamvis alterum differat ab altero, in methodo compositionis, & ratione ingredientium, præcipua tamen basis Opium scilicet in omnibus æque retinetur. Quod vero non singula aperte, & quod dicitur, cibum præmansum in os omnibus ingesserim, ut primo intuitu semiluscis etiam appareant, respõdeo quomodo dicim⁹ παροιμιαζόμενοι: οὐ πάντα, οὐδὲ πάντοτε, οὐδὲ παρὰ πάντων. Quamvis enim omnibus idem libri hujus commodum & utilitatem non invideo; conscientia tamen non paritur, ut lucripetis æque, & qui ad hanc messem aliena utuntur falce, ad tam gravia τεχνουργήματα fenestram aperiam. Propterea etiam authoromnibus sum, qui sanitatem magis æstimant, quam pecuniolam, ut ne Laudano utantur, quod non expertissimi & fidelissimi quique Medici composuerint.

Quod restat, non ignoro esse inter Chymicastros quosdam, immodicos sui æstimatores qui intemperantissime gloriantur se Laudana possidere, Anodyna præcellentissima, quibus tamen ne micam Opii admisceant: Talia quidam è rebus duntaxat cordialibus concinnare pollicentur. Quidam è Sulphure quodam Embryonato Vitrioli, quod medicamentum somnis & doloribus utilissimum & preciosissimum jactitant: Meræ tamen ampullæ sunt, cum nimirum sine Opio, aut simili facultate præditis nemo generale, verum tutumque Anodynum præparari possit.

Negare quidem non possum: ex rerum quarundam sapore, odore & natura inter se differentium certa permixtione, speciem Laudani elici posse. Ipsemet enim tale quid præparare novi, è Nuce Muschata, Mace, Myrrha, Croco, Ambra, Mosco, aqua vitæ, Quinta Essentia Sulphuris, &c. absque ullo Opio, cujus solo odore somnum, & pro administrationis modo dolorum etiam variorum sedationem promittam.

Multum tamen abest, ut illud Laudano Opiato comparandum veniat, etsi etiam æquale ipsi censeatur, eadem tamen accu-

accusatione illud insectari liceat, qua id, quod ex Opio conflatur. Si namque Opium corpori male convenit propter facultatem somniferam, quam naturalem habet; quid ni Aromata ut cordialia etiam, quæ eandem somniferam facultatem mutuo tantum & adscititie ab arte acquirunt, ex eadem culpa male itidem audiant?

Quod porro Sulphur Anodynum Vitrioli attinet, Paracelsus quidem mirabiliter de eo philosophatur lib 1. de Reb. nat. cap. 7. ubi & plura de multis aliis sulphuribus Metallicis prodit; Animus tamen inclinat, confiteri magis cum Crollio, apud neminem mihi tale hactenus videre licuisse: Quamdiu enim Vitriolo operam & sumtus tribui, nunquam quicquam reperire potui, quod cum Opio ad somnum doloresque pares virtutes habeat, quemadmodum pinguiori Minerva demonstravi in Anatomia Vitrioli nostra, ante paucos annos in lucem emissa. Fallunt igitur & falluntur, qui beneficio præcipitationis cum Oleo Tartari bulliendo in catino ferreo, vel per sublimationem pulverem Vitrioli viridiusculum separatum, Sulphur Embryonatum Vitrioli nominant, quod nimirum cultro Vulcani dissectum, merum cuprum oculis objicitur, & inde exhibitum stomachum potius alterare, vomitusque proritare, quam vel confortare, vel somnium naturaliter inducere potest. Paracelsum ergo eo in loco homines phaleratis dictis pro more duxisse, fictamque personam sustinuisse necesse est, ubi aliud legere, aliud intelligere expediat. Interea cum certum propter incertum deserendum non sit, merito prædicta Laudana, vel similia amplectemur & magnificamus, & candidis eorundem authoribus gratias agamus potius, quam vanis jactatoribus aures patefaciamus.

CAP. IX.

De Virtute & usu Laudani Opiati tam in genere, quam speciatim.

Hucusque, ut lineis constanter insistamus, de præparatione Opii satis. Nunc proficscamur ad declarandum virtutes ipsius, & usus, quo ipso iis, qui eo opus habent, nonnihil forte gratificabimur.

Proprietates ergo Laudani ad prædicta fundamenta præparati cujuscunque sex principales sunt.

1. Sedat omnes dolores internos à quacunque causa, quocunque tempore, in quibuscunque personis, nulla temperamenti habita ratione, neque ætatis, neque constitutionis corporis, sola dosis, aliarumque necessariarum circumstantiarum cautione observata.

2. Somnum vel à morbo, vel errore externo deficientem provocat, absque ulla sensuum stupefactione, membrorum debilitatione, ventris adstrictione, aliorumve timendorum accidentium inductione, quod alias plurimum somnifera alia, propter nimiam frigiditatem vel male institutam præparationem, sequi solet.

3. Egregie facit ad sistendas omnes defluxiones subtiles, mordicantes, catarrhosque tenues è cerebro in subjacentes partes

partes prolapsos, sensim & sensim incrassando illos, roborando cerebrum, & vapores sylvestres defluxionum plerumque causas antecedentes reprimendo.

4. Hæmorrhagias, fluxus alvi, & menstruorum, sive ratione exuperantis caloris, sive humorum peccantium & mordentium exorta compescit.

5. Pellit omnes ardores febriles, caloremque præter naturam ex ulceribus, vel per fermentationem humorum biliosorum, vel materiam rodentem venenosamque exortum.

6. Roborat viscera, meatusque nimium relaxatos labefactatosque, ut & virtutem retentricem imbecillem, vel ex Chronico morbo, vel à superpurgatione.

In specie contra sequentes affectus feliciter usurpatur.

1. Contra capitis dolores; Hemicraniam inveteratam, cephalalgiam, aliasque dolorum species. Stomachus tamen ab humoribus crassis & viscidis inquinatus non sit.

Datur ad pilulam unam vesperiante somnum duabus post pastum horis, in cochleari Aquæ Majoranæ, Betonicæ, vel ejus Syrupo, aliove liquore capitali. Potest etiam exhiberi cum cerevisia, vel jusculo, vel etiam deglutiri in substantia sicca, quamdiu opus fuerit.

2. Contra subtiles defluxiones catarrhosas, è capite in oculos, dentes, aures, pulmones, stomachum irruentes, &c. Usus ejusmodi, ut supra: Caput ægri tamen custodiendum à nimio calore, vel frigore; Vinum interdicendum, cerevisia item vetusta aliaque generosa potulenta. Neque etiam convenit Sinapi, allium, cæpe, & quæcunque aromatum & fortiter alterantium nomine appellanda veniunt.

Quando purgatione opus fuerit, & alvi lenitione, non nisi Aloë cum Aqua Rosarum lota, ejusque succo condensata, Rhabarbarum, Manna, Syrupus Rosatus, vel quod melius est Clysma quoddam usurpandum. Omnia enim alia purgantia, alterantia, & attrahentia, in hoc casu periculi plena.

3. Contra aurium dolores cum sonitu vel tinnitu flatulento, sive ab inclusis flatibus in cerebro, sive à vaporibus à stomacho ascendentibus. Sumitur in aqua Fæniculi, Salviæ vel vino albo serò uti dictum est supra.

4. Contra Epilepsiam vaporosam, (loquor cum doctis) cum magna sanguinis ebullitione, hæmorrhagia, & capitis subsequente dolore. In aqua Pæoniæ, florum papaveris sylvestris, seu erratici, aliove appropriato liquore, ante vel post paroxysmum. Datur etiam singula Lunæ quadra semel, mane ante Solis exortum, convenienti Diæta, & venæ sectione pro necessitate indicationem instituta.

5. Contra dolorem dentium à calida & subtili defluxione proficiscentem, Laudanum in aceto dissolvitur, ejusque guttæ quædam in ore retinentur, paulò post, priori rejecto, denuò sumitur ad doloris finitionem usque.

5. Qui noctes insomnes habent, quacunque de causa illud veniat, cum

cochleari aquæ Hypericonis, vel Melissæ, quantum opus fuerit hauriant, bis terve in septimana.

7. Qui narium hæmorrhagiam patiuntur, vel sanguinem per os rejiciunt: dijudicata prius causa, propter quam vel venæ sectio, vel scarificatio ad revellendum imperanda veniat, in continenti Laudanum cum aqua plantaginis, Bursæ pastoris, Tormentilla, vel quod melius est, cum aqua spermatis ranarum per descensum destillata bibant, stillanteque sanguine iisdem liquoribus cum Laudano madefactum gossypium naribus intrudant. Ex eodem etiam Epithemata fronti imponant, & statim fluxus cessabit.

8. In vomitionibus, ubi nec materia stomachi peccans in causa; ibi enim materia per loca convenientia evacuanda; nec flatus in hypochondriis (uti sæpius accidit) propter renum aliarumve partium obstructionem conclusi; quo in casu diuretica, diaphoretica aliaque ex usu sunt; sed peculiaris stomachi debilitas, vel ulcus, aliave, præter prædictas, causa adest, exhibeatur cum Syrupo Cydoniorum vel Betonicæ, quoties opus visum fuerit.

9. Contra febres ardentes, malignas, & pestilentiales: vomitoriis, Bezoardicis aliisque ad diminutionem humorum & sanguinis, ubi expediat, remediis præmissis, cum aqua Carduibenedicti, Veronicæ, Chelidoniæ & similium. His enim in casibus mirum quantum vapores sursum in caput vergentes, & deliria, furorem, phrenesin aliaque symptomata producentes, deprimit & consumit. Extinguit insuper calorem febrilem, confortat corpus, spiritusque recreat.

10. In febribus intermittentibus, minera crassiori per vomitoria, vel dejectoria debita expulsa, serosiori illa diaphoreticis item propriis dissipata, ut & Astro ignis Microcosmici phlebotomiâ probè ventilato, cum aqua Centaurii, Carduibenedicti, pilosellæ, aliorumque febrifugorum, una vel duabus horis ante invasionem, idque bis terve repetendo. Vidi enim hoc ipso remedio ad prædictum modum administrato, febres, nullo alio juvante remedio, penitus curatas fuisse, vereor tamen affirmare, hoc omnibus febribus æquale fore remedium. Sunt enim quædam ad tam difficilem coagulationem destinatæ, ut nec Æsculapii manibus, si curator ipsis adesset, etiamsi ἀποκαρδίῳ ὀργῇ rem aggrediatur, ante fatalem terminum cedant.

11. Contra colicam & ventris tormina, alvo, vel medicamentis laxativis vel clysmatibus prius liberatâ ubi opus fuerit; datur cum cochleari vini albi: Quando tamen tantæ activitatis sit dolor, ut ferri minus possit, nullo ad alia remedia respectu habito, eligatur ab initio statim: Dolore tamen fugato, postea ordinaria curæ ad removendam causam morbificam datâ occasione indulgere, minus prohibeo.

12. In extremis illis intestinorum tenuium cruciatibus, quos Iliacam passionem, seu Miserere mei appellant, feliciter administratur cum oleo amygdalarum dulcium, seu mucilagine seminis Cydoniorum.

13. Contra dolorem matricis, cum

cum aqua Camomillæ vel Artemisiæ exhibitum prodest: Quando tamen in menstruorum retentione peccatum fuerit, provocationi illorum inprimis studere oportet. Nihilominus ad hoc parum solliciti, quando dolor nimis urget, tutò ad mulcendum dolorem vaporesque malignos reprimendos Laudanum propinamus. Dolore enim mitiori facto, cætera cum majori facilitate absolvimus.

14. Mulieribus, doloribus post partum denuo exortis, vocant die Nachwehe, concomitantibus vigiliis, delirio, febri ardente, & omnimoda corporis imbecillitate, egregiè opitulatur: Sic & nimium sanguinis fluxum, excluso jam partu compescit, parva ipsius pilula deglutita, uti dictum est.

15. In menstruorum profluviis præter naturam, datur bina ternave vice, si ex usu fuerit: Remoram illis feliciter injicit, quiete solummodo, & diæta convenienter institutis. Multas hoc remedio liberavi, omni ferè sanguine exhaustas; simul tamen necesse fuit naturam viribus lapsam cibis euchymis restaurare, & medicamentis confortantibus, ceu Magisterio Corallorum & Perlarum, Elixire item cordiali, alias Auro potabili Philosophorum dicto, viscera firmare.

16. In dysenteria, ut & aliis alvi profluviis materia peccante, beneficio Rhabarbari aliorumve pro differentia mineræ partisque affectæ convenientium prius exclusa, cum Syrupo Cydoniorum semel bis terve, quantum ad dosin requiritur, utiliter usurpatur. Non posthabitis interim venæ sectione, si necessaria fuerit, aliisve externis remediis, veluti unctionibus, Emplastris ad rem convenientibus.

17. Post purgationem hypercatharsi affectis; quorum plurimos in extremum vitæ periculum præcipitatos novimus, Laudanum bis terve cum vino rubro datur, donec omnia fuerint quieta.

18. In magnis Renum doloribus seu Nephritide; ut & urina guttatim profluente, cum acrimonia instar lixivii mordicante, cum modica sacchari rosati quantitate, vel Syrupo violato mixtum bonis ægrotorum rebus exhibetur.

19. Calculosis etiam, doloribus fortiter urgentibus, cum Hydromelite vel Syrupo Glycyrrhizæ porrigimus, præmissa tamen clystere emolliente, & carminativo, alvo scilicet constipata, ut solet.

20. Non minori cum successu damus etiam doloribus ex hernia intestinali cruciatis, cum cochl. vini boni; inungendo interea ab extra oleum Nucis Muschatæ, & calidè tenendo ægrum.

21. Inservit laudabiliter contra podagricos, sciaticos, & singulos artuum dolores, cum inflammatione materiæ hinc & inde in varias partes in cubitu. Hoc enim in casu dolorem sedat, materiam digerit, & incrassat, ut catharticis postea lubentius obtemperet; vel per insensibilem transpirationem dissipetur. Medicamentum certè manu sapientis Medici præscriptum excellens & nobile. Turgente enim materia & vagabunda existente, purgantia magis magisque irritando, causandoque inanitionem partium, dolores dilatant, exasperant, & omnem ægri statum dete-

deteriorem faciunt. Arthriticis porrò, materia quieta existente & fixa, interea vero non doloribus saltem, sed febri ardente etiam, & imbecillitate cum somni privatione molestantibus, valdè convenit ad symptomata illa removenda, & purgantibus postea quibus alias natura nondum quietè se habente parum proficimus; liberiorem locum conciliandum.

21. Vulneratis, superveniente febri ardente, inquietudine, hæmorrhagia, aliisque symptomatibus, quibus vulnus irritatum ad Gangrænam facile inclinat, valdè convenit. Et Cheirurgus meritò magnifaciendus, qui Laudani usum ritè noverit.

23. Nimios dolores à chronicis ulceribus, crurum, brachiorum, &c. quod sæpè accidit, certò lenit, exhibendo, quantum pro dosi sufficit, vesperi duabus post pastum horis.

In Helvetia aliquando rustici nonaginta circiter annos nati curam habebam, in casu duorum ulcerum in crure subortorum, quæ quinquennium magna cum molestia, quam ob causam tandem vocatus aderam, supportarat. Neque enim noctu, neque interdiu præ nimio dolore somnum viderat. Administrabam consuetam Laudani dosin, mox dolore cessante, quietè se habebat, & paulò post foràs exspatiabatur, multaque alia, diu intermissa peragebat: Imò beneficio Laudani sine dolore ad sesquialterum usque annum se substinebat, donec tandem propter senectam è vita discedebat, ulceribus interim nil quicquam mali, etiamsi semper apertis, sentientibus, cum tamen nullum remedium adhibebatur, præterquam Aqua Persicatiæ, quam meo Consilio linteolo tepidam admovebat.

24. Denique quando quis diu qualicunque etiam morbo afflictus, omni medicamentorum ordinariorum genere in auxilium vocato, non solum solatii nihil percipit, sed & dolores sive continuos sive intermittentes acriores patitur, unde humidi radicalis consumtio, calorisque nativi extinctio præmaturè metuenda, tùm Laudanum jure merito Languentium suffragium celebrarim. Sistit enim dolores, corrobarat viscera, calorem nativum tuetur, & quæ σύνεσιν ἀνθρωπίνην ὑπερβαίνουσι, multa alia felicissimè operatur. Hujus assertionis exempla plurima memoratu digna in memoria habeo: factum enim scio, ubi Laudanum extreme languidis in agone pro doloribus constitutis exhibui, quod citò melius habere, & sensibus restitutis bona dispensare, & denique cum ratione & vera precatione, piaque multorum adstantium institutione se DEO commendando expirare potuerint. E contrà accidit sæpè ubi prædicta Medicina destituimur. Quippe nullam aliam, quæ æque pro salute hominis propugnet, huic substitui posse ipsa Experientia demonstrat. Quare quicunque sit Medicus qui hujus cognitione caret, omnem rudentem moveat, ut illud in tempore assequatur, & pœnam neglecti Deo & proximo debiti officii caute declinet.

Certum enim est, rationum strophas, ἐκπληκτικὰς ῥηθορείας, Charitati erga proximum, in cujus legitimo tenore

totius

totius mundi conservatio subsistit, quæque omnium bonarum scientiarum & Artium firmissimum creditur fundamentum, quicquam detrahere nec posse, nec debere; & si turpi desidia in rerum nobis ad sanitatem ægrotum commissarum scrutatione, sive Galenus, sive Paracelsus illa primum prædicarit, peccaverimus, non minus coram Deo aliquando excusabiles fore. Experientia enim magnus ille & vere fundamentalis liber est, qui quotidie lumine Naturæ ob oculos nobis versatur. Quilibet ergo non solum legat, sed & intimius evolvat, pensiculateque intelligat. Vere enim hoc sensu Paracelsus dixit: omnia remedia, quæ morbos naturaliter tollunt, veras Medicinæ Regulas & Canones esse: cæterum vix umbram Medicinæ affectare, ea qui negligant.

Id quod, salva undiquaque venia, hoc in loco, quamvis extra oleas fortassis, non admonere non potui. Interea Rationis & Authoritatum memores suam cuique laudem, & veritatis præmium, suo tempore & relinquimus libenter, & concedimus cumulate, & deferimus liberaliter.

Cautiones de Laudani usu observandæ.

Sciendum hoc in loco omnibus est: in toto universo, nil quicquam tam aptum natum ad Medicinam homini præstandam, esse, quin singulari judicii perspicacitate, & prudentia opus habeat, ut ad adposite curandum, recte adhibeatur. Res enim tam sancta nulla est, quæ abusu profanari nequeat. Imò quo divinior illa, eo deteriores pariter abusus. Ideoque de usu Laudani pauca edisserere operæ prætium duxi.

1. Statutum equidem supra est, quomodo & quibus cum vehiculis in quolibet affectu Laudanum usurpari debeat. Sunt tamen aliquando, quibus Aquæ illæ destillatæ, & Syrupi, &c. nullo modo commode præscribi possunt. Idque non solum propter qualitates, quas manifesto præ se ferunt, ut & odorem, saporem, &c. sed etiam propriæ antipathias ergo.

Plura hujus exempla scimus: quosdam Rosarum odores ferre absque deliquio animi non potuisse; quosdam ne quidem saporem Cydoniorum. Quibusdam maximam voluptatem à dulcibus accessisse; quibusdam è contra summum tædium. In quibusdam aquas destillatas bonos edidisse effectus; in quibusdam nihil nisi nauseam aliaque symptomata excitasse qualiscunque etiam occulta natura subierit, nobis certe ignota; sed & sapienti haud quaquam vestiganda.

Quandocunque igitur in ejusmodi naturas inciderimus, satius erit LAUDANUM cum vino, cerevisia, jusculis Gallinatum, aliisve natura cujuslibet familiaribus exhibere.

2. Uno die binâ vice Laudanum non detur, nisi in extremis dolorum casibus; sufficit enim unica exhibitio. Præterea non audeas tria quatuorve grana pro dosi excedere, nisi in valde robustis, ubi vehementia affectus urget. In iis aliquando ad sex usque grana ascendimus. Tempus exhibitionis est, duabus horis post pastum elapsis, attamen necessitas

ſæpe terminum præſcindit, ut quavis hora conveniat.

3. Obſervatione etiam dignum eſt; ante uſum Laudani ventrem ab excrementis cibariis vacuandum eſſe, vel leniente aliqua Medicina, vel emolliente Clyſtere vel ſuppoſitorio: In perſonis tamen aridis, imbecillibus, & extenuatis, ardore interim & ſanguine plenis, illud uſque adeo reſpiciendum non eſt; Cura enim hic ad mitigandum potius ardorem, & corpus humectandum, quam ad alia, quæ purgando incrementum caperent, dirigenda.

4. In Aſthmaticis, ubi pectus & pulmones materia viſcoſa, & tenui obſtruuntur, caute procedendum: Indicatio enim educendi & abſtergendi eſt; Laudanum vero roborat, & mediocriter incraſſat.

5. Non convenit Hydropicis, ob aquarum copiam difficulter reſpirantibus, ſomnumque ſuffocationis metu merito fugientibus. Aquis tamen exhauſtis, & jecoris aliarumque partium obſtructionibus decentibus remediis expeditis, ut de ſupradictis nihil amplius timendum ſit, nihil prohibet, quo minus ad roborandum viſcera, corpus à ſubtilibus fluxionibus defendendum, & ultimam curationi Colophonidem imponendam, adhiberi poſſit.

6. Denique παντελῶς ἀπροσδίονυσον, ægrotis ſtomachum impurum habentibus, & vel vomitoriis, vel carharticis evacuari cupientibus, Laudanum exhibere.

Pariter prorſus abſtinendum in puſtulis & variolis, quarum nimirum cauſas convenientioribus remediis appetimus.

Breviter, nullius prorſus uſus eſſe debet, ubicunque vel vomitoria, vel cathartica, vel ſudorifera, vel diuretica vel alexipharmaca, vulneraria, phlebotomia, diæta, aliaque genere differentia remedia locum apte merentur. Quot enim morbi natura diverſi, tot remediorum oportet eſſe Ideas. Quodlibet enim remedium, quemlibet ſub ſe morbum continet, cujus, ratione naturæ partisque affectæ conſentaneis, ratione vero affectus contrariis ſpiritibus diverſoriũ novit & impetit. Quamvis haud inficias eam, plura ſæpe in unius medicamenti copulam venire, pro diverſa & multiplici morborum complicatione.

CAP. X.

De confutatione trium erronearum objectionum, quas proponere quis poſſet, contra uſum Laudani.

OCtavus fere jam annus agitur, quando Medicorum quorundam conſultationi intereſſem de Ægroto jam quatuor ſeptimanas à fluxu ventris febri continuè complicato, cum ſomni privatione, & graviſſimis in ventre cruciatibus decumbente. Variis quidem remediis tentatus, nihil tamen propius habebat, quam ut propter nimiam virium amiſſionem, periret, nihil longius, quam ut ſperare meliora arderet. Ordine differendi ad me devoluto, Laudanum utiliter uſurpandum recta ratione propoſui. Ut autem Veritatis Regnum nunquam infeſtos habet obtrectatores; ita tribus ſequentibus ob-

objectionibus propositionem meam debellare conabantur, quæ singulæ tamen tanti ponderis non erant, ut meis quicquam detrahere, vel res verbis æquare, ut Naturæ Divinitatisque negotiis impedito animo studendum est, potuissent. Ne tamen in ægroti interitum, Medicinæ studiosis imponant, eadem hoc in loco & repetere, & non Tullianis, sed certis rationibus confutare volui.

Objectiones.

1. Quod Laudanum principaliter ex OPIO compositum, proprietatem ipsius somniferam retineat, & consequenter calorem nativum suffocare, omnesque sensus stupefacere possit.

2. Quod, quia humores subtiles & tenues incrassat, dolores quidem sopiat, postea vero causas morborum malignas, permanentes & incurabiles efficiat.

3. Quod usu observatum sit, ægros nonnullos sumpto Laudano paulo post pejus habendo mortem oppetiisse; qua de causa usus ipsius omnibus merito invisus esse debeat.

Responsiones.

Quæ dicta sunt contra Laudanum, partim falsa partim confusa, partim inconsequentia sunt, & hinc παιδικὰ illa judico, νηπίων φόβητρα.

Quod tamen primam objectionem seorsim attinet, omnino arbitror, si adversarii experientissimorum authoritate, & veræ Experientiæ, quæ utraque ne crudum quidem Opium in minima quantitate calorem nativum suffocare, sensusque stupefacere concedunt, sese ascriptores statuerent, in bonam Laudani famam non ta[m] crudeles illos fore.

Esto tamen: Opium crudum no[n] posse non prædictos effectus dare: no[n] propterea omne Opium, à superfluitat[e] sulphuris sui narcotici liberatum, ab acri monia correctum, & postea cum Bezo ardicis & cordialibus, ut supra patet com mixtum, eadem pertica tractandum ve nit. Opium ergo, prout Laudani basi constituit, quia & forma & substanti mutatum, non antiquis illis & crudo pro priis virtutibus præditum potest esse; qui que hoc non videt, parum videt, nec ill puto sanum esse sinciput. Et quam vis Laudanum somnum provocat, expe rientia tamen monstrat quotidie δὶς δὶς πασῶν abesse, quod eandem ob causan calorem nativum suffocare consueverit Quinimò, quando ille consumitur, & ac manifestam perniciem, propter nimias do lorum insultationes & exagitationes, ten dit ab Opio prompte, conservatur & de fenditur. Eadem enim hic conditio est quam ubi lampas nimia ventilatione plus justo valentior facta, longe citius & flam mam & oleum perdit, quam ubi in quiete retinetur.

Ad alterum respondeo: Laudanum causas quasdam morbificas præparare, & ad expulsiones magis idoneas reddere, ut supra quoque de usu ipsius in Podagra mentionem fecimus, nedum u[t] deteriores illas efficere possit. Accedat autem hæc appendix ad munimentum jam facti judicii. Num prudentiores Medici unaniniter consentiunt, præparationes humorum expurgandorum, (corporis illæ huc non pertinent,) ac duas

duas potissimum operationes referri: Crassos nimirum & viscidos humores attenuandi & liquefaciendi; & nimium subtiles, virulentos, vaporosos, & turgentes mediocriter incrassandi, & compescendi. Cum autem maxima dolorum acutissimorum ardorumque intolerabilium pars, à causis symbolo sibi merito conjunctis, salsis, acutis, mordicantibus, inquietis, causticis, vaporosis, &c. proficiscatur; quo sensu Galenus quoque bilem acutos semper morbos facere adfirmavit in comment. 7. Aph. 33. quibus in urinis biliosa sedimênta, sed supra tenuia, acutum morbum significant, &c. quid præclarius? quid utilius in his exoptaremus, quam Laudanum, quod & incrassare, & digerere prædictos humores, vapores reprimere, omnemque malignitatis modum abscindere natum est? Adsit superfluitas expurganda, nulla à loco in quo inhæret, contradictione insurgente, secùrius certe post Laudanum usurpatum illam attentabimus, quam si intactam antea reliquerimus. Et num sententiam hanc varia ulcera externa abunde satis confirmant, quæ certe, quia phlegmonosa, subtilibus, & rodentibus humoribus scatentia, & magnos sæpe dolores, lancinationes, & febres symptomaticas pariunt, præstantius remedium non postulant, quam, quod dolores mitiget, ardorem temperet, & simul humorem morbificum maturet, & incrasset, quibus omnia Symptomata mitescunt? Hæc ergo tam præclara effecta, quia Laudanum perficit, non dicam, quod & mundificet, putrefactionem arceat, instar Balsami consolidet, partesque imbecilles reficiendo, varia tollat sympromata; multum abest, quod omnia deteriora & incurabilia reddat; Longius illud: quamvis mediocriter incrasset, quod sanguinem aliasque humorosas in corpore substantias in lapidem coagulet; vel partes instar gypsi constringat & conglutinet, quas fortassis ineptias ad male obtrectandum LAUDANO bardus animus, ridicule sequatur.

3. Quod accidere possit, ut quis sumpto Laudano nihilominus paulo post mortem oppetat, tam clarum est, quam Sol in medio cœlo, dum sudum est. Experientiæ scutica dignum quoque me præstarem, si inficias irem. Quod autem Laudanum mortis hujus causa extiterit, nec potius committi Elenchum non causæ ut causæ; pure & nervose in ambulacris nostris suppeditata, non lutulente ac languide, ut fit in novis Academiis: quæ nihil nisi rabularum ventosas velitationes olent, dabimus & explicabimus.

Primo ergo è præcedentibus liquidò manifestum repetimus: Laudanum nequaquam veneni tam reum esse, ut utentes interficiat. Ideoque importuna illa morientium exempla omnibus rationum & experientiæ, quæ singula Laudani usum summopere commendant, monumentis anteponere, tam absonum est & absurdum, quam procul dubio foret, si dicerem: Vidi ægrotos minima lapidis Bezoar, unicornu, perlarum aliarumque rerum cordialium portiuncula sumpta periisse. Ergo prædicta omnia interitus fuere causa, ideoque digna, quæ pro rejectamento habeamus.

Vel æque pueriliter: Vidi Clysma fuisse injectum dum moreretur; Ergo Clysmata

mata vel periculosa vel lethalia, quemadmodum supina ingenia Clysteribus insultando ridicule colligunt, in quibus perspiciendis, si & nos supiniores essemus, jam id committeremus, ut illorum simplex error, culpa esset nostra.

Eodem modo absurdum prorsus est & inauditæ consequentiæ argumentum, bonam Laudani famam eo ipso allatrare, quod dum usurparetur, mors paulo post alicui supervenerit: Quamvis enim contra dolores potentissimum remedium sit, nec ad somnum conciliandum, se quicquam præstantius ferat, neminem tamen à morte, ejus præsertim fatali limite obversante, præservare, contra omnium reliquorum Medicamentorum naturam peculiariter statutum est. Dormire quidem, & doloribus exemtum esse, necessaria sunt cum sanis tum ægrotis, hoc quidem absolute, illud suo modo: attamen utrumque propterea vel vitam hominis conservare, vel redintegrare, non tam illorum, quam Naturæ sibi ipsi debito officio parcentis culpa fieri arbitrandum est. Id quod notioribus exemplis patet: Edimus & bibimus, & aliis rebus non naturalibus utimur, immutata ipsarum natura aliquando tamen prosunt, aliquando minus, aliquando etiam valde obsunt, singula pro alia atque alia Naturæ partitione. Tam variæ siquidem Naturæ vices sunt in iis, quæ condidit, ut idem non solum diversis sit diversum speciebus, sed etiam eodem in corpore alias atque alias comparet affectiones. Cujus rei opportunum exemplum præbetur in homine indefessis laboribus adeo fatigato, ut neque manus neque pes officium faciant, sed omnia in somnum & quietem inclinent; Dormit etiam in utramvis aurem. Expergefactus vero tam vegetus corpore & animo existit, ut antea antequam laborem subiret. Is ipse homo ad labores redit suos, eosque duplo tantos sustinet, ut sanitatis & virium limites excedendo jam virtutes vitales, animales & naturales dehiscant, & humoribus sursum deorsum agitatis nihil quicquam reliquum sit, quam ut mortali morbo misere decumbat: Hac occasione denuo in somnum, pristinam illam corporis & animi fulturam, se conjicit, ad eandem morbo medicinam faciendam; Tantum abest, ut meliuscule inde habeat, ut & vitam finire ipsum inevitabiliter oporteat.

Similiter judicandum est, de ægro, qui vel vigiliarum, vel dolorum acutissimorum, vel esuritionis diuturnæ excessu, jam morti vicinus factus, vel ex spontanea lassitudine, vel quia Laudani pilulam, vel potionem restaurantem assumsit, somno obruitur, nec tamen reficitur, sed vel pejus habet vel prorsus moritur.

Ideoque quod sinistre hoc in loco cecidit, non quia aliquid vel somno, vel nutritioni datum est, utrumque enim ad vitam necessarium est, imputari debet, sed quod appropinquante morte assumta illa bonos suos effectus edere non poterant. Loquar meo more barbare, & ab Oxonio non è rostris aut comitiis: Verum non est Æger medicamenti salubri motu movetur ergo salubriter movetur. Quia recepti vum non recipit per modum inprimentis sed per modum receptivitatis. Prætere naturalia ὡσαύτως agunt, ἐὰν μή τι ἐμποδίζ nisi aliquid intersit, quod impediat, uti hoc in loco. Et hæc ad tertiam quoque objectionem confutandam breviter suffici

ant. Laudani enim rite ac scite præparati, & prudenter adhibiti causam agimus; non Opii Turcarum, Hyoscyami, Mandragoræ, aliorumve Narcoticorum crudorum, vel sinistre adhibitorum, quorum nocumenta non est meum vel excusare, vel commendare.

Id quod ἐν τῷ παρόντι de Opio & Laudano sufficiat.

Protestor ideoque coram omnibus, hæc qui legerint, absque omni vel odii vel calumniæ affectu, in quemcunque etiam videri alicui videatur, totum hunc libellum me conscripsisse in quelucem edidisse; neque aliud ad scribendum hac de re calamum armasse, quam quod cognitionem & famã medicamenti hujus apud non paucos valde angustam, pinguiorem, splendidioremque facere, & meum simul studium, quod in rerum Medicinalium inquisitionem quotidie colloco, omnibus probare, in præcipua Christiani Medici laude posuerim. Spero etiam, quibus in causa hujus judicio, aliquando odium & insectatio magis cordi fuere, quam Regni literarum anima, virtus & veritas, illos ambitiones & factiones contradictionibus hactenus in me exercitas relicturos, & cautius inposterum, contra honorem proximi ad propriam solummodo authoritatem superciliose præferendam, præliaturos.

Nemini hoc sermone litem seorsim moveo, nisi qui forsan propria oratione semet accusando litigiosum prodat, quem sua culpa reum video magis, quam excuso. Omnem autem causam meam Domino tribuam, qui & corda & renes hominum scrutatur, & justitiam, æquitatem, misericordiam & gratiam exercet super omnes Creaturas. Illi uni soli semper sit laus, honor, & gloria.

FINIS.

EXE-

EXEGESIS CHYMIATRICA,

ANDREÆ TENTZELII, GREUSS. Med. D.

QUA IN

QUAECUNQUE IN PRIORIBUS ANGELI SALAE LIBRIS tacta quidem, attamen plane detecta non sunt, multaque alia διεξοδικῶς interpolata,

DESCRIPTIONIBUS VERE ET SINCERE ENUCLEATIS,

CUILIBET, VEL MEDIOCRITER DUNTAXAT IN ARTE CHYMICA exercitato, ob oculos exhibentur.

1. ad Corinth. 14.

Sive lingua quis loquitur, per binos fiat, aut ad summum per ternos, idque vicissim, & unus interpretetur.

CANDIDO LECTORI SALUTEM.

IN mundo si quid est, Amice Lector, quod odiosum est, illud vel maxime odio plus quam Vatiniano dignum existimo: quod qui ab artis perfectione rerum occultarum manifestatores & detectores audiunt, optima quaeque arcana Harpocrati magis, quam Hippocrati; magis famae, quam conscientiae sacrificando, tanto studio silere, & si vel spontaneo Naturae ductu, (illa enim benigna Mater nunquam deficit in necessariis:) emergere velint, adeo invidiose supprimere solent.

Mala mens, malus animus.

Equidem nulla ars divinior, nulla perfectior Medicina foret, nisi artificum inhumanam illam, & nec divinis, nec civilibus, nec gentium legibus concessam invidiam tantopere experiretur.

Alia ideoque mens mihi est, & sanior multo. Boni enim si sumus, si quid boni à DEO accepimus, cur non vicissim collocemus bene, ut ne calamitosissimæ vitæ nostræ adjutores desint? Gaudeo, si quæ scire mihi persuadeo, cognita esse omnibus intelligam. Quin has noctes, (inquit subtilitatum Professor:) infestissimo Cauro gelidissimas hujusce rei causa vigilo, ut ingeniorum felicitates communicentur. Is sapientum finis est, qui libros condunt.

Ideoq; affectum illum jam primitus exequi studeo, cum TERNARIUM TERNARIORUM &c. Dn. Angeli Salæ publici juris facturus, quæcunque obscuriora perplexioraque plurimis stuporem injiciebant, hac ipsa Exegesi mea enucleare, & explicare mihi adsumam. Quamvis enim à tali proposito plurima me detinere visa sunt, Chymiæ tamen studium, & vel maxime utilitatem ipsius, non minus è D. Angeli Salæ libris, quam aliunde gustatam, tanti habui, ut illa omnia, ne non animum ad id alacrius hortarer, susque deque haberem. Eò enim, postquam Chymia Medicinæ pedissequa facta est, rediit, ut Medicinam duabus tribusve guttis Olei Thymi, Salviæ, ad Apoplexiam; tribus guttis vel granis Olei Coralliorum, aut Cinabaris Antimonii ad Epilepsiam; Essentiæ perlarum vel Auri totidem ad Syncopen; Rosæ mineralis ad difficultatem partus, & ejusdem cum totidem granis Specifici Antifebritici contra febres; Olei Ammoniaci ad Melancholiam Hypochondriacam & Splenis obstructiones; Olei Ferri vel Laudani liquidi ad Dysenteriam, & menstrua mulierum; tribus denique guttis Olei Crystallorum, vel Luti Humani ad calculum &c. potentiorem adfirmarim, quam si eadem pluribus eorundem non Chymicè præparatorum libris instructa, olim adversus eosdem morbos in arenam conscendisset.

Ideoque cum duplici argumento, quod boni Viri, supradicta intentione fecisse arbitror; argumento, dico, sinceritatis affectus erga Filios doctrinæ, & publico pro virili studendi commodo; ea lege mea legas peto, ut me diligas etiam, & ad lectissimos usus penitus intelligas. Pauca quidem ea sunt: Attamen meo, meque & hac, pede sum metitus. Et primo vere fructus nimis numerosa efflorescentes serie, plerumque marcescunt, non maturescunt; Attamen tam bona, (non audiat Nemesis,) quorum causa & illustrissimam personam, nec non multos Medicinæ studiosos

sos sollicitasse novi; Et si meliora, id meam vix probet culpam. Tam plana, & perspicua, quæ sine ipse noctem in oculis adferas, parum advertenti tibi facile obvia φέγγει μὲν ξυνετοῖς, ἀξυνετοῖς δ' ἔρεφος. *Et si planiora, omnem tibi attentionem excutiam, imo Arti & mihi pene authoritatem. Alias tamen plura, Deo dante, & meliora, quando scilicet plura & meliora scribendi animi potestatem, sementisque hujus fructum, salubritatis nimirum & Gratitudinis erga me vestræ ad suavem authoritatem aliquando adspirasse sensero. Vale, dabam Grusiæ, pridie Cal. Aug. Anno 1617.*

D. Andreas Tentzelius.

EXEGESEOS CMYMIATRICÆ,

PARS PRIMA.

DE LIQUORIBUS,

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

QUicquid sit, quod hisce pagellis in me tractandum suscepi, equidem ἀμεθόδως καὶ ἀτάκτως, illud exequi, cum impense illud placeat:

Ordine fac doceas, & dexter habebere Doctor,
Ordine fac discas, & bene doctus eris,

animum plane adducere non potui.

Quamvis vero ordo ille maxime idoneus mihi fuerit, qui ex Operum Chymicorum partitione maxime congrua, & singulis Chymiæ speciebus, (é quarum singulis classibus puta & hic aliquod in medium proferendum:) adæquata fuerit erutus; adeoque divisio Operum seu specierum nostrarum sub disparatorum & comparatorum serie tituloque, (hæc etiam Magisteria, illa Separata vocari possunt:) omnino instituenda videatur. Omnibus enim subductis rationibus nulla pragmatum Chymicorum Partitio amplectenda magis, quam qua prædicta pragmata vel in DISPARATA, vel in COMPARATA, seu Magisteria primario dispescuntur. Quascunque enim tota Chymia sub se continet species, sive Simplices, sive Compositas, sive Magisteriorum, sive Extractorum, sive Elixiriorum, sive Clyssorum censu recensendas; & vel elaborationis vel exaltatio-

nis, quibus omne opus chymicum primum perficitur, beneficio productas; omnes illas duo illa summa capita rectissime comprehendunt, inque se coarctant, διχοτομία non inconcinna.

Verum enim vero quoniam in hoc libello accuratam Methodum observare propterea non possum, quod, ut justam molem commentariolus hic assequatur, non solum ea consignare quæ in præmissis SALÆ libris tractata, inque certas classes Disparatorum & Comparatorum eorundemque simplicium & Compositorum, ordinanda facile fuissent, sed sæpe διεξόδως fere Ambubajarum modo, ad alia genere & materia quidem convenientia, specie & forma tamen plurimum diversa dilabi, & sic fasceatim q. construere, non quæ secundum operationum essentialem convenientiam cohærent: sed tantum ex confinitate materiæ, vel interdum facietenus duntaxat similitudinem præ se ferunt, oporteat.

Accedit quod, cum in priore plus nimis deproperata editione, superficiaria illa partitione in liquida, mollia, dura, contenti fuerimus, jam demum totam titulorum seriem permutare, adeoque singula transcribere, ordinariorum laborum cumulus prohibuerit.

Ideoque utut divisio illa sua natura sese habeat, præsertim in acutorum Logicorum oculis, ut ne tamen plane ἀτάκτως progrediamur, vel laborem humeris nostris imparem subeamus, vel denique subtilitatem quandam affectando, manifestam confusioné incidamus, ob hanc causam, in quam ordinem, quo species quasdam sub duris tractemus, quamvis quodammodo rudem retinuimus. Deus ter. opt. max. qui solus omnia in omnibus animos nostros cœlesti modestia faciat temperatos nosque aliàs inutiles & malos, immenso atque ineffabili suo Spiritu compleat, suaque mortalibus ignota & admirabili Sapientia ditet & regat, ut quantum loci, temporis & argumenti captus ferr, ipsi grata dicere liceat, proximoque non inutilia.

SECTIO I.

DE SPIRITIBUS.

Sulphur cœleste, seu Spiritus Vini.

VEra illa sententia Theophrasti εἰς ὑπερβολὴν in Philosophia & Medicina ἀρίστου, omnino est, lib. 1. de Origine morb. ex tribus primis substantiis: cui & Fernelius Neotericorum Philos. & Medicorum facile princeps libr. 4. capite tertio physiol. haut obscure annuit: In rerum omnium analysi sic se habere, quidquid reperiatur, quod uratur aut ardeat, sulphur esse; quicquid, quod evoler, aut in fumum abeat, Mercurium; demum quodcunque fixum ac stabile maneat, sal appellandum.

Ea enim omnium Neotericorum tria illa principia asservantium mens est unanimis, aut, nisi ἀσύστατα loqui velint, esse potius debet, ut non tria illa corpora hoc nomine vulgariter venire solita. Illa enim ex omnibus eniti nemo potest, sed quicquid in resolutione chymica iis analogia quadam respondeat, licet in aliis atque aliis

aliis disparem subsistendi modum servet, principiorum illorum nomine dignentur.

Hinc Sal, Sulphur & Mercurium, cum ita intellecta ultima sint, in quæ permanētibus rerum ad Medicinam destinatarum astris & scientiis singula naturalia resolvantur, tam vera Chymiæ principia habeo uti illa duo physicæ sunt: Materia & forma de privatione nemini litem moveo; quam vera item Medicinæ quatuor illa: Ignis, aër, aqua, terra, vel calidum, frigidum, humidum, siccum; ex quorum puta legitima inter se ἑνώσει & temperatura partes similares & dissimilares gignuntur; imo ratione quorum sub humoribus mixtorum pars quævis vel bene vel male habeat ad agendum ut affirmat Galenus 1. de Element. capite primo lib. de Artis constit. capite quarto de morb. diff. capite quinto, &c.

Naturalis enim Philosophus objectum suum contemplatur solummodo, quatenus naturale motus & quietis subjectum; ac naturam corporis naturalis, in quantum naturale est, secundum materiam & formam constituentia principia; illud considerat, quatenus ad sanitatem conservandam & recipiendam aptum natum est, secundum principia, ad quorum conditionem sanitas vel constituitur & conservatur, vel destruitur.

Chymicus porro alium considerandi modum adhibet, quatenus scilicet resolutionis & coagulationis subjectum est, plurimis ad medicinam necessariis facultatibus, ad manifestationem sui artificiosa elaboratione & exaltatione opus habentibu præditum.

Et hoc respectu nisi tria principia Chy mica præsupponantur, atque adeo illa nc minis sui triumphum mereantur, no magis artifex perficeret, quam Polyphe mus occæcatus stellas numerare; quan Icarus sine pennis volare.

Omnis enim Medicina Chymicè ela borata ab Artifice aliter conspici non fatagit, quam sub trium principiorum illorun hypostasi tanquam proprio suo vexillo.

Dico quod elaborata haud aliter conspiciatur. Non enim dixerim cum Paracelso, Severino Petreo & aliis: Principia illa actu semper inesse rebus, cum ad elaborationem Chymicam adsumuntur, sed, quia sub propria non subsistunt forma, à qua propria & peculiaris dimanet ἐνέργεια, destinata solum sunt in misto naturali gigni, quando artem experiuntur.

His ideoque præmissis cum in vini viribus indagandis adeoque ἀναλύσει Chymica manifestandis, ulterius absque totali cum corporis, tum astri ipsius eversione pervenire non licet, quam ad Spiritum & essentiam quandam ardentem, deinde ad aqueam & terream denique materiam, sicut hæc ultima artis consuetudine, Mercurius & Sal analogice appellantur; ita Spiritum ardentem illum merito Sulphur indigitamus; cum adjectione vere sulphur cœleste, modificate: quod vel aliis liquoribus puritate & subtilitate, (vel inde duntaxat æstimanda, quod ex ejus incendio nihil quicquam fuliginis prodeat:) dissimilimum

num in operationibus Chymicis nunquam non Alembicum, analogia haud obscura cælum referentem petat; vel quod ite elaborarum omnia Metalla etiam ac lapides, ab impuro puncti quaternarii coagulationis vinculo naturaliter liberet, adeoque cœli instar omnium Astrorum seu Specierum impressiones, velut cera recipiat; in Sphæra ignea, igneam vim edat, in Sphæra aëris, aeream & sic in reliquis. Qua ratione alias Raymundus Lullius aquam cœlicam vocat, qua centum quadraginta trium specierum selectissimarum, Essentias evocavit; Et Quercetanus menstruum cœleste, Sulphur Bezoardicum vegetabile, quo pluribus, (uno enim is haud contentus est dissolvente:) vires & Essentias extraxit. Hoc idem Sulphur vini cœleste eodem sensu alii, teste Evonymo, cœlum vel clavem Philosophorum, alii cœlum medicum; corpus æthereum, ex igne & aqua constans appellarunt.

Angelus Sala, cujus superiora opuscula explicanda potissimum hoc in loco sumsimus, prout in rebus & nominibus inveniendis ingenii est sagacissimi, idem hoc, num aliud quid, in descriptione Diasolis sui, Sulphuris cœlestis, vel Balsami volatilis à liquore catholico, specificio Cardiaco, &c. nomine nobilitavit.

Sulphur hoc, si simplex quæsieris, tale est:

℞. Vini generosi q.v.

Digere per 14. dies in fimo, vel ejus vicario postea per phiolam destilla, idemque destillatum aliquoties per eandem phiolam rectifica, donec ad summam subtilitatem pervenerit.

Hujus Spiritus libras duas misce cum recentis vini ejusdem libris sex, & per phiolam denuo eandem librarum duarum quantitatem destillando prolice. Hunc eundem iterum cum recenti vino homogeneo in prædicta quantitate, destilla, idque toties, septies scilicet, vel pluries, donec Alcoolis vini fortissimi libras duas sortiaris. Reliquum ad residuos vinosiores spiritus inde destillandos reservato.

Hic ipse Spiritus, si recte fuerit operatus, tam fugax & tenuis erit, ut ne bibi quidem; ne inter labra & calicem disperpar, nec guttatim è manu destillando, ne amittatur, terram attingere possit. Ideoque in vase probe clauso asservetur.

Cum adjectione sequenti optimum etiam, & cum hoc modo inter aquam & Spiritum facilius divortium fiat, in majori copia destillatur; imo etiam pellucidum magis.

℞. Vini ardentis ex fecibus vini optimi lib. xij.

Tartari crudi albiss. mundificati & pulverisati uncias sex.

Inde in cucurbitam majorem, (Germanis **Eine Herrnkolben:**) vel quod melius, in phiolam majoris capacitatis; **Superimposito Alembico magno bene loricato, tunc Recipiente identidem spacioso, (Eine halbe Vorlage :) Destilla per labrum aheneum, ut aheuum serratura lignorum ad. dimidiam Spitha-**

man

mam adimpletum, & ferratura madefacta mediocriter compressaque sit Super hanc collocando cucurbitam, & circumcirca adhuc ferraturam, ut vinum vix unum aut alterum digitum latum supereemineat adspergendo, affundendoque aquam, ut nec vas natando titubet, nec in ferratura prorsus discontinuata nimis molliter cubet, destilla lentissimo igne (ut guttæ quartum non præproperent pulsum,) donec non amplius striæ in Alembico, sed guttæ potius hinc inde adhærerere incipiant. Tum enim Spiritus omnis prodiit & phlegma stillare incipit. Quod plerumque fieri notabis, postquam quatuor circiter mensuras prolicitaveris. Singula seorsim excipiendo, Spiritum vini habebis ad multos usus satis perfectum.

Quando tamen subtiliorem exoptas, supra destillatum eodem modo per eadem vasa bene tamen mundificata, iterato destilla, addendo ad singulas libras duas Spiritus vini, singulas uncias Tartari albi crudi pulverisati. Et: postquam mensuræ tertia vice sine adjectione Tartari, duæ vel circiter destillaverint, remoto priori excipulo sæpius periculum facito; num adhuc purus putus Spiritus fluat, necne: (idque comburendo Spiritum in cochleari quodam, vel instillando oleum, prout nosti.)

Quando enim phlegma simul cadit, seorsim excipe, & per B. rectificando Spiritum utrinque ad usus diligenti cum custodia reserva.

Vel eundem Vini Spiritum hucusque s. a. præparatum adhuc duplicata charta emporetica, cum panno spissiori in summo cucurbitæ, vel etiam spongia oleo suavi irrigata, interpositis, eodem modo destilla, non tamen ad absolutam siccitatem, ne heterogenea misceantur: & Spiritus vini permeat purissimus, propiusque ad Quintem Essentiam accedit.

Reliquam portionem per se adhuc imponere, & per chartam iterum rectificare poteris, quamdiu Spiritus suo signo, prodire agnoscis. Quo enim spissioribus striis Alembicus refertus, eò uberior semper Spirituum evaporatio, dum prorsus desinunt, nec Spiritus amplius ascendunt. Tartarum in fundo reliquum ad Spiritum, vel Sal Tartari conficiendum non inutilem reservabis. Oleum quod lenta hac destillatione peracta, guttis quibusdam innatare videris:, quamvis vina in hoc valdè inter se invicem discrepent, vera vini essentia, singulari genio humanum genium exporrigens æstimetur.

Prædictus Spiritus si quorundam sententia, in secunda, tertiave destillatione cum Cohobio, super eundem Tartarum ad viriditatem prius fusum, & aliquandiu retrò fornacem digestum, donec instar sanguinis rubens evadat, rectificatur, & in fine urgentiori ignis flamma, Spiritus Vini tartarisatus, aliquibus, quod dicente Quercetano omnibus veris Philosophis ad unguem cognitus, Aqua Philosophica appellatus dextrè habebitur. Et idem ille in Spagyrica cochlea Hermeticè conclusus, & circulo actus è meo fiet balsamicus, è fragrante fragrantior, & è crystallino carbunculans, haud secus ac cor sanguinem Epatis continente pulsuum circulo in auram vitæ balsamicam, vividamque Spirituum vitalium sedem elaborat.

Hoc itaque sanguinis in vino mysterium. Ad quod penitius considerandum

paradoxum ἄδοξον non est, sed omnino ἔνδοξον: Neminem unquam à condito mundò usque extitisse, qui abhorruerit ab hac essentia meraca, cum aliàs abstemiorum, Casei, Brassicæ, Carnis, Rosarum, Cydoniorum, Pomorum, (vicinia quendam alit, qui nec vinum nec cerevisiam, è quibus tamen per se minimè abhorret, ob naturale odium in vitrum, è vitreis poculis nũquam, aut non impune bibit) magnus numerus.

Hujus essentiæ guttæ tres vel quatuor tantum reficient, calidumque nativum quasi in eclampsin evocabunt, quantum vix vulgaris integrum cochlearium.

Spiritus ipsius (est n. medicamentum quasi generale, ut cujusque propriæ naturæ studeat, & cum morbo præsente pugnet) inprimis ad tincturas & extracta omnium purgantium in genere, Radicum ñempe, herbarum, seminum & florum elicienda ad conservandas metallorum vegetabiliũ & animalium facultates, καὶ τὰ φροντεῖα usus longè præstantissimus. Sic si purgantia, quorum plurima seipsis meliora reddit, immaceres, purgantes Spiritus facies, interquos & ille Rulandi aureus est; si stomachica stomachicos: si cardiaca cardiacos, si carminantia carminantes, &c.

Conquesti hactenus multi sunt & meritò de Sacchato succis conservandis, aliisq; in tanta copia inutiliter destinato. Affunde illi spiritum Vini Malvatici, dempto sero, cum Syrupali illo post destillationem restitante sedimento, & meliùs certe rerum cum perennitati, tum salubritati studebis Quod ipsum etiam obtinere est: Vinum Malvaticum materiis auxiliorum superfusum destilles, Spiritumque rebus filtro trajectis inque Syrupi consistentiam redactis misceas.

In θεραπείᾳ arcanum est ad plurimos affectus, inprimis ex seminib. impuritatũ ad fixam (salis fixi) coagulationẽ, vel propria scientia, vel errore externo productis; aut Sal fixum ex deficiente illa coctionis (cujus authores Spiritus Mechanici similitudinis appetentes omnia quasi Spiritu-ascere faciunt) πνευματώσεις nimis abundarit vel deniq; ubi spiritus ventriculi, & reliquorum viscerũ mechanici frigidis qualitatib. seu tincturis infirmari, vel quo minus solenniter purũ ab impuro secernãt, ut loquuntur transplantari incipiũt: velut in obstructionib. viscerũ contumacissimis, quib. sæpe spir. vitæ adeo ab actionib. suis impeditur, ut & phthisis (licet vulgariter practicãtes filũ curationis hujus alio prorsus trahãt) aliaq; immedicabilia mala succrescant: in tartaro hypochondriorũ, scorbuto, asthmate, cachexia, syncope & aliis.

Qui usioseos Vinipræbium cum croci essentia dilutum exhibet morbosa vigilia affectis, somnum conciliabit vere medicum: puta ex quo expergefactus membrorum gratissimam sentiat restaurationem. Et hoc est quod pulchrè quidam nec indoctè: Gemachte Schläfe der krancken sollen entstehen auß Balsamischem Wein/ süssem Tau/und in muntere Kräffte außgehen.

Imò ausim affirmare, nullam Medicinam, quam ab initiis usq; è simplicibus inventam jam tum quoque in usu habemus, tantæ nobilitatis, usus & efficaciæ, quaque Medico Apollini & Gratiis magis sacrificemus, esse, quam Spiritum vini ritè destillatum, dummodo ad usum rectius conferatur. Tutela sanorum & fulcrum

lan-

languentium? κακῶν καὶ γήρας ἄλκαρ. Hunc qui vel ignorat aut prævaricatione quadam vilipendit, præclarissimorum arcanorum, ipsiusmet Auri potabilis, prout à plurimis pro summè confortante Medicina haud fucatè venditur, nunquam participem futurum, nihil est, quod me detinet affirmare. Hic ipse est, qui summè exaltatus sub nomine Roris Jovis Amphibii vegetabilis ad admirandum illud Biolychnium parandum confert. Est etiam, quantum de re nunquam aliàs audita conjicere est, cujus beneficio Organum illud Musicum in Anglia, cœlo sereno ad Solis jubar conversum suavissimam harmoniam, nullo digitulo tactum, edens regitur & perficitur. Est denique cujus merito, quod audio, perpetuum mobile, (cujus motus machina exemplaris licet minoris vulgò admirationis velut res trita & omnibus conspicua passimà me visa,) ex Anglia Cæsari missum, sempiternos syderum motus, temporumque leges & vicissitudines, &c. ad momenta & accuratè repræsentat.

Ejus etiam analogicâ naturâ radicali maturātur, vegetescunt, & præcipuos fructus edunt, fructus salubres omnes & herbæ omnes odoremque ejus quadamtenus demonstrant. Proinde in harum injectarum intimas partes is se induit facillimè, & meliores vires ilicò velut ignis ignem prolectat, in se traducit, nec invita rerum Minerva, nisi crassiori aliquo repagulo, vel limo, vel ligno, vel alio externo aliquo detineantur.


Taceo plura alia Artis & Naturæ non minus utilia, quam rara & admiranda opera, quibus annumeranda meritò etiam Craseocriterium in Italia conspiciendum, & Lampas absque ullo aeris impetu aerem ventumque mirè projiciens, quæ singula ope Spiritus Vini ex absconditorum Operum scena à sagaci studioso produci certò possunt. Cæterum quæ curiosè potius, quàm utiliter Spiritum Vini præparandi artificia, absque igne, modo aquæ frigidissimæ, modo etiam Argenti vivi, ea non tàm facienda, quàm contemplanda cuivis hoc in loco relinquo.

Unicum tamen adhuc movendum duxi: quod ad Spiritum hunc faciendum nihil compendiosius, quàm vasorum fabrica. Tale ergò, ut in promptu semper habeas, quod duplici orificio, inferiori & anteriori, ritè factis pro Recipiente adhibeatur; vel quod depressioris phiolæ, vel cucurbitæ forma cum Alembico duplici rostrato destillationi inserviat, (a) vel denique quod tricollatum inter utrumque, rostrum scilicet phiolæ & Recipientis interponatur, ubi ventri tubulus phlegmatis deorsum, cauda Spiritus sursum porroque duces existant, (b) nullo labori parcendum suadeo.



(a) Vas duplicis Alembici.

(b) Ampulla trium fistularum pro compendiosa Spiritus Vini destillatione.



De admirandis Spiritus Vini facultatibus, consule Levinum Lemnium, Evonymum Gesneri, Coronam Medicinal. Fioaravanti, Andream Libavium, Johan. Liebaut de Philosoph. Chymica & Medullam destillatoriam Conradi Khunr. &c.

Spiritus & Quinta Essentia Sambuci & Ebuli.

Magnus me hercle Sambuco & Ebulo honor in re medica debetur, & longè major quam secundum antiquitatum authores quosdam in templis ipsis erat olim & religione. In hoc Superstitio impiè credentibus mirè imponebat. Nobis autem usus dictitat & experientia, virtutes hisce inesse uberrimas, & plurimis aliis vitæ remediis longè præstantiores vereque admirandas. Quas si stylo ad unguem persequi vellem, quanta nimirum in semine, quantæ & quales in radicibus, foliis, floribus, corticibus, medulla; fructibus, fungis, caulibus, & locustis, adeoq; singulis ipsorum partibus, debito tempore collectis & præparatis, intra & extra corpus hactenus deprehensæ, integrum sanè libellum facilè implerem. Nullum enim Medicamentorum insigne genus est, (veluti purgantium, vomitivorum, digestivorum, Diureticorum, Diaphoreticorum, confortantium, lithontriborum, specificorum & consolidantium, adeò quod mirum uni rei tam varia inesse auxilia,) ad quod non operam suam, magno, si id prudenter fiat, ægrotantium bono, utiliter conferat.

Et hujus admirabilis præstantiæ argumentum haud obscurum est: quod Quintæ illius Essentiæ æthereæ, in qua omnium mistorum vires præcipuæ, totaque natura essentialis posita, complexu suo vix minorem, ignobilioremve radium secundum Vinum & Triticum obtineat, quam quidvis aliud in tota crescentum familia. Unde etiam laudum illarum prædicatione non indignum arbitror esse, quæ alias Quintæ Essentiæ meracæ materiæ, vino scilicet, magnificè accommodantur. Quod nempe in se conclusum habeat naturam proportione elementis stellarum respondentem: cujus virtute Spiritus ipsius æquè, quam Spiritus vini à suo corpore tractus & separatus, potestatem habeat extrahendi quosvis alios sibi familiares ab omnibus corporibus, tam vegetabilium, quam mineralium & animalium per solam infusionem. Quamvis enim in vino Quinta Essentia κατ' ἐξοχὴν, inque Tritico & baccis Sambuci, quas ob id Dioscorid. οἰνώδεις scribit esse, abunde lateat, & à nulla re alia tàm facile & absque vehiculis separari possit: Quam ob facilitatem Philosophi etiam vinum hactenus prætulerunt, non quod ipsius

ipsius Quinta Essentia melior & præstantior sit, quam de quovis alio corpore: Omnibus tamen universalis est illa cœlestis virtus, nec nisi propter diversitatem subjecti diversa, neque diutius, quam in eo fuerit: libera verò omninò suam ad unitatem redit. Id quod unum ex arcanis occultioribus Naturæ est, per quod ad altiora pervenerunt Philosophi. Hanc ob caussam doctrinam de Quinta Essentia suprà attactam, exemplo Q. E. Sambuci ampliare maximè volui. Hic ergò Spiritus ipsius, & inde Quintæ Essentiæ operi ipsi conformis apparatus est.

℞. Baccarum Sambuci succulentarum q. s.

Stent in loco frigido in vase ligneo clauso, ob feliciorem Spirituum Spiritibus jam in actu existentibus in suam materiam reflexis, eductionem & augmentationem: donec incipiant fermentare, & quod intra octiduum ferè perficitur, recluso corpore odor Quintessentialis actuosior organum olfactus quodammodo moveat. Tum per Vesicam s. a. destilla, & striare quando cessat, iterum atque iterum rectifica. Ex hoc Spiritu Essentia illa paratur hoc modo: Recondatur ille in duplici vase ad tertiam partem pleno, in Baln. Maris, debito igne moderatum, inque continuis rotationis motibus ibi permittatur, donec Rotæ circulo finito, vapores ascendere & descendere quiescant, & Spiritus nullis vaporibus amplius galeam impleant, sed in fundo maneant mirum in modum clari & odori.

Usus utriusque similis est cum illis è vino paratis. Phædro tamen peculiariter Spiritum ad mala uterina magnifacit. Nec desunt etiam qui contra Nephritidem, inprimis cum aliorum lichontriborum virtutibus stipatum valdè comprobant.

Ad Clyssum sudoriferum parandum meo judicio, facceret, si Aqua è floribus in Spiritum redacta, omisso phlegmate, cum Spiritu baccarum misceretur, atque simul super succum, sale Foliorum prius conditum, debita digestione coadonarentur. Usus tamen ejusdem hic unice dominetur.

Spiritus & Quinta Essentia Cerasorum.

Demonstrandi favoris causa, in Quintam illam Essentiam addere etiam libuit Spiritum & Quintam Essentiam è Cerasis quæ destillantur. Non quod non in omnibus Quintam E. reperire liceat. Impensè enim placet, quod Paracelsus de de Q. Ess. dictitat: Intelligendum est, inquit, in omnibus Quintæ E. parvam inesse quantitatem, ut in ligno, herbis, lapidibus, aliisque similibus. Et: Quintam Ess. esse tantum Naturam, vires, virtutes & Medicinam quæ rebus insunt, ut in suis domiciliis præter extraneam incorporationem: esse etiam colores, vitam, proprietatesque rerum: quæque curat sanat ac tingit corpus totum, ut Sal cibum aliquem optime condit. Et Dorneus in Artificio supernaturali cap. 2. Universalis est omnibus, atque æqualis illa cœlestis virtus, &c. Sed quod in hujusmodi crescentibus Quinta Essentia ad magnæ illius Essentiæ meraciæ scilicet, naturam & gradum quam proximè accedat, adeoque secundum gradus operationum, quos ex insita subjecti pro-

proprietate habet, excellentior fit multis aliis. Notandum enim est: Quintas Essentias prout in Medicinam veniant, scilicet non nudas sed in elemento adhuc aliquo pro cujuslibet mixti natura prædominante, similes ubique vires non habere, sed virtutum prædestinationis & dispositionis nonnullas esse differentias. Ideoque aliquando contra febres inservit ut Opiatorum, aliquando contra Hypofarcam, ut Essentia Tartari Quinta: aliquando contra Epilepsiam, ut Vitrioli: aliquando contra Apoplexiam, ut Cerasorum, Rorismarini, de quibus ut & Spiritibus ipsorum hoc in loco:

Rec. Cerasa dulcia nigra q.p. Succulenta corundem materia, rejectis lapillis, inferatur in urinã, addendo si placet propter fermentationis accelerationem, partem aliquotam fæcum vini vel cerevisiæ. Relinque ita ad aliquot septimanas, donec nempe reclusis per fermentationem vinculis Spiritus olfactu deprehendatur.

Tunc per vesicam leniter destilla & rectifica. Postea circulo tractari debet, donec exaltatio voto respondeat. Usus ejus inprimis commendabilis est contra Apoplexiam dosi cochl. s m. & v. Cum Castorei Essentia Epilepsiæ medetur & multis capitis affectibus.

Spiritus Rorismarini.

Rec. Rorismarini cum floribus absque madore collecti q.v. Contunde accuratè, inq; vase terreo vitreato, vel querno benè impressa concludendo in cellam, (adsperso pauxillo salis, quod tamen omitti etiam potest,) per mensem unum aut alterum, donec fermentando vinum acidulum odore referat, repone. Acor enim fermentationis sufficientis nota. Postea ubi interea frigidi menses ingruerint,

Rec. ℔. vj. vel circiter, & destilla in B. per Alembicum ad siccitatem ferè. Aquam destillatam denuo parti Rorismarini reliquæ superfunde, & (aliquandiu invicem fermentata,) ut prius, destilla. Idque toties repetendum, donec omnem Rosmarinum fermentatum hoc modo per Alembicum transegeris, fecibus tamen singula vice rejectis.

Tandem omnem aquam è Rosmarino extractam è cucurbita longi colli lento in B. rectifica, partem saltem duodecimam destillando, eamque denuo, sin minus spiritualis, rectifica.

Usus ejus prænobilis est in frigidis capitis affectibus, in syncope, & cordis imbecillitatibus. Ad uterum rectificandum fæcunditatemque inducendam.

Eodem modo & Salviæ, Betonicæ & Rosarum flores Spiritum utilissimum dabunt.

Spiritus purgans.

Quoniam Spiritus purgantis & Spiritus vitæ aurei Rulandi mentionem jam pridem fecimus, de utroque & quæ adfinia, locus tractandi hic non incongruus. Spiritus autem non intelligo destillatos. Hos enim ad purgandum præparandi ratio multò rarior est, & difficilior. Atqui tamen injuriam fecerit arti, illam impossibilem prorsus qui dixerit. Plurima enim ejus generis esse, cùm sua natura, tùm alio-

rum

rum admixtione & præparatione, quamvis postea cum in destillatis pares vires non habeant, quis est qui penitus inficiatur, annon enim Flores persici & pruni sylvestris aquas quando destillantur, leniter purgantes præstant? Quid? quod Clarissimus Beguinus, Spiritum Vini cum Rhabarbaro & Sena digestum, post per Alembicum destillatum, robustissimum quemque ad purgandum sollicitare? Credo equidem Libavio, ex Esula succulenta, Elleboro recenti, corticibus Sambuci & Ebulo, quando aquas valdè purgantes ritè destillando futuras affirmat. Eunonymo & Quercetano: dum hic Aquæ purgantis, simplicis & compositæ ex pluribus aliis quoque receptis purgantibus: ille Aquæ Rosaceæ purgantis meminit. Unus tamen Fernelius instar omnium mihi est, lib. 2. de abd. cap. 17.

Quæ ex herbis, inquit, aut aliis purgantibus aqua vaporario elicitur, purgandi vim etiamnum retinet. Confusæ ergo illæ objectiones sunt, & nihili: Liquorem destillatum tenuitate potius urinalem fieri: & quia similitudo mutua medicamenti ad humorem, ut ignis nempe violatis partibus solvatur, purgatricem vini cessare. Neque enim quæ purgant, quod purgant, qualitatibus debent: nec urinalia semper tenuiora catharcticis, nec quælibet destillata tenuiora quibuslibet catharcticis. Et multorum vires, inquit Fernelius d. l. eousque penetrarunt, ut non solum in Spiritu, & in tenui substantia firmius inhærescant, permaneantque abeunte totius forma, illiusque temperamento dissoluto. Ideoque ad Aquas seu Spiritus purgantes destillandos non tam Naturæ potentia, quàm artis, elevatoriorumque adminiculorum scientia plures deficit. Ut enim Natura mirè partita est suas vices & operas, in iis, quæ condidit: Ita & variis encheiremàtibus instructum Artificem postulat, quo ad elargiendas illas satis concilietur.

Sed hoc in loco saltem Spiritus purgantium volumus, qui per infusionem purgantium vires hauserunt.

Spiritus purgans.

℞. Spec. Diacarth. rec. dispensat. ℥. iij.
Spiritus Vini q. s.

Digere aliquandiu, postea per chartam filtra, & si opus est, ad puriorem substantiam, nova circulationis opera fiat Spiritus catharcticus.

Spiritus purgans alter.

Accipito Scammonii p. iiij.
Succi Cydoniorum p. ij.

Mixta probè ponito in locum calidum, & moveto quotidiè, donec mediocriter induretur massa: Deinde formato pastillos, eosque, quantum satis est, exsiccato. His superfunde Spiritum Vini Malvatici q. s. stentque aliquandiu ad digerendum. Et consummata Digestionis opera, Spiritus fiet solutivus, lucidus, & egregiæ virtutis. Scammonium enim hoc modo diu nutritum & correctum Meracia illa usiosi, neque stomachi vires infirmat, nec cum fastidio irritat: verùm analogiæ Meraciæ stomachum nutrit, & quæ

& quæ subest, salsilagine cicurata vellicat excretionem. Ad annum etiam aut circiter servavi Scammonium, cum supernè cumulabantur rubræ Olei guttæ instar picis liquidæ, aut Olei succini crassioris, & vulgaris illa veneni contumacia facessit, ut vel minimum cochleare Catharsi auxiliaretur absque torminibus. Dosis tamen ubique esto, pro Scammonii ingredientis mole, quod ita præparatum absque formidine exhiberem in robustis ad grana xx. usque, vel ad scrupulum integrum. Vis enim cathartica nimis ferociens alias, æquè in Scammonio, quàm aliis purgantibus Spiritu Vini, valdè infringitur: utque is Hypercatharseos, & medicamentorum enormiter purgantium veluti antidotum est, & frænum tutissimum, ita vix aliud vehiculum commodius excogitari potest pro Scammonio, Colocynthide, & id genus aliis, in corpus humanum tutò jucundeque perducendis: præsertim cum hoc in Spiritu ex abundanti Scammonio præparatio obtineatur, omnibus aliis longè ante ferenda.

Exhibeatur enim illud cum Oleo Anisi & Vitrioli tritum & mixtum, ut & Neotericis quibusdam impensè placet. Solvatur etiam prius cum Aqua Rosarum & coaguletur, idque iterum atque iterum, antea quam Spiritui Vini subjiciatur, prout aureum Darioti Gazophylacium commendat. Vel denique usitate correctum quoquo modo exhibeatur. Dixerim tamen: ex parte viscositate Scammonii veluti picea remanente: nec non accedente Olei Anisi suffumigatoria qualitate, tormina, aliaque vulgare Diagridium consequi sueta nihil minus feriatura. Ex parte Aqua Rosarum non sufficienter solutionis munus obeunte jacturam rerum & temporis sequuturam. Ex parte denique multum de substantia & viribus Scammonii periturum.

Spiritus purgans tertius.

℞. Electuar. de succo Rosar. ℥. ij.
De psyllio ℥. j. ß.
Diaphænici ℥. j.
Elescophi ʒ. vj.
Fol. senæ elect.
Rad. polypodii mundat. ana ℥. j.
Mechoac. veræ ʒ. vij.
Diagridii opt. ʒ. iij.
Elaterii opt. ʒ. j.
Sem. Malvæ ʒ. ij.
Spec. diatrion. sant. ℈. iiij.
Aromat. rosati ʒ. j.
Diarrhod. Abbat. ℈. ij.
Rosatæ novellæ ℈. j.

Stent infusa in alcohole infusionis Anisi lib. j. ß. & ℥. ij. per triduum, bis quotidiè agitando: Colatura ritè facta servetur usui.

Dosis ℥. ß. ad ʒ. vj. vij cum ʒ. j. Syrupi viol. nisi per se satis placeat.

Spiritus vitæ Rulandi.

Non unicum Rulando Spiritum Vitæ purgantem fuisse, quamvis omnes, quos legi Authores, in uno, diversimodè licet descripto, acquiescant, argumento est: quia Cent. 2. cap. 96. expresse distinguit, Spiritum aureum Vitæ, & Spiritum rubeum Vitæ. Quoniam inquit, hic & alibi mentio sæpenumero incidet,

det, de Spiritu aureo & rubeo vitæ, suasit res ipsa, ut hic alterius vires commemorarem.

Effectus etiam prorsus dissimiles & contrarii ad unum referri non patiuntur. Eadem enim Cent. & Curat. Spiritum vitæ aureum per solam alvum, in utroque sexu, & in quavis ætate purgare adserit. Cent. vero decima Spiritus vitæ meminit per alvum & vomitum vacuantis.

Idem præterea Quercetanus Pharmacopœa p. 392. & 393. conceptis verbis testatur. Utitur, inquit, alio vomitivo, quod ab eo nominatur Spiritus aureus: Et Spiritus item ejusdem aureus vomitivus, purgativus, &c.

Ita Johan. Werneri Belgicus Tractatulus, quem der Krancken Wyngart inscriptum Lugduni Batavorum vidi: quo inde plerisque Rulandi Medicinis, quantum, & quibus in morbis conferant, aliquoties exprimit: Spiritum vitæ ipsius Medicinam esse ἄνω καὶ κάτω purgantem: het welcke de materie weder nae de mout sal leyden / het welcke met weinich moeyelicheit de verhouden vuylicheyt mitsgaders de ichorense humeuren von vnter / ende boven heerlic sall afdryden. Imo cum sermonem cum hoc ipso Enkisæ communicarem, ipsiusmet Rulandi clarissimo testimonio abundanter probavit. Spiritum vitæ & vomitivum esse, & ejusdem cum Aqua Terræ sanctæ originis, pro certo ideoque statuo, RULANDUM, quemadmodum & Aquam Benedictam variam modo ex Croco metallorum, modo ex calce, aut Terra sancta habuit: non unum duntaxat Spiritum vitæ, sed duos ejusdem nominis usurpasse, ad quorum differentiam tamen alterum rubeum, alterum aureum nuncuparit.

Spiritus Vitæ aureus.

℞. Trochisc. Alhandali unc. ſ.
Spiritus vini Malvatici unc. x. vel xij.

Digere aliquandiu postea decapulatam vel filtratam essentiam, ad usum probè serva.

Præterquam quod ad omnes effectus, quos ipsi Rulandus Cent. 2. cap. 96. ascribit, satis efficax est, in hydrope etiam, præsertim Anasarca & veraiculatione præstantissimum auxilium præstet.

Estque verè Spiritus vitæ aureus Rulandi, qui per solam alvum, in utroque sexu, & in quavis ætate absque omni periculo omnes humores viscosos, bilem, utramque pituitam, ichores atque flatus purgat, si tertio quoque die mane ex hoc frigidè propinas à drach. ſ. usque ad unc. j. vel ad summum sescunciam, donec solvatur, & avertatur morbus.

Nec quenquam offendat, quod non gratum habeat saporem, quem qui inde sibi polliceatur. Multa enim Rulandi medicamenta, & pleraque ferè purgantia palato valdè adversa, sed quid interest, dum eo ipso etiam utilia Laborantibus gratiæ, inquit Hippocr. 6. Epid. ſ. 4. ἀλλὰ μὴ μεγάλα βλάπτειν.

Bitter in dem Mund/
Macht das Hertz gesund.

Spiritus Vitæ rubeus.

Spiritum vitæ rubeum Rulandi ab aureo alium esse, & officio, & nomine discre-

discrepare, supra ipsiusmet Rulandi aperto testimonio abunde declaratum est. Quî ergo non diversa hujus à prædicto præparatio? Hæc vero quia nullibi, quod scio, neque in Rulando, quippe qui optimis & maxime ἀξιομνημονεύτοις omissis, nomina adeoque vix umbras rerum pluries venditat, aperire est, divinationi magis, quam definitioni locus datur, quid & sit, & quomodo ejus instituenda præparatio. Præterquam enim quod scripta Rulandi, plerumque ubi res in Cardine est, δυσκαταμαθήτως ἔχει, cum tamen ἄφθονοι debeant esse μυστῶν θύραι, hoc non parum difficultatem eorundem & auget, & perplexiorem reddit, quod vel sollicitantes ipsum non responso dignatus fuerit, vel hinc inde, rem licet eandem explicando, Prothei instar mire varium se præstiterit. Res ipsa, me tacente, loquitur in Croco Metallorum ad Aquam Benedictam concinnandam, non loquitur, sed vociferatur verius in Aqua Antipodagrica ejus, in Aqua Ophthalmica, Terræ sanctæ, in oleo Heraclino, Linæleo, saccharo Bezoardico, Spiritu pantanosagogo & pluribus aliis: adeo ut & nunc nec ii, qui ita apud ipsos Rulandos olim, ac si ex ipsis, nedum alii certum habeant, quæ singula illa, & quomodo sub singulis arte singula.

Auguror ergo ex eo, quod supra luculento testimonio, Spiritus vitæ vomitivus, quem pro rubeo omnino habeo, quippe qui aureus est, solum alvinum remedium prędicatur aliunde oriundus non sit, quam è Terra sancta: illa ipsa vero Terra clarissimi Libavii adsertione, à Rulando patre & filio infallibiliter collecta, nihil aliud, quam Antimonium sic & sic ustum, crematumve: & quòd Operatio Spiritus ipsius Vomitivi nulli alio Rulandino hactenus cognito remedio, excepto Vino sublimato pantanosagogo, (quamvis in hoc Spiritu Vini assumpto pro ipso Vino, aliave aqua non sublimata dosis minor) conveniat Spiritum prædictum rubeum, vel Aquam Benedictam esse, cum Spiritu Vini, ubi ruber ratione ingredientis, vel cum Vino Malvatico spirituoso, ubi per se ruber (quippe varius Rulandus in liquoribus suis ad Aquam Benedictam adhibendis) concinnatam, vel Aquam Terræ sanctæ ipsi proxime ad finem. Quamvis n. luculentior AQUÆ TERRÆ SANCTÆ dosis sit, quam Aquæ Benedictæ, hoc tamen non à debiliore Basi, sed à copiosiori proficiscitur liquore, quo τὸ ὄχημα præstat. De Aqua ergo Benedicta adsignificabo pauca.

Aqua Benedicta optima.

Ex libris colligere, quæ prodiderint, Authores, longe est periculosissimum. Rerum ipsarum cognitio vera è rebus ipsis est, adeoque non dulcis modo, ut Hippocrates ait, sed & verissima, ex opere quæ finit oratio. In rem præsentem hoc deduco exemplo AQUÆ BENEDICTÆ à Chymicis hactenus tantopere elatæ & commendatæ, ut præ hac Sacrificulorum illa παραδοξότερον sordeat prorsus. Quæ enim non varietas ejusdem quæso? Tanta me hercle, ut in judicanda ea, nisi te Oedipum præstes, oppido deceptum te videas. Plurium descriptionum haud meminero hoc in loco, quam quæ pluribus simul notæ.

Talis primo illa est Quercetani, à quo Beguinus Sala & alii mutuarunt, quæ ex Antimonio & Nitro anatice mixtis, calcinatis, & elotis conficitur. Verum equidem rudior illa est, & crudior, qua ut de meliori & magis cocta adinvenienda non major ponenda opera. Neque enim ex vero Croco Metallorum paratur, sed ex Hepate duntaxat Antimonii.

Egregia illa Hartmanni Dicta super Crollium & Beguinum aliam (quamvis non dixerim, eam ipsi Hartmanno usu esse geminam? nam & alia atque alia hinc inde ipsi ascribitur) exhibent, & quæ prima facie nonnullam à superiori differentiam præ se ferat: Nitro lento igne fluxo, & quoad sine inflammatione ac detonatione Antimonium patiatur refrixo, pulvis Antimonii primo paulatim, continue agitando, postea confertim miscetur, & tum vel carbone vivo, vel ferreo candente ad detonandum accenditur: sed quæ secundum parandi, utendique modum ejusdem cum illa farinæ, nec ullam vel ἀλλοιότητα vel ἀλλότητα inducit. Fluxi siquidem Nitri admixtio sive detonationem anticipet, sive minus, dummodo postea detonando rite Nitrum fluat, adeoque penitus Antimonium subeat, quid discriminis adferat?

Sunt etiam qui in modum extracti magis, quam Magisterii, Epar nempe Quercetani in Aqua fervente ebulliendo, donec Aqua colore, velut à Croco imbuatur, per chartam postea filtrando, & relinquendo donec rubedo probe subsideat, eluendo denique & siccando Antimonium in Crocum pulcherrimum redigunt: & pro Aqua sua Benedicta eligunt. Verum utut Crocus eo modo purior & excellentior evadit, non modo imbecillior redditur ille, & minori cum fœnore: plurimum enim Antimonii vix modicum Croci præbet, sed & Crocus ille Rulandi minime est. Aquam illam Benedictam tot experimentis decantatam ingredi assuetus.

Ideoque talem hic Crocum & Aquam inde Benedictam, omnibus hactenus enarratis præferimus, qualem ipsemet Rulandus rei medicæ causa toties, propria manu teste, fabricavit totque præclaris encomiis nobilitavit? Qui ita se habet:

℞. Antimonii electi
Salis Communis
Salis Nitri ana p. æqv.

Minutissime trita & mixta cum catino luto probe munito, foramine tamen parvulo in medio superficiei, Spirituum arsenicalium exhalandorum gratia relicto in furnum anemium collocentur, igne follium adhibito, donec omnia sufficienter fluant, tamdiu hoc continuando, quamdiu fumus per foramen illud prorumpere non desinit. Quando vero desinit ignem probe, ad quadrantem horæ adauge, deinde exime, ubi vase infrigidato, Antimonium in fundo à salibus supereminentibus instar Reguli à scoriis sequestratum sese malleo aliquo detruncandum, atque in pulverem terendum facile dabit. Erit autem quando teritur, etiamsi ab initio præsertim, cum ignis moderamen excesserit, obscure duntaxat rubeat, instar Cinabrii rubicundissimus & florentissimus. Modus eo utendi in Medicina varius est: Is vero qui sequitur usu receptissimus.

℞. Croci Metallorum prædicti à gr. j. ad gr. xv. Vini Malvatici, vel etiam liquoris cujuscunque convenientis, præsertim ubi vomitivo catharticum velis ab unc. semis ad unc. ij. & amplius.

Macerentur, vel etiam necessitate urgente ebulliant, & usui reserventur.

1. In doloribus capitis sæpe ab impuritatibus ventriculi illud lancinantibus cum Aqua Betonicæ, Buglosſ. Borraginis.

2. In Epilepsia cum Aqua Pœoniæ, florum Tiliæ, Cerasorum, Lavendulæ, &c.

3. In Plevritide tam notha, quam exquisita aliaque sanguinis coagulatione cum Aqua Carduibenedicti, Mariæ, Pap. Rhæados, &c.

4. In tussi inveterata, asthmate, peripnevmonia, angina, in Aqua Tussilag. Hyssopi, Violarum.

5. In plerisque ventriculi affectionibus cum Aqua Menthæ, Betonicæ, Absinthii.

6. In Melancholia Hypochondriaca.

7. In peste ab initio cum Aqua Cardobened.

8. In præservatione ab arthritide ejusque speciebus omnibus cum Aqua serpilli &c.

9. Ejus Croci cum Aqua quadam vel Vino cocti vel macerati drachma ſ. vel j. juri vel decocto mollientium admixta pro clysterum usu valde utilis.

10. Insignis item usus est Aqua Ophthalmica inde confecta Quere.

11. In vermibus cujuscunque generis sint, licet veneficio productis, de quo mirabilis historia, in promptu mihi.

Quinta Essentia laxativa.

Propter materiæ adfinitatem superioribus annectere placuit, Spiritum vitæ purgantē compositum, quem Fioravanta lib. 2. cap. 58. Coronæ Med. sub titulo; Quintæ Essentiæ laxativæ miris laudibus prosequitur:

℞. Cinamomi, Ligni paradisi
Turbith. ana unc. j.
Aloëpatici.
Colocynth. ana unc. ij.
Caryophyll. Croci.
Moschi orientalis ana drachm. j.
Julepi violacei lib. j.

Infundantur in Quintæ Essentiæ Vini libris duabus duodecim horas. Colatura arte facta servetur ad usum. Dosis à drachma ij. ad unc. ſ. in jusculo carnis, vel Syrupo conveniente. Suaserim tamen antequam Colocynthiaca vel Aloëtica hauriātur, sive pyrethro sive Cinamomo linguam fatuam reddere.

Spiritus Vini rhodo saccharatus.

A plurimis hactenus desideratum fuit, præsertim in parandis aquis ex Spiritu Vini, Aquas vitæ vocant, quomodo saccharum parari possit, ut cuicunque liquori mistum facile eo solvatur, & omnibus partibus exactè misceatur, neque unquam subsideat: inventum scilicet tam naturæ, quam oculis & linguæ valde gratum. Idcoque varii variè illud tentare conati sunt: Alii enim uvis passis id efficere sperarunt, alii

alii vasi recipienti Julep infuderunt, cui Spiritus Vini destillans misceretur: Beguinus ad Andreæ de Blauuen mentem Matthiolo in Epistola explicatam, saccharum aceto solvere nititur, postmodum cum Spiritu vini circulando à fæcibus tincturam separare, iterumque inspissare, quo saccharum seipso dulcius, & purius reddatur, & quemlibet liquorem flavo colore æqualiter sine subsidentia tingat. Quam illi felici: hi facili: (ob digestionis diuturnitatem, cæteris quidem paribus) successu, ipsi viderint.

Verum cum ejus experientiam sæpius fecerim, cujus scilicet ampullosorum quorundam apud nos insolentia, ac si illud ἐκ τῶν ἀδυνάτων foret, causam præbuit: idque solius filtrationis & mixtionis proportionatæ operâ: ejus modum, exemplo Spiritus Vini, Sacchari & Aquæ Rosarum, quæ alias æqualiter, & ut diaphana maneant, misceri vix possunt, in sequentibus expeditum dabo.

℞. Sacchari Candi albiss. pulv. lib. j.
Aquæ Rosarum odoratiss. lib. j.

Mixta stent in loco calido, & conquassentur aliquoties, ut saccharum melius liquefiat. Quo facto affunde lentè, Spiritus Vini non adeò recens rectificati lib. ij. Repetita filtrationis opera per chartam leucophæam, donec nimirum & sapor & consistentia placet: adjectoque interea scrupul. j. vel altero Diaromatici Essentialis vel Alkermis nostratis fiat Elixis Rhodosaccharatum insigne reconvalescentium & imbecillium restaurativum, sitisque haud vulgare sedativum in quibusdam febribus, quippe quod & Aurum potabile Zapathæ, & mixturam Quinti essentialem Rosarum Fioravanti, utut magnificis exornata laudibus, longe superat.

Idem processus in Rhodosaccharatis ejusmodi compositis locum habet, v. gr. pro roborando stomacho è Pulegio & Melissa recens siccatis tincturam Spiritu V. extrahas, digerasque, & postea eadem proportione confusa invicem coles. Sic puto variæ variis usibus dicatæ Essentiæ concinnandæ facilè erunt. In simplici illo si colorum varia delectamenta ipsi conciliaveris, idque rebus vires nihil imminuentibus, veluti, pro viridi exsiccato petroselino, pro rubro, tinctura Caryophyllorum coronariorum, vel Santalo: pro citrino santalo cum Croco, &c. oculis & palato valdè placebis.

Spiritus citrinatus vel Elixir Citri.

Rec. Cortic. Citri recent. ab albicante medulla bene mundatarum, minutimque incisarum ℔. iij.

Macerentur in Spiritus vini non rectificati lib. xij. postea destilla per vesicam cum refrigeratorio: donec prolectis omnibus phlegma prodire incipiat. Ex hoc Spiritu cum pauxillo Croci tincto, mixtoque cum Succi Citri purificati ℔. j. ß. Elixir Citri parabis, elegans Cordiale & Antidotum contra pestem, & aeris contagia. Dosis cochl. j. singula aurora jejuno, nisi Epatis calidior intemperies, vel capitis imbecillitas prohibeant: Eo enim in casu, satiato ventriculo melius confert.

Cæterum si Diamoschum ad Magnatum corda roboranda velis.

℞. Ambræ griseæ. p. vj.
Moschi odoratissimi Alexandrini p. j.

Adde Sacchari albissimi aliquantum. Tere subtilissimè in concha, ac postea cum Spiritu Citri prædicto, miscendo olei Vini guttam unam atque alteram, diutius perge, donec totum quasi pulmentum fiat. Cum cucurbita sigillo Hermetis clausa sub terram vel B. M. per mensem philosophicum reconde, donec totum sibi undiquaque simile & rubicundum evadat: Postea serva ad usum. Dosis ad pisi magnitudinem.

Spiritus antapoplecticus.

℞. Florum Lilii convallii Mens. j.

Macerentur cum vini opt. ℔. viij. in oco frigido octiduum circiter. Postea destillentur. Destillatum reservetur, donec Flores Tiliæ ad manus perveniant. Illarum itidem Mensuram j. immacera aliquandiu, & destilla quousque Florum Lavendulæ mediam mens. nanciscaris. Tum enim non Lavendulæ flores adde tantum, sed & florum Pœoniæ ℥. ß.

Flor. Cheiri
Rorismarini ana ℥ j. ß.
Rad. Pœoniæ
Zedoariæ.
Galangæ.
Zinziberis ana ℥ß.
Rosar. rubr.
Cortic. Citri.
Visci querni
Nucis Mosch.
Macis
Cinamomi
Caryophyllorum
Cubebar. ana ʒ ß.

Stent mixta aliquandiu ad faciendam digestionem: postmodum lentè destilla.

Usus in paroxysmo est apoplectico cochl. j. Imò etiam extra paroxysmum prophylaxias causa singulis diebus ante & post Lunæ mutationes.

Spiritus cephalicus.

℞. Florum Lilii convallii, M. ij.
Salviæ M. j.
Spiritus Juniperini vel etiam Cerasorum ℔. iiij

In Sole digerantur dies quindenos circiter. Deinde exprimantur & colentur. Colato indatur

Conservæ Lavendulæ
Rorismar. ana ℥ ij.
Sacch. Candi in Aqua Lavend. soluti ℔ j.
Spec. Diambr.
Diamosch. an. ʒ ij.

Mixta macerentur per mensem. Tandem destillentur Chymicè. Usus ejus insignis est ad confortandam memoriam, avertendam Apoplexiam & Epilepsiam. Dosi cochl. j. aliquoties in hebdomade.

Spiritus stomachicus.

℞. Radic. Zinzib. albi ℥ iiij.
Nucis Muschatæ.
Macis
Galangæ
Zedoariæ.
Caryophyll. ana ℥ j.

Grosso modo contusa macerentur aliquandiu in

Spi-

Spiritus Vini pot. iij.

Postea lentissimè destillentur in Balneo, osculis Alembici benè conclusis. Denique misce concutiendo

Syrupi de succo Cydonior. ℥ x.
Santali rubri tessulatim incisi ʒ ij.

Quiescant alquandiu, & hinc mediante filtro chartaceo in aliud vas transferantur.

Spiritus Cardiacus.

℞. Cinamomi electi ℥ viij.
Fol. Ros. rubr.
Cortic. Citri
Aurantiorum ana ℥ iiij.
Santali albi odoriferi ℥ ij.
Ligni Aloës opt.
Storacis Calamitæ.
Caryophyll.
Macis ana ℥ j

Macerentur in Aqua vitæ poculis tribus, postea blando calore destillentur. Tinge violis cæruleis, aut Syrupo violaceo cæruleo. Dulcorentur Julapio ex saccharo simplici. Ultimo adde

Moschi Alexandr.
Ambræ griseæ ana ℥ ſ. & ad usum reconde.

Spiritus flatus discutiens.

℞. Seminum Anisi.
Fœniculi
Carvi
Cumini ana ℥ iiij.
Flor. Camomæl. M. ij.

In Aqua vitæ aliquandiu macerata destillentur in diplomate. Colore petroselini ex Manipulo j. ipsius exsiccati, imbutus denique Julapio quoque dulcescat, & filtro chartaceo trajectus servetur.

Spiritus Saturni ardens.

Neque etiam è Vino, aut vegetabilibus tantum, sed etiam ex omnibus metallis & mineralibus arte Chymica Spiritus fragrans elici potest. Exemplum esto de Saturno:

℞. Sacchari Saturni cum aceto stillatitio è Saturno calcinato seu Minio s. a. extracti q. v.

Hoc purificetur per reiteratas solutiones & coagulationes & in frigido fiant crystalli. Hos pone in Retortam vitream lutô optimè munitam, cui adaptabis Recipiens satis capax & clausis juncturis destilla. Exibit primò fumus albus, deinde oleum rubrum. Rectifica in B. M. & serva ad usum. Cujus dosis gutt. ij. vel iij. in aquis appropriatis, in Peste, Melancholia Hypochondriaca, Febribus ardentibus, lue Venerea, &c.

De hoc Spiritu quidam existimant, quod ex Aceto Vini, minimè verò è Saturno proliciatur, atque adeò turpiter hallucinari plerosque Chymicos, quibus Spiritum hunc Saturni Spiritum appellare solenne sit. Rationem addunt: quod quantitas Saturni, quæ mediante aceto in forma Salis præexistebat, in fundo vasis post destillationem Spiritus, instar pulveris subtilis eadem remaneat. Belle! Quis enim credat, omne id quod in fundo manet, saturninum esse, nec quicquam de aceti fixo sale restitisse?

Et sit, inquam, Saturninum: Spiritus tamen volare è corpore posse: non diminuto ipsius pondere, in Chymia plurimis exem-

exemplis notissimum est. Parum præterea prædicti sermonis Authores sibi constant. Vel enim restitit aliquid aceti in fundo simul: vel nihil restitit. Si aliquid, utique argumentum magis est: quod destillavit, de Saturno potius esse, quàm de aceto. Si nihil, si quod prodiit, Saturninum negas, falsum sit necesse est, quod fundamenti loco habent. Quod nimirum eadem Saturni cum aceto ante destillationem, separatô nimirum eô, quod est aceti. Et quid argumenta, ubi Spiritus Ardens è plumbo elicitur: nullo aceto adhibito? Ita enim Libavii descriptio habet. Plumbum calcinatum per Vitrioli Spiritum solvitur deliquio, (alias aqua stillatitia communi,) solutio filtratur, coagulatur, & Spiritus inde propulsi consistant, in aquam vitæ ardentem seu inflammatilem. Et cur acetum prædicto modo tractatum, per se Spiritum ardentem non præbeat? Per quod enim unumquodque tale, illud meritò debebat esse magis tale. Utuntur vocabulo alterationis: Spiritum hunc Aceti esse, hunc in modum à Saturno alteratum.

Ergò in Saturno vel Spiritus ejusmodi ardens inest, vel aliquid aliud, quod ardentem hanc qualitatem in Acetum inducat. Utroque modo flagrantia Spiritus Aceto non debetur, sed Saturno. Omnis enim alteratio, generatio est qualitatis, quæ aliam sibi contrariam præexistentem ponit: ita videlicet, ut unius acquisitio ab altera, tanquam à termino à quo proficiscatur.

Concludo ergò ἀναμφισβήτως: in plumbo, ut & plurimis aliis, Sulphur radicale delitescere, quod calcinatione attenuatum, & liberatum à corpore impuro, tandem destillatione debiti ignis ex potentia actum acquirat, fiatque liquor proximè inflammatilis.

Arcanum Regis, Aqua Regia etiam, & Aqua pugilum dicta.

℞. Salis Armoniaci.
Nitri depurati ana ℔. j.

Tere simul, & misce cum duabus unciis silicum grosso modo pulverisatorum. Inde in Retortam postica parte tubulatam, hujus figuræ:



Pone in ignem Reverberii, præmisso capaci recipiente, & paulatim ignem subministra, donec Retorta paululum incandescat: Postmodum, ubi juncturæ bene munitæ fuerint, injice per tubulum prædictæ materiæ cochl. vel unciam unam, & statim cum impetu surget nebula in excipulum, quæ in aquam resoluta, denuò novam materiam injicito, recto regimine ignem gubernando, semperque tubulum argilla madida cooperiendo, donec satis Spirituum elicueris.

Aqua Regia alia.

Quoniam destillatio duorum Athletarum Salis Armoniaci scilicet & Nitri propter impetum periculosa quodammodo, nec Spiritus inde in copia haberi possit

possit. Quin imò Sal Armoniacum plerumque in fundo remanet, transeunte Nitro. Iccircò sequens tutior præparatio est:

Rec. Nitri per se & cum tribus partibus silicum contusorum vel boli Armeni misce & destilla igne libero per Retortam & sic habes Spiritum Nitri, quem rubicundum præstiterit Camphora, si ritè interpolatam adhibueris.

Postea habeas cineres, è quibus per Aquam calidam extractum sit Sal, ut omni acredine careat. Hoc misce cum Sale Armoniaco, ana. Sit autem Salis Armoniaci tantum, quantum antea erat Nitrum. Tum præposito Recipiente cum Spiritu Nitri, destilla igne libero, per Retortam, vel per Alembicum & transibit Aqua Salis Armoniaci, & miscebitur cum Aqua Salis Nitri. Et sic habebis Aquam Regis ex duobus Athletis.

Si rursum per Alembicationem velis destillare, clarior & lucidior evadet. Hæc arcana Aqua Regis à Basilio summoperè commendatur, & multi usus est, ad Auri ceu metallorum Regis præparationes, unde & nomen sortitum est, quod Aqua Regia dicatur. Estque verè Ros Solis Philosophici Angeli Salæ, cum Spiritu Salis Mercurialis per medium Vulcani in auram elevatus, & rursum in Aquam solarem conversus, de quo in præparatione Chrysobezoar. Denominatione inde sumta: quod ille instar Roris pyrotechnia generatur, solus Auro ceu Soli Philosophico & terrestri dissolvendo menstrui munus sufficienter obeat.

Ros Solis.

Ut ἐνέργεια magis adpareat, quâ analogia D. Angelus Sala menstruum regium suprà Rorem Solis Philosophicum appellarit. En quale illud Belgis & Anglis valde usitatum.

℞. Roris Solis (herba est, quæ alias Rorella dicitur) Man. iij.
Rorismarini, Majoranæ,
Melissæ, Lavendulæ,
Salviæ, ana Man. j.
Sem. Anisi, Fœniculi, Coriandri anâ ℥ ij. ß.
Nucis Muschatæ ℥ ij.
Gummi Ladani ℥ iiij.

Infunde in lib. xxxv. Aquæ vitæ & destilla per vesicam. Optimo, quod prodierit, infunde Cinamomi electi uncias quatuor. Caryophyll. Macis ana ℥ ij. Piperis ℈ j.

Secundo verò: Liquiritiæ ℥ iiij.
Laudani ℥ semis.
Tertio: Rosarum. Flor. Lavendulæ.
Rosmarini ℥ ij.
Roris Solis M. j.
Quarto: Tornæ Solis ℥ ij.

Post aliquot dies misce, & cola. Tunc recipe Aquæ Rosar. cantharum unum. Sacchari lib. iiij. solve, & adde Vini Alacanthini cantharum j. Misce & iterum cola.

Oleum Balsami universalis, vulgo Spiritus Salis.

Balsamum quid sit, & quas vires habere debeat, jam in plurium intellectu est, quàm usu.

Nnn a Vel

Vel enim verum est, quod quidam existimant: hac nostra ætate Balsamum interiisse: vel, naturale illud rarius ad nos perferri.

Ad hoc ipsum autem cum inter cætera antibalsama Sal facultatibus suis proximè accedat: adeoque inter mineralia nihil sit, quod æquè aromaticam obtineat naturam. Cogito enim cum Gesnero, aliquando Balsamum ab excellentia dictum esse, quod pretiosissimum nobilissimumque inter aromata esset. Nam Baal dominum significat Hebræis, Sam verò aroma, Oleum sive Spiritum Salis ritè præparatum, Oleum Balsami universalis, consuetudine Chymicorum servata, appellari posse, explicatissime patet.

Sequitur ipsius præparatio.

℞. Muriæ, vel Salis marini calcinati q. v.

Terræ sigillatæ vel boli Armeni duplam portionem, misce & impasta ad orbiculos inde faciendos, quos ad duritiem exsiccatos Retortæ terreæ imponas, benè lutatæ, ut vix dimidium ipsius repleatur, adaptatoque magno Recipiente igne forti per gradus aucto destilles. Primo enim, lento igne, phlegma egredietur, postea urgentiori Spiritus albi, quò ignis regimine instabis, ut Retorta benè incandescat, & receptaculum diaphanon iterum evadat. Eadem ferè destillatio, quæ in Aqua forti adhiberi solet. Refrixa fornace Spiritum exime, & adhuc semel in B. M. per alembicationem phlegmatis rectifica. Et sic Spiritum Salis elegantissimum cum ente Terræ sigillatæ embryonato maritatum tenes. Caput mortuum, quod in prima destillatione restitat, Lapidem habeas, quorundam opinione, extremo saltem usu verè antipodagricum.

Notandum tamen hoc in loco est, quoniam non omnis Salis Spiritus his solis operationibus elevetur, sed multa ipsius pars Artificem in caput mortuum se subducendo ludere soleat: quod per Aquam communem (coquendo simul) ex eodem Sal collectum, & priori modo destillatum æquè efficacem Spiritum præbeat.

Vel idem Sal cum priori Spiritu conjunctum & aliquandiu debito loco digestum, tandem cum Terra sigillata, ut supra, commixtum, & quoties opus est, destillatum, universas salinorum Spirituum reliquias refundet. Si enim ex capite mortuo Sal toties prædicto modo extraxeris, & destillaveris, quousque quippiam Salis in ipso restiterit, quamvis inde non usque adeò lucrareris, totum Salem tandem in forma Spiritus transire facies.

Et hoc revera est illud Oleum Balsami universalis Dn. Angeli Salæ, quo in Chrysobezoar suo conficiendo utitur.

Alias quoque ad Medicos & metallicos usus efficaci potestate nobilissimum est, de quo vide Crollium Basil. Chym. pag. 151.

In diuretico & lithontriptico meo specifico, quod qui mihi venditabat, more Paracelsico, Sal Nitri Philosophicum appellabat, & in hydrope, urinæ retentione, & Nephritide magnarum virium adferebat esse, non minimas huic Spiritui Salis tribuo. Cæterum usus ipsius in febribus lentis præsertim & quotidianis præmissa vacuatione non vulgaris est, si cum Aqua è succo Veronicæ destillata intermiscendo saccharum singulis diebus

diebus m. & v. debita dosi pro Julepo exhibuerit.

Spiritus Salis compositus ad Medicinam præstantissimus.

℞. Salis Nitri puri.
Salis communis decrepitati an. q. v.

Misce cum dupla vel tripla quantitate argillæ siccæ & per setaceum cribratæ, & è globulis probè post malaxationem exsiccatis, per Retortam igne Reverberii Spiritum propelle.

Hujus Spiritus libra una cum Salis fusi unciis quatuor, aliquandiu digesta, ut Sal adjectum solvatur (per diem unum vel alterum) & per Retortam denuò destillata, idque toties, quoties placuerit, cum novo Sale fuso factum Spiritum fortiorem auctioremque dabit. Ab illo Spiritu phlegma in B. abstrahe, & deinceps Spiritum per Retortam vel Cucurbitam in arena rectifica, tandemque cum Spiritus Vini partibus æqualibus conjunge, & tum in vase circulatorio aut pelecano in cineribus commacerando, atque iterum rectificando Spiritus istos, Vini nempe & Salium inseparabiliter unitos, & hinc Spiritum Salis compositum notandæ virtutis inde conficies, ad conservandam sanitatem & propulsandos morbos egregium auxilium.

Inprimis prodest ictericis, hydropicis & vermiculosis.

Podagram lenit exterius illitum.

Epilepsiam curat, teste Neandro, in Aquæ vitæ vel Tiliæ singulo mane exhibitum.

Ad Therapeiam dosis est gutt. vj. viij. ad scrupulum semis in Vino, Aqua vitæ vel alio appropriato. Ad hygeiam gutt. iij. septimanis singulis semel atque iterum accepti.

Denique quicquid de Oleo, Spirituve Salis apud Paracelsum aliosque modernos Authores patet, idipsum hic potentissimè præstabitur.

Spiritus Salis dulcis.

Utut gloriosa & sesquipedalis de Spiritu Salis edulcorando ostentatio est, apud Chymicos magni nominis etiam, ipsorum tamen demonstrationibus, quibus, nec nisi magno pretio conducti, summam illam & impermixtam prorsus pollicentur, fidem adhibere nunquam potui. Nec enim τὸ ἀμαξλάνειν à magnis ingeniis etiam alienum prorsus, quamvis hoc ipsum credere, multis superciliosis videatur alienum.

Mordacem tamen acrimoniam à Spiritu Salis quomodocunque auferri, eumque sub dulcem reddi posse non inficior. Idque sequenti modo: Ut nimirum vel Spiritus Vini, vel Oleum Tartari ab initio cum Sale commisceatur, & secundum artem Spiritus inde destilletur. Vel etiam: ut Spiritus Salis jam prolectus cum alterutro illorum sæpius cohobando subtilietur; vel etiam, uti fæces Vini Sali adjiciantur, &c. Idem enim & in aliis Spiritibus feliciter obtinetur. Hic suo modo exhibitum egregium præservativum suppeditat in peste.

Sal Gemmæ seu fossile quod attinet, ex eo itidem extrahitur liquor eodem modo, quo ex Sale communi seu muria ipsius, qui & Oleum & Spiritus Salis

Gemmæ fusibilis Mercurialis à Chymicis vocatur. Hujus beneficio solutorio & fixatorio Regulum Martis eò reductum vidi, ut mediante digestione, destillatione & rectificatione liquorem præbuerit, vel pro libitu pulverem, quorum hic ad grana tria quatuorve: ille ad guttam unam vel ad summum duas singulas vicibus ex convenientc liquore, vel Tartaro vitriolato exhibitus, ad alterandum, ἄνω καὶ κάτω, tutò tamen, vacuandum, aliosque curationum scopos complendos, potentior erat centum lagenis herbarum decoctionibus refertis, nec non ipsis de Rhabarbaro potionibus. Eundem ipsum Spiritum Salis Gemmæ bonâ fide accipias, pro vero illo Angeli Salæ Sulphure potentiali ex Balsamo aquatico, diaphano, fixo, per quartum granum ignis Spagyrorum sublimato, & in formam liquidam redacto; de quo sub Elyxire ipsius Bezoardico.

Spiritus Salis Corallatus.

Rec. Salis communis lib. iij. vel iiij. Corallor. tenuiss. tritorum lib. j. Misce lævigando. Postea gradibus exceptis, igne destilla vehementissimo in excipulum capacissimum, & Spiritum salis accipies una cum Sp. corallorum, in affectibus insuper cordis, palpitatione, &c. dosi ℈ ſ. maximarum virium.

Spiritus salium vegetabilium preciosus.

Sed & Spiritus è salibus vegetabilium, magno Medicinæ commodo conficiuntur, de cujus apparatu διεξοδικῶς ut & plura alia, hoc modo:

℞. Silicum contusorum,
Sabuli puri ana p. ij.
Sal herbæ cujuscunque p. j.

Madefac cum Spiritu sive propria Aqua istius herbæ (Spiritus autem hebdomadali digestione, affusa ad herbam Aqua calida cum modico fæcum cerevisiæ, postea destillatione perficitur.)

Destilla per Retortam loricatam, lento primùm, ne sal fluat, postremò quando Spiritus albi prodierint, fortiori igne, flammæ scilicet, ut & sicci Spiritus prorumpant. In Excipulum ipsa herba quoque præposita sit, ad manipulum unum vel alterum Phlegma in B. rectificando abstrahe, atque capiti mortuo denuò ad sal extrahendum affunde, quod coagulatum vicissim (capitis mortui extractione semper repetita) destilla, donec omne sal in Spiritum abierit. Qui Spiritus salis est cujuscunque herbæ, quam ad illum salem conficiendum assumseris.

Pro natura diversorum salium diversas etiam & præstantissimas virtutes ad Medicinã obtinet. In hoc verò præ cæteris mirabilis perhibetur, quod propriæ herbæ impositæ essentiam & tincturam usque adeò spoliet, ut illa pallore velut universali lepra penitus obducta videatur: cum interea herba in terram implantata iterum, quamvis perenni illo existente colore, jucundo miraculo reviviscat.

Ad rem propius accedam exemplo Clyssi Carduibenedicti.

Clyssus Carduibenedicti.

Rec. Spiritus Carduibenedicti suprà dicto modo destillati, atque bina rectificatione,

tione, primo per cucurbitam, postea per phiolam in B. à phlegmate liberati, q. v.

Salis Aqua propria è capite mortuo ipsius eliciti lib unam.

Misce cum silicum & sabuli puri vel Terræ argillaceæ lib. iij. aut iiij.

Pastilli inde facti destillentur per Retorta in furno anemio, super herbæ Carduibenedicti Man. ij. donec ultimo Retorta incandescente, Spiritibusque cessantibus, Recipiens inclarescat.

E capite mortuo denuo sal extrahe, &, ut prius, Spiritum inde destilla.

Hunc Spiritum in B. sicco gradatim rectifica, & guttis flaviusculis prodeuntibus, alio substituto Recipiente, ignem urgentiorem adde.

Spiritus apricetur in Sole, ut elegantior evadat.

EstqueClyssus Carduibenedicti ad præcedentem modum, magno sanitatis bono, elaboratus. Guttæ siquidem ipsius v. vj. ad scrup. ſ. exhibitæ sudorem, inprimis in febribus, salubriter promovent.

Et hoc Hermetis nepotes ex triade unitatē facere dicunt: alii circulum ex quadrato &c. cujusmodi & illud est valde secretum de resuscitatione plantarum è suis salibus, quod eandem ob causam, stylo quamvis contractiori, sequi volui.

Secretum è cineribus philosophice paratis plantas resuscitandi suas; de quo Quercet. c. 23. in responsione ad Anonymum.

Rec. Sal cujuscunque plantæ fixum ac volatile: Spiritus item aëreos & phlegma (modo autem quo decet præparata) solve & coagula. Et superfusa Aqua Roris Majalis vel cujuslibet herbæ propria, in vase idoneo optimè clauso, herba in Aqua illa, mediante calore Cinerum vel nativo nostro, corpore spirituali explicatissimè repræsentabitur, confestimque superante frigore evanescet judica.

Spiritus Vitrioli, seu acetosa mineralis.

Paracelsi proba in æstimando Vitriolo est: cum lamina ferrea humectatur Aqua, & Vitriolum affricatum subito colorem cupreum gignit. Hoc enim magis de Venere, quam de Marte participat.

Alias Tinctores & Atramentarii vulgare Vitriolum, quod ferrum non tingit, tanquam utilius præferunt, vulgo atramentum dictum: sed hoc magis de Marte, uti volunt, quam Venere participat, & in Medicina & Chymia non æque præstat.

Alia probitatis nota est: quod si liquefiat in crucibulo, & humor aqueus exhalet, calcinatum flavescat prius quam albescat, densceturque viscosa quasi tenacitate.

Quod vero Spiritum Vitrioli attinet, licet ejus præparationē vix quisquam unus sit qui nesciat. Quoniam vero Angelus Sala in præmissis libris non vulgarem illum Spiritum per rubrificationem Vitrioli præparatum, & hinc Spiritu Mercuriali, & volatiliori prorsus destitutū, licet valde corrosivum usu dignnm existimat: interim tamen Liquor Vitrioli acidus ipsius cujus laborem in Anatomia Vitrioli describit, propter nimis curiosam adeoq; molestam præparationem non omnibus arridet: necessum duxi, talem Spiritus hujus *κατὰ σχέσιν* tradere, quæ & facilis esset, & ad Vitriol corrosivam acrimoniam viscositatemque adimen-

adimendam auferendamque æque appositissima: Eaque talis est.

℞. Vitrioli optimi q. v. in aqua communi beneficio coctionis dissolvito: vel etiam si sapis per ignem Naturæ simplicem quorundam. Stent aliquandiu, & residebit terra Vitrioli subflava. Hinc colatura facta ad ignem coque, usque dum pelliculam contraxerit, despumando interim ab initio coctionis, si qua impuritas ad superficiem ebullierit. Postea in loco frigido collige Crystallos, recondendo potissimum superiores, & quæ cæruleo radiant calore. In fundo quod est terræ priori simile separetur. Hoc enim resiccatum, & per Retortam igne Reverberii destillatum, oleum dabit rubicundum penetrantissimum, dosi gutt. sex ad decem ad plerosq; capitis affectus perutile. Guttæ ejus xv. & xx. annotantibus quibusdam, vomitus expediunt.

Vitriolum vero nisi prædicto modo satis depuratum fuerit, denuo solve, per filtrum cola, & coagula, idq; adhuc semel atque iterum, donec colore appareat purissimo. Tum inde in vitream cucurbitam, satis spaciosi orificii, luto munitam; superfunde Spiritum Vini subtilissimum, ut fiat pasta. Circula, appositoque alembico immitte in furnum aperti ignis, cum suo Recipiente satis amplo. Hinc rite clausis omnibus juncturis destilla, primo lento ad Spiritum Vini seorsim provocandum, mox fortiori ad phlegma quoque intercipiendũ, tandẽ incipientibus provenire Spiritibus siccis, sensim & sensim fortissimo igne.

Liquori destillato in cineribus abstrahe phlegma cum Spiritu Vini, donec guttulæ cadentes acescere incipiant. Tum apposito novo excipulo pellatur quoque Spiritus per arenam, qui ipse Liquori Vitrioli acido, quo Dn. SALA sub Olei nomine in Ternario Bezoard. cum plerisque officinis (licet improprie) intrinsecus multoties usus est, in omnibus facile æquivalet.

Eodem prorsus modo etiam patruus meus Jacob Langenhayn parabat, à quo primum inter chartacea illa brevi ante obitum mihi legata accepi.

Alias etiam ad Spiritum Vitrioli, quem dulcem vocant, ita tenditur.

℞. Vitrioli calcinati lib. iiij.

Superfunde acetum destillatum ut bene supernatet, stent aliquandiu in leni calore: decanta acetum, & affunde novum. Hoc quinquies vel sexies, semper dies aliquot digerendo, repete; Aceta illa mixta invicem destilla, donec Spiritum Vitrioli destillandi tetigerit ordo. Tunc inde in Retortam adjectis sabuli puri manipulis duobus, & liquor Vitrioli promanans dulcem referet saporem.

Nonnihil etiam arbitror esse, quod post phlegmatis separationem Spiritus vulgariter destillatus, super Cornu Cervi ex arena rectificetur. Ita enim sine omni corrosivo prodire apud plures jam in propatulo est. Nec non: quod Vitriolum cum Urinæ pueri ἀφθόρου vinumque bibentis debita quantitate satis maceratum, omnique phlegmate rite exutum, (ubi scilicet ad siccitatem ita redactum) per Retortam destilletur. Sic enim non solum Aquam egregie paregoricam, sed & in fine Spiritum ad Epilepsiam tam transplantatam quam aliunde infestam pueris præsertim, quod de vulgari illo frustra hactenus promissum, maximopere utilem suppeditabit. Ubi merito mirari subit: Crollium

Chymi-

Chymicæ ſcientiæ exercitatiſſimum tam hoſpitem hac in parte eſſe, ut ipſum Spiritum Vitrioli dulcem ne vidiſſe quidem ſe ultro fateatur. Cum tamen dulce Vitrioli ab acido ſeparare nihil aliud ſit, quam modicum illud Sulphur Vitrioli ab fluminovindicare ſuo, id quod variis modis, & vel Chalybis immiſſione tantum non dico tamen, non vel imminutis, vel plane deperditis quibusdam Vitrioli ſpecificis proprietatibus obtineri poteſt.

Ejus uſus & virtutes infinitæ prope ſunt cum in Medicina, tum etiam in Alchymiæ illa parte, quæ Encæria dicitur ad metalla pro uſu humanorum corporum varie elaboranda, quo forte reſpectu non immerito à Paracelſo quarta pharmacopolii pars Vitriolum æſtimabatur. De utroque videndus eſt Crollius, Quercetanus, Bovius, Liebautius, Libavius, Sala in Anatomia Vitrioli & alii.

Illud huc in loco, ἐν παρόδῳ quaſi excutiendum nobis: an Spiritus Vitrioli Conſervas Roſarum, Violarum &c. revera tingat, uti Beguinus arbitratur, an vero nitorem, quem ipſæmet habeant, elicuit ſaltem, ut ejus commentator. Quod revera tingat, non ſaltem eliciat, argumento eſt, quod æque aliis floribus, qui diverſo colore ſplendent, utpote v. g. Bugloſſæ, Borraginis, quæ Veneto &c. ſimilem tincturam conciliet.

Hæc ad complendam paginam.

Huc referimus etiam Spiritum Vitrioli coagulatum, quem alii deſcribunt, quod digeſtione & cohobatione ſuper Terram Sigillatam: alii, quod ex Oleo & Sale Vitrioli ſimul digeſtis perficiatur.

Ego Spiritum & Oleum deſtillavi cum ana laterum pulveriſatorum forti igne, & quamvis Spiritum vulgarem me accepiſſe putabam, ubi tamen per 5. milliaria portatū depromſi aliquando, totam in altiſſimos cryſtallos coagulatum reperio, aciditate ejus multum retuſa. Uſum vero quem habeat, cum cognitis ſaltem utendum, nec facile ad ea, quorum facultates & operationes adhuc obſcuræ vel dubiæ ſunt, confugiendum duxerim, nondum expertus ſum. Ideoque plura hic diſſerere ſuperſedeo, ejusque loco de Volatilitate Spiritus Vitrioli, puta in qua ſummum de oppilationis & corroborationis Spirituum cerebri & cordis arcanum ſtatuitur, pauca annotare curæ & operæ pretium duxi.

Primus autem laudum ejusdem buccinator, nec immerito, Paracelſus extitit, part. 3. de morb. Amentium tract. 2. Nec admirationem inquit, vel indignationem pariat, Vitriolum tantis (averruncandi nempe Epilepſiam) virtutibus pollere. In occulto enim vim ſolarem abſconditam habet, nec eam corporalem, ſed ſpiritualem, quæ multis modis Auri facultates antecellit: libr. de Contract. c. v. edit. Dorn. Non reperitur medicamen aliquod penetrantius membra citius, aut materialius iſto perquirens à fundamento. In tract. de trib. eſſentiis, cap. 7. Experientia affirmat ſtabilitum: Oleo Vitrioli vel Spiritu ejusdem ſpecies Epilepſiæ curari.

Hunc quidem plerique niſi indigno in Chymiam occæcati, hactenus

nus sequuti fuerunt, & in capitis affectibus præsertim Caduco eradicando ad cœlum usque laudibus extulerunt, multis eorundem minime curantibus, qualenam Vitriolum, & qualis ejusdem præparatio ad hæc obeunda à Theophrasto requirantur? Hinc secundum Galeni illud 4. κατ. τοπ. nempe promissiones omnium Medicinarum esse magnas, operationes vero ipsarum interdum valde exiguas, imò quandoque nullas, factum, ut ne unusquidem eorum, eo ipso, quicquam memorabile præstiterit, quin imò loqui hic & operari, velut Hipp. de lege pronuntiatum est, prorsus contrarie sese habuerint. Quo argumento impulsus Crollius apud nullum veram illam Vitrioli præparationem videndi facultatem sibi datam, nec ullum affirmare potuisse, quod confirmatam Epilepsiam solo vulgari & simpliciter præparato Vitrioli Spiritu profligarit, conqueritur. Nec adhuc quispiam erit, qui hanc objectionem facile diluere aut præeunte Experientia (monente Paracelso paragraphor. c. 4. qui ad Curam Caduci secundum Experimenta, ingenia cum Speculatione, pluraque elementa composita, Arcana cum Experientia exigit) contrarium obtinere possit jam ergo non injuria quis litem hic moveret, de causa, unde isthæc Vitrioli facultatum prævaricatio proficiscatur. Aliis causam illam tribuentibus diversitati temporum qua fiat, ut senescente quasi mundo res singulæ juvenilem fortitudinem exuant: vel crescente hominum malitia, justa DEI ira, morbi magis magisque viribus indies augeantur. Aliis, Cœli concordantiis, in cujus scilicet ductu & directione omnes Medicinarum potentiæ sitæ: Cujus ratione usu venit, quod sæpe eadem Medicina in eodem morbo eademque hora deleteriam & alexiteriam vim edat, quod porro non Medicina Medicina evadat, & contra: Veluti hoc ipsum Theophrastus tract. 2. de Astronomia exemplo Bursæ Pastoris, Hypericonis, filicis, & aliorum insigniter corroborat, propter majorem emphasin ipsiusmet Authoris verba partim adjiciam: So ihr wisset/inquit, was in einem Kraut ist/noch wisset ihrs nicht. Ihr müsset auch wissen/ wie sich die Krafft in diesem Kraut wird vollenden / und wie sie ihren Lauff begehret / und wie sie in demselben will geführet seyn/ sonst ist alle dein Sach vergeblich/ und wann es nun nicht hilfft / so verwunderst dich wie ein Meerwunder und sprichst: Bey GOtt / da und da stehets geschrieben/ da und da hats es gethan / es muß eine Plage von GOtt seyn/mein Kunst ist je gerecht/ das machts/daß du der Natur Concordanz nicht weist.

Item, gefälts dem Himmel und ist sein Lauff / so ist die Krafft in den Steinen/ gefälts ihm nicht/ so ist sie nicht da / das ist/ wann seine Concordanz nicht da ist / &c. Darauff bedencket alle ihre Aertzte / wie ihr diß wollet verantworten / daß ihr selbst saget / daß etwan ein Ding hilfft / etwan nicht: Eodem modo lib. de Cad. parag. 4. multa edisserit de Visco querno & sanguine humano, è quibus in Caduco aquoso perfecta quidem medicatio. Sed non nisi in suo Vlech & secundum signa sua Ascendentia. Ibidem porro disertis verbis de Vitriolo scribit. Arcanum ejusdem non in Oleo, sed Volatilitate ad summum

mum exaltata ; sed ad Astrorum & Exaltationum eorundem tenorem administrata situm esse.

Idem lib. de cœlest. Med. Metallis, licet per se ad illos usus minime aptis, morbos fere omnes tollendi & præcavendi potestates asscribit, hoc unico fundamento, quod fabricationes eorundem suis determinatis temporibus, adeoq; juxta corporum cœlestium influentias instituat. Ego non quidem omnino rejectis prædictis (saltem quæ primo loco posita parum Physica est) rationem in tribus hisce invenio.

Primo. Non omne Vitriolum, quia non omne perfectum, teste Paracelso, sed quod optimum, ad hoc eligendum. Tale scilicet quod solaris naturæ particeps idque magis spiritualiter, quam corporaliter. Quod αἰτιολογία ipsius unde scilicet Vitriolum tantis viribus dotatum sit, superius annotata perspicue docet. Hujus generis est Cyprium & Ungaricum. At vero raro sine sophisticatione ad nos perveniunt. Ideoque inprimis curandum, ut de probitate ipsius certi simus.

Secundo. Non omnimoda Vitrioli ejusdemque Spiritus præparatio, sed ea tantum, quæ subtilissimum & penetrantissimum Spiritum, adeoque Essentiam quasi volatilem ipsius reddit, ad hoc solum prædicanda. Hinc variam quidem confectionem ipsius agnoscit Theophr. sed pro varietate illa etiam varias virtutes. In quo adhuc evidentius sese explicat: quod nimirum non omne Arcanum ad hæc sufficiat, sed summa efficacia in præparatione & laborum subtilitate consistat. Quin imò etiamsi per biduum destillationem summa cum industria continuat, nihilominus tamen reiterato, cohobando videlicet, super Caput mortuum Spiritum destillat, eaque ipsa operatione verum & insignem gradum Essentiæ, debitamque penetrandi virtutem obtineri adserit. Lib. de Contract. cap. 5. igne violentissimo, necnon in recta Cucurbita usque ad nonum Alembicum per Reverberatorium in Athanar locatum ad quartam diem naturalem urget. lib. 3. paragraph. ter destillat, ultimo per Phiolam.

Tertio. Ad feliciorem facultatum adscriptarum executionem nonnihil expediet, non ubivis Arcanum hoc Vitrioli per se, sed, quia aliquando, monente Theophr. minus integrum aut viribus exhaustum, aut non debita industria præparatum, aut aliquo alio modo viribus impeditum, cum aliis appropriatis & adjuvantibus ceu sunt juxta prædictum Authorem. Coagulativa, constrictiva, specifica, & sedativa compositum ad usus convertere.

Si nec dum laudibus istis satisfacerer, ubi tamen minime arbitror, vel certe Authorum scripta nihil facerem, vel morbi istius majorem modo ac tum temporis fuit vehementiam accusarem.

Agedum vero procedamus ad ipsum τεχνούργημα.

Arcanum sive Essentia Vitrioli.

℞. Vitriolum Ungaricum verum non corruptum nec sophisticatum. Gradetur per solutionem in Aqua Thereniabin stillatitia, colando postea solutum, & digerendo in calore Fimi vel B. M. vel Cinerum per mensem: abjectisque undiquaque fæ-

Oooo cibus

ibus & ablato ad cuticulam usque menstruo, in frigido toties colligendo Crystallos, quoties id fieri potest. Horum calore solis vel Hypocausti exsiccatorum lib. v. vel vj. per Cucurbitam terream probe locatam in Athanarc igne nudo, tam phlegma (nam & huic tantum fere tribuit Paracelsus quam ipsi Oleo, seu Spiritu) quam Spiritus omnes excipiendo secundum artem sensim nimirum & sensim ad bidui usque decursum, alembicoque amplo, luto sapientiæ munito præfixo destilla. Caput mortuum exemtum tere, & vel per Phiolā, vel per erectam Cucurbitam igne violentissimo, usque ad nonum Alembicum altero alteri, mediante cujusque exteriori limbo tanquam Zona, factoque in fastigio amplo foramine ita adaptato, ut Spiritus ascendens ab imo ad summum usque absque ullo exitu pertingere queat, sapienti industria Spiritum superfusum denuo destilla: id quod intra quatriduum vix absolvitur, & ita Essentiam Vitrioli habebis penetrantissimam, arcanum illud contra Epilepsiam dudum quæsitum & optatum. Quod si vero ex instrumentorum inopia ad prædictum modum operari nequeas: scito, non deesse è probatissimis Authoribus, qui phrasin istam Theophrasti: ad nonum usque Alembicum &c. in sensu disjuncto accipiendo, priorem destillationem super Caput mortuum octo Cohobiis, ita ut non nisi per nonum Alembicum absolvatur, repetunt. Horum vestigia sequendo, nullius etiam neque laboris neque impendii te pœnitebit.

Usus ipsius patebit in sequentibus.

Arcanum Antepilepticum.

℞. Summita. Hypericonis.
Anagall. flor. rub.
Rutæ.
Rad. Pœoniæ.
Visci Quern.
Theriac. Andromach. ana ℥ ij.

Infunde in B. M. cum Spiritus Vini lib. ij. vel tribus.

Colaturæ adde prædictæ Essentiæ Vitrioli lib. j. Cranii humani subtiliter pulverisati unc. ij. Opii rite præparati unc. ſ. Camphoræ drachm. ſ.

Hæc omnia simul colloca ad circulandum in calorem putrefactionis, ad minimum septimanas sex. Postea subtile à spisso separa, & tanquam thesaurum reserva. Dosis ipsius à scrup. j. ad drachm. ij.

Eandem illam Essentiam Vitrioli si cum Oleo Cinamomi & Anisi in circulum aliquandiu egeris in plerisque ventriculi affectibus à guttis decem ad quindecim usque in jure Galli inprimis in ipsius cruditate exhibendum, haud levi brachio commendamus.

Spiritus Antepilepticus alius.

Hic penitus ad Paracelsi canones compositus est, & quia eximiæ contra Caducum virtutis, hactenus sæpe αὐλοχειρὰς à me elaboratus pro γνώλῳ mihi hoc in capite inservit.

℞. Rad. Pœoniæ debito tempore collect.
Visci Quern. itidem certo tempore collect. ana unc. iiij.

Opi-

Opii Thebaici vere præparati drach. ij
Camphoræ ℥ ß.
Spiritus Vini Theriacalis ceu Santali tinctura præditi.
Spiritus Vitrioli Volatilis prædict. ana lib. j.

Stent in fimo per mensem Philosophicum, & circulatione ita expedita subtile à spisso decantatum serva. Aurum vel gemmas ad robur ipsius adjuvandum addere liberalitas est omnibus concessa, mea id hactenus non tulit inopia. Alias in fine Auri potabilis Anglici accessu præstantiorem ipsum existimassem.

Dosis ipsius à paucis guttis ad scrup. j. in appropriatis, θεραπείας causa, quandocunque Paroxysmus irruit: prophilaxias vero gratia vel quotidie præsertim decrescente Luna, vel tantum in singulis Lunæ nodis: tertio quoque mense brevi ante Novilunium præmissa cerebri & stomachi purgatione, idque maxime vel Sale Vitrioli de quo in Hemetologia, vel Antimonio infra ad secessum parato. Antimonium enim, teste Varignana in Secretis, à singulari proprietate Epilepsiæ confert.

Hactenus de Spiritu Vitrioli volatili, quatenus Epilepsiæ in simplici & mixta forma ut plurimum confert. Jam prout aliis copulatus, aliis affectibus etiam accommodatur.

Liquor Dianæ.

℞. Vitrioli Ungarici albificati p. ij.
Tartari ad nigredinem calcinati p. j.

Pulverisata invicem misce, & Spiritu Vini paulisper conspersa destilla per Cucurbitam seu Phiolam magno imposito Alembico forti igne. Liquorem destillatum super Caput mortuum reaffunde, & cohoba. Hinc rectifica ipsum in arena distincte capiendo, & Spiritum Vini & liquorem reliquum, qui pro temperato sudorifero in omnibus internis obstructionibus in sanguine grumoso, contra scabiem ad mundificandam & lævigandam cutim cujus respectu, vel etiam coloris saporisve limpidi & accepti ergo ita appellatur, egregias vires exhibet ad sudandum per tres, auroras continuas, datur à drachmis ij. ad unciam j. per se vel cum brodio, vel cum pauxillo Vini Hispanici. Et parum aberit, quin hæc descriptio conveniat cum Nectare succoso Paracelsi de quo lib. 2. de Tartaro part. 3. operum, præterquam quod non insimul destilletur, atque adeo à fætore Tartari ingrataque sua austeritate liberetur.

Diaphoreticum in peracutis.

Quod hôc titulo propositurus sum, varie quoque multorum Authorum scripta passim habent. Paracelsus idem libello de peste, & in 3. parte cap. lib. 2. cap. 2. quamvis stylo paulo pressiore & parabolico. In consiliis medicin. sub eodem nomine ejus mentionem facit. Idque nominis multi quidem retinuere: plures tamen vel mixturam simplicem vocant: vel mixturam de tribus, vitriolatam &c.

Nec enim nova prorsus inventio ejus est, sed extat etiam apud Andernacum de vet. & nov. Medic. sub nomine Aqua Pestilentialis Camphoratæ: extat etiam

apud Conrad. Khunr. Weckerum Duncanum & alios.

Quia tamen pleraque illorum scripta δυσκαταματήτως ἔχει non immerito etiam de ipsis σαφέστερον καὶ παχύτερον ego in sequentibus. Ita passim describitur:

℞. Spiritus Vitrioli ut supra præparati. p. j.
Tartari opt. correcti p. iij. vel iiij.
Aquæ Theriacalis Camphoratæ p. v.

Misce, inque vitro angusti oris optime clauso, spatio trium quatuorve septimanarum probe digere. Consummata digestione, factaque trium illorum Spirituum ad triplicem Spirituum nostrorum seriem rite accommodatorum unione, medicamentum habebis, nec acrimonia vitriolatum nimis, nec fætore nimis tartarisatum ad plures affectus extirpandos satis efficax. Veluti de eo Dn. Grasbecii Chymiatrica, qua in porro Mixturarum specificarum variæ formæ, nonnullo sane pharmaceuticæ bono concinnantur, aliquando luculentius declarabit.

Pluris autem ego hanc ejus δειατύπωσιν facio, quod nimirum Paracelsicæ illi magis respondeat, & jucunditate & viribus nobilior sit:

℞. Spiritus Tartari super caput mortuum suum rectificati lib. j.
Spiritus Vitrioli Volatilis nostri uncias quatuor.
Spiritus Vini lib. duas.

Digerantur cum Colchotar Vitrioli ac capitis mortui ipsius Tartari ana lib. una in Baln. per aliquot dies. Postea per Retortam, sensim quidem ab initio, ne subtilitates exhalent, ultimo tamen vehementiori igne, ita ut vix tridui spatio operatio hæc absolvatur, destillentur.

De destillato liquore ἀκινήτως ἔχει, vix quicquam in internis viscerum obstructionibus Hydrope incipiente, in Cachexia, Pleuritide, Colica, Epilepsia, Scabie, Venenis & denique in Tumore ventriculi præstantius reperiri posse.

Spiritus Vitrioli Philosophicus vulgo Cohob Antimonii.

Hoc ipsum quidem multis cognitum hactenus, attamen nihilominus sese habet secundum parœmiam: quod nec omnia, nec ubique, nec ab omnibus. Etiamsi enim Quercetanus & Zwingerus ejus mentionem faciant: celeberrimus tamen Hartmannus, ni fallor, sub Spiritus Vitrioli Philosophici appellatione inprimis introduxit, & fere discipulis duntaxat suis pro stomachico commendavit.

Talis autem ejus est perigraphe. Rec. Aquæ Floribus Butyri Antimonii ad Salia corrosiva eluenda, affusæ, iisdemque Salibus bene imprægnatæ, quantum placet. Destillando à phlegmate libera eousque, donec vel liquor acidus subcitrinus, vel nihil quicquam etiam phlegmatis ascendat amplius. Reliquum exime pro Spiritu Vitrioli Philosophico, vel etiam quorundam Aqua Mercuriali Philosophorum. Potioris hic Hartmanno virtutis est, quam vulgaris, cum ad metalla lapidesque dissolvendos, tum etiam ad eximios in Medicina præstandos usus. Dosis gutt. 3. 4. 8. 10. contra febres, præsertim stomachales, Luem Veneream, Vermes, Pestem, &c.

Haud

Haud concinne tamen facturos arbitror, qui propterea Spiritus Vitrioli nomine insignitum hunc existimando, quod vitriolata tantùm facultate polleat: nullis non affectibus, quibus Spiritus Vitrioli alias per se convenit, nec pluribus, quibus ille haud convenit, administrare auderent. Non enim Spiritus Vitrioli dicendus hic est, nisi per Tropum & analogice: quippe qui nihil aliud est, quam salinorum æquè (è Sale, Nitro, & Alumine) quam vitriolatorum in Salibus post sublimationem Mercurii restitantium Spirituum mistura, ablutione producta. Quamvis autem Spiritus isti per se sanitati nihil adversentur, & καλάλληλον πρὸς τὰ πάθη illorum doctissimis quibuscunque satis probetur: animadvertendum tamen, multa fieri conjunctis, quæ non separatis, & econtra: Et multa Methodum medendi ambabus manibus accipere, quæ componendi illa & pathologica planè arguat. Neque hoc non inventum in Natura dicimus, aut Minervam sine Junone, id est, sine exemplo, proprio cerebro parimus, fecimus enim Tartarum Vitriolatum hoc ipso cum Spiritu. Fecimus inquam animo: reipsa, mixtione decenter facta, quidvis potius factum erat, quam Tartarus Vitriolatus: quippe qui ad Medicinam prorsus inutilis, nedum Chymica prosapia dignus. In his igitur & similibus probe Galen j. de simplic. facult. c 33. sententia retinenda est. Quemadmodum, inquit, haud secura est, procul à sensu ducta de explorando medicamento ratiocinatio: ita nec ipsius alteri cuipiam permisti usus. Siquidem ipsum per se solum, quod judicandum venit, expendere oportet, &c. Et quod lib. 2. c. 9. habet: Quippe experiri solùm oportet, quæ impermista sunt, & ab omni extranea qualitate aliena.

Ex quibus omnibus liquidò patet: mistione sæpe naturam medicamentorum adeò perverti, ut injustè faciamus, dum à natura simplicium exorsi, de compositorum virtutibus judicium faciamus.

Non enim omnia medicamenta, quas facultates habent, actu habent, sed multas in potentia æquè utiles, quam utiles, quas tùm demum exerunt, quando aliis permixta exhibentur. Sæpè enim in remixtis ἀντικατάλληλος ἀλληλουχία surgit, quâ compositi vires non diversæ tantum, à simplicibus, sed & pugnantes ac sæpè subcontrariæ efficiuntur.

Sit itaque Spiritus prædictus, vel Spiritus Vitrioli vel quidvis aliud: eximii etiam usus in Medicina contra quamplurimos morbos: ad eadem tamen ipsum cum Spiritu Vitrioli per se concinnato vel easdem vel potiores virtutes obtinere, quod quibusdam ex Etymologia, aliorumque suggestione placere posset, nemo mihi persuadebit.

Spiritus Vitrioli Philosophicus alter, vulgò Antepilepticus Basilii.

Rec. Viride æris ad placitum, superfuso aceto toties extrahe, quoties viriditatem de se præbet. Liquorem per Alembicum abstrahe, Reliquum in Aqua pluviali solve, filtra & ad tertias coquendo inque cella colligendo Crystallos, coagula. Residuam Aquam iterum ad tertias

 inco-

incoque, donec nulli amplius consiant Crystalli.

Hos in Retorta fortiter destilla: Prodibit enim Aqua subviridis, subnigra quando incipit, cessa. Aquam illam subviridem denuò per Retortam destilla per se, & instar Crystalli clarissima destillabitur. Cujus usus in caduco valdè nobilis perhibetur. Dosis, in Aqua Pœoniæ ad scrupulum unum.

Et huc usque ἐξ ἐπιμέτρου de Angeli Salæ Liquore Vitrioli acido sulphureo.

Sectio Secunda

De

AQUIS DESTILLATIS.

VArios Aquas per destillationem eliciendi modos esse, neque interim omnes omnibus ubique convenientes, nemini non certum arbitror esse. Cum autem ex duplici fine, qui destillatori propositus esse debet, nempe, ut & multum Aquæ accipiat, & multæ efficaciæ, aliæ aliis palmam præripiant: is ipse verò modus quo Dn. Sala in plerisque utitur, præ cæteris hoc nomine plurimum comendandus veniat: ab omnibus aliis supersedebo, huic soli in plantarum Aquis eliciendis addictus. Ut nimirum rebus destillandis balsamico tempore collectis vel per se, quando contusis rorido Baln. calore humiditas prolicitur: vel per commacerationem cum liquore, pro singulæ naturæ analogia, vel Vino, vel propria Aqua, vel Aqua simplici affusa, succus exprimatur, & ipse postea per B. M. in Aquam debito ignis regimine destilletur, quousque Aqua progrediatur. E fæcibus Sal elicitur, qui & ipse loco, quo alii guttas quasdam aceti admiscent, ad depurandas melius & conservandas Aquas inservire potest. Efficaciores si velis, res novas ipsis infunde, & post macerationem prolecto succo aquosiori iterum atque iterum destilla. Vel eas ipsas exsiccatas in Alembicum interventu Craticulæ impone. Sic enim vaporibus transeuntibus non vegetior solummodò virtus, sed & Tinctura aliquando egregia simul enitescit.

Quod verò vires Aquarum stillatitiarum spectat: falsitatis omninò insimulanda est opinio, quæ destillatis easdem virtutes cum Raymundo & Gesnero parùm cautè tribuit, quas ipsa corpora, è quibus eliciuntur, habuerunt, etiamsi Matthioli additamento se munierit: Esse scilicet eâdem, sed non pari efficacia præditas. Quemadmodum enim pars non est totum, nec Aqua plantæ cujusdam tota plantæ substantia: sed vix pars Mercurialis, Sulphure & Sale (excepta, si arctè sumatur, subtilissima & maximè volatili eorum parte) destituta. Nihil autem, teste Fernelio, de abd. rer. causis lib. 2. c. 17. in ulla Naturæ parte est, quod non peculiari, & occulta proprietate vigeat. Ita nec effectus virtutesque totius compositi, puta, quæ non nisi harmoniæ & compositionis beneficio insunt, nec etiam singularum partium constituentium omnes exæquare Aquæ stillatitiæ poterunt.

Hanc ob causam Aqua Menthæ & Ocymi teste Manardo in Epist. 15. mali potius

tius quam boni odoris est. Aqua Nasturtii hortensis (quod ipsum etiam Montanus in Consiliis de Calamentho refert) quod alias linguam sinapi instar mordet, vix levem calefactionis sensum excitat. Et Aqua Radicis Africanæ, teste Scaligero, pota intra horæ spatium mortem adfert, cum tamen Radix illa per se minus vegeti, aut præsentis sit veneni: Usque adeò eadem omninò vis nequit esse destillatorum cum suis integris.

Ais, è purgantibus destillari Aquas purgantes, &c. de quibus supra? Benè, purgantes, sed nec æquè, ac ipsa corpora extitere, nec ex omnibus purgantibus. Etiamsi n. proprietates formæ toti subjecto immergantur, inque singula usque segmenta ejus penetraverint: tamen nec uspiam puræ illæ in ulla parte totius seorsim (adeò ut & falsum sit, quod de secreto illo Sulphure quidam jactitant) consistant, nec etiam in omnibus illis partibus à se invicem diremtis æqualiter. Quin imò totius substantiæ vis & habilitas agendi, ita singulis partibus se adsociando imminuitur, ut quod antea toti univoce & absolutè inerat, jam eo usque divisum vix secundum analogiam in quibusdam reperiatur, id est, quod quidem in omnibus partibus reperiatur, in alia tamen principaliter, in alia minus, & infirmissimè in Aqua, puta, in qua è stirpe viridi prolecta humor exuberet alimentarius, nondum stirpis vim omnem ac proprietatem adeptus. Accedit: quod præparationis merito ex agentis ignis communione novæ nonnihil qualitatis accipiant. Ideoque fieri non potest, quin Destillata non solùm in quibusdam facultatibus minoris sint efficaciæ: sed cum plurimas earundem vel è nimis tenui vel crassiori materia oriundas, &c. penitus amiserit: tum etiam planè novas, & quæ primordia non redoleant, acquisierint.

Propterea quod usum Aquarum stillatitiarum attinet, is ex præcognitionis corporum simplicium viribus & usu æstimandus minimè est, sed sola experientia norma & Regula Lesbia judicanda, juxta quam pro utentis Medici scopo ad hunc vel illum affectum adhibeantur.

Rhodostagma odoratum.

Ne rem actam agamus, loco Aquæ Rosarum vulgaris hanc compositam ejusdem Salæ substituimus.

Rec. Fol. Rosar. recent. libram j. vel ij. Santali albi odori, Styracis Calamitæ, Benzoin, Cinamomi ana drachm. ij. Caryophyl. Laudani de Barba ana drachm. j. Moschi gr. x. f. pulvis, & facto strato super stratum stent in fimo per Mensem. Postea destillentur. Ubi enim ad jubar Solis ita steterit aliquandiu, fragrantior erit quavis alia.

Aqua Veronicæ.

Si è Veronica contusa inque Vino macerata succum extorques, & destillando herba sicca juxta Rostrum Alembici interposita, Aquam elicis, multarum erit virium cum per se, de quo Libavius, tum cũ aliis etiam; De quo Angelus Sala in Ternar. Bezoard. Inprimis mirabilis est ad ulcera lavamenti ratione, quæ Chironiis ferè deteriora, præsertim in pueris, inde sanata esse, sæpè his annis expertus sum.

Cum

Cum saccharo in variolis puerorum exhibita, maximè ubi seminis Napi drachma immacerata fuerit, egregie confert.

Aqua Cichorei herbæ & florum.

℞. Herbarum & Radic. Cichorei, ambarum debito tempore collectarum q. v. Tusis & minutim incisis affundatur propria Aqua q. s. & postquam per triduum vel amplius macerata fuerint, donec nempe tumere incipiant, coquantur parum: postea exprimatur succus ad destillationem utilis.

Alias ex floribus ipsius itentidem præparatur in Ophthalmia & plurimis oculorum affectibus Aqua valdè insignis & secreta, hoc modo.

Rec. Flor. Cichorei Sole in principio Leonis existente recenter collectorum. q. p.

Inde in Vitrum fortiter concutiendo, postea orificium diligentissimè claude, & circumcirca farinam ad panem pinsendum subactam applica trium quatuorve digitorum crassitudine. Stent in Clibano: donec panis eximatur, & invenies aliquando Flores tantùm in se collapsos, attamen rubicundo liquore, tinctura scilicet producta ipsorum succiplenos. Hanc tincturam fortiter expressam, vel per se ad usum mox instantem serva. Diu enim conservari non potest: vel per Alembicum in Cineribus destilla, (potes idem commode perficere cum Floribus simul) & Aquam habebis Ophthalmicam ad oculorum plures affectus, calidos præsertim sola illinitione utilissimam. Quo eodem modo & ad idem Flores Calendulæ in Aquam (quæ aliàs in vitro vitta muliebri crinali interposita per insolationem ad oculos, membri virilis & mammarum dolores præparatur, redigi posse existimo.

Compositæ inde Aquæ istæ fiunt variis modis: ut, quæ inter omnes alias minimè contemnenda est.

℞. Tutiæ octies vel decies in Vino restinctæ, & in pulverem redactæ.
Camphoræ mediante Oleo Olivarum pulverisatæ ana ℈ j.
Aquæ Flor. Cichorei cæruleorum.
Rosarum ana ℥ ij. &c.
Misce.

Valdè conducit in calidis oculorum fluxionibus, Ophthalmia, nubeculis, suffusionibus, &c.

Aqua Spermatis Ranarum.

℞. Spermatis Ranarum circiter Martium & triduo ante Novilunium collecti, (sic enim non tam facilè fætet Aqua inde destillanda) q. s.

Destilla per Vesicam, ignem moderatè adhibendo, ne superebulliant, & reserva.

Intra corpus à quibusdam utiliter assumitur in febribus ardentibus: sedat enim dolores & ardores mitigat. Cum phlegmate Vitrioli mista multum confert Ambustis.

Contra hæmorrhagiam etiam, præsertim cum Myrrha, Croco & Camphora incorporata, ex Crollii præscripto utilissima est.

In ea si tantillum aluminis solvatur, doloribus podagricis linteis madefactis commodissimè applicatur.

Experientissimus Angelus Sala utitur eâ in prænimio ardore pestis: item in clysma-

clysmatibus contra intestinorum calorem. Vide Ternar. Bezoard.

De crudi spermatis Ranarum usu ad hæmorrhagias, quod eodem ferè modo, si nimirum tibialia inde confiant, in Erysipelate efficax, vide Experimenta Fernelii. Quoniam verò in se Mercurium habeat cum Saturnina quadam proprietate, qua membrum, ipsumque malum quasi mortificatum iri metuendum, cum Decocto Myrrhæ & Olibani laudabilior existit ejus usus.

Aqua spermatis Ranarum Antipodagrica.

℞. Spermatis Ranarum, Mense Martio circa Novilunium collect. lib. iiij.
Stercoris bubuli recentis, ana.

Misce, stent per noctem. Postea destilla & serva, calidiuscule membris affectis applicata in petiis dolores feliciter sedat in podagra calida.

Aqua spermatis Ranarum Antipodagrica altera.

℞. Aquæ spermat. Ranarum ℔. ij. ß.
Urinæ Adolescent. lib. iij.
Theriacæ recentis ℥. ij. ß.
Vitrioli albi.
Salis, Aluminis ana ℥. iiij.
In aqua inde per arenam destillata misce
Salis Vitrioli ℥. j. ß.
Camphoræ
Croci ℥. ij.

Exterius in petiis applicata, quoties resiccatur, eousque donec & dolor & tumor residit, eximiè antipodagriaca est.

Aqua Theriacalis simplex.

℞. Theriacæ Venetæ, ℥. iij.
Aquæ vitæ rectific. lib. j.

Misce, stent per aliquot dies ad digerendum. Tinctam aquam decanta, & recentem affunde, donec non amplius tingatur: & ita serva ad usum, qui egregius est ad sudores eliciendos in peste, ictero, imbecillitate Ventriculi, Catarrhis, Hypercatharsi, vermibus, &c. De quo passim Angelus Sala inter Bezoard.

Dosis cochlear j. vel dimidium. Nosnemo hac ipsa à podagra, quam alias sæpè est perpessus, sese feliciter præservat.

Aqua Theriacalis frigore destillata.

Aquam Theriacalem appellare lubet, non propter Theriacæ ingressum; sed quod cuncta, quæ Cor contra venenum stabiliunt, ac illud lætius reddunt, Theriacalem, ut ita dicam, vim sortita fuere, quibus ad hæc annumeratur.

℞. Spiritus Vini opt. lib. j.
Camphoræ selectæ ʒ. sex vel septem.
Croci ℈. ſ.
Sacchari essensificati in quocunque liquore liquabilis ℥. iij.

Misce, solve, & per chartam bibulam destilla. Ita tenuissimæ partes, quæ à mitissimo etiam foco fugarentur, prolectantur. Et maxima cum utilitate dosi à gutt. ij. ad Cochl. j. ß. in peste usurpatur tam prophylacticè, quam therapeuticè, & hic per se datur ad sudandum; illic singulo die cum pane, jusculo vel aliis appropriatis.

Egregiè etiam conducit hystericis & febricitantibus febribus lentis, ut Quartana, & similibus.

Aqua Theriacalis Composita.

℞. Theriacæ Andromachi veteris ℥. v.
Myrrhæ rubeæ ℥. ij. ß.
Croci Orientalis ℥. ß.
Spiritus Vini opt. rectif. ℥. x.

Mixta in B. M. lentissimè destillentur, ut vix 3. vel 4. dierum spatio totum exstillet, camphora in Alembicum ad drachmas duas interposita.

Tandem cessante destillatione hoc eodem ignis gradu calor augeatur ad ebullitionem Aquæ in B.

Finito hoc opere per Cohobia denuò repete, idque tertia etiam vice, & Voti compos eris.

Oleum Theriacale, quod ad guttas aliquot progreditur simul, per infundibulum secerne, & ceu pretiosissimum reserva contra pestem & plurima venena.

Aqua verò à cochl. semis ad integrum valde salutaris est in venenis, febribus, quartana, ictero, vermibus, &c.

Angelus Sala supra ad extracti Hellebori ferociam compescendam adhibet, nec id immerito.

Etenim ilicò à Theriaca restagnare laxiorem alvi effusionem, vimque purgatricem remediorum domari, experientia & ratio satis ostendunt. Est enim purgatrix vis vehementior, media quædam potentia inter alimenta & venena Naturæ, Galeno teste, noxia, vasa debilitando, oscula laxando, mordicandoque. Quibus singulis Aqua Theriacalis potenter resistit. Deinde pharmaca à peripheria ad centrum succos & spiritus abducunt. Theriacæ autem vis properat ad cutem, & per eam excrementa corporis exigit. Gal. 11. de simpl. facultat.

Cum Spiritu Tartari & Vitrioli debitè maritata quid præstet, præsertim in antiquis viscerum obstructionibus, inque Melancholia Hypochondriaca, quia supra prolixius tradita sunt, hoc in loco merito prætereo.

Aqua Tartarisata.

Aquam Tartarisatam cum nonnulli percipient me notis jam explicaturum, arrectis procul dubio auribus stabunt, exspectando, quoniam extrahendis purgantium viribus idoneus perhibetur, si qua fortè de modo illo Beguini in Tyrocinio Chym. pag. 107. obscurè attacto; tincturas nempè, omnemque vini Catharticam spatio quadrantis horæ è medicamentis purgantibus absque ullo calore externo, alia ve re minerali eliciendi compendiosiori interpretaturus sim. Idque secundum Marpurgensium quorundam Studiosorum sententiam, per Oleum Tartari Mercuriale, per deliquium paratum &c. Neutiquam vero: Ea quippe Beguini ratio longe alia est, & longè diversæ ab illo indaginis. Menstruum, inquam, subtilissimum, simplicissimum, temperatissimum, ex simplici Aqua pluviali vel Majali rore in locum spiritus Vini, aliarumque aquarum, qua nec facilè nec purè, nec sine salis Armoniaci purgantis spoliatione ab extractis purgantibus separantur, surrogandum.

Prout

Prout ipsamet Beguini altera Tyrocinii longè melioris editio, à me in Gallia apud ipsum Authorem, tùm temporis mortali morbo confixum visa, brevi fortè declarabit.

Quid, inquiunt, quod ab instillatione olei Tartari mox contingat, extractum Medicamenti colorem foras adparere. Ad id ergò muneris perficiendum in extractione purgantium quod illo felicius reperietur? Verum à coloris mutatione, ad extractam jam facultatem, argumentum valdè arenosum est, & imbecille. Siquidem Magisteria colorum causas sæpè obstrusas habent, quæ non imperitis solùm imponunt, sed & sagaces valde ludunt.

Veluti quod Spiritus Vitrioli trajectione per chartam emporeticam rubicundior evadat. Quod Aquæ à Spiritu Vini scammoniato, vel Guajaci Sulphure vapido; ut & aceto sale Saturni impraegnato &c. injectis lactescant. Quod vel unica tantùm guttula olei Caryophyllorum alteriusve aromatis, in corrosivam illam Auri solutionem, antea citrinam, dimidio quadrantis horæ totam ferè mensuram rubicundam reddat. Sic lapis ille Lunaris de quo inferius, si cum Auro soluto injiciatur instar atramenti nigerrimus evadit: Taceo inexplicabilem tincturæ rationem esse, quod Aqua regia Auro satiata faciem rubedine sanguinea inficiat. Aqua fortis verò argenti plena nigredine. Quod Aqua in qua ebullierint gallæ perspicua, mista aliæ calcanthinæ ilicò nigerrima evadat.

At nihilominus inficias ire non possum, Menstrua non satis acuta ad purgantium viscera usque & brevi subeunda, olei Tartari guttis quibusdam, uti & sale fæcularum vini, spiritu mellis, aliarumq; rerum mineralium commodè exasperari posse. Et hanc eandem ob causam Angelus Sala quoque in defectu altioris illius menstrui loco que olei Tartari, merito Aquam suam Tartarisatam ad purgantium succos foras extrahendos adhibuit. Eaque talis est, opinor, quæ infra, ubi de Tartari præparatione, à Tartaro depurato inque Crystallos redacto purior remanebit superstes. Non inutilis præterea ad obstructiones stomachi, lienis & renum est, si ad cochl. aliquot cum jusculo quodam exhibeatur. Imò potest & illa esse, in qua Tartari depurati portio tantùm soluta seu liquata fuerit.

Aqua Cinamomi.

In Aqua Cinamomi destillanda multifarias Operariorum Chymicorum industrias videmus, quorum quidam hoc, quidam alio modo destillationem perficiunt, ut semper toties centenas opinionum vanitates, quoties semel veritatis usuram capiamus.

Multi Cinamomum cum vino generoso superfusum destillant, attamen inde lactescens & subjugalis aqua, parumque olei. Quoniam oleum virtute Spiritus Vini propria per totam aquæ molem adhuc dispersum est, ac disconinuatum. Quod inde patet, quia Spiritu Vini per digestionis diuturnitatem ab Aqua Cinamomi exhalante, oleum & copiosius & clarius redditur.

Hoc autem Angelus SALA in sua Aqua Cinamomi non curat, quinimo benè

benegnatus, quando vel Spiritus Vini excipiendus venit, vel aqua Cinamomi &c. Vel etiam artificii ipsius peculiari menstruo Oleum ab aqua separandi, &c. sequentem profitetur modum.

℞. Cinamomi opt. confracti q. v. superfunde Spirit. Vini p. ij. Aquæ pluvialis p. j. Stent aliquandiu, postea per vesicam destillentur.

Ex hac aqua præter simplices usus auxilio Tincturæ Santali croceati & facchari, adjecta aliqua Alkermes particula, Elixir paratur visu jucundissimum, usu excellentissimum.

Aqua Aesculapii.

Johannes Baptista Zapata in Med. mirabil. c. 13. Aquam Æsculapii miris modis deprædicat ad pestem, epilepsiam, aliosque capitis, ventriculi, jecoris, lienis & renum difficilimos affectus, & quod possit omnia, quæ Lac Virginis potest, cujus usum in Chirurgia eodem libro luculentius prosequitur.

Descriptio ibi habet: quod in vesicam intus stanno oblitam immittatur acetum, tertia parte vacua, & per Alembicum plumbeum aqua dulcis, aurei coloris, usq; ad corrosivam fæculentiam, quæ statim exhaurienda, ne vas lædat, destilletur.

Verùm inter SALÆ experimenta id nominis habet, quod sequitur:

℞. Aceti fortissimi q. v.

Destilla per campanam plumbeam, fietque dulcis liquor.

Dosis ab uncia ſ. ad ℥. ij. vel iij. Operatur per sputum & vomitum, multum phlegmatis evacuando, & in morbo caduco, ubi duobus vel tribus ante Novilunium diebus bibitur, spiritus effervescentes sedat, velut arcanum longè maximum, & quod nominatim Filiolo Symphonistæ Basileensis epileptico sanitatem reconciliavit.

Aqua Aluminis.

Aquæ Aluminis Rochæ supr. cap. 2. Tetnar. Bezoard. factam mentionem in tem præsentem perducimus sequentibus:

Præcipua autem ex Alumine chymicè paranda medicamenta, quatuor nobis data sunt:

Aqua, Magisterium, Saccharum & Sal fixum Aluminis.

AQVA talis est: ℞. Aluminis Rochæ pulverisati q. s. impone cucurbitæ, & lento igne, ne Spiritus acres, qui quidem ab aliis usibus penitus proscribendi non sunt, sequantur, per arenam destilla, & quæ egreditur aqua, phlegma, seu aqua Aluminis vocatur.

Usus ipsius ἐν τῷ γένει dirigitur ad siccandum, mundificandum, adstringendum & refrigerandum. Ideoque variè scopis inservit Chirurgicis ad vulnerum sanationes, eorumque symptomata.

Magni aliquibus æstimatur in omnis generis febribus, ubi quoque Spiritus ipsius interventu major videbitur ἐνέργεια.

Neque decipiuntur, credo, effectu: Quippe clarissimorum Authorum authoritate constat, Aluminis crudi drachmam semis cum Aqua Centaurii vel Tabaci in febribus intermittentibus præscribere licere, quum nimirum plus millies id felicissime

fime fucceſſerit, univerſali aliqua inprimis ex Antimonio peculiari induſtria ad id elaborata purgatione, præmiſſa. Sic Author noſter in decocto refrigerante contra ardorem magna cum fiducia exhibet. Et Fioravanta Capr. Medic. lib. 2. cap. 10. Aquam, Regiam dictam, cujus baſis & hæc Aqua Aluminis eſt, in dentium & Gingivæ putredine & nigritie, inque febribus ſcrupulari pondere ſæpe ſæpius probatam proponit.

Magiſterium Aluminis.

Paulo aliter ἐγχείρησις ſeſe habet, dum ad Magiſterium Aluminis admitimur.

Sumitur Aluminis puriſſimi & pellucidi pars quotacunque, in veſicam bubulam, ſuillamve apte componitur, & ſic in aquam fervidam immergitur, donec Alumen contentum liqueſcat, inq; liquorem penitus convertatur. Liquor filtro depuratus deſtillatur per alembicum, cucurbita brevi in cineribus poſita, ad ſiccitatem usque materiæ ſeu remanentiam Capitis mortui. Quod ipſum denuo prædicto modo in liquorem ſolvitur, deſtillaturque: Idque eousque repetendo, donec tota Aluminis ſubſtantia, ſaltem rejectis inquinamentis, alembicum tranſcenderit.

Stypticum hoc μηδὲ ἀδίαστον, μηδὲ ἄνδρξον eſt; imò Iſchæmon haud rejectitium, quod vix Eſſentia Ferri, Boli, Acatiarum, Sperniola, aut quicquid hac in claſſe præclari nominis eſt, ne Jaſpide quidem ipſa, inferius. Quibus etiam partim hac arte unitum Specificum Stypticum, vel non à Theophraſti illo, (de quo libr. de Specificis,) aliud, vel parum diſſimile redditurum, haud levi conjectura nitor.

Aqua Aluminis Fixi.

Si non tam ordinem ab initio nobis præſtitum, quam rem ipſam jam ſub manibus habitam reſpiceremus, de Sacharo Aluminis pauca hic præfari, non uſq; adeò ἐκτὸς δρόμου foret. At verò ſatis ſuperque de his Paracelſus, Libavius & alii. Ideoque progredimur jam ad Medicinas non minus nobiles ex fixi Aluminis ſale præparandas. Prima arcanum inprimis eſt contra Iſchiam; Altera contra ariduras, & membrorum diminutiones.

Aqua contra Iſchiam arcana.

℞. Aluminis Rochæ, ſolve ad ignem ut phlegma & ſpiritus exhalent, (utrumque urgentiori phlegmatis ſuperioris deſtillatione obtineri poteſt.) Terram, quæ in fundo reſidet, aqua communi ſolve, & filtro trajectam evapora. Reliquum Sal Aluminis fixum collige. Hujus

℞ Uncias octo, ſalis fuſi ſubtiliter triti lib. j. Miſce: inque tigillo luto firmiter clauſo, pone ad ignem Reverberii intenſiſſimum duodecim horas. Materiam porrò exemptam ſeparationis cauſa in aquæ fontanæ menſuris quatuor infunde. Pars, non ſoluta quæ reſidet, fiat pulvis; quæ verò ſoluta in aquam abiit, aquam filtrando conſtituit contra Iſchiam arcanam. Modus ea utendi eſt: ut ea ipſa locus dolens

lens totus calidè illiniatur & fricetur primò, postea præcedentem pulverem misce cum oleo Laurino, quo idem locus semel in die ad vigesimum usque diem ungatur. Insuper

℞. Prædictæ Aquæ p. j.
Verbenæ.
Centaurii ana part. iij.
Coque in Aqua communi q. s. ad insessum, eoq; utere decrescente potissimum Luna, quater vel quinquies singula vice horam unam vel alteram.

Tempore Balnei verò hanc potionem ordinariam habeas:

℞. Rad. Caryophyll. unc. j.
Calami Aromat. drachm. ij.
Flor. Summitat. Centaurii unc. j. ß.
Veronicæ unc. j.
Absynthii drach. vj.
Cinamomi drach. ij.
Infunde in Vini libris circiter octodecim, & servetur pro potu.

Aqua Arcana contra Ariduram.

℞. Pulveris Aluminis ab infusione Aquæ, ut supra, residui q. v.

In cucurbita superfunde spiritus Vini rectificati ad supereminentiam duorum digitorum, stent aliquamdiu, donec ad prædictum morbum, cujuscunque generis ille sit, opus habeas. Est enim, cum utilibus unguentis mixta, sive illa ex oleo Laurino sive Axungia humana, &c. composita sint, & postmodum membro arido, bis terve affricta, nullo ad nodos Lunæ habito respectu, longè præstantissima. Unctione enim hoc modo facta, membrum absque dolore tamen, in tumorem attoli incipiet, & fotu ab exuviis vulpinis, felinis, caninis, &c. continuò sequente, brevi penitus restaurabitur.

Aqua Lumbricorum per se.

Hujus Dn. Sala supra in Ternario Bezoard cap. 18. ad Unguentem Antiparalyticum mentionem facit. Ideoque & illa hujus loci est. Non propter conficiendi difficultatem; sed quia occasio simul erit, arcanorum, quas habet, virtutum monumenta memoriæ suspendere. Estque talis:

℞. Lumbricos terrestres rubeos, qui in agrorum versionibus potissimum visuntur in suff qv.

Purga bis terve, prout nosti, per muscum arboreum. Quidam Brassicam rubeam aliquandiu devorandam præbent. Postea ciba cum vitello ovi ad duritiem cocti, donec quod brevi fieri solet, lutei evadant. Tandem vitro angusti orificii inditos, & massa panis jam pistandi involutos in clibano cum pane simul pista, donec panis eximendus veniat. Invenies eos in Aquam conversos elegantem. Fæces subsidentes separa. Aquam verò ad plures affectus haud contemnendam serva.

Dicata inprimis est nervis & articulis roborandis, eorumque vulneribus mulcendis glutinandisque. Hinc etiam membris paralyticis & aridis inunctione confert, præsertim ubi magis penetrantium, velut Unguenti Bezoardici nostri, vel Aquæ Magnanimitatis consortio adjuvetur. Nobilissimus tamen usus ipsius est in Hydrope, adeoque merito Specificum Hydropicum prædicatur, cujus nimirum exhi-

exhibitio, ad cochl. ſ. cum Syrupo Cinamomi, ſæpius repetita, raro infructuoſa exiſtit.

Similis lumbricorum terreſtrium uſus eſt, quando ab aliquibus in Aquam deſtillantur, eaque mane & veſperi ad cochl. ij. aſſumitur; vel quando decoctum ex iis concinnatur cum Cereviſia, cui denique calamus aromaticus in debita quantitate incoquitur, ſinguloque m. & v. plurium ſeptimanarum ſpatio aſſumitur. De quo vide ἰατρεῖον Clauſeri. Si quis tædium capiat ex vulgari vermes hoſce foſſionibus inſectandi modo, is capturam eorum capeſſat ita: In aqua ſimplici Vitriolum ſolvat, quantum absque igne poterit; hac aqua Terram ſuperfundat, qua in ipſos cuniculos ſuos agere putabitur; ſic abundantia eorum longè major cum nonnulla videntium admiratione ſuppeditabitur.

Liquor Oculorum Cancri.

Hujus ſupra cap. 26. Ternarii Bezoard. Thraumatica mentionem fecit Author. Ideoque nos ἐξηγούμενοι ἴκαστα, quod de oculorum Cancri verè Medica præparatione nobis conſtat, ſpongiæ incumbere haud voluimus.

Lex κατ' αὐτὸ vero de liquore tantum hoc in loco libertatem cōcedit, quem variè docent Magiſtri. Quidam antequam eſſentiam extrahunt, lapides Cancrorum calcinant in Reverberio.

Hi autem quia cruſtacea non egent calcinatione, ſuperfluè laborant, cum ſola lævigatio ad eandem intentionem ſufficiat. Quidam menſtruo variant, & jam Spiritu Vitrioli utuntur; jam Spiritu ſalis ex quorum miſtione tamen nauſeabundu præimendus ſapor; jam Tartari oleo pe deliquium facto, de quo tamen experien tia me fecit dubitare, jam aceto non de ſtillato ut Author noſter, jam deſtillato jam vini, jam Hydromelitis vinoſi, jam ſuccis acidis & aliis. Omnes autem in hoc conveniunt, ut acribus ſolutionem tentent. Nec ſua cuique ſine cauſa, ſtat, arbitror, ſententia; prout ſcilicet vel ad hunc magis reſpexerint morbum, vel ad hanc Naturam, quibus utrinque Medicum intentum oculum habeat, oportet. Sequitur ergò & ratione & experientia comprobatiſſimus

Liquor Oculorum Cancri Nephriticus.

℞. Oculorum Cancri tenuiſſimè pulveriſat. unc. j. ſ.
Aceti deſtillati oleo Tartari alcooliſati unc. ij.

Miſce, inque B. vel ejus vicario, ſeptimanam unam vel alteram digere. Decapulatum liquorem ſpatio viginti dierum in matracio lento igne coagula, indeque tere in pulverem tenuiſſimum. Denique Spiritu Vini dilatetur ad Eſſentiæ Tincturæve modum, qui vel liberaliori doſi ad uſum ſervetur; vel eousque in B. abſtrahatur, donec liquor maneat auſteriuſculi caloris. Vel denique ultimo cum optimo Spiritu Vini digeratur, abſtrahaturq; fortiter in Cineribus, donec fixum fiat volatile, id quod addita Salis Urinæ volatili aliqua parte, factu ſine dubio facilius. Ubi enim Alcool vini fermentatū eſt, cum virtute

tute lapidum sæpius antea solutorum & coagulatorũ; vim resolvendi calculum hominis adipiscitur non vulgarem; Quemadmodum Alcool vini fortificatum cum Tartaro, Auro & Corallis; Aqua cum sale calcis vivæ, Antimonio rubedinem, tincturamve certò extrahere possunt.

Et ad eundem modum pulverem luti seu calculi humani, & lapidum cyprinorum in liquorem redigere licet, quorum guttæ perpaucæ in aquis appropriatis exhibitæ, calculum renum & vesicæ efficacissimè solvunt & expellunt.

Dosis prædicti liquoris est à gutt. paucis ad cochl. s. in Aquis Petroselini, Ononidis, Genistæ, &c.

In Lithiasi, Nephritide, Hydrope, Ischuria, Dysuria, obstructione mensium, &c.

Dn. Sala quamvis rudius paratum cum Diasoli, præsertim ubi ad inflammationem prohibendam venæ sectio præmissa fuerit, in casibus & contusionibus internis utilissimè exhibet. Alioquin ad eadem valet cum Aqua Cerefolii.

Aquæ Ophthalmicæ.

Aquæ Ophthalmicæ Vitriolatæ ab Authore Hemetologiæ cap. de Sale Vitrioli occasio sunt, quod & nos hoc in loco & de argumento ipsius, & de Aquis ipsis pauca.

Argumenti causa notandum Misochymicorum gratia, Dioscoridem lib. 5. c. 74. Vitriolum tam crudum ut exulceret, & erodat, ex aqua potum venenosis fungis opponere, & latos alvi lumbricos eo ipso enecare. Oribasium adfirmare, quod per superiora purget, sudoremque moveat. Alexium Pedemontanum eodem fauces angina pressas colluere. Gesnerum vix Medici persona dignum judicare eum; qui oleo Vitrioli carere se posse existimet. Horatium Augenium Vitrioli oleum ad febrem pestilentialem sanandam esse Medicinam, quæ non habeat parem. Capivaccium cum Gal. cap. 2. lib. 4. τοπ. in ungue oculi ascendendum suadere ad Collyrium ex Atramento sutorio, imò haud absonum esse, confugere ad oleum ex Calcantho cum lacte correctum.

Et denique quod in Medicinam viribus æstimandis Medici, teste Galeno, propriis finibus excedere minimè debeant, id est, velut alibi dilucidius explicat; omnia rationum nimis physicarum præcipitia fugere, & medicamenta non qualia in sua Natura & per se, sive metallica sint, sive alia; verùm quid in nobis & ubi efficere possint, exquirere. Atque si hujus meminerimus, certissimam omnium & junctis saltem paucis quibusdam epilogismis, sufficientissimam esse judicatricem experientiam, quam qui derelinquunt, atque aliunde ratiocinantur, (quandoquidè & secundum Hippocratem: πεῖρα χειρῶν κάλλιστον διδασκαλεῖον,) non solum falsa pro veris ducere, sed & omnem tractationis utilitatem destruere; &c. De Aquis Ophthalmicis Vitriolatis plurimi plurima, veluti Gal. 1. 2. & 3. de facult. facilè parab. & Quercetan. Riverius, Platerus Heurnius, &c. passim.

Inprimis Crollius duo Specifica Ophthalmica ad omnes oculorum affectus valdè prædicat, quorum alterum, quia obscurè descriptum: Alterum verò omnium affectuum ocularium indicationes

tiones minimè explet, sed partim materia duntaxat est remedii requisiti, non indicari, propter aquas & alia oculis specifica proprietate dicata: partim ex Avicenna, & cap. 2. lib. 4. x. τον. Lippitudini, hypopyo, sugillationi & strabismo, quod pace tanti viri dixerim, parum conveniens; meritò sequuntur Ophthalmicum Crollii explicatum, & quæ alia oculis valdè dicata, non sine prece & pretio, ad manus mihi pervenerunt.

Ophthalmicum Crollii explicatum.

Mirum illud stupendumque Crollii Ophthalmicum è Cancris & Chelidonia debito artificio & tempore præparandum, quomodo non tam surdis promissis ad credulum illaqueandum, quam reipsa ægrotum ab infirmitatibus redimendum usurpari debeat, facem haud obscure lucentem Clariss. Dn. Petræus Nosol. Harmon. dissertat. 21. ob oculos nobis exhibuit. Affirmat enim fieri illud ex Chelidoniæ & Cancrorum succis depuratis & conjunctis, & ex B. destillatis. Ad hoc ideoque prolixius percipiendum,

℞. Succi Flor. & Fol. Chelidoniæ major. verno tempore collectæ, in B. M. ad sufficientem depurationem usque digesti.
Succi Cancrorum fluviatilium ritè expressi ana.

Misce, inque Balneo destilla ad usum.

Eodem tempore pulverem confice tenuissimum, è Cancro in clibano exsiccato, & incerniculo succretum, ut tactum effugiat, serva.

Usus est ad oculos desperatè læsos, eorumque vulnera eodem modo, quo pulvis & Aqua prior Crollii ad nebulas.

Aqua Ophthalmica Hartmanni.

℞. Vini albi opt.
Aqu. Rosar. odoratiss. ana drachm. ij. iij.
Sacchari Candi albiss.
Vitrioli albi purificati ana scrup. iiij.

Misce, postea ex hac aqua tamdiu cote Zinziberis digitum tere, donec in Aquam absumatur.

Colaturæ per chartam emporeticam institutæ, adde spiritus Vini, quo in Camphoræ drachmam unam solveris, cochlearia duo. Sic demum promenda usui, in multis oculorum affectibus, velut suffusione, Ophthalmia, Epiphora, Rhæade & ubicunque adstringentium, reprimentium, detergentium & attenuantium indicatio est.

Cæterum, quod è Vitriolo Veneris per vaporem urinæ pueri ἀφθόρου arte extracto, in Anglia Clariss. Dn. Daniel Mollerus Londinensis practicus mutuo mihi communicabat, Unguentum sine cera & oleo unctuosum, sine colore, cœlestino colore coloratum, in Ophthalmia & suffusione seminis sinapi magnitudine, in oculum indendo efficacissimum, & Galeni etiam Authoritate lib. 1. 2. 3. de facile parabilibus comprobatum, etiamsi cum prædictis propè affine, quia tamen classi liquorum parum convenit, in alium locum haud immeritò rejicimus.

Aqua Magnanimitatis.

Superioribus propter assertionem in Ternario Laudanorum allatam, quod Opium Turcis animum masculum & fortem reddat; non apponere hoc sequens non potui, præsertim quia ab aliis studio pressum, non gregatim turmatimve, sed viritim duntaxat, & singulis data acceptaque fide proponitur.

Aquam Magnanimitatis nuncupo, non propter martialem aut heroicum, sed propter medicum duntaxat usum, quo & ægro & Medico desperatis animus sæpe redit. Qui autem animo eo ipso inexpugnabilem armaturam ad quævis pericula conciliari scribunt, similimos præconibus habeo, qui notas & bonitatem fugitivi mancipii, licet ipsi non viderint unquam, præconio tamen publicant. Notas enim ab aliis, qui norunt, accipiunt, & ceu cantilenam proferunt, ut si forte is, quem præconio indicant prope adsisteret, agnoscere tamen non possent.

Bibi enim & ipse aliquoties illam aquam, & aliis bibendam propinavi, benè quidem habuimus inde, ut opinionem de ejus confortante natura medica præconceptam non dereliquerimus; animo autem utrinque neque audaciori, neque ad mala perferẽda obfirmatiori facto, Achilleum seu Martialem ipsius usum planè nullum percepimus.

Nec me movent historiæ de inusitato illo Maximiliani primi Imperatoris Rupicapras insectandi, aut quicquid alterius suscipiendi studio & ardore, cujus memoriam, crucifixi Servatoris imaginem, prope Cyrillum pagum, trium duntaxat horarum itinere ab Oeniponte in sublimi rupis pariete ipsemet ex Italia redux vidi. Peccatur enim vel Elenchi ignoratione, vel Elencho non causæ ut causæ. Non enim historia narrat, Imperatorem aquam illam in usu habuisse; & quamvis habuerit, ut Alexander Magnus forte caseum, quis non indubitatò affirmet, omnes illius res gestas, vel innatam, vel longo usu comparatam animi præstantiam fecisse, non misellam hanc aquulam. Nec enim leve est in iis, quæ sensui apparent, & in propinquo posita sunt, discernere, quod ex se est, & quod ex accidenti pervenit; nedum in iis, quæ interna, & animum hominis & rerum occultas proprietates concernunt.

De signatura his bestiis divinitus ad id impressa, parum attexere Adsertoribus hujus placet; quia omen est, nullam eam subesse. Fors illa placet, quod Formica animal sit ad nocturna, & extra patriam gregatim, & cum periculo sæpè expedienda negotia valde audax & arduum? Quid autem, quod Gal. 11. de simpl. fac. adversus metum utiliter edi cerebrum leporis velit? Præstat ideoque à talibus conjecturis recedere, utpote quæ judicium ad sensum haud referunt, neque ex propè positis aut vicinis, sed è longinquo, & longis lemmatis rationem colligunt.

Denique si aqua illa tam præstans animi confortativum foret, ut vix una aut altera hora, uti scribunt, antequam periculum adoriantur, utentes tali Metamorphosi afficeret, neque juxta medium potius cum aliis confortantium materiis

con-

consisteret, non certè tanta de facultate ipsius, num tanta & talis sit, controversia incidisset; sed uti de Cicutæ, Mandragoræ, ignis & piperis viribus nemo ambigit, ita quod aqua magnanimitatis è natura timidioribus Heroes faceret, uno ore omnes faterentur.

Apollinei ergò non Achillei usus causa hoc in loco præparare, & pingui satis Minerva docebimus.

℞. Formicarum acidularum olla intus melle imbuta, vel patina ex orichalco cum bacillis, (de quibus in cumulum formicarũ impositis tanquam senes de ponte præcipites dentur, in spiritum vini,) collectarum. suff. q.

Superfunde adhuc spiritus vini genialis illius Roris à Vulcano lustrati, tantum, quantum opus est ad supereminentiam. Digere vase clauso donec digestione & putrefactione consummata in liquorem abierint. Quod ut fiat, Magnæ Matris filio, id est, Balneo Mariæ exponito, aut Saturno cuipiam calido, id est, fimo devorandas deponito. Deinde destilla per idem Balneum, & liquori sic à Vulcano iterum perlustrato, tantum, quantum satis esse videbitur immittito arboris infæcundæ, quam è Zeilam & Mutir Moluchorum advehunt, condimenti amœnioris ergò, & in vase vitreo diligenter clauso ad usum custodi.

Per arborem infæcundam intelligo cinamomum; in Zeilam enim nascitur cinamomum, & in Mutir una ex Moluchis, nullum gerit fructum. Item in duas species Cannellam partiuntur, Zeilamitam, & Mutiream, Scal. exerc. 144. Sect. 1.

Usus est, si species Anacardinæ ad faciendam axtractionem eddantur, & dos 4. vel 6. guttarum in aqua lavendulæ, ve quotidiè, vel sæpius in hebdomade exhibeatur, Extractum liquidum ad memoriam insigniter juvandam:

Mirabiliter etiam atrophiam pellere perhibetur, si cum pane tosto ter quaterve in septimana exhibeatur, & interea toti corpori vel partibus exsuccis inungatur. Promovere item conceptum & Lepræ curam, & liquoris antequam destilletur colchlear j. contra calculum prodesse.

SECTIO III.

DE OLEIS.

Olea Aromatum & Seminum odoratorum, veluti Caryophyllorum, nucis Muschatæ: baccarum Lauri, cardamomi, cubebarum, piperis, granorum Paradisi, Seminum Anisi, Fæniculi & similium.

℞. Aromatum vel seminum exsiccatorum q. s. ad implendam vesicæ medietatem. Contusa macerentur per aliquot dies in aqua fontana, vel vino pro cujusque natura modoque substantiæ, in loco tepido, ut liquor infusus quinque vel sex digitis materiam excedat. Destilla, ut moris est, per vesicam cum refrigeratorio, igne non interrupto, horas circiter sex pro materiæ multitudine; & non solum aquam, sed & oleum prolicies,

Seminum grosso modo contusorum, singulis libris in vase ligneo, addere expedit, Tartari & Salis ana unc. j. & macerari cum Aqua fervente per aliquot dies agitata materia, & si opus est, aqua denuo superfusa, Destillabitur ita, dum vix duas partes aquæ prius affusæ receperis. Aqua & Oleum, quantum optaveris, & ubi aliquamdiu steterint, rectè separabuntur.

Oleum Cinamomi.

℞. Cinamomi opt. lib j. (Hartm. ex Cassia lignea præstantius sibi promittit oleum:) contunde minutim, nihil interest, dum discontinuetur quodammodo sequentibus, extemplo intermiscendo, idque per quatuor vices, Olei Amygdalar. dulc. lothones quatuor, & parum vini Rhenani, ut scilicet humectetur aliquantisper. Stent per noctem & diem, donec humiditas penè evanescat. Ultima tamen vice humidior massa fiat, & digeratur vitro clauso ad Solem.

Postea per lutatam cucurbitam in arena gradatim destilletur, & oleum cum aqua accipies, tam copiosum, quam vix alia enchiria.

Oleum Cinamomi aliud.

℞. Cinamomi in plenilunio, (eo enim tempore singula Aromata astraliorum sunt virtutum,) q. v. modicè contunde, affundendo Aquæ pluvialis vel roralis destillatæ, vel alterius cujusdam stillatitiæ contra morbum calidum frigidæ, contra frigidum calidæ, ad supereminentiam materiæ. In putrefactione fimi, vel B. vaporosi per mensem detineantur. Postea per vesicam destillentur. Peracta destillatione, refrixaque materia secundum artem, vel beneficio instrumenti, vel olei vaporosi, quod & D. Tanckium fecisse constat, oleum separetur.

Aquam adhuc semel relictæ materiæ affusam destilla, idque toties, donec nihil amplius ascendat olei. Quod ipsum ut felicius succedat, alembicum habeas aliqua in parte tubulatũ, ad eum finem, ut aquam ab initio ab oleo transeunte, separatam mox restitanti materiæ reaffundere liceat. Antequam item materiam in putrefactionem immittas,

℞. Fermenti part. iij. Fæcum Vini, salis Tartari ana p. j. f. globuli exsiccandi, & magnitudine nucis juglandis pulverisati adjiciantur.

Oleo Cinamomi utimur ad Diamoschum hoc dulce conficiendum.

℞. Olei Cinamomi drach. j. Ambræ griseæ, Moschi ana scrup. j. Sacchari Candi albi q. s. Terendo misce. Valdè confortat, & pro odorifero inservit.

Oleum Baccarum Lauri.

℞. Baccarum Lauri lib. ij. contusis superfunde Aquæ tepidæ lib. iij. vel iiij. Postquam aliquandiu steterint, destilla per Alembicum, & Aqua simul cum oleo prodibit, quæ per tritorium à se invicem, separanda. Guttæ ij. in vino assumptæ, ut & odor duntaxat, quod perhibetur, alvum relaxant, & ventositates expellunt. Membra syderata illitu restituit.

Auribus ad gutt. j. inditum dolores compescit, & auditum confortat.

Delet

Delet impetiginem, lentiginem, & quascunque faciei maculas cum Aqua Rosarum.

Denique ichorosis capitis ulceribus medetur, & phthiriasin, tineas &c. pellit. Prout hæc & plura in Adsignationibus Neandri prolixius recensentur, ut & hoc: quod cum Mercurio subactum linteoque exceptum, & cinguli instar ventri nudo circum impositum, contra tineas alvi & lumbricos valeat.

Oleum Rosarum stillatitium.

℞. Rosarum fragrantiss. libr. decem.
Sacchari Candi definitam quantitatem.

Misce in mortario contusa; postea cucurbitæ spatiosæ indantur, fortiter inculcando, & superinfusa Aqua Rosarum stent benè loricata ad Solem tres ad minimum septimanas. Dein arte destillentur per Alembicum, & aqua & oleum fertur suppeditari odoratissimum, quamvis in magna quantitate largaq; manu illud non sit expectandum. E ligno Rhodio quorundam opinione oleum artificiose extrahitur, quod procul dubio vel huic æquale, vel satis æmulum.

Usus ipsius præclarus est ad roborandum præsertim in Balsamis de quibus in part. 2.

Oleum Succini albi.

Crollius & alii multi Succinum crasse tusum & elotum per cucurbitam, affusa Rosarum Aqua per arenam destillant, & oleum inde destillatum per eandem Rosarum aquam rectificant. Cujus quidem animi & ego olim ebullitionis metuendæ causa. Verum quia Oleum ægrè eo usque in Capitellum assurgit, sed vel nimis æstuando jacturam vasorum facile infert, vel empyreuma & adustionem contrahit; Ideoque jam quotiescunque illud parandum in me suscipio, hoc pacto omne negotium absolvo. Accipio Succini albi modice tusi lib.j. atque alteram.

Fragmentorum silicum pro libitu.

Mixta per Retortam luto munitam ex arena igne debito in amplum Recipiens destillo, ubi rubeo-nigrum subsequitur oleum, prægressa cum Recipiente priore removeo. (Illud enim vix ad internos usus reservandum.) Quod quia justo turbulentius, adhuc aceto Vini commixtum super Caput mortuum itidem, ut antea, ex arena rectifico, ubi quod primo loco destillat, aquæ fontanæ instar oleum est limpidissimum; quod subsequitur subflavo calore præditum, paulo minoris conditionis. Quod restat pro rejectitio habeo. Sal volatile quod eadem opera nanciscor, cineribus Onyscorum & saccharo Candi in justa proportione olei Balsami universalis paucis duntaxat guttulis interveniente conjunctum, mirabile mihi præsidium in Calculo & Hydrope.

Oleum Ebulinum.

Lac Ebulinum inter Bezoardica supra præscribitur, ad aquas cutem abeuntes exhauriendas. Nec immeritò. Quippe & Fernelii suffragio drachma acinorum una tusa, ex mulso aut vino albo

aquas hydropicorum facilè deducit; & Dioscorides testatur: τὴν ῥίζαν ὑδρωπικοῖς ὠφελεῖν. Quinimo Quercetanus Extractum granorum Specificum prædicat contra Hydropem & cachexiam. Quod verò ventriculo aliquantum grave est, aqua cinamomi, quæ admiscetur, cavere haud disconvenit. Sed & oleum exiisdem acinis paratum usum in Medicina jure meritò obtinet:

℞. Granorum Ebuli libr. j. Macerentur in cineribus per noctem in aqua vitæ q. s. vase clauso, quoad à sensim absorpta aqua vitæ grana in tumorem accreverint. Postea fortiter exprime, & dabitur oleum valdè efficax, non solum contra Hydropem, sed & icterum, morbum Gallicum, febres, epilepsiam, interna Apostemata, venena, imo etiam pestem. Siquidem dosi cochlearis dimidii camarinam ventris expurgat feliciffimè. In febribus datur cum jusculo, & ut haustus vini superbibatur. Aliasetiam cum præbio aquæ vitæ.

Hic si verum Dioscorideum illud: δύναμις δὲ ἡ αὐτὴ ἀμφοτέραις, (ebulo & sambuco,) καὶ χρῆσις, idem omnino expectandum est à granis sambuci.

Eorundem tamen oleum elicitur facilius, si grana exficcata prius contundantur, & inter tundendum vino præhumectentur, usque dum unctuositas in apricum veniat. Tum ad ignem calefiant ad evaporationem humiditatis. Postea prælo subigantur, & oleum exudat copiose, insolatione aliquandiu purificandum.

Oleum Ligni Guajaci & Sassafras.

℞. Ligni Guajaci raspati q. v.

Imple Retortam loricatam, & colloca in fornacem anemiam, adaptato Recipiente, luto itidem obducto, substerne ignem carbonum primo lentum, & per gradus auctiorem, ut aquosior pars destillet. Spiritibus succedentibus urge paulo fortius, ne tamen spirituum turbulenter prodeuntium copia Recipiens disrumpatur, perge in eodem ignis gradu, donec spiritus cessent quodammodo.

Urge ignem magis ac magis, & ultimo fortissimè, ad incandescentiam Retortæ, donec oleum subfuscum penitus transeat. Id quod penè spacio 24. horarum perficitur. Refrixis omnibus totum destillatum per vitream cucurbitam in arena gradatim destillando rectifica, & phlegma, spiritus & oleum simul transibunt, magna impuritate retro relicta. Oleum per tritorium separa ab aqua & spiritu, & serva. Poteris iterum atque iterum per arenam rectificare, & instar sanguinis rubescet.

Nota tamen, lignum illud, quo majorem nucleum habet, eo oleosiorem obtinere naturam. Quo minorem, eo spiritualiorem.

Spiritus & phlegma simul mixta adhuc separentur in arena per cucurbitam lentissimo igne, ad phlegma eliciendum, donec aciditas spiritus surgat, spiritum in B. M. abstrahe, erit acidus & boni saporis. Dicitur spiritus Guajaci correctus.

Ex capite mortuo ad albedinem calcinato, sal communi more confice, & singula reserva.

Eodem

Eodem modo attamen superfuso vino optimo, & digestis per octiduum, per retortam seu cucurbitam in catino cinerario per arenam, destillatur primo vinum seorsim capiendũ, postea spiritus & oleum è ligno Sassafras, non tamen ad omnem materiæ siccitatem, ne empyreuma contrahatur nimis fœtidum.

Utriusque usus insignis est, ad omnes morbos Diaphoresi opus habentes, inprimis, ad morbum Gallicum, Hydropem, Catarrhos, &c.

Dosis olei utriusque guttæ iij. v. iiij, in aqua quadam appropriata vel vino.

Possunt etiam guttæ decem vel plures sacchari lib ß. admisceri, ut fiant Rotulæ, de quibus quotidiè unam atque alteram assumere ad morbos paulatim consumendos, multùm prodest.

Spiritus Guajaci à ℥.ſ. ad ℥.j. vel per se, vel cum æquali quantitate spiritus tartari in spiritu vini, aqua theriacali, seu carduibenedicti propinatur.

Oleum Camphoræ.

℞. Camphoræ ℥.ij.

Terræ argillaceæ purificat. M. j.

Concisa prius Camphora misceantur, tamdiu malaxando, contundendoque invicem, donec nihil de Camphora in oculos incurrat. Globulos inde formatos ad Solem vel fornacem exsicca. Inde in cucurbitam cum lato alembico, & adaptato recipiente destilla in modum aquæ fortis, & primo albicans quædam materia ascendit nivis instar aliquando, mox aqua perspicua. Exinde igne fortiori oleum fragrantissimum, f. separatio.

Bina vice rectificatum per spiritum vini instar Auri pulcrum evadit. Drachmam unam aut alteram tamen facilè perdis.

Usus hujus olei ubivis obvius. Affusum super Talcum, haud vulgariter tamen pulverisatum, ad macerandum per biduum in B. albescit, virginibusque ad nitorem faciei egregiè inservit.

Huic simile oleum etiam absque igne actuali præparari potest, cujus cum aliis quibusdam aromaticis debita arte mixti beneficio Calcis Auri solutio, magno, ut Crollius arbitratur, ægrotantium juvamine in usum medicum perficitur de quo tamen alibi. Attamen sui parum conscius ille, (uti sæpè alias,) paulò inferius in Bas. Chymica, ubi de Auro Cardiaco ex professo agit, deliramentis adnumerat, & vanitatis ipsissima Experientia deprehensæ adstringit. Judica.

Oleum Vitrioli rubrum.

℞. Vitrioli ad rubedinem calcinati lib. iij.

Tere, pone in Retortam terream, lutò bene obductam, clausis undique juncturis, adaptatoque magno Recipiente in fornace ad regendum ignem rectissimè constructo destilla primo die, lento, altero, fortiori igne, & guttatim cadere incipiet, permanentibus simul phlegmate & spiritibus. Denique ad tertium vel quartum usque diem ignem subtus superque Retortam augendo, donec & oleum & spiritus non amplius permeant. Sine refrixari sensim, & exime, & oleum Vitrioli, ad hoc antea mutato recipiente, habebis

ad

ad Medicinam etiam non contemnendum.

Quemadmodum enim fimus & stercora, vegetabilia quidem nidore suo interficiunt, eaque corruptioni tradunt; semina verò omnium crescentium terræ, & campos reddunt feraces. Et quemadmodum Aqua vitæ vinum semicorruptum quasi libra una ejus immixta redintegrat: Ita certè Oleum hoc Vitrioli, teste etiam Bovio, intra corpus assumtum, non venena, & quascunque impuritates solùm felicissimè solvit, sed & centuplando & millecuplando virtutes Aquæ, Vini aut cujuscunque demum medicamenti, immane quantum crescere facit. De quo vide Bovium, qui idem Oleum hoc à scrup. ſ. ad scrup. j. in Aquæ Restæ Bovis unciis duabus tribusve pro potu exhibitum, contra calculum maximopere deprædicat. Nobis in hæmoptoysi utiliter inservit.

Ad externos potissimùm usus quia idoneum, in sequenti Unguento, (Unguentum vitæ dicitur,) ad gangrænosas partes linteolis applicamus.

℞. Mellis virginei ℥. iiij. Extracti Flor. Hypericonis cum Aqua vitæ facti. Liquoris Myrrhæ itidem cum Aqua vitæ extracti, ana ℥. j. Olei Vitrioli opt. ℥. ſ. vel drachm. vj. Misce & facta scarificatione applicetur. Usurpari etiam aliquando posset, in Ungue oculi & Encanthide pro medicamento catarctico.

Oleum Vitrioli Smaragdinum valdè elegans & utile.


℞. Vitrioli opt. crudi lib. iij, vel quatuor. Inde in cucurbitam terrenam bene loricatam, & interventu craticulæ seu laminæ foraminulentæ in medio quodammodo concavæ, in fornacem ad destillandum hoc modo colloca:

Fabricetur furnus cum camera in imò, in quam sine impedimento possit intrare Receptaculum. Huic incumbat pavimentum in medio tanto pervium foramine, ut transmitti possit, (canali tubæ inversæ mediante,) collum ipsius cucurbitæ.

Jam demittatur collum cucurbitæ, sique explet tubam, satis est, sin minus, luto impleantur inanitates, ne carbones postea accensi intercidant. Infra pavimentum Recipiens capacissimum lapidi mobili impositum transeunti cucurbitæ inversæ committatur, juncturis benè munitis. Inde omnibus ritè peractis ignem accende circularem, per gradus satis fortem, & ut carbonibus parcatur, tegulis vel lateribus supernè ad fovendum ignem, cum pluribus ad summum & ad latera infumibulis constructis, antitypum quasi redditum, ut fiat transudatio, quæ ipsa duabus tribusve diebus perfici solet. Delapsum liquorem filtra, & rectifica per arenam, & habes oleum Vitrioli Smaragdinum haud fucatum; cujus virtutum præstantissimarum, & natura Vitrioli &c. ipse prudens eris dispensator. Hoc enim illud Oleum Vitrioli est, de quo Paracelsus in Manuali primo: Quod Vitriolum per descensum destillatum Oleum reddat viridissimum, Lac Mercurii appellatum, quodque debeat habere magnum ignem & assimiletur Balsamo.

Sequi-

Sequitur Structura Fornacis.



A. *Camera in imo.*
B. *Pavimentum in medio pervium.*
C. *Pars tubæ inversa.*
D. *Collum ipsius Cucurbitæ.*
E. *Focus.*
F. *Recipiens capacissimum.*
G. *Cucurbita inversa.*
H. *Ostiola ad immittendos Carbones.*

Specificum purgans Paracelsi.

Hujus Author noster in Ternario Vomitoriorum de Vitrioli efficacia mentionem fecit. De eodem Paracelsus de Specificis affirmat, quod in omnibus cujuscunque humoris putrefactionibus, & superfluis corporis fecibus, undecunque proveniant, non aliter purgantis munus obeat, quam aqua in abluendis pannis li neis, & sapones in iisdem à cujuscunqu sordis nocumento clarificandis. Compo sitionem etiam tradit, quod ex Magiste rio Tartari & Vitrioli in unum commi scendis, & postea æqualibus EssentiæCro ci partibus addendis, inque pelicano pe mensem digerendis fieri debeat.

Attamen hæc talia, quæ de maximè duntaxat necessariis, & non nisi apud eruditos, ut ipsemet fatetur, intelligentiam relinquunt.

Propterea accurata ejus præparatio ad sequentem modum se habet:

Primò præsto sit Spiritus Tartari ita elaboratus:

℞. Crystallorum Tartari, ut supra præparat. ℔. ij. Affunde Spiritus Vini rectificati Mensuram j. digere aliquandiu in loco calido. Postea destilla in lento cinerum calore, donec incipiant cadere guttæ flavæ & oleosæ; tunc cessandum. Egressum liquorem serva, & caput mortuum eo usque in igne permitte, donec Tartarus mediocriter, ad nigredinem scilicet, fuerit calcinatus. Per cohobia reaffuso spiritu prædicto putrefactis simul iisdem per aliquot dies in Balneo, destillatio primò fiat in arena; mox per Retortam loricatam in igne Reverberii. Estque Tartari Spiritus ad propositum requisitus.

Secundò, Oleum Vitrioli in promptu habeas, multoties cohobando super caput mortuum destillatum, & sale ipsius proprii menstrui beneficio extracto perque digestionem imprægnatum.

Tertio: ℞. Olei hujus Vitrioli & olei Tartari ut suprà, ana partes æquales. Stent per mensem in putrefactione, &

separetur phlegma. Postea destilla, ut oleum Vitrioli, ultimo igne forti, tunc salia una cum spiritibus egrediantur.

Egressa salia cum spiritibus in B. M. cohoba, donec sponte sua repercussi in fundo apparere incipiant. Ac tum spiritibus in B. abstractis specificum purgans in fundo instar pulticulæ remanet.

Hoc cum spiritu vini croceato per aliquot septimanas digestum, in omnibus morbis purgatione opus habentibus pauca dosi præstantissimum est. Inprimis in morbis Tartareis, contracturis, Tartaro Hypochondriorum, Quartana & pluribus aliis, de quo Paracelsus 7. de specif. & Crollius Bas. Chym. pag. 148. Ad majorem præparationis hujus evidentiam, consule Conrad. Khunradi Medull. destil. de Balsamo Tartari.

Oleum cordiale valde odoriferum.

℞. Cinnamomi ℥ viij.
Santali albi.
Nucis Muschatæ.
Caryphyllorum ana ℥ j.
Cortic. Citri. minutim incisar. ℥ iiij.
Moschi gr. x.
Aquæ Rosarum ℔ iiij.
Vini Malvatici ℔ j.

Infundantur per aliquot dies. Deinde destillentur per vesicam.

Oleum ab aqua per tritorium separetur & ad usum custodiatur. Est enim guttatim exhibitum specificum cordiale præstantissimum; & si sacchari admixtione in pulverem vertas, Diaromaticum essentiale jucundissimum. Hujus beneficio multoties apud Anglos & Hollandos, quibus nimirum vina saccharata in frequenti usu sunt, minima portiuncula cyathum vini integrum, aliquando nemine advertente, in continenti adeò aromaticum, & velut peregrinum feci, quam vix longo tempore Pharmacopæi cum Claretis suis præstarent. De alio quodam simili consule Heurn. Meth.

Idem eodem compendio, arbitror, efficies, per species Diaromatici essentialis, ipsius SALÆ in Ternario Bezoard. descripti. Hujus siquidem causa hoc in loco de oleo hoc Cordiali.

Oleum sulphuris Campanatum.

Ego quidem communi via ad hoc oleum colligendum utor, & nunquam non voti compos mei.

Sunt tamen, qui hanc sequentem meliori nota, (quamvis ut mihi videtur, ad flores colligendos commodior sit, quam ad oleum,) commendant.

℞. Retortam in medio ventris latere perforatam, aut postica parte tubulatam. Hanc in furnum firmiter colloca, adaptato magno Receptaculo, aquæ communis destillatæ mensura adimpleto.

Injice frustulatim de Sulphure paulatinis vicibus, & vel substrato igne deflagrare facito, vel quod compendiosius, sulphur ferreo candenteque baculo accende, clauso semper post singulam injectionem foramine. Completo hoc opere, aquam oleo & spiritibus sulphureis plenam in B. M. abstrahe, ad aciditatem usque, quam serva.

Addo: cum fumi facilè quidem super ma-

materiam ad summitatem bociæ eleventur, sed interim non libenter transeant: Itaq; cum folle postica parte immittendo, suffiandum est interdum, donec fumi sulphuris in vas Recipiens propellantur.

Utilissima hæc sulphuris aciditas est ad vermes, dissolutum stomachum, pestem, asthma, febres & pleuritidam. Dosis est ad scrupulum s. cum vino aliisve liquoribus. Exterius variè prodest, & in procidentia ani aliquando utilissimum se præstitit hoc modo:

℞. Oxymell. s. q. v. olei sulphuris hujus quantum ad tolerandam aciditatem sufficit. Cum spongia in eo madefacta intestinum tange, intraque corpus etiam per dies aliquot exhibe.

Hujus insuper Limaturæ Chalybis superinfusi opera, quiescendo colliguntur Crystalli, mediante aqua stillatitia solvendi & filtro depurãdi, qui in Asthmate cum syrupis pectoralibus, & in Hydrope à gr. j. ad sex summopere excellunt.

Oleum Sulphuris pestilentiale D. Fincelii.

℞. Sulphuris sublimati ℥ ij. Furfuris tritici ℥ ij. In cucurb. per arenam modeste destilla, donec cernas oleum. Postea clausis spiraculis æquali destillatione serva, ne vasa perfringantur, & dimidio die drachmas duas, vel tres olei sulphuris destillando comparabis. Majori enim in quantitate, sulphur hoc in loco imponere periculo non caret.

Arcanum hoc habent contra pestem, si decem guttas infectis ad sudandum in tempore exhibeatur.

Præparatio Arsenici.

Nullo non tempore fuerunt, qui Arsenicum æque crudum, quam præparatum Medicinarum salubrium censu dignati sunt. Ab ejus suffitu non abstinuit Avicenna, Alexander Trallianus, Ægineta, Aetius. Et hunc ipsum quoque Galenus tussientibus præscribit. Dioscorides ait, ex mulso dari tussientibus, vocem expedire melle delinctum, &c. Nihil dicam de junioribus Paracelsi sectatoribus, quorum qui variis modis illud salubre homini remedium parant, tanta fere copia est, quam æstate muscarum, dum calet maxime. Attamen vulgò tritum illud & hic retineatur: οὐδὲ πάντα, οὐδὲ πάντοτε, οὐδὲ περὶ πάντων. Et exempla Authorum sæpe doctrinæ magis sunt, quibus mens exerceatur, haud imitationis, quibus manus; magis consilii, quam præcepti. Ideoque SALA noster in Ternario Bezoard. cap. 17. haud injuria conqueritur, de Arsenicali illo caustico, cum Nitro calcinando duntaxat præparatio quoquo modo medicinalis est, neque è contra omnis nullius in Medicina usus.

Privatim enim hoc verissimum arbitror: Arsenico salium sive Nitri sive communis præsentia ad ferociam magis efferendam tam stimulum addi, quam vix illorum mixtione Mercurio sublimato, quod potu internecionem adferre lippis & tonsoribus notum est.

Cum enim Arsenicum prava in spiritibus potissimum hærente qualitate, & acrimonia salis sui lethiferum sit, velut similium additione, similia augentur, roborānturque; ita salis Nitri, quem nimirum ignem subtilissimum habere, usu

ısus ipſius fuſorius, ſolutorius & ſeparatorius in Docimaſtica & Aurifabrica ſatis oſtendunt, ſocietate ipſum, quantum malignitatis fixatione amittit, tantum ferocitatis à pungente ipſius acrimonia participare, adeoque ſeipſo crudelius & nocentius reddi; facile patet.

E contra Arſenicum quoque ſalubris Medicinæ materiam eſſe poſſe, ſi Artis Chymicæ induſtria tractetur, abunde idem SALA docet exemplo Magnetis Arſenicalis ſui, quem ſcio ab ingenio ſuo venenoſo tam receſſiſſe, ut non ſolum ſine ulla inflammatione aut corroſione dolorifica pro Cauterio inſerviat potentiali, ſed animalibus ſine noxa adhibeatur. Ad quod credendum, tanto magis cuilibet author ſum & hortator, quam Pariſiis non ſolum fama eſſet certiſſima, ſed & Tyrocinium ultimum & penitus manumiſſum, (nunquam, quod ſcio, patriam evolavit,) hoc in ſe habeat. Beguinum quoque repetitis duntaxat ſublimationibus, (in ultima tantundem ſulphuris miſcendo,) & Arſenicum ad ſex octove grana; & Auripigmentorum ad ſcrupulum ſemis aſſumenda Diaphoretica & pulmonica efficere absque ulla temeritate poſſe.

Hac utrinque, lata acceptaque ſententia, animo armatiores, hanc ipſam ſectionem, oleo Arſenici ad internos etiam uſus idoneo in collect. noſtris D. Fabricio adſcripto ditabimus.

Oleum Arſenici.

Inprimis πρὸ ἔργῳ hoc eſto:

℞. Vitrioli ℔ j. ad flavedinem ferè cocto adde Boli Armeni ℔ ſ.

Borracis ℥ j.

Ad calorem benè miſce, & intercedente, ſi placet, lævigatione ſuper Porphyrium calcina ad usque rubedinem, & ſerva.

Augmentatio fiet: ſi libris tribus Vitrioli Ungarici eodem, quo ſuprà, modo cocti ante præparatum lapidem immiſcendo, calcinatione itidem ad rubedinem perrexeris, & ſic conſequenter.

Jam ſequitur τὸ ἔργον.

℞. Arſenici cryſtallini ℔ j.

Affricetur ipſi præcedens calcinatum, & facile in aëre ſolvetur. Adde Vitriolum Ungaricum crudum, anatica proportione intermiſcendo partum Salis Nitri & fiat S.S.S. in tigillo, ut repleatur. Huic poſtea adaptentur quatuor vel quinque ollæ, ea parte, qua ſe mutuo capiunt, perforatæ.

Cæmetentur primo igne moderato, in progreſſu auctiori, ut per horam integram in liquatione permanendo penitus, ſine fumo tamen, incandeſcant, & Vitriolum cum ſale Nitri, omnemque Arſenici virulentiam abſumſerunt, in fundo. Arſenicum vero inſtar Lapidis Cryſtallini ſurſum collectum reperietur. Hoc demum per Retortam ſucceſſive pellito, & præterita humiditate aquea, Arſenicoque albo, & levi in collum retortæ protruſo, quod fixum ad Medicinale factum eſt, facie cryſtallina in fundo hærebit. Fruſtatim contuſum putrefiat, per menſem in fimo equino, poſtea ad modum aquæ fortis deſtilla in oleum ſanguineum. Rectifica per Balneum, & aureum colorem adeptum non formidandos uſus, tam intra, quam extra corpus præſtabit. Intra corpus enim

enim assumptum fœtidum sudorem proritat, & alvum leniter movet.

Dosis gutt. iij. in jusculo.

Oleum Balsami Peruviani seu Balsamæleon.

Balsamum Peruvianum non præparatum, & prout in Seplasiis prostat, DIASOLIN ingreditur. Miraris forte, ad Unguentum Bezoardicum, non nisi destillatum quod assumatur, & quomodo? Viscositas quasi gummosa ipsi inest, Balsamo quæ non solum mixtioni contumax, sed & aliorum viribus, ut ne cito penetrent, adversa. Ad hanc partim adimendam, partim attenuandam non falso dixerim destillationem suscipi. Idque non nisi per Retortam in Arena, & per se, sine ulla additione.

PARS SECUNDA,

DE MOLLIBUS.

SECTIO PRIMA,

De

Balsamis seu oleis compositis.

Balsama conficiendi varii modi sunt. Quæcunque vero cum sævo, Manna, vel cera parantur, partim præmature rancescunt, partim emplasticæ, & suasmet virtutes impedientis sunt naturæ. Vel ideoque singula industria præparanda sunt, vel loco istorum magma olei macis seu nucis Myristicæ expressi post extractionem album remanens substituendum. Apparatus talis est: Cape magmatis olei Myristicæ seu macis post extractionem infusione aceti, vel, si præsertim oleum antiquum fuerit, coctione cum aqua rosarum factam, residui. q. s.

Subige tincturam spiritu vini extractam & inspissatam. Mox adde oleum destillatum, quantum capere potest Balsamus. Denique Sal post incinerationem ministerio aquæ è suo capite mortuo prolectum, singula quidem ad calorem, non tamen dissipatorium.

Quidam ceram non infeliciter corrigi posse putant, si oleum de Been ad aliquot guttas ceræ virgineæ antea cum aqua Rosarum aliquoties coctæ in singulorum Balsamorum concinnatione addatur. Alias in superioris magmatis defectu ceræ aliquid Balsami Peruviani, vel etiam Unguenti Pomadæ Pedemontani adsumendo cum oleo & tinctura, verbi gratia, cinnamomi vel nucis muschatæ non rejiciendi confiunt Balsami. Interdum etiam consistentia ex mutua ingredientium mixtura absque alieni admixtione dependet: veluti, si misceas Moschi, Ambræ, Zibethi, ana cum oleo quocunque odorifero, velut rosarum, &c. Quercetanus pro medio seu corpore Mannam cœlestem optime depuratam sumebat, quam sunt, qui nimis superciliose explicant, cum tamen, si verum super hanc rem testimonium Dn. Matthæi Quercetani, illa ipsa Manna nihil aliud sit, quam ceræ albæ rasura, sæpius in aqua rosarum, ut nullam saporis alienam qualitatem referat, cocta, depurataque. Nec quicquam obstat, quod alii elegantiorem modum didicerint, qui beneficio Lorchæ omnis qualitatis alienæ expertis, tincturæque

que vitalis perficiatur, & facili postea negotio, quod singulare habeat, in tenuissimum pollinem ad multos annos durabilem redigatur. Nam & alii, quos scio, norunt Balsamicas compositiones, ex quibuslibet oleis facere, idque in momento, quod non minus singulare, absque ulla rei corpulentæ admixtione aliena, solius Microcosmici Echeneidis usu, absque ullo calore, virium perditione aut similibus.

Num vero jure dixerim: hoc illud nuper inventum Quercetani artificium esse olea in essentias reducendi, qui quamvis & ei, qui primus mihi obtulit, haud aliter venditatit?

Si quid insuper est, quo ipso Balsama Gratiis concilientur, color certe est pro ingredientium conditione cuivis analogus. Corpora ergo variis coloribus prædita in promptu semper habeantur: Viridia ex majoranæ, hederæ terrestris, vel petroselini succo, vel succo rutæ pro Balsamo rutæ. Miniata è corticibus radicis Anchusæ, vel extracto extremitatum forficum cancrorum, pro Balsamo Rosarum. Rubra ex Tinctorum Brasilio & santalo, &c.

Balsamus Cephalicus.

Hunc adjungere placuit, quia in Ternario Vomitivorum supra curat. 7. ejus facta mentio.

℞. Ceræ Virgineæ decenter præparatæ & radicib.
Anchusæ rite coloratæ unc. j.
Olei Amygdalar. dulc.
Nucis Muschatæ ana unc. ſ.

Misce ad calorem. Adde Olei Succini non rectificati gutt. xxj. Majoranæ, Thymi, Caryophyllor. Nucis Muschatæ stillatitii, ana, gutt. xv. Camphoræ, Moschi, Ambræ gryseæ, scrup. semis. Misce lenissimo igne.

Valde confert in Hemicrania, Vertigine, Cephalalgia à causa frigida, Apoplexia & Epilepsia, vertici, temporibus, & naribus singulo mane inunctum. Eodem modo semel in mense duabus post cænam horis usurpatum egregias vires præstat ad memoriam confortandam. Matricis etiam & ventris doloribus sedandis confert, si inungantur, venter & umbilicus & Naturalia mulierum. Vel eodem pessulus in linteo ipsis indatur, odore interim ex perdicum pennis succensis naribus adhibito. Servatur commodissime in pixide argentea inaurata.

Balsamus Sulphuris.

Spiritus Terebinthinæ sulphureatus, de quo Angelus Sala in Ternario Bezoard. cap. 25. nihil aliud infert, quam Balsamum sulphuris extractione primo cum spiritu Terebinthinæ, postmodum vini spiritu concinnatum.

Ejus ἐγχειρήματα, quibus conficitur, undique veluti in triviis obvia; quamvis translatio illa tincturæ de spiritu priori in posteriorem dictu facilior, quam factu: Præterea vix Chymicæ jucunditatis particeps erit, nisi vulgaribus illis præparationibus aliud quid, (velut in terra purus æther) subsit, quod affatim præstet, quæ vix parca manu descriptiones pollicentur.

Ideoque ad Balsamum hunc interioribus

ribus usibus adplicandum, (exterior Salæ applicatio minus accurata præparatione contenta facile est:) fœtor à Chymica solertia alienus, saxis, ut tollatur, ut & illud, ne quod cum liquidis exhibitum facere debet, non diffluat. Hæc enim in Balsamo & Rubino sulphuris, in quantum vulgariter proponuntur, parum Chymica sunt.

Balsamus sulphuris Rulandi verus, si in hoc vera schola Hartmanniana, non cum oleo terebinthinæ, sed vel oleo nucum vel papaveris expressitio præparatur hoc modo: ℞. Flor. sulphuris unc. j. Ol. papav. vel nucum lib. ſ. vini unc. ij. Macerentur per 8. dies igne leni, aliquoties movendo. Postea bulliant igne carbonum, usque dum vinum fuerit consumtum. Hinc trajice per laciniam & serva. Nolim tamen intra corpus præ illo assumere.

Balsamum Benzoinum fragrantissimum.

℞. Storacis Calamitæ select. unc. iv.
Gummi Elemi Amygdaloidis, sive Asæ dulcis unc. ij.

Tritis superfunde aquæ vitæ rectif. ad quatuor vel sex digitorum eminentiam. Macera in Balneo per aliquot dies, postea cola separando subtile à spisso. De colatura spiritum per balnearem destillationem abstrahe, usque dum residuum olei forma adpareat.

Usus internus est: quod Asthmaticis & catarrhosis guttæ quatuor vel tres cum syrupo de Betonica, vel jujubino, exhibeantur. Cum syrupo de Ceterach prodest obstructo lieni, urinasque promovet. Extra vulnera sanat, & defluxionibus resistit.

SECTIO SECUNDA, De TINCTURIS.

Tinctura croci.

℞. Croci optimi libram semis vel circiter, cum sidone in Alembicum collocetur, per quem destillandus spiritus vini est in Balneo, eo usque donec coloratus ille desinat fluere, & substantia Croci alba remaneat. Hunc spiritum denuo destilla ad Tincturam usque. Varios hæc usus agnoscit ad lætificandum spiritus & cor hominis &c. Hæc dum scribo, ipsius usus mihi ad Essentiam Camphoræ alexiteriam quæ sequitur.

Essentia Camphoræ alexiteria.

℞. Camphoræ. q. s. solve in oleo amygdalar. dulc. in digestione. Colaturam postea cum spiritu vini circulatam aliquãdiu, moxque ad separandam Essentiam denuo destillatam; cum Tinctura Croci ad aureum usque colorem misce. Guttatim intus & extus mirabilis est ad præcavendam & curandam pestem, item in suffocatione Matricis & febribus.

Tinctura florum solarium seu hypericonis.

℞. Summitates perforatæ pulverisatas. Macera octiduum in aqua vitæ rectificata, ut herba undique madefiat, vase

vase clauso, Expressionem instar sanguinis coloratam residere permitte. Hinc partem puriorem decanta in urinale vitreum, & in Balneo M. aquam vitæ abstrahe, & in fundo invenies Tincturam, Balsamum vere pretiosum.

Dosis gr. 6. 8. 10. ad scrupul. integrum in pluribus contumacibus affectibus, de quo vide Ternarium Bezoardicorum.

De Auro potabili.

Duplici de causa potissimum de Magisterio solutionis Auri, seu de Auro potabili hoc in loco: Cum quia Author Ternariorum Auri potabilis vel à seipso adhibiti, vel ab aliis suasu suo adhibendi mentionem facit; tum etiam, quia hactenus cum viris profunde doctis, quibus ejusmodi ardua studia curæ & cordi sunt, & velit, & possit rerũ concordia discors, quid sermones & res communicandi ea de re mihi non defuit occasio.

Aurum ergo potabile Dn. SALÆ quod attinet, aliud certe illud non est, quam Aurum mediante corrosivo, Aqua regia scilicet, in formam potabilem eliquatum, & postea spiritu Vini, (Aqua regia ex parte remota,) ad tutiorem usum dilatatum. Scio enim ipsum tenaciter defendere, absque corrosivo in formam Magisterii ad usum Medicinæ Aurum adduci non posse.

Quamvis aliud mihi videatur esse, Aurum potabile Theophrasti ad certos usus certo in loco destinatum, (posset enim hoc tale nomen sortiri propter Magisterium consistentiæ adparenter solummodo mutatæ, quamvis interim liquor solummodo Auri sit:) & aliud Aurum potabile verum philosophicum & Magistraliter solutum irreductile, & in quovis liquore solubile, absque omni peregrino; sed cum menstruo universali temperato, & permanente præparatum: Quale celeberrimus & Amicus meus honoratissimus Franciscus Londinensis, ad Raymundi Lullii mentem in Anglia mihi exhibuit, ejusque ad plures doses copiam mihi fecit. Aliud item esse puto, de corrosivo loqui, ut Auri solvente & permanente menstruo, quod sine ipse Paracelsus lib. de Tart. Aurum dissolvi posse concedit. Imo alibi: Aurum ita liquidum factum, ut reductile sit in pristinam naturam in intestinis adhærescere. Et aliud, de corrosivo, ut liquore vero menstruo prævio, aperiente nimirum & attenuante firmam illam Auri compagem, ut facilior postea veri menstrui ingressus. Quod ipsum ex rei natura depromptum esse, vel ex eo patet, quod veram veri Auri potabilis proximam materiam non vulgare illud Aurum agnoscant, ut in firmissima illa partium impurarum etiam compage consistit, aurũ fabrile seu monetarium; sed præparatum & attenuatum. Sive autem per ignem hoc fiat, sive per Aquam Chrysulcam, sive Sulphur, sive Mercurium, quid interest, dum singula iterum tergora vertere oporteat, & ut ipsiusmet Theophrasti d. l. verbis utar, mori & resolutione denuo per putrefactionem removeri necesse sit? Si enim tanta vis Auri est, ut corpus servet, & ab omni ægritudine liberum reddat, neque id corrumpi sinat; & si seipsum ab Igne Elementorum Tyranni, ut ne destruatur,

ſtruatur, ſervare poteſt; quanto magis ſeipſum, idque circa omnem infectionem à corroſivo? Inprimis cum præter putrefactionem illam Paracelſicam nonnihil inventum ſit hactenus, per aceti radicati ſive etiam Cryſtallorum Mercurialium ſocialem meteoriſationem, quo ipſo Aurum & reliqua metalla à ſalibus Nitri & Armoniaci tam pure vindicari poſſit, quam caro rite cocta ab igne eſt, quando jam menſæ pro paſtu apponitur.

Concludimus ideoque: Omnino & naturæ & artificum teſtimoniis convenire, propria cujusque authoritate, & negative quidem ab ea ratiocinando, fruſtra interpoſita: Aurum absque corroſivo in Magiſterium revera & conſtanter mutatæ eſſentiæ redigi poſſe.

Interim quamvis Aurum ex hypotheſi veri Magiſterii hoc modo & poſſit, & debeat ſolvi; abſolutæ tamen neceſſitatis non eſt, ſic, vel alio modo præparatum aurum adhiberi ad medendum.

Admonendus tamen Lector mihi eſt, de SALÆ ſententia abſolute hoc in loco nihil dictum; ſed in quantum, quæ de ſeptem planetis ſcripſit, ex ſua potius, quam Paracelſi opinione, prout prima fronte adparent, accipienda ſunt, de quo vero ſi dubium intereſt, dubio procul Chryſologia ipſius duodecim Medicinis nobiliſſimis velut juratis ſatellitibus ſtipata, brevi proditura diſertius commentabitur.

Aurum potabile cum corroſivo.

℞. Aquæ Regiæ ex aqua forti communi unc. xviij.
Salis armoniaci & ſalis Nitri cryſtallini ana unc. iij. mixtis ſimul deſtillatæ. q. ſ.
Auri puriſſimi in laminas ducti, & minutè conciſi quantum vis.

In Cucurbita ſolve ſuper lentum cinerum calorem, (pars quædam cuproſa indiſſoluta manet:) Digere aliquandiu in Balneo Roris. Poſtea guttatim affunde aquam Tartariſatam, vel oleum Tartari Mercuriale, donec ſpiritus corroſivi reluctatio per ebullitionem ceſſet, & auro fundum petente, aqua evadat limpidiſſima, & rubicunda. Quod ut melius fiat, aquam calentem affunde, ut paulum reſideat.

Liquorem per inclinationem vel deſtillationem ſepara, & reliquias multoties abluito, poſtea lentiſſimo igne, ne ſtrepitu diſſiliat, exſicca, & ſuper marmor ſpiritu vini Meliſſati rectificatiſſimi irrora, atque iterum lente exſicca, idque ſexies vel pluries repetendo. Ad unciam pulveris hujus adde Croci ſcrupulum unum, Ambræ griſeæ & Moſchi orientalis ana grana ſex, & ſerva pro Magiſterio Auri.

Doſis hujus à gr. iij. ad 8. ex vino vel alio liquore conveniente.

Quod ſi in formam liquoris exoptes, aquam illam à Tartari infuſione rubicundam in B. per cucurbitam deſtilla ad conſiſtentiam oleaginoſam usque, (ſatius foret ad extremam usque ſiccitatem.) Quam ſuperfuſo ſpiritu vini rectificato, additis guttulis quibusdam olei Caryophyllorum, in fimo equino per menſem digere, & poſtmodum ſubtile à ſpiſſo liberatum odore quodammodo fragrans, nec flavo colore, ut alias non radicales ſolutio-

 nes

nes per corrosiva fiunt, sed sanguinea rubedine tinctum pro Auro potabili cum corrosivo præparatum reserva.

Cum vino Malvatico vel alio liquore, vel etiam syrupis exhibitum multos affectus domare dicitur, præsertim ex obstructione ortos, ut sunt Melancholia, Hypochondriaca, icterus, febris alba Virginum &c. Dosis à gutt. 4. ad 10.

Expertus autem sum, (quia sub nomine Diaphoretici aurei meis usibus etiam aliquando inservit, jam frugibus inventis glandibus vesci nolo:) liquidam hanc extractionem temporis provectione in fundo ad instar variorum crescentium, arborum, & plantarum hypostasin constituere, & omnem liquorem, utut custodiatur, tandem penitus amittere. Quod ipsum aliunde fieri non arbitror, quam à siccis calidisque Armoniaci, Vitrioli, & Tartari salibus, quæ in copia adhuc, præsertim calcinatione forti non fugata, inhærent.

Aurum potabile Philosophicum.

Aurum hoc potabile quadruplici completur artificio: Primo Elementorum ad naturam igneam deductione.

II. Dissolutione in aqua debita.

III. Elevatione in aerem.

IV. In terrram compressione.

Primum fit calcinando reverberandoque.

Secundum vero ac philosophico menstruo solvendo.

Tertium per Alembicum destillando.

Quartum igne leni coagulando. Calcinatio debet fieri in calcem usque tenuissimam, & tum quia factum est naturæ igneæ, facile solvitur; solutum rite destillatur, iterumque in terram vel oleaginositatem coagulatur.

Calcinatio Solis.

℞. Sal Gemmæ, in igne carbonum fluat, sæpius agitando. Hoc impasta postea cum aqua pluviali destillata, & tum folia auri tere super marmor cum illo sale; semper adhuc parum ac parum irrorando aquam illam pluvialem destillatam, vel etiam cum sale, si velis, bene terendo, donec calcem videas mundissimam.

Quo facto pone in vitrum, ut resideat ad fundum. Effunde aqueam substantiam subtiliter, affundendo aliam, donec nihil salsedinis in aqua deprehendas. Tunc calcem solarem bis in furno Reverberii reverbera, ad diem integrum, ut bene subtilietur.

Subtilem hunc pulverem amalgama, cum quadruplo Mercurii pondere non tamen in igne uti solent, ne soluti vi Mercurii spiritus discedant; sed per putrefactionem, vel calorem lentissimum, per octiduum, eximendo tamen singulis 24. horis, terendoque bene super porphyrium, iterumque immittendo. Absoluto octiduo, prunis admoveatur, ut à salis calce Mercurius expiret, non tamen fundatur. Et tum iterum reverbera per diem, & satis habile redditum erit ad solutionem cum aqua vitæ nostra faciendam.

Et hoc debet fieri, quod Aurum tam fortiter naturali coctione compactum sit, ut nunquam non solutiones respuat, nisi prius per Mercurium, perque salia acuta perfodiatur, & per ignem calcinetur.

Aqua solvens philosophica.

Destilla spiritum vini ex vino rubello optimo, eumque rectifica subtilissime.

Postea etiam destilla omne phlegma cum oleitate quæ destillari potest, donec in fundo remaneat materia nigra instar picis.

Terram hanc ad Solem exsicca bene, & calcina in vitro lutato, apposito Alembico ad excipiendum oleum viscosum per 3. vel 4. horas, & terram invenies acutam & igneam. Hanc dealbabis cum aqua propria rectificata, immacerando eam, destillandoque, donec terra finaliter dealbetur, & partes aliquotæ aquæ in terram figantur. Quibus peractis pone in sublimatorium furnum, & sublimabitur alba & clara non nimis alte spondylibus vitri adhærens, quam collige, & illa sulphur illud vegetabile est, quod in aqua vitæ rectificata solve, iterumque coagula atque iterum solve. Hac eadem aqua poteris solvere calcem auri ad aurum potabile in oleum rubicundissimum, quod est verissimum aurum potabile.

Modus operandi.

℞. Calcem Solis factam ut supra, Superfusa aqua nostra philosophica digere ad cineres, quousque in rubeum colorem mutetur. Affunde aliam, idque toties, quoties aquam coloratam ita abstrahere licet. Tunc calx calcinetur denuo & extrahatur color, ut prius. Postmodum à collectis his Tincturis phlegma per Alembicum destilla, idque caute, ut pulvis Auri rubeus remaneat. Novam aquam philosophicam superfunde, & coagula in pulverem, ut supra; idque quinquies v[el] sexies, donec Sol de terra in cœlum subl[i]metur, & fixum fiat volatile. Quod ipsu[m] lento igne destillando ad oleaginositate[m] coaguletur.

Estque summa Medicina ad pleras[que] corporis ægritudines. Cæterum [si] præcedenti menstruo ad scopum pertin[gere] diffidis, quod sequitur ex Basilii Va[-]lentini Chirotechnicis desumtum, non nullas etiam habet rationes.

Menstruum Basilii ad Aurum po[-]tabile.

℞. Lixivii è cineribus sarmentitii[s] cum aqua calida facti q. s. coquendo i[n]spissetur, ut subrubra maneat materi[a]. Hanc reverbera, tres circiter horas, apert[o] igne continuè agitando, donec materia i[n]cineretur & albescat. Dein solve in aqu[a] fontana & resideant feces.

Purum destilla per filtrum, & coa[-]gula in cucurbita vitrea, & quod reman[et] sal Philosophorum appellatur. Exinc[e] spiritus ille, genuina Auri clavis conficit[ur] hoc modo:

℞. Spiritus vini rectificati q. s. supe[r]funde Sali Tartari philosophico ad super[e]minentiam trium digitorum in phiola lo[n]gissimi colli. Digere per tempus in len[to] calore, postmodum destilla, & si qu[id] boni mecum nactus, Deum lauda.

Aurum potabile Anglicanum.

Vera omnino est, & hinc om[ni] applausu digna sententia: Si aliqua m[a]jor, ulterior aut perfectior medicame[n]ti Prædestinatio est, propterea in[fe]rior

riores alias minime esse negandas. Iccirco fiducia unius Auri potabilis incaute faceremus, dum omnibus aliis nuncium remitteremus. Omnis siquidem in eo genere constituta Medicina est, ut magis & minus recipere, & (vel ad minimum propter præparationum varias circumstantius,) alias optimæ, alias mediæ, alias infimæ conditionis esse possit. Quamvis ergo firma stet sententia: Superioribus in quantum celebrata sunt, minime diffidendum esse; non tamen sequenti quoque omnem fidem propterea præscindimus. Publicum enim in Anglia & multis Germaniæ locis examen per oculatos testes, & multiplicem Doctorum & ægrotorum probationes, quod loco Auri cujusdam, (non summi philosophici quod dari, cum in unoquoque genere ad summum aliquod ascendere oporteat, omnino non dubito,) potabilis optimo jure usurpari possit, constanter sustinuit; de quo veri Auri potabilis Adsertio Francisci Antonii cap. 5. & ejusdem Apologia pro vero Auro potabili.

Descriptionem ab ipsa coram cum Authore concessa mihi collatione haud alienam hypomnemata nostra exhibent talem:

Corpus Auri solidum primo indiget præparatione longa, atque operatione continua, ut calcinatione, quod solidum erat, solutionique contumax, jam discontinuum evadat, & velut impalpabile, quoad tactum.

Deinde solvatur non cum rebus corrodentibus aut naturæ humanæ infestis: Abluitiones enim licet vigesies repetitæ venenatas horum impressiones non tollunt; sed menstruo temperato, Mercurio scilicet Philosophorum, de quo scriptum, quod ex Leonis corde sanguinem sugat; quod quamcunque impressionem recipiat, velut cera: in Spæra ignis, igneam, in Sphæra aëris, aëream, & sic in reliquis, quod tale est:

℞. Spiritus Orionii ex sale volatili ritè facti.

Sulphuris cœlestis simplicis ana.

Misce, inque frigidissimum locum paucas horas colloca, & albissimum in salem coagulabuntur, qui denuo lento B. vaporosi calore in phiola Hermetice clausa spatio 20. vel 30. dierum liquorosam substantiam recipit, propter singularem leptomeriam cum custodia asservandam. Denique ad summum puritatis gradum exaltetur, necesse est, tincturam à corpore per Alembicum elevando, ut vis δραςικὴ & potentissima in Tinctura inde clarior elucescat.

Praxis prædicti Auri potabilis.

℞. Boli Orizei, in tactu impalpabilem pulverem optime & s.a. redacti q.v.

Huic Spagyrico ritu in vase vitreo affundatur AQVÆ cælicæ prædictæ q.s. & protinus ebullire conspicies, & in altum ascendere in levissimo etiam calore. Cessante ebullitione, & juncturis peroptime clausis, ne quid expiret, in temperato calore per septimanas aliquot statuatur; ita sensim aureo colore perfundetur. Quod clarum est, evacuatur in ampullam aliam per inclinationem, & caute, ne turbentur fæces. Alia affunditur aqua priori similis, iteratis semper vicibus,

bus, usque dum ulterius non colaretur aqua. Omnes coloratas has aquas simul collectas per lentissimum B. calorem edistilla. Exit aqua clara, ut prius; Materia auri soluta subsidet in fundo mellis instar, rubicunda tamen & solubilis in quovis liquore.

Hoc ipso Author per integrum annum, & amplius, optimo cum successu in gravissimis morbis usus est, antequam in ventre venti portabilem ipsum facere potuit. Tandem verò exaltationem ipsius assequuturus est, dum coloratas illas aquas non in B. destillavit, ut supra, sed per cineres vel arenam, quæ fortiorem sustinent ignitionem, idque vel per Retortam, vel cucurbitam depressiorem. Sic enim post aliquoram menstrui partem, & Auri ipsius Essentia Tincturave sub colore rubicundissimo in Caput Alembici, jucundo spectaculo ascendit, & guttatim in Recipiens vas, (terra nigra velut mortua, spongiosa & levi, non rejicienda tamen in fundo relicta,) decidit.

Destillatum in hoc menstruum, & una cum Essentia Auri mixtum in cucurbita vitrea munda, cum suo Alembico, ac Recipiente colloca in B. & aqua destillabitur clarissima. In fundo Vitri manebit Tinctura, quam optas, alternis spiritus vini subtilissimi abstractionibus Balnearibus clarissima. Quod ipsum vera Auri medica præparatio est, & (taceo infinita Classicorum Medicorum testimonia,) propria experientia in febribus intermittentibus, hypercatharsi, & cordis Melancholicis affectibus, aliquoties comprobatum remedium.

Dosis ipsius à granulari pondere ad uncialem usque. Cum enim singul curationes roboratione, sedatione, mitigatione potissimum perficiat, hinc juvando neminem gravet, dosi ipsius, ut in aliis, accuratè dimetiri nim curiosum.

Luna potabilis.

In superioris materiæ evolution refert Lunam potabilem quoque attigisse, attamen id meritò perfunctorie fiet, & prout à filiis doctrinæ duntaxat capi pos sit, non quod non vera lucem fugiat cla ram, sed quia indirectò & secundariò so lummodo huc respiciat.

Ideoque si Lunam potabilem exo ptas, ℞. Animæ Lunæ è Luna ritè calci natę, & artificiose cum spiritu vini extracta & sublimatæ partes duas, Salis ejusden crystallini part. j.

Trita & mixta in marmore destillentur per arenam in Retorta vitrea lutata, ad substantiam cæruleam & oleiformem eliciendam.

Ejus dosis à gutt. ij ad iv. in convenienti vehiculo in omnibus capitis affectibus; præsertim in Phrenitide, Mania, Melancholia, Hypochondriaca, item in Apoplexia, Vertigine, Epilepsia, memoria deperdita, Paralysi & Catarrhis.

Elixir proprietatis.

Explicandum hic nobis est, quid Angelus Sala per Liquorem ex Myrrha, Croco, & Aloë ad cerebrum, stomachumque roborandum velit in Ternario Hemet. parte ultima. Mea equidem sen-

tentia nihil aliud, quam Elixir Proprietatis, lib. 8. paradox. tit. 9. à Paracelso obscurè descriptum. Descriptio ita se habet.

℞. Myrrhæ.
Aloepatici.
Croci ana quartam un.

Quæ simul in pellicanum ponantur, & in arena mensibus duobus ascendant lenissimè. Separa tandem per Alembicum Oleum à fecibus præter adustionem. Oleum hoc una cum circulato per mensem digeri permitte, pondere quidem æquali, post serva. In hac præparatione Paracelsus necessarium menstruum, quo sine fieri non potest, ut absque empyreumate concinnetur, ut alias multa, studiose præteriit. Idque ipsemet fatetur, quando dicit: Processum hic tantum adferimus, origine relicta. De origine ergo illa seu menstruo, uti alias vocant, ut in re obscura, semper variæ Authorum Opiniones; ita alius hac, alius aliorsum sua distrahiiur sententia. Neque etiam in origine solum definienda, sed & speciebus compositi numerandis & constituendis, & in tota præparationis serie.

Crollius in Basilica Chym. species anaticè mixtas, & spiritu vini alcoolisato prahumectatas, oleo sulphuris acido extrahit primum, postea spiritu vini, & feces ultimas lentè destillat. Destillatum superioribus tincturis addit, & completa digestionis opera Elixir componit.

Alii prædictas species aceto stillatitio primum per tempus circulant, postea destullant. Oleum ab aqua per tritorium separatum cum spiritu Vini rectificato aliquandiu in digestionem collocant & inde verum proprietatis Elixir sibi promittunt.

Neque sine ratione, cum omnia ferè gummata nisi aceto cocta in spiritum acidum potius, quam oleum destillando redigantur, ut videre est in Oleis Asæ dulcis, Styracis, Calamytæ, Laudani, Myrrhæ, &c. Nec Chirurgi gummata in Emplastra nisi illa in aceto prius macerata, coctaque, assumi utiliter censent. Alii compositum menstruum in medium adferunt ex oleo Terebinthinæ & Junipetino, nec non speciebus supra nominatis sulphur simul insinuant. Sunt etiam qui Theophrasti observantissimi spiritum Salis ad id muneris perficiendum unice laudant, eoque ipso ad Præceptoris sui mentem se propius accessisse arbitrantur. Ita quoque Salæ suo sensu abundare placet, qui, quamdiu in Belgia cum ipso viverem, nunquam non sequens hoc præ cæteris usu dignum existimabat.

℞. Aloes succotrinæ.
Myrrhæ Trogloditicæ ana ℥ ij.
Croci optimi Anglici ℥ j.
Olei Caryophyll. seu Nucis Muschatæ ʒ j.
Spiritus Terebinth. Venetæ per vesicam s. a. destillati absque empyreumate seu rancore, uncias viij.

Infundantur omnia in vitro benè clauso, & per mensem philosophicum sub fimo digerantur. Deinde separetur subtile à spisso per inclinationem, & servetur ad usum. Superfuso denuò prædicto menstruo

ſtruo tincturam extrahe, ac priori affunde. Reliquum deſtilla & quod prodiit, prioribus admiſce, &c.

Hactenus variæ Elixiris proprietatis enarrationes, quotquot ſcilicet hoc nomine ad manus unquam pervenerunt. De Crolliano illo, ut & de illis, quorum alterum per acetum, alterum per ſpiritum Salis conficitur, tutius arbitror eſſe, quod ſuſpendam ſententiam, quam quod certi aliquid definiam. Quippe de his quæ incerta prorſus ſunt, quomodo certas rationes adferes? Nam ſive ex Elixiris Natura ea de re diſputetur, ſive ex Theophraſti ſuggeſtione, nullibi profecto, neque confutationis, neque confirmationis immota fundamenta.

Stet ideoque ſententia: Parum referre, ſive oleum ſulphuris, ſive acetum, ſive ſpiritum Salis, illam à Paracelſo relictam originem ſtatuas, dummodo virtutum ex ingredientibus non numero auctis, neque contra Authoris mentem ſpecie commutatis, commodè & pro Elixiris hujus aſcripta proprietate & præſtantia eliciendarum & exaltandarum origo eſſe mereatur.

Nec enim abſurdum, aut in Chymia infrequens etiam, ad eandem Medicinam pluribus mediis & modis viam cum ſucceſſu attentare. Quod hoc in loco tantò magis locum habeat. Quoniam Elixir tale parum virium præparationis beneficio acquirit, quamvis origo ab externis ſit, velut, quam lignum aliquod in ignem projectum uritur; ſed quas habet vires, ingenitas habet, & à Natura, quo in ab omnibus aliis Theophraſti Elixiriis diſtinguitur. Tandem, ait ill de Elixiriis, ponendum Elixir aliud eſt (Elixir proprietatis,) quod ex propria ſuæ naturæ viribus ejusmodi conſervationibus dotatum eſt. De aliis autem in genere paulò ante dixerat: ſciendum Elixiria hæc ſuas operationes à natura non habere, nec à complexione, ſed myſteria fore magis, quam ſpecifica, quæ etiam virtutum ſuarum originem habent non ex Natura, ſed per compoſitionem & digeſtionem, velut aqua Vitrioli cum ſale ammoniaco deſtillata, muſci refert odorem, quorum tamen ſimilem per ſe neutrum habet; vel etiam: ut ſpiritus vini cum Sale Tartari & Vitrioli deſtillatus fragrantiſſimum pomorum odorem ſpirat, quo tamen nullum illorum per ſe alias præditum eſt.

Præterea hac in re ita comparatum eſt, ut, qui mentem ejus ſcire audet, cujus nullus Character foras datus, dicat quid velit, etiamſi poſt mediam noctem cænæ rationem inear, ut ſuis palleſcat probationibus, par periculum reprehenſionis cum aliis; imò ſi paulò inverecundius palmam quæſierit, ignominiam aliquando, & meritò, incurrat. Φιλοσοφίδια ergò paulò craſſiuſcula mihi, & quorum ſcripta inteſtina diſcordia laborãt, qui huic vel illi ob menſtrui duntaxat varietatem, quo tamen, teſtimoniis ab exactis experimentis ſupervenientibus idem perficitur, glorioſe inſultant, ac ſi ipſis ſolum datum ſit noſſe, quod ex rerum natura alias nemo poteſt.

Quod SALÆ modum attinet, meum illum non agnoſco, etiamſi in priori editione ceu de meo ex propria mente non

non nemini videar ſcripſiſſe. Aliud enim eſt, *μιμητικῶς* quædam ſcribere, aut ſyncriticè; aliud abſolutè & ut res in ſua natura commeruit. Compoſitio ergò illa SALÆ, quæcunque ſit, bona malave, laudanda vituperandave, (illam enim catacriſin acrior Ariſtarchus faciat,) equidem nec Paracelſi eſt, nec ad Paracelſi illam conformata.

Primo namque numerus ingredientium longè alius eſt, eſt & alia proportio illorum, & totius præparationis ſeries. Inſuper dicendum: menſtruum Paracelſi appropriatum & idoneum fuiſſe pro rebus utiliter extrahendis; ſpiritus Terebinthinæ autem è ſpeciebus, non aliter quam ſupra diſpoſitis, vix centeſimam perfectæ neceſſariæque extractionis partem perficiet, ſive per menſem digerantur, ſive per annum. Et hoc eſt, quod Libavius vir omnis cultioris literaturæ Protomyſta in Alchymia pharmaceutica cap. 4. ait: Aloen ſi præparare eſſentialiter cupias, non aſſumes oleum Terebinthinæ. Tantùm abeſt, ut per Alembicum ſimul à fecibus ſuis ſeparetur. Vis, ut per deſtillationem, ſpiritu Terebinthinæ ad ſiccitatem abſtracto, ſpecies torreantur prius? Tum enim affuſus ſpiritus Terebinthinæ denſam rubedinem extrahit. Verum quid virium remanebit, cum ex Paracelſi deſcriptione oleum à fecibus ſine aduſtione ſeparandum veniat? Quare non ſum, uti viſum aliquibus, qui penitus à Theophraſto diſcedendo, Salæ compoſitionem abſolutè omnibus aliis anteponam. Et hoc idem de altero illo per menſtruum compoſitum inſtituendo, (ſi enim in aliorum fallaciis judicandis ſupiniores ſimus, jam id committimus, ut illorum ſimplex error ſit culpa noſtra:) perpetuo ſtatuimus.

Uſum hujus Elixiris quod attinet celebratiſſimum, is recens natus non eſt, ſed ſi auxiliorum materiam ſpectes, à multis retro ſeculis repetendus.

Nam & Ægineta cap. 36. lib. 3. de morb. popular. potionem tradidit ex Aloë, Myrrha & Ammoniaco in vino odorato tritis, &c. Et pilulæ Ruffi, quas & communes appellant, quid aliud ſunt, quam hoc noſtrum Elixir impræparatum? Elixir verò hoc pilulæ Ruffi eſſenſificatæ? Loquor de pilulis Ruffi prout Arabes retulerunt Croco ſubſtituto pro Ammoniaco. Quamvis utraque compoſitio in peſte inſigniter præſtet. Sive hoc ſive illo modo compoſuerimus, Trincavella ait de compoſit. Med. lib. 1. cap. 12. mirum eſt (in peſtilentia) medicamentum, & à poſterioribus omnibus probatum, & multis clarum laudibus. Nunquam vidi, Rhaſes ait, aliquem devorantem hanc Medicinam, qui non liberaretur aut præſervaretur ab Epidemia; & nunquam inventa eſt Medicina ipſi compar. Fernelius affirmat, crebro uſu juvare concoctionem, nec cibum ſinere corrumpi, humores atque corpus à putredine vindicare, atque hac ratione adverſus luis peſtiferæ contagia mirificè prodeſſe. Unde quivis facilè colliget; cum hæc de crudis encomia tot Authoribus ex omni familia conſtent, quid & quantum tribuendum illis ſit, in ſubtilem & eſſentialem formam redactis. Nimirum ſingula hæc paucis effatur Theophraſtus: In eo, inquit, virtutes omnes Balſami

natu-

naturalis existunt, & virtus conservativa sensuum amplius, quam adsignare sit licitum; & vim & naturas ejus exprimere vix possibile.

Tinctura Rhabarbari.

Attento nonnihil studio difficiliora hac in sectione commemoravimus; remissiore nunc animo nec non vulgaria narrentur:

℞. Rhabarb.el. q. v. Cinnamomi acuti modicum. Concisa projice in aquam succi Cichorei vel Rosarum. Posito colore decanta, idque toties repete, quoties color expectandus. Tum ad dimidium circiter lento igne coagula. Addita s. q. sacchari in syrupum etiam coquitur, qui injectis insuper tabulis aliquot Rhabarbari præbio j. vel ij. assumto ad pestem & vermes, etiam infantibus confert.

Tinctura Corallorum.

De Tincturis classem constituere, non tacta materia Corallorum, vel eorundem Tinctura, propè esset Regnum ponere absque Rege, vel spreto margarito, vitrum admirari. Quanti enim Corallorum Tinctura, imò cruda etiam substantia, (alias præparationum formas Tinctura ipsa non minores lubens prætereo,) plerisque magis notum est, quam quod mea explicatione opus habeat. Scire ea qui satagit, legat Aushelmum Boetium de gemmis, Theophrastum, Querceranum & alios.

Verùm enim verò cum hoc in campo sese exercere, parum utilitatis habeat, si lumine Naturæ destituti, Generationis eorundem modum penitus omittamus; Agedum primò

De generatione Corallorum.

Sit ergò quæstio, An, quod Dioscorides lib. 5. cap. 93. & ex eo Medici & Physici catervatim referunt, Corallia intra maria mollia & planta sint, & tum demum, ὅταν ἐκ τοῦ βαθοῦς ἑλκυσθῇ, cum retibus extrahantur, indurentur. Dioscorides refert matrem Corallorum esse mare, & quidem τὸ βαθὺς ipsius. Hoc ita accipe: Mare non simplicem continere aquam, sed multifariis rerum tincturis & seminariis à prima usque creatione instructam, & variis imò contrariis substantiis & qualitatibus permistam. Quemadmodum ergò in terra & super terram, in aere & igne, natura nuspiam otiosa, & nec nimis nec minus quicquam faciens, variis rerum exortibus & generationibus gaudet; ita ipsa quoque, ex Archeo maris in ejus profundo, ubi scilicet sedimentum quoddam glutinis ipsius aquæ, vel potius eorundem principiorum substantialium separatur, ex illo ipso glutine ad proportionem materiæ, vel ideam propriam, (natura enim sua cuique idea est,) ministrante spiritu Salis, materiæ & loco appropriato, intercedente debito tempore, frutices corallorum producit & coagmentat; eo modo ut à singula sulphuris dispositione, vel rubedinem, vel nigredinem, vel albedinem; (corallum enim & album & nigrum, Antipathes dictum, reperitur,) à materiæ & loci qualitate, secundum quam quævis aliæ maris plantæ, cacuminatæ, nitroque turgentes, fruticis vel in aqua putrefacti, vel ad aëris demum tactum putrefieri incipientis, figuram assequantur.

Dixi in maris profundo; in eo nihil recedens à Dioſcoride. Cujus nempe hæc non minima cauſa, quod ejus loci propter abyſſum, internoſque receſſus intenſiſſimum frigus. Ut autem ex omnibus elementis entitas quædam frigida, & ex ea coagulationes: ita ex illa frigidiſſima maris entitate, qua nimirũ gluten prædictum, quod quidem ex maris digeſtione ſua natura ſedimentum inibi conſtituit, ſpiritu ſalis concentrato, magiſque cogitur ac coagmentatur, non minus etiam coralli generantur, cujus rei ſpecies quodammodo videre eſt in Aluminibus Entaliis, vitriolo, tam in natura, quam quum artificis manu tractantur, quamvis in corallis natura impenſe majores fecerit progreſſus. Hinc etiam Paracelſus lib. 2. param. Corallia frigidum coagulatum appellat.

Secundò accedit, quod agitationes & motus in maris profundo vel prorſus deſinant, vel multò languidiores ſint, quam in alto vel medio ejus corpore, qui etiam ſtatus concretioni plurimum ſalutaris. Motus enim affert rarefactionem, quia partes differt, inde aquam motam in glaciem cogi non videmus ſed quietam: ſic eſte Geſnero lib. 4. de ortu & cauſis ſubterraneis: quidam fontes, rivuli, & lacus es in lapides vertendi vim habent; ſuccus tamen is, (cujus cauſa illud perficitur,) dum cietur, & motu agitatur, non facilè compingitur, & coagmentatur; niſi admodum craſſus fuerit; ſed ſimul ac in foramina ligni aut alterius rei receptus ac diverſus quievit, frigore cogitur & concrescit, atque eas res ſimul mutat in lapides. Guttæ quoque fontis Gothici prope curſus impetum ſparſæ fuſæque ſuper terram, quia moveri & agitari deſinunt, ab ambiente aere denſantur atque lapideſcunt.

Non minus Vicinia terræ, quæ in quovis maris receſſu ejus fundamentum eſt, huic coagulationi plurimum miniſtrat. Per totam naturam enim ſimile ad ſimile colligitur; ita gluten illud terreſtre naturali motu ad terram inclinat, & ut humidi & frigidi beneficio congregatum eſt, ſegregatum calore, (ſive Solis illum, ſive proprium maris calorem intelligas, de quo Piccolominæus lib. Meteor. cap. 20. à quo ſcilicet ejuſque calidis haliribus æſtus maris:) ita ſicco, terreſtri temperatur, & juxta illud paradoxum, frigidum humidum cum ſicco frigido, (à quo tamen non calidum penitus excluditur,) omnium concreſcentium vinculum, ad coagmentationem aptius redditur. Inſuper caules & ramuli elixiores herbarum maritimarum adhæſioni materiæ coralliferæ occaſionem præbent, in quorum corpus etiam illa ut plurimum ſeſe induit, illoſque tandem penitus ſimul in corallos convertit. Cujus rei indicio eſt, quod quidam lithodendri hujus ramuli cavernoſi, nonnunquam etiam virgulis aut juncis intertexti. Denique per totam naturalium hiſtoriam liquido patet, maximas ſubinde elementorum & elementalium contingere mutationes & generationes, circa finitimas eorundem regiones.

Verùm in ſequentibus, quando Dioſcorides, cumque illo plures alii ſcribunt: Corallium maris plantam, intra aquas eſſe mollem, durarique dum profundo extrahitur, ὑπὸ τοῦ περιεχομένου ἡμῶν ἀέρος, à circumfuſo nobis aere, velut

can-

candens ferrum aqua mersum temperatur ac solidescit; id à natura & experientia est alienum. Ita enim cum corallorum generatione comparatum revera est, uti oculis videre est, non ut auribus aliquando percipitur. Jam non solùm visum mihi, sed & antea ab oculatis testibus auditum: Corallos revera duritie dotatos è mari extrahi, sive in fundo radicibus colligati duritiem habuerint, sive ab ipsis avulsi, interea scilicet, dum in aqua versus superficiem elati fuerint, eandem contraxerint. At verò rationi nullo modo consentaneum, easdem causas, cum iisdem circumstantiis, & quæcunque demum ad effectum concurrere possunt, nulla majoritatis aut impetuositatis ratione ullibi adparente, alicubi minutissimo temporis spatio, imò quasi ad ictum oculi, effectum reddere id, quod ne longissimo illo, ad aliquot annos sese extendente, alias ab iisdem perfici antea potuerit. Si enim mare tum causa, illud idem interea permanet, dum extrahuntur; si frigus, major ratio, quod duritiem nacti fuerint in fundo; si quid aliud, jam ante dictum, nihil facile compingi ac coagmentari, in motu quo cietur & agitatur, nisi admodum crassum extiterit, quod de corallis si affirmatur, ratio danda, quare ob illam crassitiem non in fundo, diutina illa naturæ sollertia potuerint indurari. Hoc enim experientia & natura comparatum est, ut omne agens, dum in termino est, dum firmum est, fortius & efficacius agat, quàm dum in transitu est, & motu.

Ais, multa dum matri adhærent mollia, vel lenta, veluti cornua, ossa, & ex succis lapidescentibus in terra, lapides illos osseos, quorum mehercle stupendum in Vicinia exemplum præbet caverna illa non procul ab Elbingeroda, Baumans-Hol incolis dicta; item ova gallinarum, quæ Libavius in emittendo molli membrana obducta refert, refrigerata verò ad aërem obrigescere; at à matre segregata duritiem adipisci. Primò dispar omninò ratio est, ejus, quod cito & veluti in instanti committitur, ab eo, quod non nisi sensim & sensim, mutata scilicet vel nutricationis, vel aëris, vel loci excipientis, vel denique alia atque alia rerum intervenientium, diuturna conditione; ob quas causas non minus me sciente contingit, herbas & arbores quoque varias non solum qualitatum & exterioris formæ, sed & speciei mutationes subire. De quo prolixè Lemnius 1. de occult. naturæ mirac. c. 17.

Reliqua de ossibus, cornubus & ovis partim falsa sunt: (Invenio enim cum Marsilio occisa gallina, intus antequam adhuc calor expirarit, ovum durum, imò à viva gallina illud naturaliter exclusum, dum corpus aliud durum, vel levissimè tangendo frangitur, nativam duritiem satis probat:) partim ἀπροσδιόνυσα & à scopo aliena. Cornua enim & ossa mollia aliquando, aliquando dura, sed à termino à quo ad terminum ad quem, à priori ad posterius nulla interest mutatio momentanea, neque antequam aërem passa, nec postquam aërem passa, quæ omnia si ad rem dicta fuissent, vera esse oporteret.

Accedit uberior ratio ad munimentum jam facti judicii; quod si enim in aëre duntaxat corallorum concretio, ab

aere & ejus siccitate procul dubio ejus concretionis causa. Jam quæ à sicco coagulantur, ab humido resolvuntur.

Corallia verò non ab humido, quatenus illud tale, sed ab igne & quæ ejus naturæ sunt, resolvuntur. Denuo etiam mollirentur ab aqua marina, vel ad minimum quocunque modo emollita in eo statu retinerentur, non secus ac in sale simplici, Nitro, luto & aliis videre est. Id quod Experientiæ evidenter contradicit. Liquescunt enim ab igne, & in aqua iterum acquirunt duritiem.

Denique non video, quomodo in consueta forma conspicerentur corallia, si mollia cum impetu ita evellerentur. Dato enim eo, quod instar plantarum extraherentur, danda etiam nihilominus essent necessaria extractionis accidentia, nimirum varia illa variorum flexuum, contorsionum ac convolutionum forma, cum tamen quod figuram spectat, nunquam non illa æqualiter in altum erecta exhibeantur?

Certum itaque est, ut quidem antiquam & vulgarem, ita tamen erroneam illam opinionem esse: quod intra mare molles sint coralli; quodque non nisi aere tacto tanquam Medusæ conspecto capite obrigescant. Quin potius ita se res habet: Cum coralli more plantarum sive per introsusceptionem sive superadditionem succi lapidescentis crescant aut grandescant; adeoque in principio vel medio incremento, succi ipsius ubertate nondum ultimam formam adepti reveriti sint, ubi verò finem & perfectionem nacti fuerint, is ipse succus cum tota corallorum substantia duritiem acquisierit, modo & ut plurimum coralli penitus solidi in & extra mare inveniuntur; modo verò sed rarò aliqua ex parte molliusculum quid intus medullæ ossium ferè analogum adhæret, (proxima scilicet eorum materia,) quod in & extra aquas vel per se paulò post in consistentiam abit, vel ubi super lapidem, lignum, ferrum aut simile quid ceciderit. Hæc de generatione corallorum ὥσπερ ἐν παρόδῳ: jam proprie ad Tincturam eorundem.

Verè & utiliter Theophrastus passim: Multum interesse non solùm rerum virtutes, sed & virturũ processus intelligere; quippe qui æquè ac illæ à natura ipsius sanitatis conservandæ & restituendæ ergo dati & concessi.

Quidni ergo remis velisque in id annitamur, ut corallorum à nemine non pleno ore hactenus deprædicatorum genuinam præparationem assequamur? Eandem cum ipso plerique tribuunt Tincturæ, quam, sensu Medico, verum ipsamet esse corallia, quod verò extra ipsam detur, pro rejectamento habendum; illam ipsam enim corpus quasi corallorum spirituale esse, quo in omnes eorum virtutes plene conspirent. Non aliter ac in Moscho demto odore nihil est præterquam cadaver; ita corallorum Tincturam esse totum formale ipsorum, quo habito, cætera fusq; deque habenda.

Qua arte verò & quomodo prædictam Tincturam comparemus, hic Delio natatore opus.

Quidam succo Limonum vel Berberum viam parant; sed eo ipso inscii in Magisterium, quamvis non extra præcla-

rum

rum in Medicina usum, non in Tincturam incidunt.

Quidam cum dimidia parte succini mixta corallia per retortam destillant; sed rubedo inde emanans obscura nimis, non corallorum est, sed succini. Erubescant ergo qui scribunt succinum esse Tincturæ Magnetem.

Alii cum Vitriolo destillant rubrum oleum sperantes, quam pro Tinctura essent accepturi. Verum utut corallia rubedine ita exuantur quæ etiam aliquando visa, ac si realiter in vas destillatorium, albis relictis corallis, fuisset translata; frustra tamen in eo etiam laborant, dum illa ipsa in excipulum nunquam porrigetur, & Tinctura si ulla ascendat, non tamen nisi destructo corpore detur, quod à vera Tinctura alienum, docente Paracelso de Caduc. paragr. 4.

Quæ beneficio pumicis extrahitur multorum animos hactenus detinuit, & scio illam ab amplissima quadam Schola approbatam, cui ipsemet quoque fidem propterea habui. Donec tandem rem ipsam αὐτοχείρως aggrediendo, expertus fuerim: quod prima vice circulari igne ad aliquot dies calcinata corallia rubedinem quidem amiserint; pumex vero ejus minus particeps factus sit. Altera vice repressiori igne ad aliquot horas tantum adhibito, primum, rubescere cœpisse pumicem, corallis interea fere nigricantibus, postmodum nihilo magis tincto pumice, corallia penitus albo colore fuisse suffusa. Qui utrobique labor propterea mere illusorius, quod ex una parte remissor rubedo in subjecto nimis quanto indigna extractione; ex altera parte mota suspicio, pumicem totius Astralis tincturæ venenon esse capacem, nec verum artificium quo fixus corallorum color ex potenti in apricum debite producatur, ad quod ipsum tamen principaliter eadem action respicitur.

Alias enim quanto corallia magis rubedinem exuerentur, tanto magis, (ad minimum,) ipsa in pumicem deponeretur, quod Experientiæ contrarium. Ne dicam ignem istum calcinatorium, naturale corallorum temperamentum frangere, proprietatesque Specificas & Tincturam vere Astralem deprædari. Siquidem à prædatoria hac ignis facultate ne Metalla quidem solidiora corallis tuta, id quod etiam probat magnes, qui calcinatus virtutem attractoriam omnino deperdit, nec succinum ustum vim trahendi paleas nec colorem retinebit, quod tamen cum conchis & cochleis corallis plurimum affine. Breviter, nisi error fuerit in dispositione materiæ, quod forte contra Libavii sententiam recentia adhibuerim, (cui tamen parum tribuo,) aut prædictus processus omnino seductorius est, aut gradus quidam calcinationis indeterminabilis fingendus.

Ultra quem citraque nequit consistere rectum.

Hoc ergo cum non omnibus daretur, & potius casu quam arte obtineri posset, plurimi etiam absque corrosivo, (quidni etiam absque igne, qui corrosivorum ipso actu potentissimum?) cum Turqueto Tincturam elicitam velint, laborandum sedulo, ut istiusmodi menstrua inveniantur, quæ sub mediocri acrimonia austeritate quadam prædita sint,

qua quidem partem aliquam corallorum solvendo aggrediantur, tenuissimam nempe, in qua Tinctura sive Essentia hæret, cumque ea Tincturam specificam apprehendant, figant, fixamque servata dispositione, (cum Angelo Sala enim hic facio, Tincturam Corallorum sinceram in seipsa subsistentem non dari:) de subjecto in subjectum traducant adeoque actualem Tincturam concilient, non vero quæ corrodant, aut corallis omnino nihil detrahant. Id quod in melle, in ligno quercino, denique in sorbo sylvestri abundantius reperi, quam forsitan alii in quovis alio. Sapienti satis. Hic enim lampada curreris trado.

Tinctura Smaragdi.

Corallorum Tinctura manum præbuit illi etiam, quæ ex Smaragdo à quibusdam magno cum præconio extrahitur. Ea ita passim describitur: ℞. Urinam puerorum vinipotarum recentem, destilla per alembicum in B. M. idque cohobando repete, & prodibit spiritus cum suo phlegmate mistus; hujus sufficientem quantitatem funde super Smaragdi pulverem, & cærulea Tinctura extrahetur. Iterum extrahe superfusa alia urina destillata, & demum abstracto per destillationem menstruo, reduc in pulverem griseum, quem de novo cum spiritu vini extrahe in summam viriditatem. Spiritu vini denique ablato ad æqualem consistentiam, relinquitur Essentia Smaragdi in fundo. Cujus dosis gutt. 6.7.8. Dysenteriæ & fluxibus alvi quibuscunque mirifice utilis, nec non cordis affectibus, palpitationi, Melancholiæ &c. Medicina præsentissima &c.

Si inventis addere facile, addam pauca: Ut merito punctum fert Aphorismus Salæ;

De lapidibus pretiosis non posse separari tincturam, liquorem, aut sal; sed ea tantum esse resolutiones Salium externorum; ita nec Smaragdi Tinctura, pura, simplex, & propria omnino æstimanda. Quinimo maxima ejus pars sali volatili urinæ accepta referenda. Id quod vel inde satis probatur, quod urina simpliciter destillata nullum colorem, etiamsi integrum annum cum ipsa relinquatur in digestione, eliciat; sed tum demum spatio unius diei id numeris absolvat, quando sale volatili suo exacerbata superinfundatur.

Quod item remota aqua urinæ, restitante tamen prædicto sale, cum pulvere extracto, spiritus vini officium suum in extrahendo Tincturam citissime obeat; illo ipso vero sale ablato seu adempto per edulcorationem, otiosus penitus subsistat. Quod insuper de colore viridi in grandiusculis partibus Smaragdo aut nihil aut parum decedat. Denique quod aliis lapidibus aut corporibus per se eodem colore minus præditis, urina vel Sal ammoniacum rite admixtum, eundem tamen colorem afferat. Exemplum sit aqua rosacea, in qua sal armoniacus solutus, cujus potissima ac potentissima pars, sal urinæ volatile est, ea affusa corallis rubris, quæ tamen nullum præterquam rubrum colorem obtinent, cæruleum impense extrahit. Is autem sub se complectitur viridem. Sic spiritus urinæ à phlegmate liberatus, purgatusque rite, ex argento pretiosum illum colorem cæruleum ultramarinum

dictum prolicit, cum tamen nemo non causam videat dubitandi, an Tinctura illa Lunæ genuina sit, an vero ab urina.

Uno verbo: Tinctura hæc Smaragdi, utut pleno ore decantata, vera & simplex, (atque adeo astrum sui cœli specificum & proprium,) non est, sed maximam partem è sale urinæ adventitia, quod ipsum sal mirificam colorum varietatem potentia continet, secundum quam ad variam subjectæ materiæ διάθεσιν modo hunc modo alium; frequentissime tamen viridem aut cæruleum colorem exhibet.

Ideoque magis Elixiris quam Tincturæ vel Essentiæ nomen meretur, quippe quod medicina è pluribus sit composita.

Porro cum duplex in Smaragdo insit Tinctura, velut etiam in Corallis, volatica seu spiritualis una, in tenuissimis & vix perceptibilibus particulis hærens, facile quidem trahentibus morem gerens, sed sub incerta & in constanti forma, non enim in constanti corpore subsistit: Altera fixa, quæ per totum corpus radicitus diffusa, nec eo usque exaltata. Hæc ipsa trahens menstruum non sequitur nisi particulatim & subjective, id est, quatenus & quousque compages corporis simul solvitur, adeo ut ejus nihil quicquam secedat, nisi & aliquid corporis dissolutum fuerit. Id quod non solum diminutio ponderis ipsius Smaragdi peracto opere, sed & sedimentum abstracto urinæ spiritu, corporale commonstrat.

Ne ideoque hic laterem lavare videais, menstruum Salæ urinæ prægnantissimum adhiberi necesse est, (quamvis hoc per seipsum determinatis corporibus unitum aut conjunctum talem colorem pot sit oculis offundere.) At sic communi ill more & modo præparatum, urinoso & sulphureo fætore tam fragrabit, ac vix ur na in matulis putrefacta, quo eodem fætore etiam Tincturam sine dubio inficeret res Chymico Medico prorsus indigna.

Ideoque non solum urinam oporrebi destillare ut aqua, sed eo modo, ut & sal volatili, eoque ab omni fætore correcte inde potiaris. Alias enim non cassa nuce emerem tanti pretii Tincturam. Quod ut recte fiat,

℞. Urinam œnoporæ pueri. Destilla per alembicum in ferventi B. denuo cohobando super fæces proprias destillas, & prodibit ultimo sal volatile urinæ instar nivis seu pruinæ in alembicum, quod collige. Super hoc sal funde spiritum vini correctum, & eundem ab eodem leni calore evoca, qui si semper recens adjectus & per destillationem ablatus fuerit, demum omnem ejus aufert fætorem, eidem vice versa gratum odorem conciliando. Hoc phlegmati vel etiam aquæ rosarum commistum, pro menstruo adhibeatur.

Quod si etiam sal commune cum ipso sale urinæ sublimetur, omnis terrestreitas, à qua alias etiam sylvestris color, cum ipso fætore tolleretur. Nec dubito Sal Ammoniacum depuratum bene, eandem operam præstare posse.

SECTIO TERTIA, De EXTRACTIS.

Antequam calamum hortemur ad Extracta, de menstruis illis inservien-

vientibus pauca, & vel perfunctorie tantum.

Hæc ergo menstruorum undique conditio est, unde scilicet, quæ in quoquo casu conveniant, existimemus: Quod unumquodque debeat esse solvens, nec sine necessitate corrodens; extrahens, non essentiam vitians; corrigens, nihilque coinquinans.

Hoc sensu inter omnia palmam offerrem, dummodo haberetur, Universali illi Philosophorũ menstruo, velut palmario, quod omnia metalla ac lapides ab impuri puncti quaternarii coagulationis vinculo philosophice & naturaliter liberet; quod omnium specierum animas, tincturas, essentias & facultates evocet, & suas illis reciproce participet vires, non tamen inimicas; sed cuilibet analogas & appropriatas, unde & illorum operationes augeat, & impense prosperet, quod disrumpat solidissima Auri & Argenti membra, & teneros Rosarum flores consimili attritu, eodemque plane artificio. Quid enim plura in Artibus, ubi æque commode, imo longe commodius pauca sufficiunt?

Verum hac de re aliter philosophari mihi datum non est, & sentire, quam quod vel ambitionibus & factionibus, exercitis conjurationibus aliorsum aliis distrahentibus Sapientia & φιλομαθείᾳ, quæ in medio sunt nimis lacerata, non omnia κατὰ τὸ λεγόμενον omnibus, etiamsi in naturæ gremio foverentur, contingant; sed vel utilissima καὶ τὰ πρωτεῖα turpiter abscondantur. Turpiter inquam & impie. Sapientum enim finis, teste Scaligero, Sapientiæ communicatio est; & qui scientiam rei utilis habet, eamque non confert in commune, secundum Paulum 1. ad Cor. 14. nec DEO placet, nec ab hominibus, sapientibus commendatur. Vel quod universale hujusmodi menstruum in rerum natura actu & realiter non magis, quam τὸ ζῶον τὸ καθόλυ, τὸ ἢ ὐδὲν ἐςι, teste Aristotele 1. de anima cap. 1. ἢ ὕςερον, offendatur. Sive enim ipsius menstrui, sive objecti menstruo illo tractandi naturam accuratius mentis oculis intuearis, argumentum nullum est, quo ad credendum hoc impellaris. Neque etiam tam universaliter sinceri tractus, quo omnium rerum vires in libertatem adsertæ fuerint, absque ulla mutationis impressa nota, testimonium perhiberi ab ullo cum veritate potest.

Imo contradictio potius est in adjecto, & σιδηρόξυλον plures ἀσύςατον, Menstruum universale tanto studio prædicare. Si enim menstruum est, utique particulare est, quia artificis aliquod instrumentum est, quod virtute sibi communicata, nempe per directionem & determinationem Chymici ad actionem elevatur, nec extra usum menstrui rationem habet, sed materiæ duntaxat ad menstruum huic illive usui pro artificis ingenio parandum accommodandumve aptæ. Quemadmodum ergo Chymicis sapientia unquam cœlitus demissa est talis, quæ omnium rerum solvendarum mistiones, temperamenta & ἰδιοσυγκρασίας ad unguem perspiciat, sed ea de re magna & varia ad hunc usque diem ut majores nostros latitavere, ita nos indigniores adhuc latent, quæ vel omnis posteritas, si quæ futura est, nisi divinitus adjuta, nullis temporibus eruet. Ita sane ex lubrica

lubrica hac artificis directione non nisi particularem fieri menstrui χύσιν nemo, arbitror, inficiabitur.

Deinde num Quintæ Essentiæ (cujus meritò tamen omnem paginam absolvi hic arbitrantur,) ut formarum differentium numerus innumerabilis, ἄλλῳ enim εἴδει, ἄλλῃ ὕλῃ, ita complures imò innumerabiles ordines sunt, adeo ut quæ illarum uni naturalis est, (quamvis omnes origine cœlestes,) continuò omnibus æquè naturalis minimè sit, & amica? Et num si vinculum coagulationis liberare debet, eo ipso totius compositi harmonia & ordo, & omnes inde dependentes facultates turbabuntur & pessum abibunt, ad quas, principio scilicet illarum dissoluto, nulla neque menstrui neque Medici dirigentis obstetricatio, ut recolligantur, quicquam poterit? Quo certè argumento nemo in succino vel magnete exemplum dedit, quod essentiæ illorum extractæ æquè paleas & ferrum traxerint, ac magnes & succinum integrum.

Si objectum menstruo illo tractandum respicias, non solum plantarum quod Theophrastus libri de plantis author, agnovit, sed & omnium rerum sublunatium natura verè πολύχυς est; adeoq; impossibile, ut illa simpliciter uni hac in parte amica subditaque compareat; quin potius, ad decantatissimum illud Philosophorum axioma: Receptivum non recipere per modum imprimentis, sed per modum receptivitatis; idem qualecunque diversis diversum fit speciebus, eodem modo, quo Scaliger subtilitatum Magister, idem movens eadem vi vario motu diversa movere immota ratione dictitat. Hinc fit, ut quod alicubi acerrimum, imò corrosivum se penitùs sistit, alibi vix levem mordicationem inferat, ne dicam aliquando dulcissimum præbeat alimentum; nec idem calidum æquè calidum sit Salamandræ & testudini, aut pulveri tormentario & aquæ, &c.

Quam propter anomaliam corporum Theophrastus de V. Essentia perspicuè docet: etiamsi è metallis Quinta Essentia, & quidem cum corrosivis in apricum produci possit; longè tamen abesse hoc à corporibus sensitivis, quæ essentiam seu spiritum vitæ absque νεκρώσεως aut destructione non dimittant.

So wir möchten das Leben des Hertzens in Spiritum oder Quintam Essentiam ohne alle Zerstörung heraus ziehen/wie uns möglich an den unempfindlichen / wolten wir ungezweiffelt ohne einen Tod / ohne Kranckheit leben.

Ideoque cum menstruum simpliciter universale, vix, ac ne vix quidem, nisi logicè, detur; præmisso duntaxat generali aliquo in certo respectu sic dicto, ordine deinceps ad diversa genera instituto, rejectis aliis multis, qui non nisi verbis magnicrepi sunt, in opere vero nihil aut parùm pollent, doctioribus locum minimè denegabimus.

Quod ideoque nos generale menstruum appellamus, Quinta Essentia mera est, vel simplex vel Alcolisata, (quo etiam sulphur cœleste Orionium, de quo suprà, pertinet,) rotationis circulo in tantam simplicitatem redacta, quantum naturæ & arti possibile est, adeoque proximè accedens

cedens ad naturam æthercam. Hanc enim essentias, facultatesque rerum omnium in genere, fartas tectasque extrahere, ubi inprimis prævia σκευασία accesserit, nullus dubito.

Siquidem nec auro, ut ut firmissima compage stabilito, ab ea pax est, dummodo prius philosophica calcinatinatione solutionis susceptivum, & velut impalpabile efficiatur.

Quod ordines rerum ad quos menstrua seorsim pertinent, tangit; Lapidum genere maximè appropriata sunt: Crollii acetum radicatum, Penoti acetum Hydromelitis, Spiritus Vitrioli Philosophicus, acetum destillatum, Spiritus Guajaci rectificatus &c.

In genere mineralium & metallorum meritò laudantur: Aquæ Mercuriales, Aquæ Philosophicæ è Nitro, Vitriolo, Sale; Aceta, Lixivia, Spiritus Vini Alcoisatus, nec non olea interdum aromatica, interveniente hostili aquæ fortis accessu exasperata, ut in auro potabili Thurnheuseri, Huseri & aliorum.

In vegetabilibus denique primatum obtinet: Spiritus vini, ros majalis destillatus, aqua pluvialis aliquoties destillata, aqua tartarisata, aqua theriacalis, aqua pomorum redolentium & multorum simplicium. Prout autem alia aliorum, modo ad hunc, modo ad alium usum symbola magis ferunt; ita varia singulorum electio est, varia eorundem rejectio, secundum quod ad artificis mentem scopi consequendi causa vel optimè congruunt, vel minime congruunt; Instrumenta enim suo fine propriè definiuntur. Sic ad purgantis facultatis è vegetabilibus extrahendæ rationem universali velut convenientia quadrat aqua pluvialis sexies (singula vice ad certam mensuram) destillata; aqua item Tartarisata, de qua supra. Verùm interea haud disconvenit specialiter: Aqua pomorum redolentium, aqua Fragorum, paucis olei Tartari guttis exasperatæ ad Catharticum è foliis Senæ præparatum: Sic aqua Cinamomi Agarico dicata est, Endiviæ Rhabarbaro. Quando è Diagridio virtutes quærimus, in cæteris picis instar lentore corripitur, solum menstruum Cydoniorum aut spiritus vini convenit. Pariter saccharum non spiritus vini solvit, sed is ipse acetosatus primum, vel Rhodostagma. Tinctura cærulea è ligno nephritico aquis felicius obedit, quam spiritui vini. Econtra is præstantior est ad Santalum &c. Oleum Amygdalarum melius ad tincturam è radicibus Anchusæ, quàm aquæ simplices vel destillatæ. Denique etiam spiritus Terebinthinæ parum proliciet ex Croco, Myrrha & Aloë aliisve rebus combinatioribus, nisi calcinatis & digestis, ubi tamen spiritus salis, vini, sulphuris, ad votum operantur.

Quæ singula (plura brevitatis causa recensere nolo,) αὐτοχείρως sæpius expertus sum. Specifica tamen specificis ubique associanda, & quæ cephalica, cephalicis inserviant; quæ hysterica, hystericis, & sic in reliquis.

In genere etiam hoc notandum venit: quoniam menstrua quædam sulphurea magis; quædam Mercurialia; quædam salina: Suo quæque generi analogò maximè esse dicata. Propterea Diaphoreti-

reticorum & confortantium extrahendis viribus convenientissimus est spiritus vini ut in Camphora, Croco, Benzoin, Santalo, Opio, Theriaca, Guajaco, Sassafras &c. quorum vapidas partes potissimum cupimus. Non æquè in purgantibus quibusdam Sulphuream partem, (Natura enim sua & appetit & vorat,) petit, vim purgantem in Sale volatili sitam vel non extrahit optato, vel, dum iterum destillatur, simul abripiendo infringit. Adeo enim Diagridium, ut cætera taceam, viribus fractum est, postquam spiritu vini facta inde extractio est, ut per se ad scrupulum integrum vix granis sex octove Diagridii seplasiorum, æquivaleat.

Sic Mechoacæ in vino exhibita substantia tantum abest, ut non vitiata sit, ut vix drachmam semis ipsius in Morsulis ex uno vel altero duntaxat Diagridii granulo simul confectis alvum pluries dejecisse, quam drachmas duas Mechoacæ cum vino datas, perspexerim.

Dosin Colocynthidos Mesues esse ait, à granis sex usque ad decem. Si verò dupla spiritus vini infusione secundo ejus Extractum concilietur, adeo mitescit illud, ut vix duplo pondere assumtum ad moderatè purgandum sufficiat, & hinc Diagridii aliquot granis pro stimulo opus habeat.

Sic Sulphur & quæ ejus naturæ sunt, oleo solvuntur, quum tamen aqua fortis illud solvere nequeat. Utut etiam spiritus vini substantias sulphureas, lignosas & resinosas dissolvit: Sal tamen & saccharum ejus potestati sunt exempta, &c.

Quorum virtus Mercurialis est, iis extrahendis Aquæ & Liquores stillatitii descensorii commodissimè inserviunt.

Hoc respectu Oleum Tartari vel Sal ipsius Mercuriale ad guttas vel grana duntaxat quatuor vel sex menstruis liquoribus indita, egregiè infusionum terminos accelerant. Idem sperandum esse ab aqua Tartarisata supra dictum est.

Id quod æquè Pharmacopæis illud ignorantibus, quam ægris ignorantium manibus se committentibus; his molestas expectationes, & hinc sæpè damnum creando; illis labores & sumtus invanum multiplicando, plurimum incommodi hactenus peperit. Sic inter Gummata quæ aqueæ sunt naturæ, ut: Gummi Arabicum, prunorum, cerasorum, aqua commodissime solvuntur, non oleo aut quæ contrariæ sunt naturæ.

Salina quorum virtus est, ut oculi Cancri, testæ ovorum, Limacum, Perlæ, Coralli, Rubini, Hyacinthi, Smaragdi, Crystalli &c. menstrua requirunt acida, nempe: acetum vini, vel Hydromelitis vinosi, alcolisatum, mellitum, Succorum Limoniorum, Berberorum, urinam, spiritum balsamicum salis & sulphuris naturæ, spiritum Vitrioli, &c.

A quibus dum statim eorum dissolvens separare velis, (quod elegans mysterium est,) exemplo Quercetani in septem Magisteriorum præparatione, opera cujusdam salis vegetabilis, (id aliud non est, quam liquor seu sal Tartari dissolutum,)

rum,) ad aliquot guttulas superinjiciendi, statim videbis Magisteria ipsa vasis fundum petere, & postea usu, absque scilicet Salis Ammoniaci acidi & vitriolati, quod alias per exhalationem si fieret, relinqueretur,) conjunctione valde commode inservire. Sic Ammoniacum, Sagapenum, Galbanum & id genus alia, quævis solventia facilè respuunt, nisi cum spiritibus salinis, cum acetoso spiritu in ipso aceto contento solutionem instituas.

Denique operæ pretium quoque est scire, quia copia menstruum superfundatur; ut ne deficiendo in fecibus optima pars relinquatur, excedendo, citra necessitatem sumtus crescant, aliaque & præparationis & nauseæ incommoda inde sequantur. Non enim facultas recipitur secundum magnitudinem subjecti; sed secundum modum receptivitatis in ipso recipiente. Hinc velut spiritus Salis, Nitri, Vitrioli &c. Auro, Argento & Antimonio superfusi non omne corpus ipsorum in qualibet quantitate solvunt. Quin potius illa reaffusione novi menstrui opus habent; primum enim saturatum jam ab actione cessat sua, quæ nimirum in termino, ut loquuntur Philosophi versatur; ita etiam in vegetabilium aliorumque extractionibus quantitas menstruorum recte dimetienda est.

Quo argumento haud absurdè sequimus adserere videtur: duas Senæ drachmas, quatuor aquæ unciis infusas, ad purgandum æquè validas esse, quam si quatuor drachmæ totidem unciis duntaxat committerentur. Unde quoque haud obscure colligere est: errorem minimè levem esse, licet Crollio, aliisque magnis Authoribus familiaris sit: menstrua tincturis aromatum onerata, speciebus ad extrahendum demum superfundere. Quæ non annotare hoc in loco velut prolegomena, quum ad Extracta felicius præparanda, omnino necessaria visa sunt, non potui.

Nepenthes sive Laudanum Opiatum.

℞. Opii ad Quercetani mentem super laminam ferream exsiccando præparati & correcti. q. v.

Extrahe Aceto stillatitio Essentiam ipsius.

Ad singulas hujus uncias adde

Tincturæ Croci ut supra præparatæ.

Pulveris Corallorum Vitriolatorum ana ℥. ß.

Ambræ gryseæ grana xv.

Ambram terendo primum cum Corallis, postea cum reliquis ad lentum ignem miscendo fiat Laudanum Opiatum.

Simplex quidem præparatio est; sed & natura simplicitatis studiosa, & multa in hujus medicamenti compositione à Crollio aliisque consarcinantur, quæ tamen ut exitiosa partim, partim supervacanea à Theophrasto in Specifico anodyno, à Quercetano in pharmac. rest. à Wirtzio & aliis penitus omittuntur. Quare enim innumera ad corrigendum Opium hinc inde colliguntur, cum occulta vis illius, partibus noxiis remotis, correctione nulla egeat?

Laudanum hoc, ut & illud è Vitrioli Sulphure Narcotico, quod à Reverendo & clarissimo Beguino habeo, (sunt enim Lau-

Laudani remedia generalia, & pluribus gravissimis affectibus quibuscunque corporis nostri partibus inhærentibus accommodata,) quomodo specificis extractis mixta, modo hysterica, modo antepileptica, modo hæmoptoica, modo alexipyreta, &c. fiant; reticere hoc in loco, vel medio in sermone cum sapientibus lubentius volui, quam ad Platonis sententiam cuivis vulgo artem credendo, ridiculam facere Philosophiam. Interea lectori, ut spero, satisfacturus, quod prædictam descriptionem Angelo Salæ etiam familiarem, hoc in loco, ut perspicuè, ita candidè, enarraverim.

Laudabile hoc est medicamentum, quod planè suo responderit, si Laudanum dicas,

Ἕυρημα πρὸς πάσας ἐστὶ παθῶν ὀδύνας.

Omnium dolorum mitigativum, ardorum consumptivum, quietis conciliativum, fluxionum restrictivum. Cujus laudibus tamen ἐν τῷ γένει, ut me abdicam; quod Theophrastus de Magnete pronunciavit, hoc ipsum ego de Laudano verius propono.

Mich deucht kein edler Schatz seyn in der Artzney / dann eine Kranckheit behalten in ihrem centro, daß sie auß demselben nicht weiche / und daß darnach der Artzt geschickt seye / und sie in ihrem centro digerire, maturire, in ihr vollkommen Wesen. So das geschicht / mag die Kranckheit außgehen natürlich und unnatürlich / gut oder böse.

Inprimis autem, prout mihi præstitit, adprime, imo ac vix aliud quid in omni auxiliorum materia, confert.

In Catarrho, & tussi sicca, tenui, licet illa epidemia fuerit, aut maligna, vulgo vocant, Ziepff oder Schaffhusten qualis anno 1615. & 19. forte ex præcedentis anni nimis humida constitutione, totam Thuringiam, ne dicam, alias etiam nationes pervagabatur.

In profluviis alvi, sive ex hypercatharsi,
In Tenesmo.
In phthisi.

Ubi notandum illud de Trochiscis ad universas opiniones Oribasii. Constabant enim ex Opio, Mandragora, Jusquiamo velut basi: Prodest, inquit, ad phthisicos; in prima potione incidit frigus, in secunda incidit febrem, tertia potione tamdiu sudat, donec incidat omnem typum. Ideoque phthisicos Crollius diu eo ipso foveri posse dicit. Idque vel faculcate fluxionum constrictiva facit, quibus phthisici plerumque obnoxii; vel frigiditate cum humida quadam tenacitate conjuncta, (modo vera quorundam de Opii temperamento sententia,) qua nimirum & Rhases & Avicennas ad impinguanda corpora, papaver, hyoscyamum & alia impense refrigerantia laudat; & Lucretius cicutas capris impinguescendis adjudicat; sive proprietate occulta, qua ad pinguefaciendum à Dioscoride & Avicenna proponitur Sarcocolla, à Mercuriali semen Cannabinum, &c.

In affectibus dolorificis: Iliaca, Colica, Podagra, Caduco Matricis, &c. in quibus singulis fructus ipsius tantò major, quanto cum specificis aliis felicior ejus coadunatio.

Denique in febribus intermittentibus, Quotidiana, Tertiana & Quartana, præsertim cum specificis extractis ritè

commixtum. Ubi propria ab Experientia certior factus, febrium intermittentium curam tam perfectam, quam vix in aliis licet famosis practicorum voluminibus quis reperiat, auxilio ipsius institui posse adfirmo. Cùm enim febres potissimum digestionibus & resolutionibus impuritatum mineralium generentur, quæ sine dubio, mira aliquando in corpore excitant symptomata, illas mirificè & intra paucas horas sedat & tollit. Id quod sequenti cum distinctione accipiendum: Quando non aliunde morti dilatatio fiat, id est, ubi materia febris tantum unica est, & sine fluxione aliunde facta, sed solummodo in membro determinato, in ventriculo, pancreate, &c. genita, & putrescente, quod ab initio febrium communiter accidit, sola purgatio febrilis per Diaceltatesson, à quo fortè Rosa mineralis nostra, vel specificum purgans antimoniale, non diversa, omnem paginam absolvit. Quando verò morbus cum fluxione est, vel per venas, vel per totum corpus, quod Galenus ait cap. 9. l. 2. de Crisibus, inquinamento aliquo putredinali, Gal. 2. de differ. febrium cap. ult. περίττωμα σηπεδονῶδες vocat, post singulas accessiones in foco relicto, id quod in omnibus intermittentibus febribus contumaciter perseverantibus obvenit, confestim duabus tribusve horis ante invasionem hoc Opopyron Laudani sequatur. Hoc enim vi, qua omnes ardores mitigat, fluxiones & fermentationes sistit, qua denique quosdam humores alterat, quosdam penitus dissipat, febrim una cum dilatatione, id est, morbū & διάθεσιν in corpore restitantem, penitus intercipiet & profligabit. Imò dum fluxiones in singulas partes coercendo non leve robur ipsis conciliet, quicquid inquinamenti in fomite adhuc hæret, intercedente facultate partis naturali concoquet & superabit.

Addit Paracels. 2. de vita longa cap. 5. minutionem causalem per venæ sectionem. Hac autem utendum nemo sibi putet, nisi tantum sanguinis, cui simul materia febrilis mista, vitium sit, ut nisi onere aliquo levata Natura, quod peccat vincere nequeat, Gal. lib. 11. cap. 15.

In continuis febrib. à Laudano aliisque somniferis summo studio cavendum. Hoc enim nisi fiat, Crisis, turpi sæpè Medicorum probro, perturbatur, &c.

Modum recipiendi quod attinet, is talis mihi hactenus, quando vereor, ut à contemptoribus animadvertatur.

℞. Laudani nostri gr. ij. iij. 4. 5. quantum pro re nata suffecerit.
Magisterii Perlarum & Corallorum ana scrup. ſ.

Terendo sedulo super porphyrium fiat pulvis, & ex hoc pro lubitu beneficio sacchari & Tragacanthi in aqua Rosatum soluti formula una aut altera.

Quod verò Avicenna & Gal. cap. 31. lib. 3. de aliment. circa intercipientia, & papaver inprimis notare voluit, eo ipso uti non licere, cum materia jam in pectus destillarit, sed antequam destillet, illud ipsum de Laudano etiam scitu cuivis valdè necessarium: Ne scilicet promiscuè fluxione in partem impacta, ut multi non observant, adhibeatur. Nam quando agendum, indicatur ab indicante præsenti ut vincit alia indicantia. Unde materia

fluens

fluens indicat retrahens; materia fluxa indicat expectorans, evacuans. Tale non est Laudanum. Nec fluens materia tàm potis est, quàm fluxa. Nam materia, verbi gratia, in pulmones fluxa magis nocet, ut propterea uti liceat medicamento potius evacuante; Medicamentum autem retrahens per modum interceptionis, ut Laudanum, materiam fluxam reddit magis rebellem evacuationi.

Quare utendum est Medicina intercipiente, antequam materia fluat; non ubi copiosè influxa, qualis in pleuriticis & Asthmaticis evacuante opus habet.

Ex quibus φλεγματικῶς & hoc sequitur, quòd, cum per somnum materia fluat, & vigiliæ tempore materia fluxa expurgetur, Laudano post cœnam potius utendum sit, hora autem vigiliarum evacuantibus.

Plura de Laudano & Opio, velut de temperamento ipsius, &c. quum verissima sint, & satis aperta, quæ de illis Author Ternarii Laudanorum cap. 3. commentari supervacaneum duxi. Saltem parasyllogismi causa, quem ibi à colore opii extructum ἀκροςυλὶς quispiam animadvertat, notetur, à colorum differentiis ad temperiem rerum arguendam nulla valere argumenta, necessaria scilicet consequentia, attamen probabiliter & Rhetorismo quodam ad persuadendum illud, quod vel paulò ante, vel post immota argumentorum ab experientia ductu sequela, pro certo creditur. Qua de re prolixè Galen. lib. 4. de simpl. facult. cap. 23. his verbis: Certum tutumque non est, de tota medicamentorum facultate ex odore conjicere. Multò minus ex coloribus de Medicinarum virtutibus colligere quid valeas: quippe cum in singulis coloribus, calida, frigida, humida, siccaque reperias: quemadmodum inprimis hujus operis commentariis (lib. 2. cap. 3. ubi ridiculum argumentum vocat & inutile & palam falsum,) ostendimus. In quoque tamen singulatim genere, aut seminis, aut radicis, aut succi, ex colore indicationem temperamenti licet sumere: utpote cæpa, scilla, vinum, quantò fuerint albidiora, tantò & minus sunt calida, quæ verò subflava fulvaque, calidiora. Idem usu venit tritico, milio, ochris, phaseolis, ciceri, radici Asphodeli, aliisque compluribus. In quoque enim genere in universum fulva, rubraque omnia albis calidiora.

Itaque etsi hinc quoque de medicamentorum viribus conjectura fieri queat, tamen sermoni adjiciatur: Optimum sanè esse (ut & dictum & ostensum sæpenumero,) per experientiam discretam facultates invenire; In hac enim falli non potes. E quibus omnibus abundè est, si candidus es, quod Angelum Salam in dicto argumento excuses; si niger, quod errandi occasionem videas.

His operæ pretium est associare quæstionem de Hyoscyamo: An is, quomodocunque etiam depuratus, in Laudani compositionem laudabiliter ingrediatur? Idque propterea quod Angelus Sala Hyoscyamum multis suspectum dicat, in Ternar. Laudan. cap. de Laud. Quercet. rationes tamen ejus dicterii sicco pede transeat.

Hoc ergò plurimi negant, & inter illos simpliciter quos novi eo consensu totius

tius

tius Collegii Medici ſcripſiſſe. Eſſe enim, ajunt, Hyoſcyamum narcoticum, adeoq; deleterium, ut non tantùm in hominibus inſaniam, capitis vertigines, & veternum gignat; verum etiam, Heliano teſte, paſtu ipſius reſolvantur apri, unde & ſuilla faba appelletur; imò quod fumus ipſius gallinas præcipitio adfligat; & ſemen cum caſeo antiquo, cochlea, farina hordeacea ſive fabeacea temperatum piſces ad commodiorem capturam infatuari faciat. Fortè etiam experientiam teſtem habent, quod ejuſmodi Laudana non rarò vel minima quantitate ægros damnis potentiſſimè auxerint, & furioſos, amenteſque reddiderint, &c.

In eandem etiam ſententiam plures ſimul deſcendunt, velut quod Theophraſtus, Vitruvius, Querceranus in prima Laudani deſcriptione, Rondeletius in cap. de Colica in ſuis pilulis ad colicum dolorem ſopiendum; Zwingerus, Reuſnerus, &c. non ſolum Hyoſciami additamentum negligunt, ſed & quidam illorum ab aliis admiſſu valdè ſtomachantur, putantque Laudanum ex anodyno fieri narcoticum, & per antiphraſin minimè laudandum.

Videamus autem num prædictis undiquaque fides habenda, & quis ubique nexus conſequentiarum, quibus non tàm ſimplices, quàm periti etiam capiantur.

Hyoſcyamus narcoticus eſt.

Ergò è Laudani confectione expungendus.

Prius haud ſimpliciter verum; Deinde conſequentia etiam vitioſa eſt. Audiant enim Dioſcoridem lib. 4. cap. 67. εὔχρηστος δὲ εἰς θεραπείαν ἐπιτηδειότατος ὢν ὁ τρίτος. Utilis & ad medicinam placidiſſima tertia. Ergò de primæ & ſecundæ ſpeciei Hyoſcyamo (tres enim ſpecies agnoſcit Dioſcorides,) verum duntaxat eſt: quòd narcoticos, μανιώδης καὶ καρωτικὸς.

Illud tertium autem album, ſi propter aliorum vitia malè audiat; quare non Helleborum nigrum etiam rejicimus, propter albi veneficia?

Huc ideoque reſpicit Fernelius lib. 5. M. M. cap. 17. Hyoſcyamus albus, inquit, eligendus eſt, cui flos & ſemen album eſt, cui verò flavum aut nigrum, quòd vel inſaniam vel ſoporem inferat, fugiendum. Et quamvis dementationis cauſa minus tutum prædicet, immodico tamen uſu illud fieri apertè dicit.

Porrò his parùm cohæret illatio: Quod ob vim narcoticam Hyoſcyamus ablegandus ſit. Ita enim Marcellus Virgilius interpres Dioſcorideus. Intulerit fortè aliquis tàm gravem noxam non minore bono illum rependere, optandamque in orbe noſtro plantam, quæ tam efficaci remedio contra dolores, quibus tota aliquando petit vita hominis, pugnet.

Nec quia menti noceat, ideò doloris lenimenta, quæ habet abjicienda. Parum ſapienter enim, quia malo conjunctum ſit bonum, ex altero utrumque damnatur, cum liceat diſtractis in diverſa contrariis malo prudenter carere, bono autem feliciter uti. Adde, quod hoc noſtro ſeculo ars perficiendi Magiſteria, & eſſentias puras è miſtis ſeparato corpore extrahendi plurimis notiſſima.

Et ſi illud locum mereretur, quidni Opium

Opium etiam, quo ſine tamen Opiatum nullum, ad Sauromantos ablegant & glacialem Oceanum: quippe non minus, (de crudo & impræparato loquor,) narcoticon & μανιῶδες, quàm Hyoſcyamus, Gal. lib. 2.3.8. de compoſ. medic. ſ. loca, eique aſſenſerunt plurimi.

Quid autem reliqua mereantur maleficia, quibus Hyoſcyamum longè ſuperat? Numerantur enim à Nicandro in Opii potu, præter perfrictiones, ſoporem, languorem, pruriginem, & in toto corpore Opii odorem, notæ aliæ plures: pallida facies, labrorum igneus color, exigua & frigida reſpiratio, liveſcentes ungues, & concavi oculi. Et Dioſcorides expreſſe Venenum cognominat. Quo ſine dubio reſpexit Capivaccius, quod dum Galenus cap. 4. lib. 7. κατ. τόπυς inter intercipientia catarrhos in tuſſi proponit Hyoſcyamum album & Opium, Hyoſcyamum retinet; Opium autem licet fermentatum improbat. Quod item in Dyſenteria ab Opio inprimis cavet, in ſuppoſitoriis etiam, nihil mali ſuſpicando ab Hyoſcyamo. Sic Fernelius, qui optima & præcipua quæque in quovis genere medicamenta ſelegit, cæteris ut inutilibus prætermiſſis, lib. 7. M. M. ex Antidoto, Requie appellata, Opium exterminat; attamen interea ſemine Hyoſcyami albi contentus; etiamſi vulgaris ejus medicamenti compoſitio, alias minus Opii habeat, quam omne Philonii & Opiati genus.

Deleterium eſſe, alicujus quidem momenti foret, & quod culpam Hyoſcyami augeret: Sed exuamus hoc ſenium: ſi Hyoſcyamus totius ſubſtantiæ diſſidio naturam noſtram depecularetur, &c. ad morem venenorum, nunquam impunè in corpus uſurparetur, ſine adverſariis, vel venenis, vel Alexiteriis. Atqui, teſte Dioſcoride & Ægineta, facilimè curantur qui Hyoſcyamum hauſerunt, ſi copioſa pota mulſa illis, & lacte ſuccurratur, imò quietem imperandam eſſe, nec aliter quam ebrii potum ſomno concoquunt vinum, ſic etiam quiete ſua, qui hauſerunt Hyoſcyamum. Atqui hæc à deleteriorum natura non alieniſſima? quæ quo ſomno intimius recipiuntur, tanto citius internecionem pariunt. Quos viros nunquam ſatis laudatos ſi parvi faciunt, verecundiæ ſaltem ipſis ſit Galeni facult. ſimpl. Dictatoris Authoritas. Is lib. 8. Hyoſcyamum flore ac ſemine candido ad ſanationes vel maximè idoneum prædicat, & à deleteriis illis ſpeciebus expreſſe diſtinguit. Inviſusne adeò ſit, vim propter ſummè refrigerantem, qua contingat, calido extincto innato ſpiritus congelari. Quis autem hic melior arbiter ipſo Galeno? qui citato l. ex tertio duntaxat ordine refrigerantium eſſe dictat, quem non Opium ſolùm longe excedit, veterum ſententia; ſed & ſedum, lens paluſtris, lactuca, & fungi, quorum tamen noxam ignis efficacia tolli, notius eſt, etiam in culinis, quam ut egeat narratione. Denique ſi neſciant, quis deleteriorum numerus, è vegetabilium proſapia ſaltem, quorum plurima tamen uſum habent in Medicina ſaluberrimùm, præſertim dum Artis Chymicæ poteſtatem, ut nunc eſt dextrè experiantur, videant Catalogum deleteriorum Matthioli in Opuſc. de ſimpl. Med. fac. ſ. loca & genera. Unde Cajus JC. Qui venenum dicit, adjicere debet: Utrum malum, an bonum

bonum. Sed videamus & reliqua, quod videlicet amentiam pariat, veternum, & capitis vertiginem, & quod Faba suilla appelletur, à suibus illato maleficio. Quid autem illa interest, cum de crudo duntaxat admittantur, de tali Amentia, quæ teste Dioscoride, ebrietati duntaxat similis, παραχοπὴ τοῖς μεθύουσιν ὁμοίη, & qui ea affecti sunt, ἐν τῷ ἡσυχάζειν ὥσπερ οἱ τὸν οἶνον πίοντες, restituantur? Si Caron faceret, imperanda non erat quies, pro remedio, Hyoscyami opposito. Fabam suillam vocatam verum esto; pro suibus autem argumentum valeret hoc, non item pro hominibus, specie diversis.

An enim quis abstineret ab amygdalis, quod esu ipsarum vulpes malè habeant? Quis Antimonio omnem in nos agendi facultatem deneget; quod illud videat, ne misellum quidem in magna licet copia & crudum quicquam affecisse.

An omnis pestis, quæ sæpè multa millia hominum interemit, nulla pestis, quod non æque boves & sues periclitentur? Non enim, quod Author libri de flat. ex. 20. annotavit: omni animantium generi eadem aut non conferunt aut commoda sunt, sed sunt alia aliis magis convenientia.

Huic tamen ex adverso ponatur: cum ope ejus à dolore ad indolentiam, quasi divino quodam beneficio multi restituerentur, non ultra Hyoscyamum, fabam suillam à suibus; sed à Jove Dioscyamum, id est, Jovis Fabam, herbam Apollinarem & Pythonion dictum esse, prout idem commentator Dioscordis pulcrè monet.

Pugnent Authoritatibus pro sententia sua. Nos nostram propugnaturi non dejectiores obtrudimus Antiquorum videlicet & Neotericorum εἰς ὑπερβολὴν ἀρίστων: Dioscoridis Oribasij, Galeni, Philonis Andromahi, Capivaccii, Oporini, Fernelii, Quercetani, Crollii & plurimorum aliorum. Quorum non solùm Laudana ex Hyoscyamo, γνήσια pharmaca Deorumque manus quasi; sed quibus etiam Dispensatoriorũ ejusmodi compositiones acceptissimæ. Ex Hyoscyamo enim constantur Philonium Romanum Persicum, Tarsense, Athanasia, Aurea Alexand. Triphera, Theriaca, Mithridatium, Trochisci de Alkakengi, Diasulphur, pilulæ de Cynoglossa & plurima alia. Imò Coryphæus illorum, qui Hyoscyamum hoc è loco perpetuo proscribunt, nonnullis affectibus velut hæmoptoysi, &c. pro tutissimo æquè quam præsentissimo remedio semen ejus in Scholis suis privatissimis præstituit & optima de nota commendat.

Neque ἀπροσδιόνυσον hoc in loco, quod Thurnheuserus lib. 59. de urinarum probationibus de hac eadem herba magnificè profitetur. Judæis, inquit, à multis seculis planta hæc Birjahbadal dicta est, id est, quæ fertilis sit & variis fructibus prodiga. Omnium enim terræ crescentium pro modo magnitudinis suæ semine abundantissima est, feracissimaque non mehercule absque singulari Naturæ providentia. Quo etiam pertinere arbitror, quod ab ea ipsa Natura prædicta semina velut ollis, operculis suis accuratissime munitis inclusa, abscondita sint, adeò ut nec Apelles artificiosissimus ita depingere,

aut

aut quivis alius sculptor accuratius elaborare quiverit. Taceo quod arcanum longè excellentissimum, & ad hæc usque tempora ne sapientibus quidem cognitum, in duplici suo distinctis alveolis comprehenso semine, ubi alterum ἀῤῥενικὸν, alterum verò fœmineum, & alibi par, alibi impar, & plerumque ad 190. & 191. numerum ascendens, (quo factum, quod semina uni radici innascentia sæpè ter centena millia numeraverim,) ad iram aliosque cordis humani effrenes affectus jam sedandos, pro differentia prædictorum illorum alveolorum, quod mirum, reconditum habeat. Ideoque à Thurnheusero in Tincturam seu oleum elaboratur, quod ipse in prædictis intemperantiis valdè nobile deprædicat remedium.

Cum ergò antagonistæ illi tantorum Heroum, ne dicam suasmet ipsas sententias parum sui similes contempserint; adfirmativam in hac quæstione ductu illorum merito retinemus, cum limitationibus tamen his breviter delibandis.

1. Hyoscyami species saluberrima eligatur, non illa flore, & semine nigro, luteove.

2. Non crudus assumatur, aut tempore minus balsamico collectus, sed ritè & scitè præparatus, sed à partibus noxiis, atque sulphure venenoso, si quod habet, defæcatus & separatus.

3. Apponantur ipsi debita κατορθώματα quæ frigidam retundere possint intemperiem, nervos roborare, crassos humores extenuare, & flatus discutere.

Et hoc modo cum Hyoscyamus, non secundum omnem latitudinem in corpus agat, sed & simul in medicamentum, ita ut hostilis efficacia, si qua esset, haberet, quæ cum confligaret, Naturæ medicatrici studeri eo ipso omninò statuimus.

Interim tamen res hæc tam angustis terminis non cohibetur, quin Hyoscyamus nobis volentibus è Laudanorum compositionibus, præsente Opio, quod per se sufficiens tutumque satis, omitti invitis etiam doctis viris, aliquando non omitti possit.

De Matslach Turcarum.

Sed dum exemplar propositi Laudani, & quæ ejus consectanea sunt persequor, latius mihi circumspicienti ante omnia se offert Matslach Turcarum. Ideoque etiam de eo aliquid, quantum ex relatu fide dignissimorum accepimus, proferatur in medium.

Ut autem decentius transitus instituatur, nec inutili relatione implicemur, delibemus prius paucis, quomodo animati simus in animum illum Turcarum Medicinis animatum, de quo Salæ in Ternario Laudanorum supra. Non enim ἀναιτίως quis dubitaret, An verum sit:

Animum hominis remediis quibusd. animatiorem & lætiorem ad quævis obeunda conciliari posse? Videtur enim: si quis bona corporis valetudine fruatur, ad quævis objecta ipsum & hilarem & animosum sponte esse, pro modo naturæ suæ cujuslibet congruo, absque ejusmodi Martialibus assumptis, quale Matslach Turcarum perhibetur esse, pro qua etiam sententia inprimis perspicuum illud Hippocratis 6. Epid. part. 5. Aphor. 2. Naturam sua sponte invenire motio-

nes, quibus ipsum corpus regatur, quantum expedit. Videtur etiam, hoc si fieret, Corporis imperio, animæ servitio nos uti, secus quàm veritas patitur à Salustio in Catilinaria iisdem verbis expressa. Omnes siquidem Medicinæ in corpus directæ sunt, quod & unicè ægrotat & malè habet. Hinc falsò voluisse Hippocratem 2. Aphorism. 6. nisi cum grano salis accipiatur, Scaliger docet: Mentem ægrotare, cum dolorem, quo cruciamur, non sentimus. Animus autem, animæ vis & facultas propria est, quæ tota ipsa actus est, ac proinde pati minimè nata; multò minus à corpore, quo cum genere minimè convenit. Undenam ergò fiat, re quadam assumpta in exaltationem & animositatem, quæ scilicet ab animi motibus quemquam concitari, inque ea fervidè præcipitem esse, quæ aliàs scitè magnopere evitarit. Præterea argumenta supra contra usum aquæ magnanimitatis Achilleum, idem inferre videntur; ac si nempe parùm ejusmodi remediis tribuendum.

Atqui hæc speciem tantummodò veritatis habent, non ipsam declarant veritatem. Si enim accisa spirituum ubertate & splendore, iis qua materiam spirituum vel dissipant, vel impuritate contaminant, cor languescit, & cuncta in tristem mœrorem abripiuntur, velut sæpè contigit à medicamentis veneficis, morsu canis rabidi, &c.

Quare è contra remediis robur & tenuitatem spiritibus conciliantibus, non venustiorem hominis & lætiorem animi refectionem tribuamus? Et affectus quid aliud sunt, quàm motus cordis pro spirituum & sanguinis constitutione in homine & inchoati & perfecti? Ita in tenebris pavitant Melancholici, quia spiritus atri & tenebricosi; Quando verò in corde spiritus exactè elaborantur, lumine quodam vitali perfusi, gaudii & hilaritatis auctores evadunt.

Atque hoc sese adeò usque extendit, ut & sacra tangat intellectionis, puta quibus initiari anima non potest, ne dum perfici, nisi hos fideles animæ satellites, spiritus legitimè temperatos habeat. Hi verò spiritus pro corporis œconomia Medicinis variè substante, augeri diminuique possunt.

Insuper fieri omninò potest, judicium & phantasiam hominis re quadam assumpta adeò perverti, ut ad tempus erret, in dijudicatione objectorum, nec inter læta & tristia, vel detestabilia & apprehensibilia discernere possit. Ita canina rabie affecti aquam timent, & hydrophobiâ laborant, citra rationem, duntaxat propter abundantiam succi atrabilarii, quo spiritus animales tenebricositatem patiuntur, & mens alienationem; Et philtra quorundam animos non rarò ita occæcant, vel potius in furorem abripiunt, secundum illud: Philtra nocent animis, vimque furoris habent: ut pulcherrimis relictis deformosissimas deperditè ament fœminas.

Quod idem etiam evidenti convincit testimonio vinum, quo in præsens gaudium extra occursum sæpè rei lætæ, oppidò abripit hominem, mentemque ad objectorum rationem aliàs profundâ solicitudine affectam, omni exuit molestiâ. Etenim spiritus gignit moderatos temperie & consistentia mediocres humore moderato

derato perfusos, ac splendidissimo lumine emicantes; immoderatè verò assumtum subtili acrimonia spiritus impellit, & ad quidvis agendum expeditiores reddit. Quod de se ipso usu compertum suavissimus Anacreon, vino suaviter tinctus canit:

Ubi suave poto vinum,
Subitò molesta cura, &
Operosa consilii vis
Rapidas eunt in auras.

Et Horatius 1. Epist. 5. in simili confirmat:

Quid non ebrietas designat? operta recludit;
Spes jubet esse ratas, in prælia trudit inermem:
Sollicitis animis onus eximit, addocet arteis, &c.

Simile adfirmatur à Fioravanta de Oleo Cannabino lib. 5. de Secretis cap. 61. his verbis: Daß es die Soldaten dermassen muthig mache / daß sie dem Feinde getrost und ohne Furcht unter Augen gehen/ꝛc.

Taceo in eodem hoc negotio antiquissimos pariter, & recentiores Authores esse ὁμοψόχυς, qui nimirum plura notarunt ad vigorem animi redintegrandum reficiendumque; cujusmodi est confectio exhilarans Rhasis, electuarium lætificans Galeni, Nepenthes & alia. Quibus merito annumeratur etiam Nepenthes Anglorum & Belgarum, Tabacum, quod quantum animo conferat, cum sit κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων, abundè explicat D. William Barclay in libello, quem Nepenthes, or the vertues of Tabacco inscribit.

Neque illud hominum exempl duntaxat probant, sed & brutorum animalium. Sic Agallochum in pulverem redactum admixtis aliquot Garyophyllis atque osse de corde cervi, oleoque Nigellæ galli gallinacei verrici inunctum, tantam alacritatem conferre, ut gallus cantillare, ac crocire non desinat, author est Lemnius cap. 4. lib. 2. de Complexion.

Et triviale est exteris præsertim nationibus equis suis aciem ingressuris robur cum corporis, tum animi, quibus sæpè incredibilia cursionum spatia sine pastu, ullave extra potum refectione, absolvunt, addere, cujus etiam Philippus Cominæus Gallorum Regi à Consiliis & Historiis lib. 1. comment. hac ferè sententia meminit: Erat mihi, inquit, tum equus & vetulus admodum, & fractus laboribus, is fortè situlam vini repertam hausit, eaque potione sic fuit recreatus, ut alacriorem antea nunquam fuerim expertus. Ejusdem argumenti sunt quæ Theophrastus de radice Chamæleonis tempore suo balsamico effossa prodit, quòd non solum vicino vires adimat, & in quovis labore collaborantem à tergo multis parasangis relinqui faciat, sed quod etiam ingenitum animi corporisque robur equo ita accendat, cui illa in os indita, ut in decursionibus parem, quod exemplo probat, minimè habeat. Quis dubitet Anglos gallis suis in medio hominum consessu pro more concertantibus quippiam devorandum dari, c[illegible] virtute fervefactis animis ad internecionem usque saltibus visu egregiis sibi invicem insultent. Neque etiam ab hac animos immutandi facultate fontium

quorundam natura cessat: de quo Ovidius lib. 15. Metamorph.

> Quodque magis mirum est, sunt qui non corpora tantum,
> Verum animos etiam valeant mutare liquores.
> Cui non audita est obscænæ Salmacis unda?
> Æthiopesque lacus? quos si quis faucibus hausit,
> Aut furit, aut patitur mirum gravitate soporem.

Qui ergò primum illud objiciunt, minimè audiendi sunt, si de functione animi & cordis loqui velint, non unicè saltem de dispositione ad hanc ipsam functionem. Sanitas enim ineptè in ipsis functionibus reponitur, cum ab iisdem etiam qui sani sunt, recedant, & quiescant; ubi certè aliquo externo, velut ingenii virtutisque incitabulo calfacto simul refotoque animo, si quid in eo, vel frigidæ tristitiæ, vel torpentis metus, aut verecundiæ fuerit, lætiores, atque ad intentiones masculè capiendas habiliores reddimur.

Aphorismo Hipp. opponitur ejusdem alius, quando dicit: Hominis animam semper refici, usque ad mortem &c. Quod alterum attinet, certum est animam per se divinam, sibi servientem, sibi imperantem, si à corpore absolvatur, impatibilem esse, nec quicquam à Medicina vel ipso corpore accipere; atqui implicata corpori, ἐνσώματος, per ejus officiales, atque administras partes recipit impressiones. Fit ergò talis, qualis & illæ sunt. Hinc quorum perversa corpora, eorum item perversæ cogitationes sunt, sive, quod, Gal. authore 3. de locis affect. cap. 6. anima à partium temperamento mutetur; sive quod corporis & animæ unum esse sit, quod est esse compositi. Proinde & Aristotel. in physiognomicis dicit: ὅτι ἕπονται τοῖς σώμασιν αἱ διάνοιαι, ut in ebrietatibus & morbis de quibus abunde Scaliger exerc. 265.

Quæ supra de aqua magnanimitatis proposuimus, responsa sunt non ad præsentem quæstionem; verum duntaxat ad illam, quæ de aqua ex formicis discutienda mihi erat.

Fabula ergò non est, nec risu dignum: Esse quædam posse, quibus utentibus mens animusque non consistant solùm, ubi aliis velut vi quadam icta labascant, sed & quævis in pericula, præsertim ubi anima vel ortu vel educatione prava, solito multo animosiora, expeditioraque compatentur.

An verò idem hoc de Opio affirmandum sit, quod nempe vel caloris vel frigoris magno excessu, vires haud parum dejicit, vel etiam abdita quadam vi spiritus & sanguinem (quorum tenuitatem, fulgorem & motum consimiles etjam affectus animi sequuntur,) ad motus quoscunque ineptiores & torpidiores reddit, haud parum dubito. Proinde & aliam sententiam in ipsiusmet Turcæ cujusdam fideli revelatione fundatam, & ob id viris doctissimis haud paucis acceptissimam breviter subjungere haud verear. Esse scilicet Turcarum Matslach non Opium, ut Scal. Quercetanus, Bellonius & Sala voluerunt; sed pretiosum Clyssum Gervariæ, à Meizenis Sacerdotibus

tibus Turcicis ex ea planta singulis duodecim annis semel in Trachonitide regione, ad radices Libani diligenti cum observatione temporis, & non nisi solis ipsis cognita præparatione factum, postmodum ad excitandum cupiditates animi & corporis maximè proficuum & nobilem. Cervaria communiter ita dicta, die schwartze oder rothe Hirschwurtz est ἴλαφρις, hoc est, cauda cervi. Statim enim dum in vere germinari incipit, profert à terra comam copiosam & spissam repræsentantem figura sua caudam Cervi: Turcis & Arabibus dicitur Mats. Tota planta subnascitur è radice exterius subnigricante, sed interius subflavescente, estque instar Mastichis odora. Caulem emittit gracilentum & cavum, & instar Ligustri articulatum. Folia ex parili internodiorum situ utrinque æqualiter prominent, suntque lævigata & crassa, aliquantulum rotunda, & per ambitum leniter serrata, ceu in petroselino conspiciuntur, & ex colore viridi in luteum desinunt, suntque boni odoris. Flos est umbellosus & albicans; semen copiosum & angulosum, penè ut semen Angelicæ, odoris suavissimi, saporis verò acerrimi. Gignitur in locis montosis & saltuosis, ubi præsertim feræ silvestres gaudent, quæ lubentissime ea vescuntur, ut nullo modo dubium sit, hanc plantam esse eam, qua Plinio 32. cap. 8. cervæ ante partum purgantur.

Ex hac eadem planta Matslach conficitur, & præparatio istius apud Turcas vulgaris non est, sed arcana, solis sacerdotibus Meizenis in secretis habita, quam ab omnibus aliis etiam domesticis singulari studio absconditam tenent.

Colligunt singulis annis in fine Augusti vel initio Septembris, Venere præsertim vel Jove signum Leonis percurrente, semen, quod magna cura asservatum, & sæpius aëri expositum ventilant, ne noxam aliquam aut mucorem contrahat. Redeunte porrò præparatione solemni, nempe duodecennali tempore, collectum & hactenus studiose custoditum semen omne tundunt, & exprimunt, oleumque inde expressum servant. Deinde Sole medietatem Leonis ferè emenso magnam quantitatem istius Plantæ recentis cum tota substantia & floribus convehunt, ex radice contusa exprimunt succum. Folia, caulem & flores aqua Fluminis Jordani coquunt, & ubi refrixit supernatantem mucilaginem caute aufferunt.

Ex seminis oleo expresso, ex succo radicis & mucilagine hujus plantæ deinceps famosum illud Matslach concinnant. Recipiunt enim mucilaginis istius partes tres, olei & succi ex radice partes singulas; has invicem mistas in situla cum operculo foraminibus hinc inde pervio insolant, eamque per machinulam radiculis transversim infra duplicatis, supra cum asserculis cancellatis à vento instar Crotalæ trusatilem, continuo movent, donec nempe partes omnes invicem probe mistæ in succum exudatum transeant. Hujus inspissati Clyssi seu Matslach drachma una apud ipsos venit viginti Asperis. Magnitudine unius fabæ in Hydromelite solutum, & sumtum Matslach è vestigio animositatem

tatem hominis mirabiliter excitat, & furibundis similes facit, ut sumentes quasi extra se rapti, præsertim in bellis nullum periculum quantumvis maximum reformident. Facit etiam pronos in Venerem.

Verum hujus sumtioni à teneris assuescendum ipsa ratio dictitat. Secus enim periculo non vacat. Quo modo Opii natura quoque mutatur, quo copiosius nemo vesci potest, nisi idipsum ab ineunte ætate, consuetudine, quæ sæpe in alteram transit naturam, didicerit.

Neque etiam vini Plato dixit prorsus temperantes nos satis tutò esse. Nam cui Libentiæ Gratiæque omnes conviviorum incognitæ sunt, quique illarum omnino expers sit, si eum fortè ad participandas ejusmodi voluptates, aut voluntas tulerit, aut casus induxerit, aut necessitas impulerit, deliniri plerunque & capi; neque mentem animumq; ejus consistere, sed vi quadam ictum labascere. Cuicunque ergo Matslach istius usurpandi copia, congrediendum sibi putet, & tanquam in acie quadam cum ista Matslach licentia cominus decernendum, ut adversum illud non fuga tutus sit, nec abstinentia, sed vigore animi, & constanti præsentia, moderatoque & justo usu temperantiam continentiamque tueatur.

De Opii correctione.

De Opii Quercetanæa illa correctione, per tostionem, cujus gratia primum in exigua inciditur frustula, inque patina, orbe, quadrave aliqua adposite, ne se invicem attingant, collocatur, eo usque moderatum ignem substernendo, donec sulphure narcotico & fætido penitus fugato Opium omnem odorem amittat, & plane siccum instar Aloes, reddatur, facileque in pulverem verti possit; quæsitum à multis est, An pro compendiosiori & præstantiori agnoscenda.

Equidem fieri facilè poterit, ut isto ingenio, si medium transiliatur, anima specificaque facultas simul cum venenoso illo sulphure expellatur, nihilque nisi purum cadaver relinquatur. Quippe & hoc in reliquis omnibus succis usu venire cuivis satis est obvium.

Correctio autem medicamentorum Theophrasto teste, non quoad formam esse specificati, sed ad ea duntaxat, quæ esse sensificati sunt, pertinet &c. l. de Carduo Angelico.

Verùm enim verò, cum certo constet, fætidum illud & noxium Opii sulphur, quippe, quod vel odore ipsius tetro testante, planè excrementitium est, & ab Opii genuina essentia diversum; quando tostionem ritè sustinuit, omnemque malignitatem, evaporando exuit, nihilominus facultates verè efficaces præstò habere, adeoque viva nimis operatione, vel levi ἰντερομπράξι intercedente, plurimum negotii facessere, veluti ejus rei testimonia sexcenta adduci possent, quid dubitandum de tostione, si ritè administratur, ac si totam Opii substantiam non exurere & exuere nequeat. Præterquam enim quod Tostio non sit Ustio, Philosophorum etiam sententia, qui Zonam torridam exustam dici non patiuntur, neque utrinque unus idemque terminus, omnis videlicet humidi

humidi exſpiratio, idque magis, quatenus illa in ſuccis & reſinis ad Medicinam adhiberi artis conſuetudo hactenus obtinuit, videmus Rhabarbarum, Gummi Arabicum, Coriandrum, Crocum, & plurima alia torreri, abſque eo, quod anima ſpolientur, & vires perdant ſuas. Quid quod extracta quædam purgantia, veluti Scammoneæ, Colocynthidis &c. quorum energia tamen in tenuiſſima ſubſtantia conſiſtit, ut propriam illam, quam habent formam induant, haud vel minorem vel breviorem caloris impetum, ſuſtineant. Ais non omnem illic ceſſare humiditatem, qualem habeat natura, quod vires ſartas tectaſque ſervet? Nec hic tam moroſe Quercetanum intelligas; quando dicit: quod ignis eo uſque continuari debeat, donec Opium omnem ferè amittat odorem, & omninò ſiccum reddatur inſtar Aloës, & facile in pulverem vertatur; ac ſi de alia loquatur ſiccitate, quam potentiali; ad quam nimirum Opium ſatis toſtum, puta ad halitus inutiles abigendos, licet adhuc roridum ſatis, liquidumque ſuper lamina, tum demum, quando ab igne remotum, refrixumque de facili in pulverem vertatur; de alio item odore, quam quem paulo ante ſulphur fœtidum & narcoticum dixerat.

Si enim de illo bono benignoque ſermocinaretur, undenam tanta Opii correcti fragrantia? Unde vires humido omni deperdito? Odor enim ex aërea humiditate eſt, terrenæ naturæ exuberanti, & calore torrefactæ permixta. Sic enim Ariſtot. in probl. τὰ πυρέμβυα πῶς τῶν ὑγρότητα ἐχόντων ὀλίγην, εὐώδη γίνεται; Ἄχυμα verò & arida prorſus non ſunt odora.

Et hanc eandem ſententiam γνησίως fuiſſe Quercetani, haud obſcure deſumitur ex eo, quod liquorem ſuperfuſum, clarum, & rubicundum inſtar granati adparere adfirmat.

Quomodo enim Opium penitus exuſtum exanimatumque non nigrum, vel ad minimum auſterum præſtaret? Accedit & hoc pro munimento jam facti judicii, quod calorem moderatum, cujus ope ſenſim exhalatio fiat, requirat; Calor verò moderatus, quid commune habet cum calore uſtionis cinefactioniſve? Ideoque adduci non poſſum ut credam, Quercetanum, tantum nempe Medicinæ Pharmaceuticæ Imperatorem, hanc correctionis ſpeciem Opio elegiſſe, quæ omnibus primo ſtatim intuitu abſurda falſaque videretur. Quinimò arbitror eam ipſam ejuſmodi eſſe, quæ non minus utiliter, quam compendiosè, quicquid in Opio diſplicet, auferat, adeoque Opium toſtione hac prudenter adhibita, non inferioris potentiæ nobilitatiſve eſſe, quam quod ullo alio modo præparetur.

Si quis tamen in contrarium adhuc rapiatur, vereaturque Javam Inſulam (ut exemplo utar) quia illa haud procul ab æquinoctiali, adeoq; torrida ſit, quicquam boni producturam; cum tamen nullius rei copia & excellentia cæteris partibus orbis cedit, propter fluminum nempe illis in locis reſtagnantium multitudinem, cujuſmodi medio Opium etiam, ut ut res alias ſe haberet, omninò à corruptione tueri poſſit; ſequentia ad calorem forte nimis torridum retundendum obſervet.

℞. Opii conciſi uncias ij. treſve, ſuper laminam ferream collocato, ſuperfun-

de acetum rosaceum vel simplex, bis terve, singula vice tantum quantum ad Opium spatula instar pastæ hinc inde agitandum miscendumque satis est. Accendatur ignis carbonum moderatus, isque tamdiu duret, donec particula exemta, quamvis adhuc satis humida aut liquabilis, quando restixerit, Aloën quasi referat. Tunc enim cessa, ubi & odoris & humiditatis & efficaciæ, propter humiditatem aceti dissolventem, ustionem restinguentem, naturamque ipsius fixatoriam, plurimum retinueris.

Quemadmodum enim sulphur narcoticum in Opio tenuissimæ maximeque volatilis substantiæ est, quæ quin in coctione primo loco efferatur, nullo modo potest; ita illud ipsum sulphur procul dubio prædicto modo exspirabit; Econtra verò facultas verè anodyna exoptataque, puta quæ partim terrestrioribus Opii partibus, fundum maximè occupantibus, innata & essentialis, ab aceto, quod & ipsum intima sui parte difficulter attollitur, inviolata servabitur.

Ex quo, ceu corollarii loco, admirari omninò subit, quod de arcano illo Helidæi, quocunque etiam modo hactenus vendito, (plures enim & differentes ejus circumferuntur descriptiones,) quidam præclari usque adeò præclarè scribant & sentiant; Quum tamen revera, si res intimius spectetur, ea ipsa parte, qua Medicinam quæsitam vel maximè expectemus, aliud nihil sit, quam sulphur illud narcoticum fætidum, pernitiosum, & detestandum, quod omnes, quicunque de Opio hactenus quicquam boni sibi polliciti sunt, summo studio cavere, à que vera Medicina removere soliti sunt.

Laudanum liquidum.

℞. Opii Thebaici super laminam ferri lentissimo igne exsiccati unc. j.
Croci Orientalis,
Macis ana unc. ß.
Ambræ grifeæ drachm. j.
Spiritus vitrioli albi per urinale destillati unc. iiij.
Aquæ rosarum opt. unc. vj.
Infundantur omnia in vase vitreo, & digerantur per mensem. Deinde facta colatura, abstractaque aqua rosarum servetur ad usum, quo in arcano Helidæi è recenti Opio & nudis allii capitibus destillatis minimè cedit. Dosis ejus à gutt. v. ad 10.

Liquor sine Opio anodynus.

℞. Nucis Muschatæ,
Macis,
Croci Oriental. ana unc. j.
Ambræ grisea drachm. j.
Santali Citrini.
Ligni Aloës,
Cinamomi opt. ana unc. j.
Spiritus vini rectif. unc. xij.
Spiritus vitrioli unc. iiij.
Infundantur sub fimo equino, vel ejus vicario per mensem. Dein colatura separetur liquidum à spisso.

Datur scrupulus semis in Epilepsia suffocatione matricis, vermibus &c. E hoc verum Anodyni Aromatici cap. de Nepenthe aureo in Ternar. Laudan. atta cti exemplum habeatur.

Sul

Sulphur Vitrioli anodynum.

De Sulphure Vitrioli anodyno hæc Authoris nostri sententia hoc in loco non reticenda est: Esse in Vitriolo quippiam Sulphuris naturæ, & anodynum & narcoticum; proque eo in Anatomia Vitrioli Spiritum Vitrioli acidum primum, ut & oleum ipsius suscipit. Quod vero urens sit, & Paracelsicis encomiis in tract. de Sulphure tomo 6. dignum, quod tantam habeat dulcedinem, ut à Gallinis devoretur, easque in somnum conjiciat absque damno &c. ingenue nescit, ut alias, quos inter & nos sumus, plurimi, plurima; scientes Valerii Maximi illā de repulsis γνώμλω: patientia quæri debere, quod gratia impetrari nequiérit.

Utinam vero cap. 8. Ternarii Laudanorum, hæc ipsius sententiæ unica limitatio foret: quod pares cum Opio virtutes habeat. Nam & Paracelso hoc placet: Addit enim: modo illud prodesse, non Opiatico, sine omni noxa, quamvis à Natura ipsa decoctum & correctum tantum.

Interim (quod in haud vulgarem Angeli Salæ laudem cedit,) magnum veracitatis contemptusque gloriosi spiritus signum est in quolibet, quæ prudenti experientia minus comprobavit, etiamsi plurimis vulgarissima, ab iis orationem abrumpere, suamque inscitiam fateri malle, quam quicquam gloriæ dulcedine captum temere falsoque adserere. Plures ab his virtutibus aversi idem non fecere, sed jam substantiam Vitrioli cupream, pro Sulphure paregorico ipsius; jam totum Vitriolum, licet purificatum; jam Colchotar dulcoratum simplicioribus obtruserunt, inque summos labores plures frustra conjecerunt. Argumenta speciatim singula pertexere, ne quid viribus impar suscipiamus, intermittimus, & quæ maxime ad propositum titulo hoc ornanda visa sunt, alterum à Beguino acceptum, procul dubio è Quercetani ποιητικῷ, dummodo is verū Vitrioli Sulphur potius vidit, quam olfecit, alterum è Cheirotechnicis Basilii annotabimus.

Sulphur Vitrioli paregoricum & fixum.

℞. Limaturæ Chalybis mundiss. part. j.
Vitrioli communis elegantis, aut etiam Vitrioli veneris. part. ij.

Trita misce indendo in cucurbitam vitream, & superfuso aceto destillato ad digitum unum, lente ad siccitatem usque in arena coquantur, in fine ad incandescentiam usque urgeantur. Refrigescant, & è sicco pulvere novo aceto ad trium circiter digitorum eminentiam affuso colorem extrahe, digerendo tres ad summum dies. Decapulando filtra, & aliud affunde, donec tinctura non amplius sequatur.

In hoc aceto Sulphur Vitrioli κάυσιμον delitescit. Immitte guttatim de oleo Tartari, donec Sulphur narcoticum totum ad fundum repercussum videas, quod postea, separato aceto, aqua aliquoties affusa, studiose ab acrimonia eluendum & siccandum.

Sulphur Vitrioli dulce anodynon alterum.

℞. Vitrioli opt. q. v. solve in aqua fontana, solutioni deputatæ per residentiam affunde lixivium cineris clavellati, & exæstuando sulphur Vitrioli petet fundum. Hoc age donec sulphur amplius deprimi nequeat, ejus aqua clara existente, magna copia habeatur. Siccatum hoc per se sublima, & fecibus rejectis, additaque dimidia salis Tartari parte per Retortam in Oleum rubicundum destilla; cui postea modicum Aceti infusum pulverem phœniceum præcipitabit, oleo Tartari in aqua restitante, qui ab omni acrimonia bene eluendus.

Hic pulvis affuso Vini Spiritu octiduum circuletur, & optata sulphuris prædicti substantia ad superficiem instar olei Cinamomi separabitur, tritorio secernenda.

Usus.

Ad omnes corporis pravas humiditates consumendas, purificandam matricem, semen fæcundandum, aquam intercutem exsiccandam, sanguinem coagulatum expellendum, & denique aperienda apostemata. Dosis gr. in aqua melissæ, petrosolini &c. continuatus aliquandiu hic usus Lepram, malum alias δυσκαταμάχητον felicissime expugnat, quamvis ratione istius & Viridellus vulgaris suo modo & artificio venenum Elephanticum domare, & vincere super omnia communiter nota possit.

Extractum mumiæ.

℞. Mumiæ ex homine sano, integro, suspenso vel rota contrito, id est, carnis musculosæ fæmoris, brachiorum, aliarumque partium q. s.

Hanc à Luna & Sole semel illuminatam, & constellatam frustulatim conscinde, & adsperge pulvere Myrrhæ, vel tantillo saltem Aloës, postea imbibe, macerando aliquot dies in spiritu vini Sambucino seu Juniperino, suspendatur parum ac iterum imbibatur. Tandem in aëre frustra siccescant, tunc assimilatur carni fumo castigatæ sine fætore. Et postea spiritu vini seu Sambucino secundum artem, Tinctura rubicundissima extrahatur.

Spiritu destillatione abstracto remanet extractum Mumiæ supra in Ternario Bezoard, ad Laudani Benedicti compositionem assumptum.

Quomodo Theriaca de hoc Mumiæ Extracto contra pestem, aliaque venena conficiatur, videre est apud Crollium Basil. Chym. pag. 258.

Extractum Rhabarbari.

℞. Rhabarb. electiss. lib. j.
Cinamomi electi incisi unc. ß.
Santali rubei drachm. ij.

Omnia simul commista digerantur cum aqua Endiviæ, Cichorii, vel etiam aqua pluviali, debita arte destillata ad extrahendam rubram Essentiam. Hoc toties facto, quoties opus est, per alembicum demum menstruum abstrahatur; & in fundo Extractum Rhabarbari erit instar sapæ rubicundissimum.

Leni-

Leniter tutoque vias communes expurgat, & proprietate peculiari, quod ajunt, veneno resistit. Cujus evidentia motus Zacharias à Puteo Med. Venetus in clavi sua Medica rationali pag. 224. sequenti historia adstipulatur: Equidem, inquit, fateri possimus, (Dei permissu) ex frequēti ejusdem (Rhabarbari) masticatione, absque alia antidoto à sævissima pestilentia, quæ anno M. D I C. in Civitate Fluminis Sancti Viti in Liburnia grassabatur, incolumes, & ab omni infectione immunes toto illius pestilentiæ tempore, (quæ per sex, & plures Menses viguit,) vitam protraximus, quamvis multos Lue illa infectos tangere, & cum eis commorari & diversari coacti fuimus.

Ideoque Sala non inconcinne in casu leniter evacnandi corpus Peste infectum, Rhabarbarum aliis omnibus anteferendum existimat.

Præterea adversus icteritiam, lumbricos, (quibus alias hac de causa Diaturbith cum Rhabarbaro in rotulis à ℥j. ad ʒj. maximopere adversatur,) & plures alios Chronicos affectus haud vulgari præstantia pollet.

An verò ad hydropem dotibus ascriptis præditum sit, non omni dubitatione caret.

Comprobare videntur Fernelius, Joh. Baptista Montanus, Heurnius, Valleriola, Zacharias à Puteo, Platerus, Adolphus Ocho, & nuperrimè etiam doctiss. vir D. Heinricus Petrus. Inprimis Adolphus Ocho in lib. Epist. Philosoph. Medicar. ac Chymicarum à summis ætatis nostræ Philosophis extractarum Epist. 15. historiam ex ore proprio Baptistæ Montani refert: Hydropicum in summo periculo constitutum & à Medicis pro desperato derelictum, primò modicè Rhabarbarum sumendo, postea à drachmis ad uncias & tandem ad integras libras, fuisse restitutum, imò eundem in senio acuto gladio lethaliter sauciatum frequenti Rhabarbari usu convaluisse.

Ἔξαρνός ἐστι Capivaccius ἐξετασικώτερος τῆς τελειωτέρας κατὰ μέθοδον ἐξεργασίας. De Rhabarbaro, inquit Pract. Med. lib. 3. cap. 18. nihil dicimus, quia in hydrope est instar pestis, cum non bilis sed pituita sit evacuanda, &c. Verum Rhabarbari usus in hydrope diversimodè considerandus est: Si enim adhibetur ut præservatorium, seu medicamentum vitale, proportionem, & calidum innatum jecoris respiciens, vel humidam ejus intemperiem alterans, & in minore, quam ut omnem bilem deducat, dosi; laudabiles in hydrope usus obtinere omninò potest. Rhabarbarum enim teste Trincavellio lib. Consilior. 1. consil. 12. & de Composi. med. 1. cap. 16. ea ratione quâ calefacit, aperit, qua verò moderatè adstringente virtute præditum est, colligit viscera, & addit illis robur, quæ à frigidioribus & humidioribus redduntur laxa & mollia: roborat autem ventriculum, caloremq; ejus custodit, & jecur mirum in modum juvat, unde est proverbium: quod Rhabarbarum est vita jecoris & ventriculi. Prædicat etiam Averroes de ipso, quod, ut nulla eget correctione, ita alias omnes medicinas corrigat.

Si verò detur ut curatorium seu vacuans materiam, usus ejus omninò improbandus venit.

Et quod hic de Rhabarbaro in genere edissero, idem de Extracto ipsius intelligi haud detrecto. Cum enim purgatrix vis Rhabarbari per se satis benigna sit, fieri non potest, quin coctione ad extrahendas vires necessaria illa plurimum diminuantur. Imo dixerim si cum spiritu vini extractio fiat, omnem purgatricem vim penitus cessare, & urinalem acquiri. Proinde de hoc ejusdemque similibus Extractis, quatenus ad purgandi scopus assumuntur, utut alii illa laudibus prosequantur, angustè sentio.

Reformidant sapores in infusionibus usitatis plerumque à Gratiis alienos? Non est, quod ob id omnes infusiones penitus abjicias. Sunt enim infusionum exemplaria hinc inde, quibus molestissimorum purgantium gratissimè concilantur potiones, & gratiores quàm extracta eorundem concinnari possunt.

Cujus rei unicum hoc non illaudatum, propter Chymiæ æquè in vegetabilibus, quam metallis corrigendis præstantiam multum certè deprædicandam, non effari non volui.

Rhabarbarum & Sena in infusionibus ingrati quæ sunt saporis, Gratiis quomodo concilientur.

℞. Foliorum Senæ. s. s. drachmas v. vel vj.
Aquæ ad infusionem convenientis, cinamomisatæ qv. s.
Crystallorum Tartari acidulorum. ℈j.

Macerentur per viginti quatuor horas,

Expressioni adde

Succi pomorum redolentium recens extracti ℥j ß.
Sacchari Candi ℥ ß.
Albuminis ovorum n. j.

Exquisite prius agitata admoveantur igni ad Albuminis indurationem usque. Colatura per manicam facta detur. Hæc potio non palato tantum grata valdè, sed & oculis.

Si verò consistentia adeò perspicua minus cordi tibi sit:

℞. Foliorum Senæ & Rhabarbar. ana ℥j ß.
Salis Tartari aciduli de quo infra.
Spiritus Cinamomisati ana ʒ ß.
Infunde in brodio primæ decoctionis Gallinæ vel aqua Fragorum. q. s.
In colatura cum mediocri expressione facta solve
Mannæ Calabrinæ vel
Sacchar. finiss. unc. j. detur pro potu.

Extractum Hellebori.

℞. Rad. Hellebori nigri veri, Luna in felici cum Jove vel Venere aspectu existente collectarum, in umbra siccatarum, & à terra, non item à filamentis suis, ut quidam volunt, mundatarum. q. s.

Coque in vino tres circiter horas continuas, in fine augmentando ignem ut bulliant.

Expressis radicibus abjectisque, vinum leni igne, ut ne fortiter ebulliat, exhalet ad consistentiam Extracti.

Dosis ipsius est à granis 8. ad gr. xv. & sæpe ad scrupulum integrum; ad mundifican-

dificandum sanguinem ab adustis præsertim humoribus, ad obstructiones mensium, Vertiginem, Epilepsiam, Melancholiam, & plures alios affectus. Non inconcinnè aliquot olei Mastichis vel Menthæ guttulas admiscueris, dummodo dosis quadamtenus auctior exhibeatur.

Ad eundem usum conferunt dosi semiscrupulari & ultra, præsertim cum extracto alio per inferiora purgante, radices Hellebori nigri phlegmate vitrioli ad calorem arenæ toties madefactæ, & suffumando exsiccatæ, donec non amplius cum fætore venenositatem spirent, sed omni fætore abacto nigricantes & boni odoris relinquantur.

Est enim ita, quod in phlegmate vitriolato plurimorum simplicium purgantium vera lateat præparatio, quo nimirum ut & aliis acidulis ab acrimonia & venenositate sua exquisitè corriguntur, cum aliàs tanquam venena ab usu salutari penitus abdicentur.

Extractum Scammoneæ.

℞. Scammonii opt. q. v. superfunde spiritum vini ad supereminentiam usque quatuor digitorum, & digerendo in B. solve. Calida adhuc trajiciantur per chartam ad feces intercipiendas.

Quod transiit, infundatur in aquam frigidam simplicem, vel rosatam, & tota Scammonii essentia soluta, ab omnibus sordibus, & visciditate quodammodo perpurgata, picis instar coagulabitur.

Exime, inque formam malaxando redige, quam velis. Super porphyrium in pulverem verti potest albissimum, atque adeò quia alias digitis hærens, noxia, verè Resina Scammoneæ est, sive Scammoneum more Spagyrorum depuratum, cujus supra D. Sala in Hydrope & Catarrho mentionem fecit.

Multi certè usus est in Medicina, præsertim cum nulla medicamentorum forma sit, quam non induat.

Quando cum succo Cydoniorum, saccharo & spiritu vini vase optimè clauso maceratur, spiritu postea decolato, purgatorium jucundum concinnabis, cujus dosis ad cochlear unum vel duo satis potens.

In spiritu solutum misce electuario Citriorum vel Cydoniorum circa finem decoctionis, ad lentum calorem decoquendo spiritum, & electuarium Citri vel Cydoniorum purgans præsto habebis.

Cum Tartari vitriolati scrupulo uno mixtum ad ℈ß. vel gran. xv. pulverem reddit egregie catharcticum.

Ita acinis è baccis Sambuci vel ebuli saccharo conficiendis, media crusta ex hac Resina adspersa conficiatur, si confectionem nulla cum molestia aut animadversione purgantem delicatulisque gratissimam volueris.

Hujus diagridii ad modum Paracelsi in manuali, aliquid cum farina & aqua rosarum miscere liceret, & hostiam conficere purgantem.

Hic, quo majori ἐξεργασίᾳ singula lustrentur, pilulas quas magnifacio, diagridiatas ob felicem & multiplicem usum animo deinceps inclusam non geram; sed proferam & præferam clarè, uti sequitur.

Pilul.

Pilulæ Polychrestæ ex Scammoneæ Extracto composito.

℞. Scammoneæ puræ ℥iij.

Colocynth. non recentis sed ad annos aliquot reservatæ, sine interioribus arillis ℥viij.

Extrahe cum spiritu vini & aliquandiu macera.

Postea sevocato menstruo ad extracti molliorem consistentiam usque, misce.

Resinæ Scammoneæ in pulverem conversæ quantum sufficit, ad redigendum omnia in massam pilularem: Dosi granorum ab 8. ad xv. vel ad summum xviij. egregie purgant, apteque inserviunt ut Mercurium & Antimonium ad secessus parata excipiant. Commodissimè exhibentur cum Syrupo violarum uncia una, eandem ob causam, quâ alias post Diagrydiata Syrupi violarum unciam j. s. cum aqua Endiviæ ad Scammoneæ ardorem & incendium reprimendum propinamus.

Quidam suis hisce purgantium extractis iterum atque iterum spiritum vini affundere, iterataque semper extractione destillare consueverunt. Quid ad hoc? Num secundo tertiove hoc extrahendi ritu frustrà (dummodo, quod quærunt eo ipso, virtutis est, non vitii) quærunt, quod in prima extractione in manus felicius acceperunt? Interea verò spiritus vini purgantium vires adeò infringit, ut nisi aucta remedii mole, post sæpius quidem ejusdem factas infusiones, vix ac ne vix quidem quod voti nostri est, perficiant. Hanc ob causam vi nempe purgantium habefactara, ut ne longa præparationum serie peracta, nihilominus ad eandem dosin cum dogmaticis recurrere cogantur, quidam addere dimidiam partem pulverum crudorum solent. Sed ut illud inutile & supervacaneum; Ita hoc parum est Chymicum, arguitque in eventu præparandi ejusmodi ritus imperfectiores esse, quàm ut crudis Galenicorum rudimentis, à quibus se tamen studio prius averterant, carere possint.

Chymia enim promittit, imò τῷ ἔργῳ scit præstare non quod vires medicamentorum præparationis injuria dejiciat, adeò ut vi operandi nobiliori projecta ad spreta prius crassamenta refugere opus habeat, quin potius obstetricatione sua vegetiora singula præstare, inque parvam molem, qua per se alias in usum venire non poterant, contrahere.

Hac eadem reprehensione dignum est, quod sæpenumero in extractis purgantium æque (à quo tamen in superiori compositione singula aromata omittendo nobis meritò cavemus,) ac in aliis purgantium formulis, paucis purgantibus valida multaque calefacientia & siccantia associent, argumento, quod & purgandi scopum complere, & quamlibet noxam medicamenti reprimendo, naturæ intentius prospicere velint.

Quo ipso tamen eo usque progrediuntur, ut si non mole, virtute tamen purgantia ab aromatibus vel superentur, vel impediantur. Hinc ergò necessariò hoc incommodum exoritur: quod & moles medicamenti crescat citra necessitatem; & actio ejus nihilominus enervior evadat;

evadat; Utrobique dum parum concitatur alvus, à leptomeria remedii metus erit, ne agitati ſucci & attenuati nobilibus partibus imbibantur, penitus illapſi validius obſtruant, & denique magis perturbent corpus quam evacuent. Quæ ſingula à plurium Aromatum mixtione dum pharmaco ſtudemus, nos abſterrere merito deberent.

Extractum Caſtorei.

℞. Caſtorei libr. ſ. ſuperfuſo vini Spiritu extrahe in loco calido, poſtea abſtracto ſpiritu ad Extracti conſiſtentiam redige. Hoc ipſum contra ſuffocationes uteri utiliter inſervit, umbilico illitum, vel etiam intra corpus aſſumtum. Valet cum ſpiritu vini ſalviato dilutum contra Spaſmum.

Mel Iuniperinum.

℞. Grana juniperi recentia & matura. In mortario lapideo craſſo modo contundantur. Poſtea ſuperfuſa aqua ebulliant, donec pulpa foras penitus fuerit extracta. Per cribrum trajice agitando benè, vel etiam exprime fortiter.

Quod tranſiit, tunicis & arillis retrò relictis, coque ad mellis conſiſtentiam. Cujus doſis ℥j.

De uſu ipſius conſule Quercetanum in pharm. Beguinum de Theriaca German.

Ternar. Bezoard. cap. xvj. nec non tractat. ipſius de peſte.

Acceſſu Aromatum quorundam velut Zinziberis, Macis, Cubebarum, Calami Aromatici & ſacchari compoſitum magis redditum, inque formam Mithridatii redactum longè præſtantius exiſtimatur, de quo Conrad. Khunrath. in Med. Deſtill. Haud abſimili modo Syrupus ex Ebuli granis, (cujus libræ Fioravanta olei ſulphuris ſcrup. j. aquæ vitæ unc. j. & parum Moſchi addit,) coquitur, inprimis hydropicis & podagricis utilis.

Hujus loci mel Mercuriale foret, de quo idem Ternarius Bezoard. cap. 2. in clyſmate contra inteſtinorum calorem. Quia verò non, ut quibusdem viſum, aliud eſt à vulgari, quod in Diſpenſatorio Colonenſium deſcribitur, de eo hic indignuum ſe per plura diffundere.

Extractum Eſulæ Minoris.

℞. Radicum Eſulæ minoris prout in officinis proſtant, q. v.

Coque lento igne cum aqua ſimplici, ſemper deſpumando dum ſpumat. Aquam inde cola & ſerva. Interea ſuperfundendo aliam, iterum coque. Evapora ad ſpiſſitudinem. Poſtea diſtempera cum ſpiritu vini, & vaſe clauſo ſerva ad calorem ut ſpiritus vini leniter evaporet. Doſis eadem quæ eſt Rulandini, ſcrupulus j. &c. inprimis in Aſcite.

SECTIO QVARTA, De EMPLASTRO MELILOTI.

VAriæ Emplaſtri hujus à multis temporibus uſque proditæ ſunt deſcriptiones. Suum Galeno eſt 8. de Comp. Med. ſ. loc. cap. 5. Suum Tralliano de

quo Rondeletius in officina pharmacop. pag. 125. Cordus in vulgari illo Anisum omittit, in quibus Mesues exemplaribus haud lectum, &c. Sic & Sala proprium habet eodem nomine insignitum & multis aliis præferendum. Prout curat.7. Ternarii Vomitor. fatetur.

In eo ipso Melilotus basis, omnes tumores & dolores in quocunque corporis loco permulcet. Juvant vi emolliente & paregorica: Chamæmelon, Althæa, Fænugræcum, Ammoniacum, Terebinth. Ficus, cera, Materiam emollitam, doloribus mitigatis ratione λεπτομερείας, qua altè subeunt, fortiter incidunt & attenuant: Oleum Laurinum, Nucis Muschatæ, Carvi, Spicæ, Iris, Zedoaria, Cardobened. Tartarus. Præparatum denique discutiunt Ammoniacum, Oleum Spicæ, Laurinum. Ideoque valde confert in omni frigida & crassa materia, in lentis inguinum, bubonibus, tumoribus Ventriculi, Epatis, Lienis, &c. calefacit, attenuat, emollit, aperit, discutit, & suavissimè dolores mitigat. Et tale est:

℞. Meliloti, ℥. decem.
Camomillæ. ℥ viij.
Rad. Althææ.
Fænugræci ana ℥ vj.
Tartari albissimi crudi ℥ iij.
Caricarum ℥ xx.
Aquæ communis lib. x. Infunde per horas xv. Colaturam reduc ad consistentiam extracti. Hujus
℞. Uncias xij. Ceræ, sævi hircini ana ℥ iv.
Gummi ammoniaci depurati ℥ ij.
Terebinth. Laricææ ℥ ij.
Olei Laurini ℥ vj.
Olei Nucis Muschatæ expressi ℥ iij.
Seminis Carvi destill. Spicæ ana ʒ ij.
Florum Meliloti subtiliss. pulverisat.
Zedoariæ.
Carduobenedicti.
Iridis Florent. ana ℥ j.
f. Emplastrum s. a. boni odoris & consistentiæ.

Pilula Angelica.

An & aliud igitur restat sub hâc sectione referendum? Imò & aliud, & alia, si modò tot onera ferendi tua, Lector, ferat patientia. At feret arbitror, si bonus es, dum id fiat tuo bono. Pilulas enim balsamicas dum recenset Author Ternarii Bezoard. agnationis jure & illas, quas moderno tempore Angelicas appellant, sub calamum vocare non indignum. Accede igitur bono animo, has & firmiter tibi imponam, & veritatis vinculis ligabo. Sed quid Author, dum ipsi arcanæ sunt? Ab Authore non habeo, attamen jure bono, & affatim, quod, sicut in scenam actores prodeunt, Poeta latet, ita nomen ipsius, parum candidè olim denegantis illas, consultò omittatur.

Compositio illarum talis est:

℞. Croci Orientalis ℥ ij.
Agaric. albiss.
Costi Indici
Myrrhæ finissimæ ana ℥ iij.
Gummi Ammoniaci
Rhabarb. electiss. ℥ j. ß.
Ligni Aloës ʒ j.
Aloës succotrinæ ℥ vj.
Solve prius ammoniacum in aceto squil-

squillitico, Myrrham in aceto rutaceo, Aloën in succi rosarum ℥xij. & succi Citri vel Arantiorum ℥viij. His mixtis adde Agaricum & Rhabarbarum, utrumque aqua Cinamomi prius adspersum, hoc in succo Cichoreæ, Pimpinellæ, Fumariæ; illud in succo Apii, fœniculi, & Absynthii. (Corrector guttulas aliquot specifici purgantis adsociat:) in formam pulticulæ solutum.

Tum Crocus & lignum Aloës in aqua rosarum & succo Citri diluta inferantur.

Demum affundantur in Cucurbita, Aquarum Borrag.
Betonicæ
Carduibened.
Fumariæ ana unc. octo.
Acrimoniæ
Arantiorum
Cinamomi
Veronicæ ana ℥x.

Stent in Cucurbita cum Alembico cæco in B. per triduum. Postea abstrahantur aquæ ad balneum, ad Syrupi, & postea exiccatione ad pilularem consistentiam.

Cum eandem ferè progeniem habeant cum Aloëdario Marocostino Dn. Mindereri, operæ pretium hic erit, tractatum ipsius, quid de compositione hujus, usu & dosi sentiendum sit, accuratè inspexisse.

Pilulæ Aloëticæ illæ, Moniales dictæ, in Italia, præsertim Patavii magni usus, simpliciores quidem sunt, attamen ad utilitatem non minus compositæ. Hinc Fabricius Aquapendens, Equ. S. Marci, in consultationibus aliquoties, ob multiplicem, imò ferè quotidianum usur in semet probatum, proverbii modo effa batur: Qui exoptat vivere annos Noa multum utatur his pilulis de Aloë. D his autem videatur Johannis Tract. d pilularum ex Aloë cum succo rosarun utilitatibus.

PARS TERTIA.

DE DURIS.

SECTIO I.

De

CRYSTALLIS, MAGISTE RIIS ET SALIBUS.

Sal Absinthii.

℞. SAl Absinthii, seu liquorem ex sal ipsius vulgari in cella factum. De puretur per filtrationem artis; postmo dum exhalatio fiat, ut in frigido quand steterint aliquandiu, in crystallos concre scat. Sic salia instar sacchari Candi fien crystalliformia. Si verò dealbationi eo rundem unicè intentus sis, purification per filtrationem & coagulationem repeti tæ sedulò studeas. Qui enim cineres cun æquali sulphuris parte adhuc semel com burunt, indeque extractione facta sale vegetabilium crystallinos seu transparen tes instar salis petræ, & absque lixivio so sapore promittunt, novi inveni specimen usque adeò laudabile no edunt. Nam non solum salium hyparx

inde immutatur, ſed & vires & ἐνεργεία ſimplicium miſtione ſulphuris perit, quæ utique niſi longa obſervatione præſuppoſita denuò, aliorum antiquitatis experientiis rejectis, conſtare minimè poterunt. Sulphur etiam dixerim ſua pinguedine cryſtalliſationi inimica obſcuritatis potius cauſam ſubdere, non tollere. Ne dicam, ſi ſalia diverſis rebus conſpurcare nihil interſit, plurima alia fore, inter quæ ſal petræ, exemplo Lunæ purgantis, de quo infra, vel etiam ſpiritus ſalis operi ritè interveniens, non infimum haberet locum, quibus ad eadem longè melius pervenire liceret.

Sal Vitrioli.

Sal vitrioli nobis duplex eſt: Alterum relictum, hoc eſt, terra vitrioli mortua, ſive Colchotar indulcatum ſeu inſipidum. Illud ſapidum ſeu acidum, aliquando è capite mortuo; aliquando è vitriolo albo confectum, de quo alibi ſatis. De ſale vitrioli relicto, (ſcilicet poſt deſtillationes & extractiones,) ſeu terra vitrioli mortua hujus duntaxat loci eſt qualem aſſignare:

℞. Colchotar vitrioli perfectum, pulveriſa, affunde aquam calentem quamcunque, bacillo exagita, poſtea permitte reſidere; Aquam remove. (Inde excoquitur ſal prænominatum excoctum, vomitorium abſterſivum non contemnendum in vermibus, Epilepſia, &c. Imò pro verè γνησίῳ habendum remedio in putridis & phagædenicis ulceribus, in fiſtulis. Inſpertum enim mundificat & carni ſupercreſcendæ laudabile ponit fundamentum.) Hoc toties repete, quoties in rejecta aqua vel leviſſimam acrimoniam percipis. Denique cum aqua Veronicæ, in ulceribus curandis verè mirabili ebulliat ad omnimodam ferè aquæ conſumtionem, reſiduo ad lento calore deſiccandum relicto. Hoc ita planè deſiccatum, terra vitrioli eſt ad multos uſus reſervanda. Hoc itidem enim ulcera feliciſſimè ſanat manantia & rodentia, Eryſipelas etiam ulceroſum cohibet, & nova Epidermidis artoſæ ſuperadditione partem ægram veſtit. Cum albumine ovi vel Emplaſtris debitis ſuperpoſita ſynoviam reprimit: Imò quod maximè prædicandum Iſchæmon in vulneribus ſanguinem ad ſyncopen & mortem ſtillantibus ſeu fundentibus præſtat nulli alio ſecundum. Inprimis Mumia inde ad prædictum jam uſum conficitur, pleriſque ex hoc genere anteferenda:

℞. Sanguinis ægri è vulnere ſtillantis, vel ſi promtum paratumque ſemper velis auxilium, agnini vel ovilli; ſtare facito, donec aqua ſeu ſerum à craſſamento ſanguineo, ut fieri ſolet, ſecedat. Sedimentum, aqua rejecta deſicca, imò arefacito prorſus. Huic in pulverem redacto adde Tragacanth. ſpermatis ranarum, terræ benedictæ hujus ana pulveriſ. part. tertiam. f. pulvis vulneribus inſpergendus, Emplaſtroque ſantalino aut alio ſimili tegendus.

Pulvis Bezoardicus ſerpentinus.

Quia & hujus meminit Sala in præfatione, Ternario Bezoardicorum præmiſſa, non pænitebit illum, (qualem in

usu ipsi præ cæteris esse existimo,) hoc in loco annotare. Equidem pulvis serpentinus à Quercetano, Crollio & Sennerto &c. variè descriptus est, non tamen in omnibus ille cum hoc nostro consentaneus, multò minus idem. Ideoque ℞. Serpentes aut viperas in Majo vel Junii principio excluso veneno, exuvias depone. Exime, & abjice intestina & pinguedinem, & caput detruncato. Corpus verò reliquum vino albo cum Myrrha essensificato elutum, ad Solem vel locum quemcunque calidum ad arescendum suspende.

Hinc scinde in minutas particulas, atque super cribrum vel setaceum ad perfumandum rite colloca, suffimento ita parato:

℞. Ligni Aloës elect. unc. j.
Styracis calamitæ,
Gummi Benzoini ana drach. ij.

Perfumata jam in pulverem redige, cum costis simul, & in quamlibet unciam j. adde:

Olei Cinamomi.
Caryophyll.
Nuc. Muschatæ ana gutt. iiij.

Fiet pulvis alexitericus excellens, dosi à scrup. j. ad drachm. j.

Inprimis excellit contra venena maximè quæ sui generis sunt, cum extractis Bezoardicis vel Theriaca exhibitum.

Hartmannus præterea in Causode ad sudorem ciendum commendat. Idem in pleuritide maligna, in hydrope, in tabe & phthisi ab acribus fluxionibus, hic cum sale fusili mixtum, & ad quemlibet cibum assumptum; illic cum aqua Carduibenedicti vel scabiosæ egregium deprædicat remedium.

Cum aqua fumariæ vel similibu non parum confert in affectibus cutaneis imò etiam in Psora, & ipsa Lepra. Pro cul dubio etiam in morbis articularibu locum obtinet. Sic enim Ætius Tetra. 4. ser. 1. c. 97. Quidam viperas tota extendunt, & exsiccant, postea que terunt ac eas in potu contra morbum articularem exhibent, &c.

Imò dixerim in singulis morbis, in quibus salium theriacalium apud veteres usus, cum fructu accommodari posse.

Num verò notam aliquam improbitatis aut malitiæ præ se ferat, quod quibusdam referentibus, præsumptum purgationes effætas inutilesque reddat? De nihilo hoc non arbitror esse. Præterquam enim quod à pluribus observatum sit, à pulveris colubrini usu vel difficulter purgationes successisse, vel ad minimum à tempore purgationis pristinam (ajunt enim semel sumptum aliquot annos Alexiterii officium præstare,) à venenis prophylaxian exspirasse, insuper à rationum quoque momentis munimentum variè accedit. Ea enim viperarum facultas est, ut cuncta in peripheriam corporis trajiciat, qua de causa etiam Elephantiasin curat & cætera cutis vitia.

Et si summum Alexiterium est, ut apud Quercetanum, Crollium, Hartmannum &c. audit, contra omnis generis venena; quidni contra φαρμακα illa purgantia vim ac facultatem aliquam obtineat? Est enim purgatrix vis vehementior media quædam potentia inter alimenta & venena, quam ut Theriaca, ita non minus etiam vipera & vincit & eluit. Quod enim Theriaca vim purgantium remedio-

rum sistit, ac impetum ruentium humorum compescit, non inde proficiscitur, quod Opium, ut quidam opinetur, omnium fluxionum alias restrictivum, in se recipiat. Plurima enim Theriacæ genera, licet de Opio nihil quicquam participantia, eadem virtute pollent; sed inprimis propter Viperæ ingressum, quam à Centro ad superficiem corporis humores ciere, adeoque vim pharmaci frænare posse nullum est dubium.

Ideoque non immerito Doctiss. Heurnius in Meth. ad praxin pag. 355. hanc cautionem purgantibus summittit: ne unquam dum purgare consilium est, Theriaca uramur, nisi frænare vim pharmaci velimus; Etenim illico restagnare à Theriaca laxiore alvi effusionem, &c.

Deinde cum Hartmanni testimonio pulvis hic Arsenici, Napelli, aliorumque corrodentium venena domarit, nec non acribus & tabificis illis fluxionibus in phthisi & pleuritide auxilium fuerit, omnino arbitror, vim ipsi inesse, vel acria demulcendi, vel naturam quasi surdam aut fatuam reddendi; insuper humores incrassandi, & coarctandi vias, quibus stipatum hunc pulverem prædict. effectus tamdiu causam sufficientem dixerim, quamdiu integras illas facultates & immutatas in corpore retinuerit.

Etiamvero hæc ita se habeant, & τὸ ὅτι, quæcunque etiam ejus rei causa admittatur, extra dubium versetur, deterrere tamen ab ejus pulveris usu neminem debent, cum ab eadem accusatione nequidem Theriaca, Opium, Laudana & aquæ Theriacales, immunitatem habeant. Quin potius secundum regulam practicam, Naturam plures eodem tempore & contrarios motus non sustinere, cum temporis ubi purgandi scopus est, ab Alexiterio hoc abstineant, & ubi Alexiterio utendi, cathartica relinquant. Neque etiam subinde eodem pulvere utantur, absque detrimento enim sanitatis illud non fieri posse plane existimo. Sed velut Virtus, Galeno de Melancholia teste, continuo Medicinarum usu sæpius languet, & torpescit, ita discolorata inde sequitur facies, sterilitas & multa alia; sed per longa temporum intervalla semel in casu necessitatis duntaxat usurpetur, nec nisi corpore vel puto antea vel præpurgato satis.

Clarissimus D.D. Johann. Jacobus Guggerus modo ἐν ἁγίοις inter γνήσια, & usu vero comprobata sua remedia dictitabat aliquando Basileæ

Balsamum Serpentum.

℞. Serpentes exsiccatos, abjectis cute, capite, cauda, intestinis & pinguedine q.v. tere, & per cucurbitam in B phlegma abstrahe. Adde Florum Sulphuris per se sublimatorum unc. j. & affusa aqua vitæ tamdiu digerantur, donec Tinctura extrahatur. Aquam vitæ in B. destilla, reliquum per Retortam in arena propelle, & prodibit oleum cum rectificandum, tum cum Sale è semetipso extracto in cineribus ad Balsami consistentiam usque circulandum.

Inter destillandum dicebat in Alembico adparere nivem in imbrem tandem se solventem, cum grandine; iridem item cum multis coloribus, ut & tonitrua

cum

cum corruscatione. Usumque Balsami esse in Peste, Lepra, & lue Venerea, guttatim exhibitum.

Crystalli Tartari.

℞. Tartari albissimi pulverisati lib. ij. iij.

Ebulliant cum aqua fontana in catino non metallico, ut dissolvatur. Cola per manicam Hippocr. in sartaginem terream, vel ligneum aliud receptaculum, (in tali enim ob poros, quibus sorbetur aliqua salis portio, cui semper succedunt aliæ, felicius absolvitur,) inque loco frigido collige Crystallos.

Si prima vice non satis pure prodit, recenti aqua affusa, adhuc semel coquantur, ne tamen pluries, siquidem plus justo coquendo, de albedine aliquid amittitur. Crystallos coagulatos aliquoties aqua fontana ablutos, in vase porcellanico lente exsicca, & super pophyrium multum contere. Erunt ita, propter attenuationem & ingressum aeris, nivis instar candidissimi, & subacidi saporis, unde Acidum Tartari ab aliquibus appellatur.

Aqua residua pura, id est, in qua Crystallos hosce bulliendo liquaveris, aquam illam Tartarisatam præstat menstruum pluribus Extractis idoneum, de quo supra.

Crystallorum vero usus est ad incidendum, & attenuandum crassos quoscunque humores ad omnes obstructiones aperiendas; magis felix, quam Cremoris Tartari. Hic enim propter subtilem nimis aciditatem valde diureticus, in corpore impurgato, cum crassos simul humores præcipitet, tuto exhiberi vix potest. Et quis labor, quis sumptus, tantillo Cremoris totidem Tartari libras consumere, cum Crystallorum prædictorum ad minimum vigesies plus prædicto modo præparaveris? Cautio tamen sit, ne non dissolutum in pulverulenta illa substantia, vel non satis mistum cum jusculo exhibeas. Sicut enim ex quolibet pulvere, cum humidis mistis nascitur gluten; sic & hic metuendum, ne glutine facto venæ circa ventriculum & hepar obstruantur; vel etiam ceu noxia paulo post sumtionem per vomitum, ut observavi, rejiciantur.

Inde potionem leniter purgantem frequentissime conficio, sapore nil quicquam abominabilem, interim propter securam operationem valde benedictam.

Potio benedicta purgatoria extemporanea.

℞. Extracti nostri Benedicti (ex Fol. Senæ & Rhabarb. ana p. ij. Agarici p. j.) à scrup. j. ad drachm. j.
Tartari, ut supra, purificati scrup. j.
Mannæ Calabrinæ unc. ß.

In aqua Fontana seu Fragorum leniter coquantur ad solutionem duntaxat, & colatura additis guttis v. vel sex Elixiris seu spiritus Cinamomi detur pro potu.

Sal Tartari vitriolatum.

Olei Tartari per deliquium facti unc. iij.
Olei seu spiritus Vitrioli unc. fere j.

In loco calido & sicco, (frigida enim & aquea huic operationi sunt contraria,) hoc illi antea ab omni humiditate rectificato guttatim misceatur, & coagulum in fundo

rum sistit, ac impetum ruentium humorum compescit, non inde proficiscitur, quod Opium, ut quidam opinetur, omnium fluxionum alias restrictivum, in se recipiat. Plurima enim Theriacæ genera, licet de Opio nihil quicquam participantia, eadem virtute pollent; sed inprimis propter Viperæ ingressum, quam à Centro ad superficiem corporis humores ciere, adeoque vim pharmaci frænare posse nullum est dubium.

Ideoque non immerito Doctiss. Heurnius in Meth. ad praxin pag. 355. hanc cautionem purgantibus summittit: ne unquam dum purgare consilium est, Theriaca utamur, nisi frænare vim pharmaci velimus; Etenim illico restagnare à Theriaca laxiore alvi effusionem, &c.

Deinde cum Hartmanni testimonio pulvis hic Arsenici, Napelli, aliorumque corrodentium venena domarit, nec non acribus & tabificis illis fluxionibus in phthisi & pleuritide auxilium fuerit, omnino arbitror, vim ipsi inesse, vel acria demulcendi, vel naturam quasi surdam aut fatuam reddendi; insuper humores incrassandi, & coarctandi vias, quibus stipatum hunc pulverem prædicti effectus tamdiu causam sufficientem dixerim, quamdiu integras illas facultates & immutatas in corpore retinuerit.

Etiamvero hæc ita se habeant, & τὸ ὅτι, quæcunque etiam ejus rei causa admittatur, extra dubium versetur, deterrere tamen ab ejus pulveris usu neminem debent, cum ab eadem accusatione nequidem Theriaca, Opium, Laudana & aquæ Theriacales, immunitatem habeant. Quin potius secundum regulam practicam, Naturam plures eodem tempore & contrarios motus non sustinere, cum temporis ubi purgandi scopus est, ab Alexiterio hoc abstineant, & ubi Alexiterio utendi, cathartica relinquant. Neque etiam subinde eodem pulvere utantur, absque detrimento enim sanitatis illud non fieri posse plane existimo. Sed velut Virtus, Galeno de Melancholia teste, continuo Medicinarum usu sæpius languet, & torpescit, ita discolorata inde sequitur facies, sterilitas & multa alia; sed per longa temporum intervalla semel in casu necessitatis duntaxat usurpetur, nec nisi corpore vel puto antea vel præpurgato satis.

Clarissimus D.D. Johann. Jacobus Guggerus modo ἐν ἁγίοις inter γνῆσια, & usu vero comprobata sua remedia dictitabat aliquando Basileæ

Balsamum Serpentum.

℞. Serpentes exsiccatos, abjectis cute, capite, cauda, intestinis & pinguedine q.v. tere, & per cucurbitam in B phlegma abstrahe. Adde Florum Sulphuris per se sublimatorum unc. j. & affusa aqua vitæ tamdiu digerantur, donec Tinctura extrahatur. Aquam vitæ in B. destilla, reliquum per Retortam in arena propelle, & prodibit oleum cum rectificandum, tum cum Sale è semetipso extracto in cineribus ad Balsami consistentiam usque circulandum.

Inter destillandum dicebat in Alembico adparere nivem in imbrem tandem se solventem, cum grandine; iridem item cum multis coloribus, ut & tonitrua

cum

cum corruscatione. Usumque Balsami esse in Peste, Lepra, & lue Venerea, guttatim exhibitum.

Crystalli Tartari.

℞. Tartari albissimi pulverisati lib. iij. iiij.

Ebulliant cum aqua fontana in catino non metallico, ut dissolvatur. Cola per manicam Hippocr. in sartaginem terream, vel ligneum aliud receptaculum, (in tali enim ob poros, quibus sorbetur aliqua salis portio, cui semper succedunt aliæ, felicius absolvitur,) inque loco frigido collige Crystallos.

Si prima vice non satis pure prodit, recenti aqua affusa, adhuc semel coquantur, ne tamen pluries, siquidem plus justo coquendo, de albedine aliquid amittitur. Crystallos coagulatos aliquoties aqua fontana ablutos, in vase porcellanico lente exsicca, & super pophyrium multum contere. Erunt ita, propter attenuationem & ingressum aeris, nivis instar candidissimi, & subacidi saporis, unde Acidum Tartari ab aliquibus appellatur.

Aqua residua pura, id est, in qua Crystallos hosce bulliendo liquaveris, aquam illam Tartarisatam præstat menstruum pluribus Extractis idoneum, de quo supra.

Crystallorum vero usus est ad incidendum, & attenuandum crassos quoscunque humores ad omnes obstructiones aperiendas; magis felix, quam Cremoris Tartari. Hic enim propter subtilem nimis aciditatem valde diureticus, in corpore impurgato, cum crassos simul humores præcipitet, tuto exhiberi vix potest. Et quis labor, quis sumptus, tantillo Cremoris totidem Tartari libras consumere, cum Crystallorum prædictorum ad minimum vigesies plus prædicto modo præparaveris? Cautio tamen sit, ne non dissolutum in pulverulenta illa substantia, vel non satis mistum cum jusculo exhibeas. Sicut enim ex quolibet pulvere, cum humidis misto nascitur gluten; sic & hic metuendum, ne glutine facto venæ circa ventriculum & hepar obstruantur; vel etiam ceu noxia paulo post sumtionem per vomitum, ut observavi, rejiciantur.

Inde potionem leniter purgantem frequentissime conficio, sapore nil quicquam abominabilem, interim propter securam operationem valde benedictam.

Potio benedicta purgatoria extemporanea.

℞. Extracti nostri Benedicti (ex Fol. Senæ & Rhabarb. ana p. ij. Agarici p. j.) à scrup. j. ad drachm. j.
Tartari, ut supra, purificati scrup. j.
Mannæ Calabrinæ unc. ß.

In aqua Fontana seu Fragorum leniter coquantur ad solutionem duntaxat, & colatura additis guttis v. vel sex Elixiris seu Spiritus Cinamomi detur pro potu.

Sal Tartari vitriolatum.

Olei Tartari per deliquium facti unc. iij.
Olei seu spiritus Vitrioli unc. fere j.

In loco calido & sicco, (frigida enim & aquea huic operationi sunt contraria,) hoc illi antea ab omni humiditate rectificato guttatim misceatur, & coagulum in

fundo dabitur albiſſimum. Repone paulisper, & cum tempore major fiet residentia.

Aqua ſupernatans pro Diuretico inserviat; vel evaporet, & major Salis copia ſuppeditabitur.

Ego Sali Tartari per extractionem è calce ipſius facto puriſſimo, Oleum Vitrioli æquali fere proportione admiſceo, & ad ignem primum exſiccando, poſtmodum fortiter calcinando, idem felicius obtineo.

Qui nauſeabundum ejus ſaporem averſantur, cum ſpiritu vini, digerendo ſcilicet & deſtillando, mitius præſtant.

Valet pro univerſali fere digeſtivo. Hac enim in parte Crollio adſtipulari non poſſem, quando in omnibus tam corporum, quam humorum præparandorum indicationibus Univerſale prædicaret.

In morbis tamen ab obſtructione ortis inprimis excellit: velut in Febribus, Melancholia, Hypochondriaca, Nephritide, Hydrope, (in Hydromelite Enulato,) Virginum cachexia, &c.

Ubi memoria haud indignum, quod quiſpiam Italus de eodem hoc Magiſterio: Germanica verſio ſic habet: Dieſe Tranſmutation iſt gleichsfals alſo beſchaffen/ daß man ſich ihrer gnugſam hat zu verwundern / und verhält ſich alſo: Man thut des allerbeſten Vitriolöhls in ein enghälſig Glaß / geuſt gleich ſo viel Weinſteinöhl drauff / und wann es zehen Tage über einander geſtanden / vermiſcht man deſſen ein Quintlin mit ij. Loht Aquæ Vitæ, und wäſcht die hohle Geſchwär damit/ es heilet dieſelbe in kurtzer Zeit über die maſſen fein / wie gleichfals allen unverdawlichen Grind / und andere dergleichen Schäden/ &c. Si quod Mercurius vitæ ſolubile atque iterum in Sal reductile habet, oleo Spirituve Vitrioli ſuperfuſo excipiatur, & in medicamenti hujus unionem adoptetur, κάτω purgans oppido obtinueris.

Sal Armoniacum regeneratum.

Si cum ſale fuſo mixtum ter quaterve ſublimatur, puriſſimum evadit, & in febribus, Quartana præſertim, haud vulgaris uſus. Sed & reſolutum in aqua calida, & per chartam trajectum, poſtea evaporata aqua ſecundum artem in cryſtallos redactum, tanto puritatis nitore ſplendebit, ut in pulverem ſubtiliter tritum, ſublimationibus nihil cedat.

Ex hoc cum quatuor partibus cinerum miſto deſtilla per Alembicum ſpiritum Salis Armoniaci; qui cum æqualibus partibus ſpiritus vini mixtus, & plumaceolo loco à podagra dolenti illitus, confeſtim dolores reſtringere ſcribitur.

Cryſtallum Minerale cum Saccharo.

De Nitro præparato hoc ipſemet Author cap. 4. Ternarii Bezoardic. Verum ut ne urinoſus ſapor moleſtiam pariat, cum ſaccharo conficiatur hoc modo: Nitro ſcilicet ad Salæ mentem liquato, per Sulphur accenſo, iterumque in aqua Roſarum ſoluto decoctoque, inter coagulandum ſaccharum immiſceatur anatica fere proportione, donec miſcendo acquirat duritiem. Vel ſolve ſaccharum in aqua Roſarum; poſtmodum etiam Sal Nitri purificatum; coque ſecundum artem

tem, ut in doliolis in cella colligantur Cryſtalli. Varios hoc habet uſus, de quibus alibi.

In hæmorrhagia vulnerum intro ſumptum cum aqua Cerefolii, vel fontana Wirtzius pro arcano habet lib. 4. Chirurgiæ c. 4.

Magiſterium Lunæ dejectorium, ſeu Luna purgans hydragoga.

Primò omnium habeatur menſtruum hoc;

℞. Vitrioli albificati part. ij. vel lib. ij.
Salis nitri refinati lib. j.

Deſtillentur in aquam fortem ſ. a. Poſtea

℞. Lunæ per Saturnum à pollutione venerea, & ſpiritum crudi Mercurii, & ſulphuris non fixi conſortio purgatæ & laminatæ unc. j.

Aquæ fortis prædictæ unc. x. plus minuſve, ſecundum quod ſpiritibus magis minuſve prægnans.

Stent in Matracio ſuper cinerem, donec argentum fuerit ſolutum & liquor evadat cæruleus.

Tum immiſce ſalis nitri fixi abſque additione præparati unc. ſ. vel integram. Sic enim ſpiritus nitrales melius figuntur, & in priſtinum corpus redeunt. Colloca digeſtionem in fimum equinum per menſem philoſophicum. Poſtea phlegma in B. M. deſtilla, ut vix tertia pars reliqua maneat. Utrumque ſerva diligenter.

Tertiam illam partem reſiduam per cucurbitam latam, non nimis altam & ad notas perfectionis diſcernendas, (quando enim pars baculo exempta albicans fuerit, deſiſtendum eſt,) apertam, in arena igne ſecundi gradus per horas tres quatuorve deſtilla. Sine refrigerari, & fracto vitro lutoq; remoto invenies Lunam inſtar alabaſtri aliquando totam nigerrimam, aliquando ſupernè candidam ſtellatamque.

Lunam hanc in fruſtula fractam infunde parumper per horas 5. vel 6. in ſuo phlegmate ante abſtracto in B. M. vel arena & diſſolutione pulcre defæcabitur. Separa purum ab impuro, & in loco frigido cryſtallos collige. De reliquo menſtruo extrahe parum aquæ, iterumque in cellam depone, & totum illud in cryſtallos conficies. Hos lente exſicca & adſerva.

Verum hoc eſt, & verius, quam unquam hactenus quod ſcio, proditum eſt, D. Angeli Salæ illud Magiſterium Lunæ dejectorium in Ternar. Bez. cap. de Hydrope, in diluvio Microcoſmi hydragogum ſpecificum. Egregie enim & ſupra quam cogitari poteſt, omnes aquas è corpore, ad grana tria vel quatuor duntaxat cum vino malvatico vel ſpiritu vini dilutum, dejicere perhibetur.

De quo vide curationes in lib. de 7. Planetis enarratas. Cum a. dubitare de illarum certitudine quis poſſet, deque acrimonia ipſius medicamenti facile mali quid ſuſpicari, facere non potui, quin ea quæ nuper in epiſtola ipſemet Author ad me dedit, huc transferrem.

Ie proteſte, inquit, devant Dieu eſtre vray les obſervations des cures, qu'en ay rapportées en mon Liuret ſeptem Planetarum &c. comme auſſi je pren Dieu pour teſmoing, que j'en ay pris moy meſme, ſans aucune offenſe de mon corps, il

y a desja 16. ans environ. Item, en baillé à ma Femme, à mes autres parents, & a d'autres mes grands amys, sans nulle reproche, & heuresement, ce qui a fait & fait un Apotiquaire Medecin in Vultutena, au quel je luy apris à le preparer. Les raisons aussi, que j'allegue au susdit liure; Item, la consideration, q' on peut faire touchant la nature de l'Argent, Nitre & Vitriol, la maniere de l'administrer, & autres circonstances, nous asseurent que ce n' est pas un venin, quoy qu' il soit aucunement corrosif & acre: Il peut aussi estre, que selon la diligence, qu' on use une fois plus ou moins que l' autre, en le preparer, soit cause, qu' il soit une fois plus acre que l' autre. En somme, il faut le considerer tel, qu' il est en sa nature. Comme il nous faut considerer l'Euphorbium, Tytimales & autres Medicaments acres, lesquels neantmoins, estant usez par la main d' un Medecin, produisent souvent des bons effets, quoy qu' autrement quelque fois ratione subjecti, ou par autres respects ils produisent contraires effets a ce qu' on espere. Que ce Malade, qui vous est mort, cela soit advenu par raison du Medicament, je ne puis bien croire, ains par quelq' autre cause inconnue. Car es cures des Hydropiques il se represente maintes difficultes, comme que vous savez. I'ay veu bailler a un Hydropique 8. goutes de Spiritus Salis avec Julep de Roses, & aromatisé avec Aqua Cinamomi, qui luy fait vuider une grande quantité d'eau par les urines, & portat grand allegement, comme il sembloit de voir, neantmoins le lendemain il mourut. En somme, si vous y trouvés scrupule d' en user, il faut mieux de desister. Quand a moy, voyant estre un Medicament, lequel on s' y peut grandement opposer, pour eviter calomnie, & autres resgards, je n' en ay usé il y a long temps, ny moins en use davantage, ayant tant d' autres bons Medicaments; qui peuvent suppléer sa place, ce que vous pourrez faire, &c.

Ideoque stante prædicta hujus medicamenti nobilitate, affirmare non vereor, Medicum istius aut Rosæ Mineralis quæ vix minor, & DD. Sanctorii Professoris Patavini mirabilis paracentheseos, uti & confortantis cujusdam Epatici auxilio, quale Diacubebe Paracelsi, rite gnarum, vel omnes aquas inter cutem curabiles abarcere, vel quosvis alios Medicos nihil posse.

Neque illud mirum, cum argentum in cœlo philosophico instar Lunæ terrestris, reliquorum Planetarum omnium influxibus, maritatum, omnium illorum vires expleat, de quo vide Paracels. in libr. vexat. can. 6.

Quidam ut in Gallia expertus sum, hoc idem Lunæ vitriolum cum spiritu nitri solum concinnant: Lunam scilicet purgatam, per solutionem, digestionem & spirituum volatilium destillationem iterato factam, fixis nitri spiritibus bene augmentant. Postmodum abstracto phlegmate residuo, interveniente digestione in liquorem quasi viscosum redigunt, & in loco frigido concrescere faciunt. An tamen hoc cum nostro Magiste-

gisterio idem valeat, adhuc nescio. Novi tamen hujus ipsius artifices panaceam vix magno illo Sapientum Magisterio minorem polliceri: Si Vitriolum Solis in debita proportione ipsi conjunctum, in Athanoreomnium colorum Sphæras præcise percurrerit, tandemque in rubedine perstiterit. Aqua illa viridiuscula à Luna præcipitata quæ restitat, & spiritibus nimis nitrosis spoliata jam est, scabiem manuum pedumque illita tantum, præmissis tamen præmittendis, perfecte tollit.

Nec reticere hoc in loco possum: hanc ipsam Dianam in Lucum suum cum Athletis procis suis deductam, & loci lubricitate, ut per Actæonis salutationem in deliquio cadat, deceptum, mirabile artificium, secreti libelli testimonio, præstare. Si eam ipsam in vase vitreo à perlis obscuris destillando abstraxeris, eo modo ut ne perla una tangat aliam, nitor perlis perfectissimus conciliabitur. Quidam addunt illam à sordibus purgatam, oleosoque Salis Mercurii liquore refocillatam, & in Balneo demum per sudores ab effervescentiis biliosis liberatam, omnibus alvi humorumque restrictione ægrotantibus, æque viris quam fæminis, usu præsentissimum fore.

Sunt vicini nostris regionibus Medici, qui Aurum & Argentum purgantia ad varios affectus summopere extollunt; vix tamen persuaderi mihi patior, facultatem purgatoriam vel unice Auro & Argento, vel æque illis, ac vel aquæ forti, vel Mercurio simul meteorisato aut præparato, ascribi jure posse.

Multorum etiam Lunam purgantem nihil, quam Mercurium dulcem, sub tali tamen nomine summe ab ipsis derisam, fuisse certis notis experior.

Nec desunt, qui dum Lunam in aqua forti solutam, iterumque præcipitatam cum Saturni duplo pondere admixta, ad ignem confluere faciunt, & refrixari, sal Lunæ volatile album & dulce in superficie reperiri affirmant, (oculorum obtutum facile effugit,) quod ad omnes Cerebri affectus, ad Hydropem, profluvia & retentiones mensium, item Scorbutum à granis quatuor ad octo pro maximo secreto reservant. Quomodo tamen, (etiamsi non vulgarem Medicinam esse, à viris peritis habeo,) sal Lunæ potius quam vel spirituum nitrosorum ex aqua forti efflorescentia, vel sal plumbi volatile fit, cum Luna eodem pondere in corpus, suo artificio, redeat, doctioribus judicandum relinquo.

Laudat venales qui vult extrudere merces.

Magisterium Corallorum & Perlarum.

Simplicissimus ejus apparatus est:

℞. Corallorum q. v. Aceti nostri Philosophici, id est, spiritus Vitrioli Philosophici, ad sufficientem supereminentiam. Stent per noctem in calore, ut fiat solutio. Decanta, & filtra per chartam. Mox reliquis aliud affunde acetum, absolvendum, eo usque illud repetendo, donec penitus, quod reliquum est, non nisi fecibus remanentibus solvatur. Colaturæ instilletur oleum Tartari, ut pulvis dejiciatur. Hunc seorsim positum elue aqua fontana aliquoties. Tum post-

quam excitaveris, res in vado erit. Valde quidem confert ad hominis naturam roborandam, multorum testimonio à scrupulo semis ad scrupulum integrum. Dubito tamen præsertim de perlis, cum hoc nostro tempore tam carè veneant, ne pretium earundem Medicinæ juvandi promptitudinem & præstantiam longius excedat, quam ut alia ad hanc eandem medicamentorum classem manifestius pertinentia, viliori pretio comparanda, his ipsis postponendi negligendique justam habeamus causam.

Quid porro virtutum Corallia in se habeant, quando in butyraceam & in ore liquabilem substantiam parantur, de quo non-nemo inter Neotericos, parum expertus affirmare non ausim. Quantum vero de ipsius præparandi modo conjicere est, vix aberit, quin Spiritus vini solutioni Corallorum per alium spiritum factæ interveniens istius, coagulationis causam suppeditet. Nam spiritus confusi se agunt mutuo & dissipant subtilissimas suas partes. Ideoque corpus antea solutum ex parte à spiritu solutionem sustinente deferatur, inque spissiorem pristinæ illius æmulam formam redeat, necesse est.

Simile namque videmus in hoc: ℞. Corallorum unc. vj. Auri unc. ʃ. Rore Solis Philosophici &c. soluta confundantur, & ubi per noctem steterint, affuso spiritu vini donec Tragacanthi soluti instar crassescant, destilla per Baln. quod destillari aptum est. Materiæ in fundo nigricanti aquam affunde sæpius, ut edulcoretur.

Denique arenæ inferantur, igne ad vasorum incandescentiam usque durante, & Corallia sanguinis instar rubicunda, tenuis admodum substantiæ, reperies.

Et huc respicit thesis Disputationis Giessæ habitæ: Humani cerebri substantiam respondere sali perlarum per infusum vini spiritum coactæ, siquidem indito eo sale spiritus vini velut butyrescat. Posset tamen idem fortasse à spiritu salis ut næ vel nitri proficisci. Vidi enim lapidis Lazuli solutionem hisce factam in gelu abiisse, formam scilicet à butyracea non usque alienam. Sed manum de tabula.

Hoc unum saltem notandum; prædictum Magisterium, etiamsi à multis pro sale Corallorum venditetur, sal tamen revera non esse; quippe quod ex toto citra extractionem, impuritatibus duntaxat ablatis elaboratur, cum sal è calcibus extrahendus veniat, ita ℞. Corallos post extractionem Tincturæ residuos, (Corpus q. mortuum,) cum sulphure rite, & si opus est, aliquoties, donec scilicet plane in cineres vertatur; calcina. Ex his cineribus superfusa aqua urticæ minoris destillata, mediante hebdomadali digestione in B. postremo ad ebullitionem excalfacto, sal extrahatur, à fecibus per filtrum separandum & usque ad cuticulam evaporandum. Sic enim in frigido eleganter concrescit, & laudatissimos usus habet in morbis dissolutis, in ventris fluxionibus, & hæmorrhagiis qualibuscunque, quibus alias præcedens Sal non Sal Corallorum opponitur.

Dosis à gr. vj. ad x. in aqua plantaginis vel Syrupo Cydoniorum.

Vitri-

Vitrum Antimonii hyacinthinum.

℞. Antimonii opt. q.v. Tere & pone cum olla non vitreata super ignem lentum & incipiet fumigare. Rutabulo in extremo reflexo & prolixi manubrii agita sedulo, ne adhæreat. In nodos forte si concrescat, iterum tere, & ad ignem denuò colloca, procedendo, ut prius, donec ad fumum non amplius evomat, nec in nodos concrescat, sed maneat in forma pulveris. Id quod octo ferè horarum spatio perficitur. Refrixum in olla fusoria colloca ad furnum anemium, per tres circiter horas, ut penitus fundatur, idque mox funde super pelvim æneam, vel modulum pro libitu effigiatum. Vidi enim Lubecæ vasculum hoc ex vitro ad modulum insufflando egregie fabrefactū, à cujus liquore quocunq; per noctem infuso purgationes feliciter succedebant, de quo etiam Quercet. & Libavius. Usum vitri Antimonii, quamvis plurimis cane pejus & angue exosum redditum, non dici potest, quam felicem in plurimis vomitione opus habentibus morbis expertus sim. Communiter tali forma usui inserviebat meo:

Iulep Hemeticus.

℞. Vitri hujus rite præparati drachmas ij.
Vini Hispanici ℥ vj.
Syrupi violarum ℥ j.
Olei Tartari guttas aliquot.

Macera ita per noctem, hinc facta colatura detur dosi cochl. j. ij. Cum oleo Vitrioli, loco olei Tartari assumto amethystinum colorem conciliabis.

Cæterum Vitro hoc antimonii cum media parte Auri per antimonium purgati, & in tenuissimam calcem redacti, fuso, & per digestionem virtute aceti radicati optime defæcati, Tinctura inde extracta, mox post destillationem restitante pulvere abluto, & cum spiritu vini per octiduum circulato, eoque iterum vel ad pulverem abstracto, vel forti igne per Retortam depressiorem, oleo ultimo propulso Medicina inde habebitur paucis guttis Diaphoretica longè excellentissima.

Purgat etiam satis promtè, si Basilio credendum, addita Essentia Rhabarbari, & Tinctura Corallorum, quod qua ratione fiat, consulatur idem Basilius Valent. in Curru Triumphali.

Aurifices sumunt Sulphuris Antimonialis hujus partes iv.
Auri, part. j.

Conjungunt cum aquæ Mercurialis Auri solutoriæ part. ij. Et cum sigillo Hermetis coagulant, & figunt, ad Tincturam pro Luna & Mercurio, ut in aurum abeant, comparandam.

Spiritum etiam proliciunt ex prædicto Vitro, quando Vitri lib. j. cum Farinæ laterum & salis montani ana, in globulos mixta, per Retortam loricatam, s.a. destillant, &c. qui multis usibus accommodatissimus perhibetur.

Hujus loci est Antimonium beneficio Aceti, quod Author Ternarii Laudanorum cap. 7. memorat ex Hemetico Bezoardicum factum, ut sequitur.

Alexiterium Antimoniale.

℞. Vitri Antimonii Hyacinthini q.v.

Aaaaa 3 In

quam excitaveris, res in vado erit. Valde quidem confert ad hominis naturam roborandam, multorum testimonio à scrupulo semis ad scrupulum integrum. Dubito tamen præsertim de perlis, cum hoc nostro tempore tam carè veneant, ne pretium earundem Medicinæ juvandi promptitudinem & præstantiam longius excedat, quam ut alia ad hanc eandem medicamentorum classem manifestius pertinentia, viliori pretio comparanda, his ipsis postponendi negligendique justam habeamus causam.

Quid porro virtutum Corallia in se habeant, quando in butyraceam & in ore liquabilem substantiam parantur, de quo non-nemo inter Neotericos, parum expertus affirmare non ausim. Quantum vero de ipsius præparandi modo conjicere est, vix aberit, quin Spiritus vini solutioni Corallorum per alium spiritum factæ interveniens istius, coagulationis causam suppeditet. Nam spiritus confusi se agunt mutuo & dissipant subtilissimas suas partes. Ideoque corpus antea solutum ex parte à spiritu solutionem sustinente deseratur, inque spissiorem pristinæ illius æmulam formam redeat, necesse est.

Simile namque videmus in hoc: ℞. Corallorum unc. vj. Auri unc. ſ. Rore Solis Philosophici &c. soluta confundantur, & ubi per noctem steterint, affuso spiritu vini donec Tragacanthi soluti instar crassescant, destilla per Baln. quod destillari aptum est. Materiæ in fundo nigricanti aquam affunde sæpius, ut edulcoretur.

Denique arenæ inferantur, igne ad vasorum incandescentiam usque durante, & Corallia sanguinis instar rubicunda, tenuis admodum substantiæ, reperies.

Et huc respicit thesis Disputationis Giessæ habitæ: Humani cerebri substantiam respondere sali perlarum per infusum vini spiritum coactæ, siquidem indito eo sale spiritus vini velut butyrescat. Posset tamen idem fortasse à spiritu salis urinæ vel nitri proficisci. Vidi enim lapidis Lazuli solutionem hisce factam in gelu abiisse, formam scilicet à butyracea non usque alienam. Sed manum de tabula.

Hoc unum saltem notandum; prædictum Magisterium, etiamsi à multis pro sale Corallorum venditetur, sal tamen revera non esse; quippe quod ex toto citra extractionem, impuritatibus duntaxat ablatis elaboratur, cum sal è calcibus extrahendus veniat, ita ℞. Corallos post extractionem Tincturæ residuos, (Corpus q. mortuum,) cum sulphure rite, & si opus est, aliquoties, donec scilicet plane in cineres vertatur, calcina. Ex his cineribus superfusa aqua urticæ minoris destillata, mediante hebdomadali digestione in B. postremo ad ebullitionem excalfacto, sal extrahatur, à fecibus per filtrum separandum & usque ad cuticulam evaporandum. Sic enim in frigido eleganter concrescit, & laudatissimos usus habet in morbis dissolutis, in ventris fluxionibus, & hæmorrhagiis qualibuscunque, quibus alias præcedens Sal non Sal Corallorum opponitur.

Dosis à gr. vj. ad x. in aqua plantaginis vel Syrupo Cydoniorum.

Vitri-

Vitrum Antimonii hyacinthinum.

℞. Antimonii opt. q.v. Tere & pone cum olla non vitreata super ignem lentum & incipiet fumigare. Rutabulo in extremo reflexo & prolixi manubrii agita sedulo, ne adhæreat. In nodos forte si concrescat, iterum tere, & ad ignem denuò colloca, procedendo, ut prius, donec ad fumum non amplius evomat, nec in nodos concrescat, sed maneat in forma pulveris. Id quod octo ferè horarum spatio perficitur. Refrixum in olla fusoria colloca ad furnum anemium, per tres circiter horas, ut penitus fundatur, idque mox funde super pelvim æneam, vel modulum pro libitu effigiatum. Vidi enim Lubecæ vasculum hoc ex vitro ad modulum insufflando egregie fabrefactũ, à cujus liquore quocunq; per noctem infuso purgationes feliciter succedebant, de quo etiam Quercet. & Libavius. Usum vitri Antimonii, quamvis plurimis cane pejus & angue exosum redditum, non dici potest, quam felicem in plurimis vomitione opus habentibus morbis expertus sim. Communiter tali forma usui inserviebat meo:

Iulep Hemeticus.

℞. Vitri hujus ritè præparati drachmas ij.
Vini Hispanici ℥ vj.
Syrupi violarum ℥ j.
Olei Tartari guttas aliquot.

Macera ita per noctem, hinc facta colatura detur dosi cochl. j. ij. Cum oleo Vitrioli, loco olei Tartari assumto amethystinum colorem conciliabis.

Cæterum Vitro hoc antimonii cum media parte Auri per antimonium purgati, & in tenuissimam calcem redacti, fuso, & per digestionem virtute aceti radicati optime defæcati, Tinctura inde extracta, mox post destillationem restitante pulvere abluto, & cum spiritu vini per octiduum circulato, eoque iterum vel ad pulverem abstracto, vel forti igne per Retortam depressiorem, oleo ultimo propulso Medicina inde habebitur paucis guttis Diaphoretica longè excellentissima.

Purgat etiam satis promtè, si Basilio credendum, addita Essentia Rhabarbari, & Tinctura Corallorum, quod qua ratione fiat, consulatur idem Basilius Valent. in Curru Triumphali.

Aurifices sumunt Sulphuris Antimonialis hujus partes iv.
Auri, part. j.

Conjungunt cum aquæ Mercurialis Auri solutoriæ part. ij. Et cum sigillo Hermetis coagulant, & figunt, ad Tincturam pro Luna & Mercurio, ut in aurum abeant, comparandam.

Spiritum etiam proliciunt ex prædicto Vitro, quando Vitri lib. j. cum Farinæ laterum & salis montani ana. in globulos mixta, per Retortam loricatam, s.a. destillant, &c. qui multis usibus accommodatissimus perhibetur.

Hujus loci est Antimonium beneficio Aceti, quod Author Ternarii Laudanorum cap. 7. memorat ex Hemetico Bezoardicum factum, ut sequitur.

Alexiterium Antimoniale.

℞. Vitri Antimonii Hyacinthini q.v.

quam excitaveris, res in vado erit. Valde quidem confert ad hominis naturam roborandam, multorum testimonio à scrupulo semis ad scrupulum integrum. Dubito tamen præsertim de perlis, cum hoc nostro tempore tam carè veneant, ne pretium earundem Medicinæ juvandi promptitudinem & præstantiam longius excedat, quam ut alia ad hanc eandem medicamentorum classem manifestius pertinentia, viliori pretio comparanda, his ipsis postponendi negligendique justam habeamus causam.

Quid porro virtutum Corallia in se habeant, quando in butyraceam & in ore liquabilem substantiam parantur, de quo non-nemo inter Neotericos, parum expertus affirmare non ausim. Quantum vero de ipsius præparandi modo conjicere est, vix aberit, quin Spiritus vini solutioni Corallorum per alium spiritum factæ interveniens istius, coagulationis causam suppeditet. Nam spiritus confusi se agunt mutuo & dissipant subtilissimas suas partes. Ideoque corpus antea solutum ex parte à spiritu solutionem sustinente deseratur, inque spissiorem pristinæ illius æmulam formam redeat, necesse est.

Simile namque videmus in hoc: ℞. Corallorum unc. vj. Auri unc. ſ. Rore Solis Philosophici &c. soluta confundantur, & ubi per noctem steterint, affuso spiritu vini donec Tragacanthi soluti instar crassescant, destilla per Baln. quod destillari aptum est. Materiæ in fundo nigricanti aquam affunde sæpius, ut edulcoretur.

Denique arenæ inferantur, igne ad vasorum incandescentiam usque durante, & Corallia sanguinis instar rubicunda, tenuis admodum substantiæ, reperies.

Et huc respicit thesis Disputationis Giessæ habitæ: Humani cerebri substantiam respondere sali perlarum per infusum vini spiritum coactæ, siquidem indito eo sale spiritus vini velut butyrescat. Posset tamen idem fortasse à spiritu salis urinæ vel nitri proficisci. Vidi enim lapidis Lazuli solutionem hisce factam in gelu abiisse, formam scilicet à butyracea non usque alienam. Sed manum de tabula.

Hoc unum saltem notandum; prædictum Magisterium, etiamsi à multis pro sale Corallorum venditetur, sal tamen revera non esse; quippe quod ex toto citra extractionem, impuritatibus duntaxat ablatis elaboratur, cum sal è calcibus extrahendus veniat, ita ℞. Corallos post extractionem Tincturæ residuos, (Corpus q. mortuum,) cum sulphure rite, & si opus est, aliquoties, donec scilicet plane in cineres vertatur, calcina. Ex his cineribus superfusa aqua urticæ minoris destillata, mediante hebdomadali digestione in B. postremo ad ebullitionem excalfacto, sal extrahatur, à fecibus per filtrum separandum & usque ad cuticulam evaporandum. Sic enim in frigido eleganter concrescit, & laudatissimos usus habet in morbis dissolutis, in ventris fluxionibus, & hæmorrhagiis qualibuscunque, quibus alias præcedens Sal non Sal Corallorum opponitur.

Dosis à gr. vj. ad x. in aqua plantaginis vel Syrupo Cydoniorum.

Vitri-

Vitrum Antimonii hyacinthinum.

℞. Antimonii opt. q.v. Tere & pone cum olla non vitreata super ignem lentum & incipiet fumigare. Rutabulo in extremo reflexo & prolixi manubrii agita sedulo, ne adhæreat. In nodos forte si concrescat, iterum tere, & ad ignem denuò colloca, procedendo, ut prius, donec ad fumum non amplius evomat, nec in nodos concrescat, sed maneat in forma pulveris. Id quod octo ferè horarum spatio perficitur. Refrixum in olla fusoria colloca ad furnum anemium, per tres circiter horas, ut penitus fundatur, idque mox funde super pelvim æneam, vel modulum pro libitu effigiatum. Vidi enim Lubecæ vasculum hoc ex vitro ad modulum insufflando egregie fabrefactū, à cujus liquore quocunq; per noctem infuso purgationes feliciter succedebant, de quo etiam Quercet. & Libavius. Usum vitri Antimonii, quamvis plurimis cane pejus & angue exosum redditum, non dici potest, quam felicem in plurimis vomitione opus habentibus morbis expertus sim. Communiter tali forma usui inserviebat meo:

Iulep Hemeticus.

℞. Vitri hujus ritè præparati drachmas ij.
Vini Hispanici ℥ vj.
Syrupi violarum ℥ j.
Olei Tartari guttas aliquot.

Macera ita per noctem, hinc facta colatura detur dosi cochl. j. ij. Cum oleo Vitrioli, loco olei Tartari assumto amethystinum colorem conciliabis.

Cæterum Vitro hoc antimonii cum media parte Auri per antimonium purgati, & in tenuissimam calcem redacti, fuso, & per digestionem virtute aceti radicati optime defæcati, Tinctura inde extracta, mox post destillationem restitante pulvere abluto, & cum spiritu vini per octiduum circulato, eoque iterum vel ad pulverem abstracto, vel forti igne per Retortam depressiorem, oleo ultimo propulso Medicina inde habebitur paucis guttis Diaphoretica longè excellentissima.

Purgat etiam satis promtè, si Basilio credendum, addita Essentia Rhabarbari, & Tinctura Corallorum, quod qua ratione fiat, consulatur idem Basilius Valent. in Curru Triumphali.

Aurifices sumunt Sulphuris Antimonialis hujus partes iv.
Auri, part. j.

Conjungunt cum aquæ Mercurialis Auri solutoriæ part. ij. Et cum sigillo Hermetis coagulant, & figunt, ad Tincturam pro Luna & Mercurio, ut in aurum abeant, comparandam.

Spiritum etiam proliciunt ex prædicto Vitro, quando Vitri lib. j. cum Farinæ laterum & salis montani ana. in globulos mixta, per Retortam loricatam, sa. destillant, &c. qui multis usibus accommodatissimus perhibetur.

Hujus loci est Antimonium beneficio Aceti, quod Author Ternarii Laudanorum cap. 7. memorat ex Hemetico Bezoardicum factum, ut sequitur.

Alexiterium Antimoniale.

℞. Vitri Antimonii Hyacinthini q. v.

quam excitaveris, res in vado erit. Valde quidem confert ad hominis naturam roborandam, multorum testimonio à scrupulo semis ad scrupulum integrum. Dubito tamen præsertim de perlis, cum hoc nostro tempore tam carè veneant, ne pretium earundem Medicinæ juvandi promptitudinem & præstantiam longius excedat, quam ut alia ad hanc eandem medicamentorum classem manifestius pertinentia, viliori pretio comparanda, his ipsis postponendi negligendique justam habeamus causam.

Quid porro virtutum Corallia in se habeant, quando in butyraceam & in ore liquabilem substantiam parantur, de quo non-nemo inter Neotericos, parum expertus affirmare non ausim. Quantum vero de ipsius præparandi modo conjicere est, vix aberit, quin Spiritus vini solutioni Corallorum per alium spiritum factæ interveniens istius, coagulationis causam suppeditet. Nam spiritus confusi se agunt mutuo & dissipant subtilissimas suas partes. Ideoque corpus antea solutum ex parte à spiritu solutionem sustinente deseratur, inque spissiorem pristinæ illius æmulam formam redeat, necesse est.

Simile namque videmus in hoc: ℞. Corallorum unc. vj. Auri unc. ß. Rore Solis Philosophici &c. soluta confundantur, & ubi per noctem steterint, affuso spiritu vini donec Tragacanthi soluti instar crassescant, destilla per Baln. quod destillari aptum est. Materiæ in fundo nigricanti aquam affunde sæpius, ut edulcoretur.

Denique arenæ inferantur, igne ad vasorum incandescentiam usque durante, & Corallia sanguinis instar rubicunda, tenuis admodum substantiæ, repeties.

Et huc respicit thesis Disputationis Giessæ habitæ: Humani cerebri substantiam respondere sali perlarum per infusum vini spiritum coactæ, siquidem indito eo sale spiritus vini velut butyrescat. Posset tamen idem forsasse à spiritu salis urinæ vel nitri proficisci. Vidi enim lapidis Lazuli solutionem hisce factam in gelu abiisse, formam scilicet à butyracea non usque alienam. Sed manum de tabula.

Hoc unum saltem notandum; prædictum Magisterium, etiamsi à multis pro sale Corallorum venditetur, sal tamen revera non esse, quippe quod ex toto citra extractionem, impuritatibus duntaxat ablatis elaboratur, cum sal è calcibus extrahendus veniat, ita ℞. Corallos post extractionem Tincturæ residuos, (Corpus q. mortuum,) cum sulphure rite, & si opus est, aliquoties, donec scilicet plane in cineres vertatur, calcina. Ex his cineribus superfusa aqua urticæ minoris destillata, mediante hebdomadali digestione in B. postremo ad ebullitionem excalfacto, sal extrahatur, à fecibus per filtrum separandum & usque ad cuticulam evaporandum. Sic enim in frigido eleganter concrescit, & laudatissimos usus habet in morbis dissolutis, in ventris fluxionibus, & hæmorrhagiis qualibuscunque, quibus alias præcedens Sal non Sal Corallorum opponitur.

Dosis à gr. vj. ad x. in aqua plantaginis vel Syrupo Cydoniorum.

Vitri-

Vitrum Antimonii hyacinthinum.

℞. Antimonii opt. q.v. Tere & pone cum olla non vitreata super ignem lentum & incipiet fumigare. Rutabulo in extremo reflexo & prolixi manubrii agita sedulo, ne adhæreat. In nodos forte si concrescat, iterum tere, & ad ignem denuò colloca, procedendo, ut prius, donec ad fumum non amplius evomat, nec in nodos concrescat, sed maneat in forma pulveris. Id quod octo ferè horarum spatio perficitur. Refrixum in olla fusoria colloca ad furnum anemium, per tres circiter horas, ut penitus fundatur, idque mox funde super pelvim æneam, vel modulum pro libitu effigiatum. Vidi enim Lubecæ vasculum hoc ex vitro ad modulum insufflando egregie fabrefactũ, à cujus liquore quocunq; per noctem infuso purgationes feliciter succedebant, de quo etiam Quercet. & Libavius. Usum vitri Antimonii, quamvis plurimis cane pejus & angue exosum redditum, non dici potest, quam felicem in plurimis vomitione opus habentibus morbis expertus sim. Communiter tali forma usui inserviebat meo:

Iulep Hemeticus.

℞. Vitri hujus ritè præparati drachmas ij.
Vini Hispanici ℥ vj.
Syrupi violarum ℥ j.
Olei Tartari guttas aliquot.

Macera ita per noctem, hinc facta colatura detur dosi cochl. j. ij. Cum oleo Vitrioli, loco olei Tartari assumto amethystinum colorem conciliabis.

Cæterum Vitro hoc antimonii cum media parte Auri per antimonium purgati, & in tenuissimam calcem redacti, fuso, & per digestionem virtute aceti radicati optime defæcati, Tinctura inde extractâ, mox post destillationem restitante pulvere abluto, & cum spiritu vini per octiduum circulato, eoque iterum vel ad pulverem abstracto, vel forti igne per Retortam depressiorem, oleo ultimo propulso Medicina inde habebitur paucis guttis Diaphoretica longè excellentissima.

Purgat etiam satis promtè, si Basilio credendum, addita Essentia Rhabarbari, & Tinctura Corallorum, quod qua ratione fiat, consulatur idem Basilius Valent. in Curru Triumphali.

Aurifices sumunt Sulphuris Antimonialis hujus partes iv.
Auri, part. j.

Conjungunt cum aquæ Mercurialis Auri solutoriæ part. ij. Et cum sigillo Hermetis coagulant, & figunt, ad Tincturam pro Luna & Mercurio, ut in aurum abeant, comparandam.

Spiritum etiam proliciunt ex prædicto Vitro, quando Vitri lib. j. cum Farinæ laterum & salis montani ana. in globulos mixta, per Retortam loricatam, s.a. destillant, &c. qui multis usibus accommodatissimus perhibetur.

Hujus loci est Antimonium beneficio Aceti, quod Author Ternarii Laudanorum cap. 7. memorat ex Hemetico Bezoardicum factum, ut sequitur.

Alexiterium Antimoniale.

℞. Vitri Antimonii Hyacinthini q.v.

quam excitaveris, res in vado erit. Valde quidem confert ad hominis naturam roborandam, multorum testimonio à scrupulo semis ad scrupulum integrum. Dubito tamen præsertim de perlis, cum hoc nostro tempore tam carè veneant, ne pretium earundem Medicinæ juvandi promptitudinem & præstantiam longius excedat, quam ut alia ad hanc eandem medicamentorum classem manifestius pertinentia, viliori pretio comparanda, his ipsis postponendi negligendique justam habeamus causam.

Quid porro virtutum Corallia in se habeant, quando in butyraceam & in ore liquabilem substantiam parantur, de quo non-nemo inter Neotericos, parum expertus affirmare non ausim. Quantum vero de ipsius præparandi modo conjicere est, vix aberit, quin Spiritus vini solutioni Corallorum per alium spiritum factæ interveniens istius, coagulationis causam suppeditet. Nam spiritus confusi se agunt mutuo & dissipant subtilissimas suas partes. Ideoque corpus antea solutum ex parte à spiritu solutionem sustinente deseratur, inque spissiorem pristinæ illius æmulam formam redeat, necesse est.

Simile namque videmus in hoc: ℞. Corallorum unc. vj. Auri unc. ſ. Rore Solis Philosophici &c. soluta confundantur, & ubi per noctem steterint, affuso spiritu vini donec Tragacanthi soluti instar crassescant, destilla per Baln. quod destillari aptum est. Materiæ in fundo nigricanti aquam affunde sæpius, ut edulcoretur.

Denique arenæ inferantur, igne ad vasorum incandescentiam usque durante, & Corallia sanguinis instar rubicunda, tenuis admodum substantiæ, reperies.

Et huc respicit thesis Disputationis Giessæ habitæ: Humani cerebri substantiam respondere sali perlatum per infusum vini spiritum coactæ, siquidem indito eo sale spiritus vini velut butyrescat. Posset tamen idem fortasse à spiritu salis ut næ vel nitri proficisci. Vidi enim lapidis Lazuli solutionem hisce factam in gelu abiisse, formam scilicet à butyracea non usque alienam. Sed manum de tabula.

Hoc unum saltem notandum; prædictum Magisterium, etiamsi à multis pro sale Corallorum venditetur, sal tamen revera non esse; quippe quod ex toto citra extractionem, impuritatibus duntaxat ablatis elaboratur, cum sal è calcibus extrahendus veniat, ita ℞. Corallos post extractionem Tincturæ residuos, (Corpus q. mortuum,) cum sulphure rite, & si opus est, aliquoties, donec scilicet plane in cineres vertatur, calcina. Ex his cineribus superfusa aqua urticæ minoris destillata, mediante hebdomadali digestione in B. postremo ad ebullitionem excalfacto, sal extrahatur, à fecibus per filtrum separandum & usque ad cuticulam evaporandum. Sic enim in frigido eleganter concrescit, & laudatissimos usus habet in morbis dissolutis, in ventris fluxionibus, & hæmorrhagiis qualibuscunque, quibus alias præcedens Sal non Sal Corallorum opponitur.

Dosis à gr. vj. ad x. in aqua plantaginis vel Syrupo Cydoniorum.

Vitri-

Vitrum Antimonii hyacinthinum.

℞. Antimonii opt. q.v. Tere & pone cum olla non vitreata super ignem lentum & incipiet fumigare. Rutabulo in extremo reflexo & prolixi manubrii agita sedulo, ne adhæreat. In nodos forte si concrescat, iterum tere, & ad ignem denuò colloca, procedendo, ut prius, donec ad fumum non amplius evomat, nec in nodos concrescat, sed maneat in forma pulveris. Id quod octo ferè horarum spatio perficitur. Refrixum in olla fusoria colloca ad furnum anemium, per tres circiter horas, ut penitus fundatur, idque mox funde super pelvim æneam, vel modulum pro libitu effigiatum. Vidi enim Lubecæ vasculum hoc ex vitro ad modulum insufflando egregie fabrefactū, à cujus liquore quocunq; per noctem infuso purgationes feliciter succedebant, de quo etiam Quercet. & Libavius. Usum vitri Antimonii, quamvis plurimis cane pejus & angue exosum redditum, non dici potest, quam felicem in plurimis vomitione opus habentibus morbis expertus sim. Communiter tali forma usui inserviebat meo:

Iulep Hemeticus.

℞. Vitri hujus ritè præparati drachmas ij.
Vini Hispanici ℥ vj.
Syrupi violarum ℥ j.
Olei Tartari guttas aliquot.

Macera ita per noctem, hinc facta colatura detur dosi cochl. j. ij. Cum oleo Vitrioli, loco olei Tartari assumto amethystinum colorem conciliabis.

Cæterum Vitro hoc antimonii cum media parte Auri per antimonium purgati, & in tenuissimam calcem redacti, fuso, & per digestionem virtute aceti radicati optime defæcati, Tinctura inde extracta, mox post destillationem restitante pulvere abluto, & cum spiritu vini per octiduum circulato, eoque iterum vel ad pulverem abstracto, vel forti igne per Retortam depressiorem, oleo ultimo propulso Medicina inde habebitur paucis guttis Diaphoretica longè excellentissima.

Purgat etiam satis promtè, si Basilio credendum, addita Essentia Rhabarbari, & Tinctura Corallorum, quod qua ratione fiat, consulatur idem Basilius Valent. in Curru Triumphali.

Aurifices sumunt Sulphuris Antimonialis hujus partes iv.
Auri, part. j.

Conjungunt cum aquæ Mercurialis Auri solutoriæ part. ij. Et cum sigillo Hermetis coagulant, & figunt, ad Tincturam pro Luna & Mercurio, ut in aurum abeant, comparandam.

Spiritum etiam proliciunt ex prædicto Vitro, quando Vitri lib. j. cum Farinæ laterum & salis montani ana, in globulos mixta, per Retortam loricatam, s.a. destillant, &c. qui multis usibus accommodatissimus perhibetur.

Hujus loci est Antimonium beneficio Aceti, quod Author Ternarii Laudanorum cap. 7. memorat ex Hemetico Bezoardicum factum, ut sequitur.

Alexiterium Antimoniale.

℞. Vitri Antimonii Hyacinthini q.v.

In marmore cum aceti ſpiritu forti tritum infunde aliquot ſeptimanas in B. vel ejus vicario affuſo aceto deſtillato ad 3. vel 4. digitorum eminentiam, quotidiè movendo, ne fundo adhæreſcat, atque adeò acetum colorem induat rubicundum. Evapora, usque dum in fundo ſubſtantia remaneat ſubfuſca, coagulata, acris & mordicans, facilè liquabilis, niſi in vaſe probè obturato ſervetur. Reliquo vitro exſiccato denò affundendo acetum, procedendoque ut antea, idque toties reiterando, donec omne vitrum in dictum reduxeris Magiſterium, novam tincturæ extractionem moliri poteris, &c.

Huc usque Diaphoreticum eſt per ſe, doſi à gran. iij. ad ix. vel x. in appropriatis.

Quandoquidem verò, ne liqueſcat, difficulter retineri poteſt, pro Bezoardico parabis hunc in modum.

℞. Spiritum aceti rubrum antimonilem ad tertias circiter, lentè decoctum, ad conſiſtentiam inſtar oleagineam ℥ij.
Cornu Cervi præparati ℥j.

In mortariolo vitreo miſceantur, poſtea in patina myrrhina ſuper arenam exhalent, & benè ſicca, ut in pulverem abeant, ſerventur.

Poteris, ſi placet, aromatiſare guttis ſex, octove olei Cinamomi vel Caryophyl. & Lacryma Draconis jucundè coloratam exhibere à gr. 4. ad ℈ß. vel per ſe, vel cum ſucco Veronicæ inſpiſſato, vel etiam cum Theriaca inſtar boli.

Conducit ad obſtructiones Hepatis & lienis inveteratas, retentionem menſium, icteritiam, hydropem, febres peſtilentiales, putridas, malignas, morbillos & variolas, ſcabiem, malignam etiam, & lepram, ſi ſingulo manè ad horas aliquot ſudandum detur.

Inprimis hoc notatu dignum: Vitrum à prima infuſione reſiduum, vel primariò etiam cum aceto montano aliquoties adſperſum, exſiccatumque iterum atque iterum, donec ſcilicet albeſcat, egregios uſus habere in febribus ad ſequentem modum:

Vomitorium Febrifugum.

℞. Vitri ad prædictum modum albificati part. j. Sacchari albiſſ. part. vj.
Amyli part. v.
Pulv. Cochlearum Crollii tenuiſſ. part. iij.
Croci parum.

Soluto prius ſaccharo in aqua Centaurii vel Tabaci miſceantur ſingula, & ad pultis ſpiſſitudinem redacta fiant paſta, & hinc globuli ſeu rotulæ inaurandæ, ſigilloque ſi placet ornandæ.

Dantur adultis drachm. j. fœminis & delicatioribus ſcrup. ij. pueris ſcrup. j. vel, pro re nata ſcrup. ß. ingruente paroxyſmo.

Hactenus de Antimonii vitrificati quibusdam præparationibus & uſu; an ad Medicinam ſatis accuratè, alii ferant judicium. Inprimis verò de hoc, idque candidè: Num Vomitoriorum Antimonialium uſus laudabililis quoque ſit in Variolis? Occaſio ejus quæſtionis eſt: quod quidam cavillentur aut mordeant, plura citra judicium medicum Dn. SALAM in arduis ſæpè rebus ſtatuiſſe, nec minimum ejus exemplum eſſe, quod uſum Anti-

Antimonii supra Ternar. Bezoard. c. 8. ad ciendum vomitum in variolis tantoperè deprædicârit. Causas dubitationis, cum ea de re pensiculatè cogito, has eruo:

1. Quod authores classici ferè omnes in hoc conveniant, nequaquam utendum esse medicamentis vehementioribus in variolis, consule Practicos.

2. Quod Hippocr. 6. Epid. part. 2. Aphor. 23. hanc sententiam ponit: Lata Exanthemata non valdè pruriginosa, qualia hyeme Simon habebat, qui sanè cum ad ignem inungeretur, vel calida lavaretur, juvabatur, vomitiones non expediebant. Existimo si quis calefaceret, juvaretur. Ubi & Galenus videtur consentire, atque simul docere hujusmodi operationes contrarias esse naturæ. Quod ipsum Valesius in Comment. prolixius explicat in sequentibus: Vomitus certè talibus exanthematibus universim sunt inutiles. Atque iterum, postquam illa variis modis ad internam etiam cutem secundum corporis ventres erumpere posse, & hinc periculosa symptomata ostendit: Conandum igitur est, inquit, extrorsum agere humores, non solum jam, ne non exeant, quæ inceperint exanthemata, (hoc enim aliis fortasse evacuationibus posse supplere,) sed multò magis ne introrsum exeant. Ac proinde motus introrsum vitari debent, multò autem magis vomitus, quàm alvi subductio, &c.

3. Videtur, quòd hujusmodi pharmaca, nec possint, nec debeant usurpari in hoc morbo. Ubi enim usui forent in principio, nemo Medicus vocatur, sed quando fervor & ebullitio est in sanguine. Adhæc ab omnibus Medicis præceptum habemus: Movente natura nihil agendum esse, nisi illa imperfectè moveat, intelligere verò an imperfectè moveat, in initio non possumus. Hippocr. Aphor. 11. & 20. sect. 1.

Quod ipsum tanti momenti Nicolaus Florentinus habuit, ut nec apparentibus variolis clysteribus utendum voluerit esse, ne iis ipsis naturæ motus impediretur.

4. Vehementia pharmaca Antimonialia alvi profluvia excitarent, & metus esset lethalis Dysenteriæ ex humorum in alvum διαδοχῇ & effusione. Econtra sententia Salæ affirmativa his nititur fundamentis:

1. Necessariò vomitorium indicari, & efficax, ubi materia viscida, copiosa, impacta abundat, habens inclinationem ad superiora, vel imminutam vel abolitam, & hoc imperandum esse, nisi vel virtus vel aliquid aliud, quod magis urget, prohibeat, & hanc ipsam conditionem in plurimis hoc morbo laborantibus præsto esse.

2. Ubi humorum infestorum secundum ipsorum momentum vacuatio facta, majorem utilitatem adfert, quàm est detrimentum, quod inde corpori imminet, vacuationi omninò vacandum esse. Gal. comment. 24. Aphoris. 1. Fernel. 1. M. M. c. 6. Hoc autem in variolis se ita habere. Nam causa putredinis intercipitur, levatur natura, & si quid aliud vitii reliquum est, celerius & tollerabilius in superficiem corporis repurgatur. Cum alioqui periculum sit, nec ex magna putre-

putredine ardentissima consequatur febris, & natura oppressa multitudine, vel nihil exponat in superficiem, vel tantum partem vitii, quâ propter imbecillitatem oppressæ naturæ, intro facile recurriente, suffocetur æger. Porrò ubi in alto corporis humorum copia est, & hâc neglectâ prius discutere aggrediaris, obstrues potius, quàm per cutem evacuabis.

Idem naturæ licet fortiter agenti contingere potest; Quidni si debilis fuerit, facile penitus fatigabitur atque succumbet?

3. In omni ordinata curatione, quodcunque causæ rationem habet, illud primò exscindendum, &c. Exemplum esto febris tertiana putrida, & arthritis. Hic prædicto respectu venæsectio auxiliatur, teste Celso lib. 4. de re med. cap. 24. Illic redundantia primum tollitur, postea obstructio, ultimò febris. Gal. 10. M. M. cap. 10. Quod autem superfluitates circa stomachum, venas, & in venis simul materia sint variolarum & ejus affluxus causa obstructionis, ex eo patet, quòd variolæ oriantur, natura corporis profundum expurgante, maximâ expulsione, cum febre continua; & quod sæpè liceat, videre, cadavera laborantium variolis secta, viscera, imò cor etiam & os ventriculi omninò variolis & morbis habere maculata.

4. Denique ut iis, quæ singulis artibus solerter sunt inventa, ipsum etiam ab eventu rei testimonium & confirmatio accedit, teste Gal. comment. 2. Aphor. 17. & hinc veritas obtinetur; ita exempla non pauca probant, Vomitoria hoc morbo confixis utile esse præsidium, cum crebrò ad ipsius usum levatio accesserit. De quo vide Salam in Ternario.

Hic utrinque quis Polypi instar hæreat, invalida enim surdave quis dixerit hæc argumenta? Ideoque absque distinctione nulla ex parte certi quid definiendum erit. Distinctio illa triplex est. Secundum morbum, materiam & ipsa pharmaca.

Circa morbum requiritur, ut sit adhuc in principio ubi pustulæ nondum extuberarint. Et hoc Galen. subministravit 5. M. M. ubi inquit, omnes servatos ab Exanthematibus pestilentialibus esse, qui purgati ante fuerint. Circa materiam

1. Ut ne putrida sit aut corrupta; Ea enim non vacuatur per vomitum, nisi inclinationem habeat. Tum autem quia citò pertransit, teste Galen. capit. 9. lib. ij. M. M. levi saltem opus habet medicamento, non Antimoniali. Si autem non putrida est, & assit inclinatio, eaque maximè abolita, vehementioribus, quale Antimonium est, ritè præparatum uti haud disconvenit. 2. Ut ne pauca sit serosa, &c. sed viscida, copiosa & impacta. 3. Ut non supra venas existat, sed circa stomachum, & proxima viscera, multò minus in superficie corporis.

Denique multum differunt vomitoria à vomitoriis. Vomitoria enim maligna, lubrica, nimis copiosa, ingrata, acria, & calida, & vel inutiliter, vel molestè, vel exsuperanter vomitum pellentia; quæque magis conturbent quàm evacuent, illa hoc in loco meritò exulent. Hujus autem vitii Antimonium ritè præpa-

præparatum, (dè Vitrò sermo mihi non est,) accusare constanter memo poterit.

Aurum Purgatum.

Auri purgati Chrysobezoar Authoris meminit in Ternario Bezoard. Non igitur extra testam de purgationis modo interserere aliquid, & hoc in loco, quia sub nullo titulo alias convenientius.

Sumuntur sex partes Antimonii pulverisati, & pars una Auri & simul in crucibulo funduntur. Postea præstò sit vagina ænea vel ferrea in fundo acuminata, in qua quid ceræ sit liquefactum, aut saltem sevi parum. Tùm infunditur Antimonium vulgare, cum Auro, fundendoque leniter pulsatur, ut Aurum descendat ad fundum, & faciat Regulum.

Frigefacto vase, Regulum separa; postea Antimonium iterum funde in crucibulo, (Regulo priori servato,) & cum fluxerint, immitte parum de scobe ferri & postmodum benè fluxa in vaginam iterum effunde, ut prius, & pulsando Regulum in fundo iterum reperies, non quidem tam pulcrum, ut prius. Sic potes tertia vice agere cum Antimonio, donec habeas Regulum Auri per Antimonium transfusum. Vocant durchgiessen.

Hos Regulos supra testam patentem in furno conflatorio ante follem colloca circumpositis circumcirca, supernè etiam, carbonibus, ne tamen Aurum attingatur. Postea cum folle ventilandum est, donec totum Antimonium effumarit, & Aurum penitus mundatum sit. Vocant vor dem Balge verblasen / Aurum ita secunda vel tertia transfusione radiantissimi evadit coloris. Id quod in Antimonii fecibus residuum, per fusionem cum Nitro & Tartaro, ut Regulus amplius descendat, & postmodum cum folle separandum est.

Sed & compendiosior modi hujus apparatus est: quo Aurum non solum mundum, quale hic requirebatur, sed & simile vitro mundo, (quale Apocalypsis cap. 21. v. 21, tangit his verbis: Muri ex Auro mundo erant, ut vitrum pellucidum splendente:) comparatur.

℞. Auri Ungarici ℥. j.
Reguli Antimonii perfectiss. ℥. ij.

In crucibulo fundantur ante follem. Fusa, effusaque & refrixa contundantur. Hinc super laminam ferream, absque fusione tamen, calcinentur, donec fumus Antimonii cesset. Postea in crucibulo adhuc lique factum, in patinam æneam effunde, & Aurum dabitur ut vitrum transparens.

De hoc toto negotio Basilius Valentinus periphrasi utitur non insueta, vel inconcinna: Der graue Wolff muß den Löwen fressen / und dreymal von ihm verschlungen werden / hernach wird der Wolff wiederumb von den Löwen gefressen werden / wann er sich zuvor durch deß Wolffes Blut gereiniget / und dar von seine Augen geläntert / &c.

SECTIO II.

De

CROCIS.

Crocus Martis.

CRocus Martis duplicis fortis est: Alter per fortes calcinationes, igne Reverberii,&c. perficitur. Ab hoc dum vis sulphuris & Mercurii, ablata, extincta, separata est, vel grandi igne, vel aqua valida, sistuntur fluxiones, partesque roborantur.

Alter laminis ferri vel chalybis candentibus in Magdalæonis Sulphuris immissis, vel aquarum quarundam affusione conficitur. Ex hic, quia partem chalybis abstergentem, aperientem, & repurgantem, excrementitia solummodo separata, retinuit; aperit, attenuat, purgat, simulque corroborat.

Magna itaque circumspectione opus est, ne, quando Crocus Martis ex usu est, alter pro altero non temere solum, sed & noxie exhibeatur.

Crocus Martis adstrictorius.

℞. Limaturæ ferri lib. j. Ablue bene iteratis vicibus. Adde Sulphuris triti libras ij. Misce & in calore per sex octove dies digere, sæpè agitando, & fiet instar sapæ ferè. Abstrahatur humiditas ad siccitatem pulveris, quem calcina ad ignem, ut omne Sulphur inde conflagretur, ultimo forti igne, & pulvis restabit subfuscus. Ablutione hunc cum aquis convenientibus dulcora, & denuo Reverberio exanima, idque toties, donec asperitate & pondere penitus privetur: sic præsto tibi erit Crocus Martis Adstrictorius.

Pro ischæmo usus habet in pulvere Dysenterico, in omnibus, maxime cruentis fluxionibus:

℞. Croci Martis adstrictorii.
Corall. rubr. præparat.
Lacrymæ Draconis opt. ana ʒ.j.
Laudani Opiati ʒ. ij.
Aquæ vitæ Santali rubri tinctura imprægnatæ ℥ iv. vel v.

Primo Coralli & Crocus Martis in aqua vitæ coquantur ad siccitatem. Adde postea Lacrymas Draconis, & super lapidem in pulverem tere. Huic sensim misceas Laudanum exsiccatum, & concisum, ut longo attritu in pulverem simul abeant.

Dosis exsurgit à gr. iv. ad ℈. ß. & ultra.

Crocus Martis Aperitivus.

℞. Laminas è ferro vel Chalybe puro ductas, obline eas oleo, vel spiritu Sulphuris, vel Vitrioli. Colloca in cellam, & post aliquot dies Crocum deradendum invenies, obscure rubeum, insigne Hepatis restaurativum & deoppilativum. Vide Epist. D. Doringii. Defensivum quibusdam mirabile est in Melancholia Hypochondriaca, ubi nimirum morbi penitus deprimendi causa cum vino assumtus Emplastro Magnetico ad lienem rectà alliciatur. Mera autem phantasia est hoc, & ῥημάτων θαῦμα. Experientia enim docet contrarium.

SE-

SECTIO III.

De

FLORIBUS.

Flores Sulphuris.

INter flores sulphuris, quorum in Medicina usus agnoscendus, isque vicarius sulphuri scissilis, vel quodcunque à natura purificatum in pluribus locis velut in agro Cracoviensi in Polonia, in foro Vulcani la sol fotaria vulgò appellata, propè Pozzuolo in Regno Neapolitano & alibi reperitur; vix alii sinceriores sunt & utiliores, quàm qui per se sublimantur hoc sequenti modo.

℞. Cucurbitam terream mediocris capacitatis, huic duos pluresve Alembicos benè accommoda, ita ut alter post alterum, requirente necessitate adhiberi possit. Pone vacuam in arena, & ubi gradibus ignis paulatim fuerit excalfacta, adeò ut vix manus admota in eminentiore parte ferat; Injice sparsim sulphuris flavissimi in frustra redacti cochlearia tria vel quatuor. Alterutro alembico superimposito, paulò post videbis primò liquorem subdulcem, aquam scilicet, quam ens seu lac balsami vocant; mox intra dimidiæ horæ spatium flores elegantissimos circa limbum Alembici collectos.

Ignis intensior si fuerit, jactura operis oppido sequetur. Quia sulphur liquatum effluit, nec flores amplius assurgunt. Quod si itaque nonnihil florum elevatum fuerit, priori Alembico sublato, substituatur alius & alius, donec omnes colligantur flores.

Hos flores intelligo sub titulo florum Resinæ Metallicæ, quos supra in Ternario Bezoard. Sala in compositionem Chrysobezoar adsumsit. De usu eorundem ubertim Crollius in Basilica Chym.

Extractum florum sulphuris cum oleo terebinthinæ concinnatum Ictericis insuper summopere profuturum existimo.

Inprimis sulphur ita præparatum magni usus est, adversus phthisin & lentos pulmonum affectus. Cujus gratia cum paucos ante annos in Anglia Medicina contra phthisin decantatissima quædam à viro, Doctore, alias spectatæ authoritatis, in hoc verò Mercurio magis quàm Apollini Musisque dedito, mihi offerretur, & hoc utplurimum nomine, quòd sulphur ritè præparatum quæque pulmoniaca hepaticaque reciperet, & secretissima, non nisi magno pretio redimenda, immane quantum, ut id hominum genus χρηματιστικὸν solet, deprædicaretur; quatuor Jacobæos, (testis est nobilissimus & arte & Marte excellentissimus Heinricus à Quaad,) & multa sui generis alia pro illa enumeravi. Medicinam non increpo; melior enim multis est aliis. Animum tamen adhuc rodit, Medici parum ἀδελφιζομένου, indignæ simultatis studium. Et propterea gratis singulis communico, prout sequitur:

Claretum pectorale.

℞. Fol. Tussilag. no. v.
Endiviæ no. xij.
Acetosæ no. x.
Scabiosæ no. xij.
Capill. Veneris M. j.
Rad. Althææ ℥. ij.
Liquiritiæ ℥ j.
Passular. enucleat. ℥. ij.
Santali Citrini ℥. j.

Bulliant vase clauso in libris iij. vini muscatellini ad libras ij. Decoctio perficitur duarum horarum spatio. De colatura detur omni manè v. vj. vel. vij. cochl. secundum ægrotantium ætatem. Assumta hac Medicina superdormiat patiens, & eandem dosin repetat eundo cubitum. Postquam autem edormivit, capiat de sequenti quoque electuario, ad quantitatem nucis castaneæ.

Electuarium Pulmoniacum.

℞. Fol. Tussilag. no. v.
Endiviæ
Scabiosæ ana no. xij.
Acetosæ no. x.
Capill. Veneris M. j.
Liquiritiæ ℥. j.
Sem. Anisi ℥. j. (forte frigidæ conveniemiora.)

f. pulvis subtilissimus, & cum Syrupo Capill. Veneris & Tussilaginis ana q. s. electuarium permiscendo extra ignem.

Ulterius æger sumat in die quater vel sexies ex rotulis ita paratis.

Rotulæ Sulphuratæ.

℞. Flor. Sulph. ℥. ß. vel quod melius
Lac Sulphuris ℥. iij.
Rad. Ireos Florent. subtiliss. pulverisat. ℥ j ß.
Sacchari Candi pulverif. ℥. iij.

Misce optimè & cum mucilagine Tragacanthi in aqua rosarum soluti f. pasta, & inde rotulæ.

Interea utatur cibis facilis concoctionis, abstineat à vino, & forti cerevisia, & eorum loco commendatum sibi habeat, decoctum terræ argillaceæ. Ubi simul notandum: multos alios esse, qui ad pinguefaciendum corpora, laudant usum aquæ frigidæ, & ego novi, inquit Mercurialis, duos magnos Principes hoc usu impinguefactos, ut ideò mirum non sit, (dummodo ægri assueti sint, nec nimis extenuati, aut calore spoliati,) prædictum decoctum non contemnendas vires habere hoc in casu posse.

Flores Sulphuris albicantes.

Lac sulphuris apud plerosque magni usus est & meritò; quippe quod purissimam & subtilissimam sulphuris partem habeat, & veri pulmonum balsami, multorumque morborum velut consumentis ignis nomen ritè sustineat.

Verum enim vero præparatio illius propter fætorem nonnihil sordida, odiosaque est, nec absque meretricia salis Tartari contaminatione. Ideoque illius loco flores sequentes, viribus nimirum & potestate lacte sulphuris haud minores nemini religio sit habere.

℞. Nitri

℞. Nitri purificati q. v.
Liquefac in crucibulo igne rotæ, postea per vices in genere sulphur pulverisatum, idq; tamdiu, donec nitrum indurescat in ipso igne. Ignem postea auge, operculo superaddito per horas duas ita relinque.

Tandem ubi omnia refrixerint, nitrum habebis fixum.

℞. Nitri istius part. j.
Sulphuris puriss. ij.
Misce & sublima igne arenæ mediocri, flores collige albicantes.

Flores Salis.

Quemadmodum è succino destillato tandem flos elevatur, sal succini volatilis dictus, omnium calculo urinarum difficultati dicatissimum remedium; Ita quando Sala flores salis in Ternario Bez. in pilulas balsamicas assumit, alios intelligi non vult, quàm qui in destillatione spiritus oleive salis ignis vehementia simul evehuntur.

Attamen eorundem non minor tibi copia erit, si sal commune cum sale Armeniaco misceas, & sublimes.

Varios equidem usus ad incidendum crassum plegma, corruptosque humores à putredine vindicandum habere, cum per se, tum in pilulis illis balsamicis non nego, præsertim ubi spiritu vini fuerint dulcorati. Verum ut omnium salium ad liquefactionem facilis natura est, ita flores hi pilularum massis subacti absque dubio in causa sunt, quòd pilulæ inde conformatæ perpetuæ mutabilitatis & diffluentiæ obnoxiæ reperiantur.

Rosa Mineralis.

Rosa Mineralis illa in Ternario Vomit. nominetus aliquoties attacta quæris, quam radicem habeat, & unde oriunda? Certè alia mihi sententia non est, quàm quòd nata præparataque sit, ex Antimonii nucleo cum Mercurio essensificato in liquorosam substantiam sublimando aliquoties redacto, posteaque cognito liquore per præcipitationem in pulverem coagulato. Ergone, ais; illa cum Mercurio vitæ Theophr. ejusdem farinæ est? Est inquam, & quid interest? Nam frustrà aliàs Sala curationes ea ipsa peractas pro confirmatione ipsius adduxisset, prout videre est in Hermet. Cur. 6. & 19. Taceo, quòd modus utendi & operandi ipsius per omnia idem cum Mercurio vitæ in eodem libro descripto.

Color tamen ipsius rosis incarnatis similis (Hinc rosæ nomen ex parte obtinuit:) nonnihil admirationis excitat: Qui enim hic, & hoc modo à Mercurio, si cum Sala Mercuriale quid esse putes Mercurium vitæ? Qui itidem ab Antimonio, si nostra sententia inferiùs proponenda palmam obtineat? imò hariolari quis posset, eam ipsam rosam aquilam rubram Turqueti esse, vel hanc illamve præcipitati speciem; vel fortè purpureos illos Antimonii, è Minera ipsius, factos flores: vel tale quid aliud, fortè etiam altioris indaginis. His enim exemptis rarissimè sub tali colore in theatrum medicum aliquid prodit. Atqui si hanc incultam viam institis, & per eandem alios quoque ducere satagis, ad scopum authoris neque deduceris, neque deduces. Statua namque Mercurialis supra posita est, hanc observare oportet, nec aliorsum faciem flectere: Ideoque certò sibi quisque persuasum habeat:

beat: Colorem hunc Rosæ non aliunde dari vel excitari, quam vel caloris instantia in vase convertibili. Ita enim Libavius in syntagm. Album illum Mercurium vitæ revoca ad Retortam & destilla bis, terve; Deinde spiritu vini elabora, ut rubescat penitus. Oleum rubeum præcipita, aut alio modo coagula, habebisque Mercurium vitæ rubeum.

Dummodo non errandi occasio hic, quod Libavius materiam hujus medicamenti putet esse Mercurium, rubri scilicet & albi habentem principia, secundum quod Philosophorum illud: Ego sum albus & ruber. Non item Antimonium, uti tamen revera est, quod quidem omnium colorum facultatumque differentias in sinu suo tanquam in circulo gestitat, attamen fortè eadem hac via rubedinem non in apricum projicit. Vel datur etiam liquorosæ substantiæ illius super Tincturam à Scoriis Regulis Antimonii repetita destillatione. Ita enim Mercurii vitæ propria Antimonii tinctura prægnantis descriptio habet.

℞. Scorias Reguli Antimonii sine Marte; aceto vini destillato extrahe tincturam, & in pulverem elabora, super eundem pulverem butyrum Antimonii benè destilla, rubicundissimi erit coloris. Vel denique, si neutrum priorum rem ipsam tangat, non intelligo, quomodo non color ille à spiritu vini santalato superfuso, iterumque evaporato adventitius sit. Neque enim inauditum, aut incompertum nobis est, idem Antimonium eodem ingenio cœruleum factum esse & mirum quantum jucundum, per solam cum oleo Balsami Peruviani destillato, Ambra grysea, Moscho & Tinctura Lapidis Lazuli lævigationem. Quamvis Moschus, aliaque vehementer odorata Catharticis ad præfixum scopum parū conferant. Quemadmodū enim Paracelsi sententia 4. Chirurg. spiritus vini à Mercurii administratione exulare debet, ut ne Mercurius citius ad cor usque compellatur, & illud afficiat; & Camphora qualitate sua nitro valde analoga deprehensa est, non propria duntaxat ἀναθυμιάσῃ, sed & aliorum præsertim calfacientium, Diaphoreticorum associatorum, quorum vim vapidam secum rapit, caput prænimio replere, itaque variis symptomatibus sæpè disturbare. Ita Moschi nullum cum Catharticis consortium sit, cum indè Medicamentum in humores directum, cor, caput, & uterum simul impetuosius feriat, spiritus resolvat, vel quandam molestiam intolerabilem inferat.

Adhæc ut ad rem redeamus, in opus deduxi prædictum tingendi modum alias cum sanguine Draconis, alias cum Santalo spiritui vini communicatis; & vix ovum ovo tam simile; lac lacti, quam is ipse tinctus vitæ Mercurius Rosæ minerali Salæ fuit.

Sit quodcunque sit, interea Rosa illa efficacissimum remedium est, & verè ῥιζότομον, in plurimis, iisque ad contumacissimam coagulationem destinatis morbis, de quo lege Auth. Hemet. cap. 5. & Ternar. Bezoard. cap. 18.

Adferam solummodò ego, quæ ipsemet ex opere & experientia didici, & quibus in affectibus mihi potissimum Manum Dei se præstiterit.

Inpri-

Imprimis ergò in febribus tàm continuis, & Epidemiis ab initiis: (Man muß nicht warten / biß einem der Todt auff der Zungen sitzet:) quam intermittentibus, Quotidiana, Tertiana, & Quartana egregiè suppetias tulit, eaque ipsa, juro plurimas earundem, auxiliari tamen aliquando Laudani antifebricici beneficio, (accedat & hoc: ne robore instrumentorum coctioni inservientium frustrato, quod vel fugatum est, vel consumptum semel, novi succi vitio denuò suggeratur, de quo Gal. 11. Method. Medic. capite decimo quinto & accuratius lib. 12. pag. 3.) prima statim invasione à me sublatas fuisse.

Vomitu quidem formidabilis quibusdam est, attamen sine causa; cum omnium humorum saburram potius majori cum successu ἄνω καὶ κάτω è toto corpore expurget, quam quidvis aliud. Mitior tamen evadit, & vel secessiva tantùm, si, antequam colore induatur, cum sale communi sedulò teratur, & per ablutionem, descenso pulvere, salsedo iterum eximatur. Præterquam enim quod plurimorum exemplo in minutis minor Spirituum vehementia, in sale etiam abunde est, quod Antimonium domare possit.

Vel si cum sale decrepitato igne reverberii fortissimo sublimetur. Imo ex observatione, quod in iisdem etiam morbis differens ejus præparatio, modò per vomitum solum, modo per alvum solum, modo utrinque dixerim: neque sub vomitoriorum neque catharticorum alvinorum censum illud propriè & unicè pertinere; sed cum materiam ταύτῃ expurget, ὅπη ἂν μάλιστα ῥέπῃ ἡ φύσις, διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων: Specifici purgantis locum facile sustinere. Ideoque purget quæ velit, & quomodocunque, credas equidem, malæ Medicinæ notam non esse, in centro morbi, quæ dolorem excitat & motum. Et in hoc omnes affectus præter naturam conveniunt, ut quæ difficilis passionis sunt, vel in habitu, indicent medicamentum, secundum eum modum administrandum, quo efficacissimè agat.

Es wollen die Giganten und Risen der ægrotationum, von keinen Pygmæis, oder Zwerglin der remediorum, sondern von stärckern Giganten und Gewaltigern / als sie sind / auß ihren Lagern verjagt / und vertrieben werden.

In hydrope quoque excellens Hydragogum est, nec usque adeò periculosum cum reliquis Antimoniatis, uti Capivaccio visum. Quin imo duplo pondere hydropicis exhibitum, cum euphoria tamen, operationem perficit. Undecunque enim accidat, sive à loci affecti situ, (si quid enim nos malè habet in jecore, per ventrem aptius excernitur, teste Galen. com. 1. Aph. 21.) sive humorum aquosorum propria indole, & inclinatione Hipp. lib. 4. Aph. 6. 7. & 9. sive à fixatione salium in aquis illis delitescentium, Hydropicis, Ascitìcis præsertim, per alvum duntaxat mira felicitate aquas exturbat. Id quod etiam in Paralysi & Apoplexia, fortassis ob nervosi generis stupiditatem, aliquoties observavi: Offertur à gr. j. ad sex, octo & decem pro naturarum morborumque differentia. Communiter

muniter tamen definitur à gr. j. ad iij. vel quatuor.

Si verò cum aqua Cinamomi & Endiviæ infusum Elixir Catharticum ut apud nonnullos usu receptum est, constituere debet, in duplo pondere assumatur necesse est.

Acetum montanum prædicti medicamenti facultatibus per infusionem dotatum, & Tartaro vitriolato faciendo, loco olei Vitrioli, quod alias recipit, conjunctum, ad evacuationes inferius perficiendas illud præstat idoneum.

Specificum purgans alterum.

℞. Mercurii Antimonialis optimè parati quantum vis,
Aquæ Philosophicæ non tamen athleticæ, ana.

Digere, & phlegma lentè destilla. Aqua eadem affusa recenter, denuò evocetur phlegma, idque toties, donec Mercurius iste aquæ spiritibus saturatus, ulteriorem absorbitionem respuat. Postea destilla, & diligenter observa, primò aqueam humiditatem, quæ separanda; postea liquorem ponderosum, sedulo asservandum. Hoc enim beneficio olei Tartari ad ebullitionis cessationem affusi, præcipitatum, & ab acrimonia ablutionis vindicatum, humores quoscunque peccantes ad tria quatuorve grana cum Extracto Scammoneæ composito, &c. innoxiè, idque per secessus tantùm eliminat. Quod ipsum si Crollius penitus novisset: nunquam quicquam laboris de excellentiori adinveniendo cathartico assumpsisset. Quamvis Crollii votum modestè moderateque accipiendo, uti in seniorum scriptis interpretandis decet, non sit quod dissidentium rationum experientiæ ipsum reclamare statuamus.

Nec enim POSSE ipsius pag. 137. Bas. Chym. de potentia naturali, seu prædestinatione, quam vocant, ipsius Antimonii intelligendum est, secundum quam ex Hemetico catharticum, sive subjectivè sive transmutativè, sive objectivè fieri vel non fieri possit. Unde enim scire potuisset, cum quod non sit, ἀδιάντον quoque sit & ἀμέμφατον, vix fore in rerum Natura catharticum jucundius & excellentius, adeoque cum aliis comparationem instituere rei nullibi nec existentis, nec quadantenus intellectæ? sed de potentia ἐπιγινομένην cum sua, tum plurimorum Doctorum, qua ex ignorantiæ culpa tum temporis potentiæ passivæ naturali in Antimonio active respondere minimè poterant. Eodem modo, quo Galenus 1. de fac. simpl. cap. 19. acetum partim frigidum, partim calidum promptè quidem concedit; se verò machinam, seu artem, qua sicut in lacte, contrariarum partium separationem institueret, nondum invenisse. Quo & Fernelii illud spectat: Nullam usquam remediorũ penuriam esse, sed nostram plerumque eorum turpem ignorationem.

Quod virtutes ejus attinet, plura quam quæ ipsemet compertus sum, testari nolo. Dedi adolescenti Quartanario, Tartaro Vitriolato prius ad purgationem præparato, cum Extracto Hellebori nigri, in die insebricitationis. Hinc purgato corpore instante paroxysmo Laudanum alexipyretum, & à febri, non nisi lassitudine redeunte statim melius habuit,

buit. Postea verò singulis diebus Theriacam præscripsi, tempore accessionis cum vino calido assumendam, & penitus convaluit.

Flores Antimonii.

Latissimus hic dicendi campus, de variis flores Antimonii jam albos, jam rubros, jam flavos & miniatos; modo ex crudo Antimonio; modo ex Regulo; modo ex croco metallorum vulgati; ad vomitiones & dejectiones simul, & ad dejectiones solitariè conficiendi modis & artificiis.

Secus enim se res habet, quàm multorum judicio Crollii & hinc aliorum, velut Dn. Salæ etiam opinio tulit: quòd Antimonium, ut sola per secessus deturbandi vi polleat, præparari non possit.

Si enim vera Physicorum regula: Ab extremis ad extrema non nisi per media fieri progressus, nec naturam saltus committere; Quis dubitet Antimonio à summa volatilitate, qua vomitus ciere creditur, ad summas fixitates, quibus alias fixas perficit operationes, intermedium relinqui gradum, eundemque vel separationis vel alterationis solummodo industria retinendum, quò purgationes per sedes duntaxat promoveat.

Et his missis, quid tibi aut mihi aut ulli viro bono argumenta, ubi sensus & experientia judex? Ea enim de re quid apertius, quàm quòd Beguinus in Tyrocinio recens edito & aucto scribit? Quod item generosus Johannes Wood in tractatu quem Amalgama de capitis ægritudinib, Inprimis, inquit, de lethargia, dedi Antimonium meum ad secessus præparatum, cum duobus cochleatib. vini, quod intra septem horas operabatur ad minus vigesies, ipsa (ægra) toto tempore sicut mortua (ex morbo) jacente, & circa horam quartam vespertinam desiit operari, &c. Et de vertigine paulò ante; idque accuratius: Quibus diebus accepit aut medicamentum antedictum ex Helleboro, aut parum Antimonii cum oleo vitrioli ad secessum præparati. Quamvis in hoc cuilibet manum injicere non usque adeò tutum. Multi enim tituli authoritatem, pauci scientiæ certitudinem præ se ferunt. Nec quicquam Chymicis magis consuetum, quàm promissis triumphare, quæ omnia tamen, ubi ad opus acceditur, ultrò cadunt. Neque etiam docti & probi ab hoc vitio, dum stochasmis nimium confidunt, planè immunes. Neque enim verò convenit illud Zwingeri: Si vinum Malvaticum superfundatur Mercurio vitæ, qui aliud nihil est, quàm flores Antimonii albi, sentiant alii quid velint, macerenturq; aliquandiu, abstractis spiritibus & phlegmate, liquorem manere secessivum tantum. Falsum, inquam, hoc deprehenditur. Liquor quidem manet syrupalis consistentiæ, non autem, qui aliàs, quàm Mercurius vitæ vires obtinet. Multò minus succedet, quod quidam destillator in Germanico Tract. nuper proponit: Mercurium vitæ aceto stillatitio primò, postea etiam spiritu vini solutum & per chartam trajectum, &c. tale quid posse. Factu enim illud impossibile est, & longè alia ad sui solutionem requirit, nisi sub illis solventibus aquas alias validas seu Mercuriales catachresticè intelligat.

Attamen cum receptui hoc in loco canen-

canendum est, sequentibus solum præparationibus Antimonii, quas nimirum Florum Antimonii nomine, Dn. SALA præ cæteris magnificit, & dubio procul in superioribus compositionibus, ubi eorundem florum meminit, unicè assumpsit, sub hoc titulo contenti erimus.

℞. Antimonii crudi libram j.
Salis Armoniaci libr. ß.

Subtiliter marmore trita, impone urinali fictili ad latus reclinato, in fornacula superius occlusa, absque quod sub spiraculum tantummodo relinquatur. Superimpone vas vitreum pro Recipiente, lutatis juncturis. Hinc ignem paulatim subde, usque dum sublimatio succedat, & absolvatur. Sal Armoniacum ab Antimonio aquâ calidâ separa, & pulverē tenuem siccatumque serva. Usus eorundem ad vomitus præstò est, ut sequitur:

℞. Margaritar. præpar. scrup. vij.
Flor. Antimonii scrup. iv.
Sach. pulv. unc. vj. ß.

Cum Tragacantho in Aq. Rosarum infuso f. pasta, & hinc cum guttis vj. olei Cinamomi Rotulæ, sigillandæ inaurandæque. Dosis scrup. j. ij. iij. ad iv.

Flores Antimonii alii.

℞. Antimonii crudi optimi, q. v.

Affunde Aquam fortem; stent aliquamdiu, donec calx in fundo alba videatur, (cavendo à fumo,) postea abstrahe aquam per destillationem, & calcem elue aqua tepida, donec spiritus aquæ fortis non amplius sentiantur. Denique siccatum pulverem colloca in crucibulo clauso in Reverberium per sex circiter horas; & perfectè calcinabitur Antimonium, fietque rubeum.

Cujus dosis grana ij. iij. vel iv. pro captu, æque deorsum, quam sursum felicissimè purgantia. Idque non tam sua, quam humoris biliosi circa ventriculum stagnantis natura.

Panchymagogon Mercuriale.

Si sublimatus Mercurius cum Mercurio vulgari anatica proportione mixtus denuò, idque ad quartam vel sextam usque vicem sublimetur, ad 30. vel quadraginta grana ipsum exhibitum suavissimè, imo prout alibi legere est, non magis quam Aloë, purgare, Author Ternarii Vomitoriorum supra seriò recenset. Hoc idem fecerunt & alii, & inter cathartica Panacææ loco habuerunt. Ideoque omnibus humoribus expurgandis præscripserunt, vel per se, vel in conserva Rosarum, vel in hostia vel jusculo, &c.

Verum enim verò nec rectè præparatus est Mercurius ad purgandum hoc modo, nec rectè exhibitus. Si enim toties sublimetur, tantum abest, ut purgans sit panacæa, ut omnino non purget; etiamsi in maxima præscribatur dosi.

Neq; etiam, quod per se, vel cum Conserva Rosarum vel jusculis non purgantibus exhibetur, convenit: Dulcificatus enim Mercurius, etiamsi potis sit, humores primum resolvere, & post in ventriculum attrahere, quia tamen vis incitatrix & purgatrix ipsius planè infirma, aliter fieri non potest, quam quod sentin

ill-

illa relicta, stomachus crudis humoribus repleatur, nervi & cerebrum impetantur, & denique fluxiones in fauces, omnesque corporis partes molestissimæ perni ciosissimæque oriantur. Idque maximè in frigidioribus & humidioribus naturis obtinet, in quibus si contingat fieri fluxionis illæ ἀθρόως plerunque & immodicè ruunt. Propterea compertum est abundè, mulieres, quarum nimirum corpora & celerius & magis humidi trahunt à ventre, quam virorum, teste Hippocr. περὶ γυναικείων, non solum Mercurium hoc modo præparatum & datum non commodè ferre: sed & sæpè in maximas inde molestias, imò non rarò in summa mortis pericula, ratione cum cordis, tum cruciatuum ventriculi & intestinorum incidere. Præterea sæpè & hoc in dolorem & ignominiam dat & ægrum & Medicum, quod, dum jam inde purgatio evenit, nec diminuta nihilominus ægris natura potissimum biliosis, varia incommoda obveisentur. Mercurius enim hic ejus naturæ est, ut humiditates in extremitatibus ad centrum ad se, & fortiter alliciat, prout apparet in externis affectibus. Ideoque quemadmodum ex missione sanguinis in febribus biliosis bilis acrior & acerbior redditur, & hinc periculum ebullitionis Cholericorum imminet, sanguine nimirum fræno ipsius evacuato; ita humiditatibus phlegmaticis seorsim à Mercurio deductis, bilis præsertim in parte determinata superabundans, tantò magis ferocire & effervescere incipiet, quanto copiosior pituitæ successerit evacuatio. Unde, arbitror, non inconsiderate quis dixit:

Ex Mercurio in biliosis, ex Antimonio in pituitosis non succedere medicationes.

Prætereo: quam non impunè misceatur cum conservis, succis, & julculis, quæ vel masticatione dentibus Mercurium affricando, vel liquiditate undiquâque offundendo, haud parum detrimenti adferre. Ideoque non nisi sequenti aut simili stylo in usum veniat.

℞. Mercurii Meteorisati.
vivi puriss. ana q.v.

In mortario vitreo marmoreove ad Mercurii vivi absumptionem usque misce, & in matracio per arenam ad sex octove horas sublima. Si purum insipidumque obtinueris, etiamsi vix prima sublimatio celebrata, acquiesce; sin minus, rejectis cauda & stercore Draconis, id est, salibus & fuliginibus, adhuc semel absque additione sublima, non ulterius, & postea operatio minus frustranea erit, hoc inprimis modo:

℞. Extractæ Scammoneæ compos. gran. viij.
Mercurii prædicti gran. xv. vel circiter.
Misce & fiant pilulæ no. vj. vel vij.
Usus ipsius est pro Helminthagogo in vermiculationibus.
in Febribus putridis.

In morbis Renum, Gonorrhœa, Calculo, &c. Alvi constipatione post cœnam inprimis exhibitum, & cum lenientibus potius velut Aloë præparata, &c. quam purgantibus.

In scabie, lue venerea & ulceribus malignis, ubi externè quoque valdè prodest, si in aquæ salitæ lib. una, ebul-

liendo solvatur drachma una, & post colaturam in prædictis casibus eluendo usurpetur.

Notari autem & hic, ut in plerorumque Metallicorum usu, accuratè volo: Hunc Mercurium dulcem ad medicum gradum præparatum, recentem maximè usurpari debere; minimè obsoletum. Neque etiam observationes à recentibus adsignatas matallicis, adultioribus ullam fidem mereri. Idque cum ratione sui: qua inter metallica, quæcunque summe fixa non sunt, uti, quod operetur, nec Mercurium hunc esse decet, ad ingenium pristinum ex relicto seminario facilè redeunt, tum ratione salis Vitriolici, quod non nimis vehementi, neque longo igne præparatum adhuc participat. Illud enim ita comparatum, ut se temporis protractu regeneret, & maleficium resuscitet suum, quod multæ ἑτεροπράξεις Mercurii dulcis sequutæ sunt, de quibus, ut viris simul doctis parcam, alibi.

Hic Mercurius tantisper sublimationum cohobiis elevetur, donec in fixum abierit Crystallum, postmodum, in tempore, riteque sub Solis eclipsin, tempestate præsertim nubila in liquorem solvito.

Solutum in triplo pondere cum Sole calcinato, in phiolam ritè lævigatum conjungito, ut fermentum ejus hoc ipsum fiat. Denique celebrata putrefactione menstrua, toties cohobando, donec in cucurbita instar ceræ maneat, coagula. Ad summum Medicinæ gradum Mercurius ita deductus est, & in Epilepsia & morbis Veneris admirandæ virtutis.

Sunt etiam, qui parte ejus una projecta super decem Lunæ purgatæ, in Aurum illam convertere student perfectissimum.

Spiritum ex Mercurio dulci conficies Exulcerationibus Renum & vesicæ, dosi gutt. ij. vel iv. quotidiana mirabiliter dicatum: Si ab illo pulverisato spiritum vini aliquoties cohobando per cineres abstraxeris, donec ultimò omnia in oleum seu spiritum albicantem prodierint.

Denique & hoc experientia certa comprobatum est, quod ex Mercurio per sal & vitriolum sublimato, si in aqua communi calida solvatur, & oleo Tartari guttatim infuso descendatur, post ablutionem Mercurius luteus diaphoreticus fiat, in ictero bis terve in septimana exhibitus à gr. iij. ad vj. in Mithridatio, ad omnes obstructiones expediendas præstantissimus.

Postea additis ad libram j. istius aquæ salis exsiccati unc. iij. destillatio reiteretur secundum artem, & aqua quadammodo flava prolicietur.

In ejus unciis octo solve Auri per cementum purgati unc. j. In reliqua parte verò Mercurii purgatissimi unc. iv. Has solutiones conjunctas per Retortam destilla, & igne aucto, Aurum & Mercurius præcipitabuntur partim, partim sublimata collo Retortæ adhærebunt.

Totam illam materiam pulverisatam denuò in aqua forti solve, & ut antea destilla, bene clausis juncturis, & ultimò per sex horas forti igne, & in fundo materia croco similis reperietur. In collo etiam pars sublimati & argenti vivi hærebit. Idem solvendo & destillando adhuc repete, ita ut ultima ac tertia vice tota materia

in

in pulcerrimum præcipitatum convertatur. Postea (nec obstante quod interdum impuri aliquid restet,) præcipitatum super ferrum ignitum candefacito, ad fugandos spiritus aquæ fortis superstites, & ferreo stylo sæpius misceto. Denique, postquam cum aquis cordialibus edulcoraveris, per tres quatuorve menses in loco calido serva. Si vis potes admiscere corallos, lignum Aloës, Crocum, Rubinum, Hyacinthum, Smaragdum, omnia lævigata, item Moschum & Ambram.

Usus & Dosis.

Exhibetur à gr. iij. ad vj. vel viij. cum saccharo Rosato, etiam in ovo, vel brodio, vel in pilulis; inprimis si conjungatur cum scammonea & humectetur aqua vitæ, & comburatur desuper.

Tum enim longè melius evadit. Est domitor vermium, luis venereæ, petechiarum, pestis, febris quartanæ & mille aliorum incurabilium morborum. Unde & nomen accepit, quod Hercules appellatur. Vide plura in Tract. Bovii Veronensis de Medic. rational. putatir.

SECTIO IV.

De

TURBETHIS.

Turbith Mercuriale Crollii Secretum.

Inter modos tractandi Mercurium pro Medicina corporis, de quorum altero sub præcedenti titulo, Crollius & hunc secretissimum recenset: Qui nimirum beneficio solius instrumenti sine ulla additione in cinnabarim redigatur rubicundissimam. Idem de eodem Quercetanus, quod Mercurius in vase circulato ad id apto per se concinnetur in Mercurium præcipitatum, pulverem rubeum, purpureumque, &c.

Et Beguinus modum præparandi profitetur quamvis rudiorem pag. 133. Tyrocinii Chym. cui in fine hæc subjungit encomia: Quod admirandas habeat in Medicina facultates. Quod catharticum præstantissimum præbeat in Lepra, blandè adeò alvum solvans, ut pueris & prægnantibus dari possit, acres humores mitigare; pituitosos expurgare &c. Taceo quæ miranda Theatrum Chymicum ex Theophrasto de eodem hoc Mercurio profitetur.

Hac laudum dulcedine velut Jynge tractus ego, non potui non in res medias ire, & apparatum in itinere acceptum meo, manibus & operi non subjicere. Ideoque placuit, quis ille apparatus sit, & quos effectus habuerit, promere & revelare.

Crollio is secretissimus est, (lingua, si non tam utendi rationem, quæ sæpe & à veteribus ad secretissima extenditur, quam præparationis formam spectes, suo ævo non incongrua.)

Etiamsi enim, Gebrum & Chymicorum Thesaurum si consulueris, is Antiquorum omninò inventum sit; ejusdem tamen dexteritatis non est, opera scilicet subinde ad cerceres & incudem redeunte. Ideoque dum Mercurius totus volaticus fit

sit, qui vel calore immodico totus scandat; vel totus ab imbecilli maneat in imo; haud contemnenda subtilitas est in tanta Mercurii homogenia, qua spiritus duntaxat ad rem parum facientes, impuritatesq; facili opera & beneficio solius instrumenti eleventur, essentialibus interim partibus subsistentibus.

Is ipse talis est.

℞. Mercurii mediante corpore perfectissimo probe purificati ℥. ij. vel. iij.

Per se, vel cum auro per amalgama mixtum, colloca in phiolam superne compressiorem, intusque rostro cum angustissimo orificio in ventrem usque producto. Et beneficio arenæ ad mensem integrum Philosophicum per septem sphæras age, donec demum in colore omnium perfectissimo totus consistat. Quod ut melius succedat, trigesimam circiter partem jam ante præparati Homogenei misce, & igne ritè administrato, primo enim is lentus, postea ad operis finitionem fortis requiritur, Cinnabarim tandem invenies rubicundissimam.

Effectus ipsius quod attinet, aliquoties an adscriptas laudes merito sustineat, periculum feci.

Atqui etiamsi interdum effectus dedit utiles, velut in vermicularione aliquando, ubi vermem per ventrem deturbavit vastæ magnitudinis, illis ipsis tamen citra tumultus vomituum & sudorum, non raro μίχει λειποθυμίας usque sequutorum, frui non licuit. Insuper examen veri præcipitati, quod cum auro fortiter tritum non albedine illud inficiat, minime sustinet.

Et hoc est, quod Crollius refert Basil. Chym. pag. 125. Præcipitavi, inquit, aliquando amalgamata Auri & Argenti seorsim, per duos annos, & quamvis pulverem rubicundum nanciscerer, tamen nondum erat debitè fixus, nec in usum medicum commode adhiberi poterat, sine ulteriori, (puta cum oleo vitrioli vel sulphuris,) præparatione. Hoccine autem non est apertum cum superioribus dissidium, & sibi res non se rebus submittere, quod Poeta dixit.

Ideoque penes Authores omnia ejus sint encomia, ut & illud Theatri Chymici: Quod in Medicina propemodum idem operetur, in corpore humano in morbis incurabilibus, quod lapidi Philosophorum ascribitur. Quid tamen Mercurius corporum possit, hoc eodem instrumento si tractetur, sub hanc censuram nondum expertus non accerso.

Eodem instrumento quoque domari Mercurius Vitæ potest: ut ad alvum sollicitandum magis idoneus evadat, si nimirum in arenario foveatur, donec rubere incipiat, & spiritus vini sæpe inde abstrahatur.

Lapis Philosophorum.

Dubitavi ab initio, num Lapidem hunc Tractatulo nostro inserendo non limites excederem, dum jam dudum scilicet in Corona Medicin. Fioravanti de eo luce clarius. Verum cum ad animum revocavi, quam non multis librorum Fioravantinorum, præsertim in hujus libelli turbulenta lectione auxilium; & quod Dn. Sala, dum adhuc in castris viveret

veret, ex ejus felicitate, in qua Chirurgus Castrensis unice propemodum gestiebat, ansam potissimum acceperit Medicinæ se torum mancipandi; huic etiam Ternarii Bezoardicorum parti cap. 10. ut & Ternarii Vomitiv. cap. 5. velut ad Medicinam non inutiliter inventæ, partes suas dandas existimavi.

Is ipse ergo Lapis Philosophorum tres destinctas operationes requirit:

Prima est destillatio aquæ fortis:

℞. Sal Nitri depurati
Aluminis Rochæ
Vitrioli leviter calcinati ana lib. ij.
Pulverisatis admisce Salis Gemmæ ℥. iv. & destilletur aqua fortis.

Secundò Purgatio Mercurii est:

℞. Mercurii lib. j.
Calcis vivæ ana.
Saponis nigri ℥. iv.
Cineris vulgaris ℥. iij.

In mortario lapideo misce. Postea igne valido per Retortam Mercurium inde destilla.

Tertia est ipsa Lapidis præparatio:

℞. Aquam fortem, infunde in cucurbitam undique loricatam, ad tertiæ partis repletionem.

Adde Mercurium purgatum primo; postea etiam ferri laminati ℥. ij.
Chalybis laminati ℥. j.
Auri laminati pondere duorum, quos vocant, Coronatorum argent.

Subitò capitello & Recipienti aptetur, admotoque igne omnis aqua & spiritus eliciatur. In fundo fracta cucurbita invenies Lapidem Philosophorum tenuissime pulverisandum, inque vase clauso probè asservandum. Aqua fortis inde destillando reservata ad Lapidem hunc conficiendum, (dimidium materiæ sumendo,) denuo usurpari potest.

Fioravanta inde Aromaticum conflat suum, & Electuarium Angelicum, in plerisque ventriculi & viscerum morbis remedia ἐξαίρετα.

Hercules Bovii.

Sub hoc ipso titulo opus est, Herculem illum coloribus suis depingere, quem nimirum Sala in Ternar. Vomitor. cap. 5. ex mente Bovii scriptoris Itali, omnibus aliis catharticorum speciebus multis parasangis antecedere refert.

Primo aqua fortis destillanda est hoc modo:

℞. Salis Nitri purgati.
Vitrioli calcinati non tamen ad rubedinem, ana lib. ß.
Aqu. font. ℥. iij.

Destilla per Retortam primò lentò, postmodum per sex ad minimum horas forti igne, donec fumi non amplius egrediantur.

Præcipitatum Nobile aliud.

℞. Mercurii p. j. Sublima cum sale communi & Vitrioli p. ij. tertia vice. Tunc per se sublima sexies, vel si placet, sæpius. Sublimatum reduc per Retortam cum scoria ferri pellendo, vel aqua fervente in ferreo vase coquendo. Reductum præcipita oleo Auri, seu Auro soluto; Præcipitatum solve aqua Philosophica, facta ex sale Armoniaco & petræ, solutũ coagula, coagu-

lando fige. Quod fixum remanet in fundo, Medicina erit non contemnenda.

In hoc describendo tanto brevior sum, quantò is ipse superiori adfinior, quem qui legit, facile hujus quoque Oedipus.

Erat hoc, cum Argentinæ versarer, Domino Doctori Ruxingero ejusdem Academiæ Professori, in magno usu, & cum nobilissimum juvenem Bernhardum à Flothau à scabie maligna curaret, præcipuum, quo curationis integrum negotium absolvebar. Ideoque quavis etiam arrepta occasione, quamvis pluris mihi constitit, candido lectori gratis communicare volui; Et inprimis, quod multis inani supercilio arcanorum intumescentibus familiare esse videam: Præcipitata non amplius proprio nomine Præcipitata & Turbith appellare, etiamsi ne inter illa quidem optimæ notæ sint, sed statim Hygiearum aurearum, argentearum; Solis purgantis, Lunæ purgantis fucatis titulis venditare. Toleranda enim, quantum judico, sententia illa non est. Cum nec aurum per se purgans sit, neque Luna, nec quid ἰδιοτρόπιον illorum, sed vel Mercurius, vel salia aquarum fortium, quibus illa adhærent.

Qui enim purgaret aurum, cum æqualem temperaturam habeat, & naturam hominis similitudine grata corroborat? Neque enim stimulando hac in parte quicquam proficiet, dum stimulo caret; Neque similitudine substantiæ, dum ea ipsa naturæ potius, humoribus præter naturam omninò contrarianti devinctum sit. Unum autem per essentiam unam uni tantum est, non pluribus contrariis amicum & conjunctum.

Mercurius Dejectorius.

℞. Mercurii vivi probè purgati lib. j.
Aquæ fortis q. s.

Fac stare per 8. dies in loco frigido, & coibunt in massam, quam vocant crystallos. Hi effusa aqua, sua sponte siccentur, teranturque in vase vitreo, spatula lignea, superfundendo postea oleum Tartari per deliquium, donec, etiamsi moveatur, non amplius spumam sentias. Stent paululum, postmodum facta filtratione exsiccentur. Super materiam in filtro relictam denuò superfunde aquam pluvialem destillatam, & triduum circiter in loco calido collocentur, interdum movendo.

Postea decapulando filtra, idque ad tertiam usque vicem. Siccatis denique acetum affunde in arena per tres quatuorve dies. Eodem depleto, aqua pluviali edulcora & exsicca.

Habebis Mercurium instar foliorum argenti, & hinc grandiloquis flores argenti appellatum. Suaviter purgat per secessum à gr. ij. ad v. vel vj.

Bezoardicum Minerale Auratum.

Hactenus de Mercurialibus sub sectionem hanc pertinentibus, jam ad Antimonialia, & quomodo, dicente Sala in Hemetologia cap. 6. Antimonium non solum ad vomitiones & secessus, de quibus supra; sed etiam ad diaphoresin promovendam usui esse possit. Idque pro hujus loci captu in forma Præcipitati.

Auspi-

Auspicabimur autem à Bezoardico Minerali aurato. Nam falsum est Mercurium vitæ, & hinc facta Bezoardica, Mercurialia magis, quam Antimonialia esse, licet plerisque, (mirum) ut & Salæ, Bezoardico Minerali propterea parum tribuenti, secus videatur.

Quis enim Mercurium Vitæ dicat, & ducat aliud, quam Regulum Antimonii à salinis Mercurii sublimati Spiritibus mediante calore in liquamen redactum, inque aqua iterum diffusis illis, quorum scilicet vi continuitas fluxus congregabatur, in pollinem conversum? Probat illud fixitas hujus medicamenti, & quod fusione in Regulum iterum redeat, non in Mercurium aut fumum Mercurialem. Probat etiam effectus Vomitorius, qui Antimonii est, non Mercurii sublimati. Et si Antimonium cum Spiritu Salis, vel flores ipsius albos cum aqua forti imbiberis, postea destillaveris, itidem oleum ponderosum elicies, ejusdem prorsus qualitatis cum Mercurio vitæ, quod tamen à Mercurio nemo expectabit. Taceo Mercurium vivum in forma adhuc currente post finitam cum Antimonio destillationem, partim in Recipiente, partim in collo Bociæ cum Sulphure Antimonii reperiri. Quod Bezoardica ex Mercurio vitæ attinet, & illa probant, quod probatum cupimus. Eundem enim processum si cum Antimonio absque Mercurio instituis parem effectum, & formam Medicamenti experiris; non item, si hoc idem facias cum Mercurio.

Cape Croci Metallorum, qui hac in parte Mercurio vitæ respondet, p.j.

Spir. salis Nitri part. vj. Mixta teneantur aliquandiu in loco calido, tandem in arena destillentur. Nam quod remanet, à Spiritu Nitri super carbones liberatum, idem valet, quod Bezoardicum Minerale, & ad eandem etiam dosin extenditur cum illo, prout infra definiemus.

Pariter ex Regulo Antimonii quoque pulverem concinnabis à Bezoardico minerali haud difformem.

℞. Reguli part. j.
Nitri part. ij. vel iij.

Ad ignem candescant & statim Antimonii Regulus in pulverem abibit candidissimum & fixum.

Quæ singula tantum abest, ut à Mercurio sublimato speres, ut potius ipsum conjunctione salium hujusmodi nocentiorem tanto feceris. Mercurius ideoque sublimatus hac in parte nihil præstat, præterquam, quod beneficio Spirituum salinorum liquefactionem, & faciliorem Antimonii destillationem promoveat. Jam ad præparationem Bezoardici aurati:

℞. Auri, Rore Solis Philosophici, &c. soluti, & ab ipso per Balnearem destillationem, vel potius in cineribus, iterum atque iterum ad oleiformem usque consistentiam liberati. Superfuso aliquoties, destillatoque aceto forti dulcoretur. Siquidem duo acria conjuncta se mutuo jugulant; & hoc idem sperandum foret, si siccam Auri substantiam haberemus, à Mercurio sublimato. Tandem cum Menstruo Basilii supra descripto per mensem ad extrahendam Tincturam digeratur, quæ ipsa,

abstracto per B. spiritu rubicundissima habebitur. De hac auri Tinctura misce partem j. cum Liquoris gummosi Antimonialis ℥vj. vel viij. (hunc liquorem vero oportet esse solutum prius in aqua Nitri.) Ex arena spiritum Nitri semel atque iterum per cohobia destilla, & quod restat, denique super prunis in catino plano per horam, per bacillum agitando, crema in pulverem subtilissimum.

Dosis hujus à gr. vj. ad x. in convenienti liquore vel succo, contra morbos plerosq;, quibus per sudores remedendi indicatio est.

Bezoardicum Lunare.

℞. Lunam, ut supra ad Magisterium Lunæ, per aquam fortem solutam, idque sæpius, semper abstractis volatilioribus Nitri Spiritibus Ultima vice digere aliquãdiu, postea omne phlegma leni igne destilla; utque per mensem in fimo steterint, atque interim incrassescere cœperint, velut in aquam viscosam, tum misce cum solutione Butyri Antimonii cum Spiritu Nitri facta, in subdecupla proportione, & lege a. destillando fige.

Usus ipsius laudatur in Cerebri & Matricis affectibus, dosi supra Bezoardico Solis præfixa.

Bezoar Ioviale.

℞. Antimonii crudi ℔j. cum pulvere ad fluxum parato ex Nitro & Tartaro fiat Regulus f. a. In iterata fusione adde ad singulas Reguli ℥iij. stanni puri ℥ij. & fiat de novo Regulus. Hujus Reguli Jovialis

℞. Unc. ij. Mercurii sublimati totidem & fiat Butyrum Antimonii f. a. Hoc rectificatum, spiritu Nitri per cohobia ab ipso destillato, decenter fige.

Sudores abundanter provocare creditur dosi gr. 4. vel vj. viij.

Bezoar Martiale.

℞. Antimoni electi Nitri & Salis vulg. ana q. v. Tenuiter trita misceantur & per vices, (secus enim nimis ebullirent:) catino super ignem follium inferantur. Catinus operculo tectus relinquatur, donec liquescat materia. Subsidentia priore hac vice facta, novam materiam ingere & ita ad finem usque pergendo.

Denique per horæ spatium confluere sinatur, dum non amplius tam confertim exhalet.

Eximatur catinus, & pulsetur, quo melius fundum petat Regulus. Sic aliquanto post Regulum invenies rubrum, qui è fecibus separatus, tenuiter tritus, & aqua communi aliquoties ablutus, per inferiora saltem purgare creditur.

℞. Butyrii Antimonii, ex hoc Regulo & Mercurio sublimato facti prout nosti, q. v.

Eo ipso ex Croco Martis solius ignis beneficio conflato per digestionem elice tincturam, separata impuritate, adsumatur ad Bezoardicum cum spiritu Nitri, consueto more, faciendum. Præstantissimum perhibetur in omnibus alvi fluxibus, dosi reliquis cognata.

Pari modo ex limatura cujuslibet Metalli, vitri, lapidis, &c. cum butyro Antimoniali, siquidem illud vere omnivorum est, Bezoardica variis morbis, pro cujusque natura & proprietate adaptari possunt.

De

De singulis vero, quæ hic annotavimus, & maxime de Bezoardico minerali simplici, quod omnibus notũ jam merito omisimus, experientia hoc didici: parum de illis expectandum, eaque minus virium habere, quam Crato cum pluribus aliis, de quibus Bauhinus de Lap. Bezoar. cap. 37. Bezoar animali tribuit, dum in febribus pestilentialibus parum sibi profuisse scribit, &c. nisi dosis illorum justo hactenus moderatior, in liberaliorem transmutetur, vel ab aliis commixtis auxilium præsto habeat. Dum è contra si dosi exhibeantur satis valida, efficacia sua adeo eniteant, ut & Bezoar, & Unicornu superare quis merito dixerit.

Et hoc de Unicornu tanto magis, quanto probabilius: Unicornu revera in rerum natura non existere, & nusquam unquam tale animal reperiri; sed per cornu more Hebræo vim significari, potentiamque monarchicam, qualis tribuitur Domino Jesu Christo, ac rebus ipsum aliqua virtute repræsentantibus.

Ideo & phædro in furno Chymico Unicornu solutum vocat Margaritas præparatas confortantes summe Cor, & facultatem quoque naturalem.

Quidni enim, si tam virtuosum quadrupes inveniretur, integrum apud Regem Hispaniarum vel Turcarum, vel aliquem alium fuisset visum, & experientia comprobatum, sed dicente Sanctorio in Methodo vitandor. errorem Medic. apud neminem istorum virtutes Unicornu celebrantur.

Ergo non est credendum, quod alicubi inveniatur. Et Authorum ea de re scriptorientium tam discors etiam concordia est, ut ad fidem rei alias nullo argumento firmiter stabilitæ demerendam parum ponderis obtineat. Ergo si qua cornua raræ substantiæ aut magnitudinis passim hoc nomine exhibentur, vel lapides osseos dixerim, quorum fodinæ & in his regionibus nonnullæ, vel cornua quidem aut ossa, quæ tamen arte, cujus exemplum Delphis in Belgia ex dente Elephantico mihi monstratum, in eam formam fuerint redacta.

SECTIO V.

De

APPENDICE QUORUNDAM SCITU ADHUC NECESSARIORUM.

Mercurius Martialis.

Dandum denique & hoc in medium est, de Mercurio Martiali in Chryso-Bezoar Salæ in Tern. Bezoard. quid sit nostro arbitratu.

Ambigua enim illa locutio est, aut in verum sensum ad minimum subobscura. Annon enim quilibet eo interpretetur, ac si Mercurius Martis foret, altera illa pars Martis, in quam per coctionem seu coagulationem naturalem ex illa natus denuo resolvatur, ut ex mortuo vivus evadat, & speciem hydrargyri accipiat? Illud enim factu possibile, experi-

mentis rerum omnino stabilitum est. Ideoque, (non diffitear,) ne suspiceris aliud in hac re esse, quam Chalybem simplicem purissimam, in acubus Hispanicis, si non aliunde reperiendam.

Fors, (nisi synecdochen dixeris:) ea cum multis Salæ sententia est: Totum Metallum esse Mercurium, adeoque solam congelationem quodlibet Metallum à suo cujuslibet Mercurio distinguere.

Hoc enim utrinque sensu recte dixeris: Mercurium cujuslibet Metalli, (concretum:) pro quolibet Metallo, & Mercurium Martialem pro ipso Marte.

Quis autem chalybis tam simplicis, quam præparati usus sit, & hinc ad Chryso-Bezoar magis prosperitandos effectus ἐνέργεια, partim satis notum arbitror esse, partim aliunde junioribus expetendum.

De cauterio actuali in dolorifico.

Quandoquidem Sala in superioribus libris passim Escharoticorum mentionem facit, & vel optimam etiam Arsenici fixationem, quo alias multi in casibus ruptoria adhibendi, contenti fuissent, malignitatis insimulat; interim tamen non adferendo, quibus mens timida audacior, docta curiosaque saturatior reddatur, (Causticum enim minerale cui alias multum tribuit, sicco pede transit:) non potui non & hîc è tenebris & caligine quædam educere. Est ita quidem, quod illud ex Antimonio, de quo Solenander in Consil. Medicis; illud item Zvingeri πυράπυρον ex albo nihil passo, rubro, & nigro unctuoso; vel in quo celeberrimus Platerus gestiebat; singula sine dolore escharam facientia, multus aliis palmam præripiant. Atqui hæc non tam omnibus data sunt scire, quam vires habent ad medendum laudabiles. Ideoque detur primo quid sit:

Pyrapyron Zvingeri.

℞. Calcis vivæ p. ij.
Minii p. j.

Pulverisentur simul, & cum sapone nigro miscendo formentur globuli.

Aliud.

℞. Calcis vivæ ℔ j.
Tartari usti ℥ j.
Colcothar. Vitrioli ℥ ij.

Fiat ex omnibus lixivium, quod decoquatur in justam consistentiam.

Ego cum successu nunquam meliorando ex cineribus quibuscunque & calce viva lixivium paravi, sæpius superinfundendo aquam quod in vase ferreo in melleam usque consistentiam decoxi, hoc ipso, quoties opus fuit, fonticulos excitari absq; omni sensibilitate, ne dicam molestia vel dolore.

Causticum minerale Angeli Salæ.

℞. Aquæ fortis efficaciss. ℥ iiij.
Olei Vitrioli ℥ j.


Colloca in matracio in B.M. & destilla phlegma, adde Mercurii sublimati drachm. ij. (alias salis Armoniaci totidem drachm. miscet:) solve conjunctim in vitro bene clauso & ad usum serva. Arcanum est ad tumores pestilentiales, cancrum, callos fistularum, ad gangrænam, & omnes carnis excrescentias, plumaceolo inunctum, Empla-

plastro defensivo, ubi opus est, circumposito, cito, sine magno dolore, & mollem & facile separabilem escharam facit.

Eodem, nisi majori encomio dignum puto Magnetem Arsenicalem de quo supra in Ternar Bezoard. cap. 6. Quia & is sine inflammatione, aut corrosione dolorifica operationem perficit suam, & hinc magnorum virorum usibus cum laude inservit.

Placentini tamen illud in Italia à me visum, indeque comportatum, omnibus numeris, (si & hoc addas, quomodo jam facta fontanella humor evocetur, alias enim actualia Cauteria roborant & siccant potius:) perfectissimum. Nec enim in hujus adhibitione propter extremitatem vaginæ frigidiorem gravioremque ex depressione in cubitum nonnihil stupente cute, adde miram operationis celeritatem & occultationem, vel quicquam doloris, vel exquisite sub ustionis specie percipitur. Quam eandem ob causam nec vicinarum partium offendiculum in minimis metuendum est.

Fabrica ipsius umbratilis hæc est.



A. *Vagina lignea, cornea vel ferrea.*

B. *Rotula quæ per fila ænea complicata infigendæ sunt in propria loca inferioris laminæ cannulatæ.*

C. *Stylus ferreus ignitus escharam faciens.*

D. *Operculum foraminatum.*

E. *Clavis ferrea supra & infra lata, desinens in stylum ignitum, à cujus depressione in applicatione ipse cogitur inferius.*

F. *Locus, quo egrediens stylus cutim tangit.*

Modus applicandi talis est: Quandocunque cum festinatione, roboratione, citaque evacuatione cauterio opus est actuali, ubicunque etiam convenientior locus ratione partis affectæ, καὶ τῆς ἰνδείας visus fuerit, stylus ferreus primum candefiat, interaque locus atramento accurate notetur; postea candefactus stylus cannulæ in me-

medio vaginæ transeunti mox injiciatur, suppositoque operculo manu dextra destinato loco fortiter imprimendo administretur. Ita non diutius, quam quod caput interea rotasses, inhærendo, escharam faciet, sine dolore ullave alteratione partis. Ad illam separandam & putrefaciendam butyrum Solis cum folio Brassicæ apponas, donec cadat; Hic à decidua crusta pulvere materiali Metallico adspergatur ulcus, id arcet consociationem, & evocat materiam. Denique rorant humiditate pila cerea vel grano ciceris albi, vel pila ex argento perforato parata expleas, & hac quotidie purgata fontanella rite continuabitur. Posset hoc in loco fabrica doceri, quomodo parvuli instrumenti impositione venæ sectio facienda, ut nec levius, nec profundius, nec ultra citraque venam feriendo quicquam timendum sit, res ut expedita & facilis, ita inprimis tempore pestis ad vitanda contagia valde idoneum. Potest enim eo ipso pro arbitrio & tuto sibi quisque aperire venam. Verum hæc & alia à me habebis, quando usu passim notiora facta, sicut & hæc, quæ hactenus vulgavi, magis pro vulgari gustu.

Mantellum Ligneum sudoriferum, seu Laconicum.

Nec extra Rhombum, de Mantello illo ligneo, de quo Author Ternarii Bezoard. cap. de paralysi pauca. Nec enim & illud cuivis forte obvium.

Hoc ergo siccum & humidum esse potest:

Siccum: quando ex arida Carbonum, vel silicum candentium exhalatione poros corporis laxante sudor promovetur. Humidum: quando, quod pari facilitate fieri potest, sudor vapore ex sudoriferis ex aqua, vino, vel his mixtis in ingente lebete coctis, intusque in mantellum positis elicitur.

Utriusque structura hæc est: primo machina struatur, instar urinæ seu lecti asseribus in fundo & utroque latere sufficienter munitis, tantæ longitudinis & latitudinis, ut virum cujusvis staturæ, aut proceritatis capere, & nihilominus pars aliquota præsertim post pedes vacua restare possit; Pars antica, capitis nimirum, & cervicis basis, sublimior fiat ex oblique posito assere. In imo fundo ceu lecti stragulum; subtus caput vero cervicalia collocentur pro libitu. Postea orbes lignei semicirculares octo pluresve, penes collum tamen minores, cœlum desuper constituant ad hunc finem: ut interstitiis, (linteolis:) obturatis, exhalationibus intus retinendis occasio fiat, capite interim rite exerto. Possent etiam asseres glutine conjuncti instar excavati argumenti superimponi, eo modo ut superne foramine uno vel altero per usum caloris intus conclusi moderamini rectius præsit. In postica parte fixa pedum sedes sit, postea patina seu olla capulo quodam exemptilis, in quam vel carbones vel scilic. candentes; vel herbarum Diaphoreticarum decocta, commode imponantur. Sic enim ægro intus decumbente, vapor exhalatiove totum corpus feriet, & sudorem cito exstimulabit.

Ejusdem fere fabricæ lectum pro Gallica lue

ea lue infectis Parisiis à Clariss. D. Johan. Genan reservatum vidi; Attamen ægri funiculis cum tenuibus linteolis incumbunt, subtus camera in qua Carbones vel decocta ponuntur, existente. Utriusque ergo imagines depictæ, ut & aliorum in sequenti tabula sequuntur.

De Sigillatione Hermetica.

De sigillatione Hermetica in superioribus sæpius attacta, quoniam illa quam necessaria, tam à plebeis ingeniis capi difficilis, en perfunctorie pauca: Lampada construo, cum fistula inferius pone finem ventricosa; pedem sesqui alterum longa, in se eminentioribus digitis ita fixa, ut extremitas ante ignis flammam terminetur, illaque stante Lampade absque contrectatione ab ore sufflatum excipiat, & ideo artifex ambabus manibus vasis vitrive tractationi præesse rectius possim. Postquam ergo ventum inspiratione excitavero, radius flammæ projicietur intensissimus, cui si collum vasis prominens sinistra obverto, facile illud & excandescere, & emolliri incipiet, adeoque cum dextra forcipem vel aliud concinnum instrumentum, vel bacillum vitreum artificiose adhibeo, Colli ipsius jam liquescentis sive contorsio, sive compressio, sive glutinatio pro orificii ipsius conditione fieri possit.

Labor tanto expeditior & facilior, quanto, qui facio, ea in re sum exercitatior, collumque vitri vel exilius, vel facilioris fusionis. Artificium dubio procul à vitrariis inventum primo, & hinc ab aliis cum necessitatis, tum gloriæ causa acquisitum.

Venetum enim vidi, eo ipsoqui mirum quantum in variis animalium, fruticum, arborum, fructuum, picturarum, machinarumque figuris è vitreis ad id seorsim elaboratis bacillis, ad libitum ducendis & perficiendis Appellea vere dexteritate profecerit.


Ad eundem finem globus conficitur æneus cum collo ad latus præcise reflexo orificii in extremitate structissimi, in medio tamen, ubi ad infundendum S. V. amplior rotularum beneficio exemptili. Hic quando æstuare inceperit magno impetu data per rostrum via, ventus eructabitur ad sigillationem aptissimus.

Locum tamen instrumenti hujus, dum deficit, complere poterit, quod conos vitreos variæ magnitudinis præsto habeas, eorumque unum orificio vasis arctissime immittas, circumcirca rimis inspergendo vitrum cum Borrace vel felle vitri pulverisatum; posteaque in olla foramine subtus pertuso, igne carbonum liquefacias. Postquam enim quod paulatim fiat, refrixerit, vas Hermetice clausum undiquaque reperies, præsertim ubi ferrea spatha candefacta oras apte linere jungereque non intermiseris.


SCIA-

Sciagraphia quorundam ſupra memoratorum.

Mantellum Ligneum Laconicum, Engliſch Kredell.




Laconicum pro Gallico Morbo infectis, D. Genandii Pariſienſis.




Phiola

Phiola circulatoria ad Cinnabarim Mercurii conficiendam.



Glóbulus Æolius ad ſigillationem Hermeticam aptus.



Hæc tibi, Candide Lector, bono animo, quo impleo & facio, ſi quid ore aut ſtylo omiſi, vel commiſi. Ulterius ſi inſultas, tu aut alius faciant, uti volent. Ego ſine fraude hoc quicquid eſt, vulgavi, & in hoc DEO TRIUNO ſummo Archiatro eventus permittendo, & errores ſi quos commiſi, deprecando, ſermonem finio meum.

ANGELI SALÆ VICENTINI VENETI CHYMIATRI CANDIDISSIMI,

MYROTHECIUM.

Ex quo omnis generis præparantium sc. emeticorum, catharticorum Diureticorum Hydroticorum, Anodynorum, Corroborantium, Alexipharmacorum, aliorumq; pretiosorum chymicorum, variis humani corporis morbis inservientium medicaminum dosis & utendi modus candide docetur & sincere demonstratur.

CUM

APPENDICULA DE ALIORUM COMMUNIUM ac Euporistorum, præter superiora in curandis morbis necessariorum præparatione.

MYROTHECII

SECTIO I.

De medicamentis præparantibus sive digestivis.

1. Acidum Tartari simplex.

ACidum hoc Tartari nihil aliud est, quam candidissimus acidiusculi saporis ex Tartaro præparatus pulvis, attenuandi, incidendi, penetrandi, aperiendi, purificandi, abstergendique qualitate præditus.

Tartaream vero è pectore, ventriculo & intestinis præcipue educendo mucilaginem, eadem mundificat, obstructiones hepatis, lienis, venarum mesenterii, aliarumq; humani corporis partium aperit, hypochondriacis etiam vel flatulentæ melancholiæ ac scorbuto obnoxiis maximopere acidum hoc Tartari simplex est conducibile.

Excitamentum appetitus est excellens, orisque ab indigestis cibis aut alia quacunque in ventriculo ex nocivo & maligno humo-

humore collecta putredine, exortum fœtorem corrigit. In ardentibus febribus, exficcatam calore febrili linguam labraque dehiscentia recreat, sitim extinguit, ebullitioni ac fermentationi biliosi sanguinis non minus quam purissimi vini acetum vel succus citri resistit. Præterea admixtum simplicibus leniterque purgantibus, ut sunt, Rhabarbarum, folia senæ, agaricus, syrupus rosarum solutivus, cassia &c. vires eorundem acuit, facultatemque purgandi ita corrigit, ut sufficienter quidem absque tamen ulla molestia ac periculo vires suas exerant noxiosque humores expurgent.

Sciendum insuper pulverem hunc sive acidum Tartari simplex, phlegmaticos per se & natura sua facile mobiles, absque ullo alio additamento exhibitum, posse satis sufficienterque movere. Iis denique ægrotis, quorum morbus vehementiora requirit purgantia, horum vero operationes si à viscosa ac tartarea mucilagine prædicta loca obstruente, impedirentur, haud felicius ac convenientius præparans hoc ipso acido Tartari vix ullum exhiberi poterit.

Dosis & Usus.

Exhibetur utplurimum jejuno stomacho in brodio carnis vel alio conveniente liquore ad ʒß. plus minusve pro ægroti & morbi conditione, dissolutum. Non inconvenienter etiam misceatur conservæ rosarum aut fl. arantiorum, vel aliis conservis appropriatis ac electuariis, vel ex hoc ipso concinnantur morsuli, vel multiplici alio modo, (ut in Tartarologia nostra videre est:(uti fruique illo licitum.

Cautio.

Ab hujus autem usu cavendum in internarum partium excoriationibus, quæ humectantia, emollientia, lenientia vel humores tenues incrassantia potius, quam attenuantia ac incidentia postulantia, itemque in affectibus aliis, acida quibus delereria ac summe nociva, ab hujus usu abstinendum esse, severa lex esto!

2. *Acidum Tartari chalybeatum.*

Medicamenti hujus, sub forma subtilissimi ex Tartaro & chalybe arte chymica præparati ac prædicti acidi simplicis viribus æmuli pulveris utilitas est maxima. Majori tamen aperiendi, deobstruendi, dissolvendi ac exficcandi virtute pollet priori. Quocirca non solum majori cum emolumento in inveteratis supradictarum corporis partium obstructionibus, verum etiam ad dissolvendos scirrhosos tumores eosdemque absumendos, partesque nimia humiditate obrutas ac debilitatas, exficcandas ac corroborandas, felicissimo successu ægrotis exhibetur. Crassum insuper atrum, adustumque humorem melancholicum, quo facilius ac felicius purgantibus obtemperet, locoque cedat, attenuare, resolvere ac præparare insita vi ac virtute potis est hic pulvis. Hinc maxima ei ascribitur efficacia pro curanda melancholia, ictero nigro, febre quartana, aliisque similibus ab hoc, sive qualitate sive quantitate, peccante humore progenitis morbis. Venas præterea matricis obstructas egregie reserat, menses exinde suppressos vel cessantes,

 pro-

promovet, salutare etiam est Medicamen in Febre alba mulierum sive chlorose Hippocratis, ventriculi inflatione cachexia & principio hydropis. Genitales tam virorum quam mulierum partes superflua humiditate indecenter relaxatas ac debilitatas roborat. Inveteratæ denique gonorrhϾ, ac diuturno, putrido ac fætido uterino fluori summa est medela.

Dosis & Usus.

Dosis modusque utendi pro lubitu Medici ac ægroti cum superiori prorsus unus idemque est.

Cautio.

Cum vero prædictorum morborum contumacia, ac resolutionis difficultas longiorem pulveris hujus usum requirat, ideoque ad eductionem per hunc ipsum præparati humores; quod in aliis omnibus curationibus, in quibus medicamenta chalybeata in usum veniunt, observari etiam solet, repetitis vicibus lenitivis erunt expurgandi.

Liquor Martialis.

Subtilissimum est in forma liquida præparatum ex chalybe Magisterium, præcipuis suis qualitatibus ac virtutibus cum modo dicto acido tartari chalybeato conveniens. Liquor vero hic maxime utilis est iis, qui chalybe in forma potionis, utpote, vino, aquis destillatis, decoctis, infusionibus vel syrupis, quo angustissimas vias facilius penetrare inque longe à se invicem dissitis partibus majori cum fructu vires suas exerere possit, uti fruiq; gestiunt, iis etiam apprime commodus, qui pulveres fastidiunt.

Dosis.

Exhibetur à guttis x. xv. xx. pro rei ac necessitatis exigentia in liquoribus convenienter appropriatis.

Vires & Usus.

Scitu etiam dignissimum est, liquorem hunc cum aquis appropriatis mixtum, amicabilem iisdem conciliare saporem, ut omnibus iis affectibus, in quibus aquæ Spadanæ, Acidulæ ferreæ aut aliæ similes summopere à Medicis laudantur, ac ab iisdem ægrotis bibendæ præscribuntur, summe sint utiles. Præmissa namque corporis purgatione, & ubi necessaria, venæ sectione, potæ hæ per aliquot dies, quibus liquor hic Martialis commixtus fuerit in bona copia aquæ, servataque debitè diæta, tantum ille valebit, quantum prædictæ naturales.

4. Elixir Antifebrile.

Peculiare est Elixir, quo in putridis febribus, ut quotidiana, tertiana, hemitritæo, quartana & aliis, sive simplicibus sive compositis ex humorum putredine ortis, commodissime utimur, non solum enim præmemoratam putredinem inhibet ac arcet, obstructionesque viscerum, hepatis sc. lienis, venarum, (quæ in hujuscemodi febribus utplurimum removendæ;) aperit, verum etiam materias peccantes incidendo ac attenuando ad expulsionem habiles reddit eandemque facilitat.

Dosis.

Dosis.

Dosis eadem, quæ liquoris Martialis.

MYROTHECII

SECTIO II.

De Pharmacis Emeticis.

1. *Vomitorium Benedictum.*

HOc Emeticum sub forma rotularum puniceârum præparatum, singulariter vomitum movet, quod in varii generis morbis, qui omni Juniorum Medicorum sententia ac judicio violentia necessario requirunt medicamina, admirando cum successu exhibetur.

Inprimis autem salutaris est Medicina, 1. In doloribus capitis diuturnis, vertigine, auditus gravitate, tinnitu aurium, oculorũ caligine, memoria debilitata, epilepsia, apoplexia, soporosis affectibus, mania, insania, ciborum fastidio, nausea, ventriculi inflatione ac laterum distensione, ictero, febre tertiana, quartana, & aliis similibus diuturnis ac intermittentibus, ex putridis, crassis maximeque nocivis in ipso ventriculo, costarumq; spuriarum cavitate itemq; hepate liene ac pancreate collectis humoribus, ortis febribus.

2. Maxime etiam approbatur in acutis ex accensa flava bile vel alia maligna ac epidemiali qualitate quæ à principio crudis sese insinuat humoribus, in iisque, (uti in morbis ac febribus epidemicis malignis videre est) dominium suum exercet, pro natis febribus, itemque in ea, quæ à bile progignitur, pleuritide.

3. Si forte quispiam vel inscius sumpserit toxicum, vel ebiberit philtrum, aut imprudenter deglutierit venenosas muscas, araneas, &c. itemque ob adhærentes gulæ & faucibus piscium spinas vitæ periculum incurrat, vel etiam pili, ungues, frustula pomi, vel similia stupenda in corpus humanum veneficio ac artibus diabolicis immissa certũ minentur interitum, præsentissimum in his omnibus ac singulis est remedium.

Dosis.

Rotularum harum emeticarum facile vomentibus duæ, mediæ constitutionis tres, robustis vero exhiberi possunt quatuor quadratis autem, ut bajulis & aliis hujus farinæ hominibus pro summa dosi quinq; non plures. Multo enim tutius est unica vice subsistere in minori dosi, quam temere cum summo ægrotantis periculo experiri velle majorem: conducibilius etiam bis ægroto easdem, (casu necessitatis ita exigente) porrigere, quam unico quasi intuitu totam destruere humani corporis compagẽ.

Usus.

In affectibus chronicis sive diuturnis, non contagiosis nec malignæ alicujus qualitatis participibus, ejuscemodique naturæ ac qualitatis, cujus §. 1. hujus capitis facta mentio, ante omnia, priusquam materia peccans expurgetur, convenientibus est præparanda. Præmissa igitur commoda præparatione, æger assumat has rotulas summo mane ante è lecto exitum, superbibendo absterſionis E. aliquid liquoris, vel si easdem fastidiat, in pollinem redactas vinoque vel hydromelite; bile non

 præ-

prædominante nec febre præsente, iis vero præsentibus, aquis destillatis syrupisque acidiusculis commixtæ sub potiunculæ forma exhiberi commodissime possunt. In acutis autem morbis ac repentinis casibus, (quorum supra §.2.& 3.mentio facta,) nihil cunctandum, sed ex tempore, sive diu sive noctu, quacunque etiam hora necessitas id efflagitaverit, vomitorium hoc intrepide dicto modo exhibendum. Quod si forte ob defectum necessario requisitæ in ventriculo humiditatis ægrotus ad evomendum fuerit difficilis, notandum hîc, ipsi quadrantis horulæ spatio ante usum vomitorii porrigendum esse decoctum passularum vel prunorum, semel etiam vel bis ad facilitandam emetici operationem, quo materia libentius obtemperet ac facilius expurgari possit, propinandum convenientem ac morbo appropriatum liquorem.

Cautela.

1. Qui capitis infirmitatibus, morbis præcipue per idiopathiam sunt subjecti. 2. Quibus strictum ac angustum nimis est pectus, aut gibbosi sunt, vel alio aliquo costarum vitio laborant. 3. Phthisici vel alio quovis partium adjacentium ac continentium vitio dediti, unde perpetua molestantur tussi, purulentamque tussiendo ejiciunt materiam. 4. Quibus in interioribus sunt apostemata, quique hæmorrhagiam narium ac sanguinis patiuntur sputum. 5. Qui natura difficiles sunt ad vomitum. 6. Quibus etiam altas in mesenterio, hepate ac liene egêre radices, diuturnæ obstructiones, itemq; scirrhosis referta viscera tumoribus. 7. Muliebris sexus, in menstruorum non ab impuritate viscerum sed sola venarum uteri obstructione exorta retentione. 8. Febribus acutis, pestilentiali ac maligna quarto nunc vel quinto die afflicti, morbiq; malignitate viribus omnibus ferme exhaustis, maxime imbecilles, quibus ipsa etiam natura per alvum, sudorem, narium hæmorrhagiam, vel urinam peccantem materiam motu cœpit exturbare critico. 9. Qui in ardentibus ac periculosis aliis febribus perpetuo medicamenta, cibum potumque abhorrent, atque non proprio ventriculi, vel contentæ in eo ipso alicujus materiæ, sed alterius alicujus vicini visceris vitio nauseabundi facti sunt. 10. Qui, quacunque etiam interna, non à bile, sed sanguinis ebullitione ac fermentione, exorta inflammatione sunt gravati. 11. Tandem prægnantes aliæque mulieres quæ ob diuturnum mensium fluxum aliasque infirmitates nimiam virium fecere jacturam.

His omnibus ac singulis emeticum, sive vomitorium porrigere velle, piaculum esto!

2. Oxysaccharum vomitivum.

Oxysaccharum hoc emeticum, colore flavum, sapore vero aromatico acetosum omnibus humani corporis affectibus, quod etiam de vomitorio benedicto supra dictum, apprime est utile, præsertim, quia blandum admodum est, delicatulis & mediocrium virium subjectis. Inprimis autem accommodatissimum est in febribus tertianis ac aliis morbis biliosis, ut etiam in epidemica maligna dysenteria, pestis tempore grassari solita, itemque febre Ungarica sive petechiali aliisque malignis, assumptum etiam toxicum potenter expellit.

Dosis

Dosis.

Exhibetur hoc Emeticum valentioribus ad ℥vj. imbecillioribus autem ac ætate junioribus. delicatulisve, habita semper ætatis virium temperamentiq; ratione, minus.

Usus.

Porrigendum est hora matutina vel quovis necessitatis tempore, assumptoq; illo singulariter regendus est æger, ut pluribus supra.

3. Sal Vitrioli.

Hoc ex vitriolo concinnatum vomitorium, mediante sua acrimonia tantarum est virium, ut viscosa crassaq; phlegmata attenuet, incidat, eademq; partim vomitu per superiora, partim inferius per alvum ejiciat.

Singulariter autem conducibile, primùm epilepticis ac pituitosis sive phlegmaticis, iis etiam, quorum pectus præ nimia phlegmatis crassi copia ita graviter est oppressum, ut difficillime spiritum ducant. Secundo inservit iis, qui ex inordinato vitæ regimine, validis potationibus ingluvieq; ventriculum debilitarunt, ac ita quidem, ut fungi suo amplius nequeat officio, hincque collectis in eo copiosissime cruditatibus, variis morbis, nominatim autem lienteriæ, diarrhœæ, periculosis dysenteriis, variis febrib', vermium generationi, scorbuto, & aliis inde scaturientibus innumerabilibus malis summo cum detrimento ac maximo vitæ periculo largissime pandantur fores: hinc etiam & non aliunde tot ac tantæ in diversis locis, præcipue autem in urbibus vulgi, in campestri vero marinoque bello militum miserandæ sine gladio, sine sclopetis ac tormentis commissæ videntur miserandæ strages. Ad aphthas, pro removenda ac educenda materiali earundem causa, hoc sale nihil unquam pretiosius sum expertus.

Dosis.

Quantitas ejus est ℨß. qui vero faciles sunt ad vomitum ℈j. robustis vero pro una dosi exhiberi potest ℨj.

Usus.

Communiter offertur matutino vel alio etiam, pro morbi exigentia, tempore in jure vel cerevisia dissolutum. Dissolvitur in aliqua destillata, &c, quo acrimonia ingratusve ejus sapor demulceatur corrigaturq;, syr. viol. ℥j. commiscetur, ejusq; usus, quoties eundem necessitas requisiverit, absque ullo periculo repeti potest.

MYROTHECII

SECTIO III.

De catharticis sive per alvum materiam peccantem educentibus.

1. Catharticum polychrestum.

GEnerale ac universale hoc sub forma extracti per alvum purgans Medicamen, omnem nocivam humorum materiam satis fortiter per inferiora expellit.

Præcipue vero nobile est in epilepsia, apoplexia, affectibus capitis soporosis, debilitata memoria, sine manifesta causa, mem-

prædominante nec febre præſente, iis vero præſentibus, aquis deſtillatis ſyrupisque acidiuſculis commixtæ ſub potiunculæ forma exhiberi commodiſſime poſſunt. In acutis autem morbis ac repentinis caſibus, (quorum ſupra §.2.& 3.mentio facta,) nihil cunctandum,ſed ex tempore,ſive diu ſive noctu,quacunque etiam hora neceſſitas id efflagitaverit, vomitorium hoc intrepide dicto modo exhibendum.Quod ſi forte ob defectum neceſſario requiſitæ in ventriculo humiditatis ægrotus ad evomendum fuerit difficilis, notandum hîc, ipſi quadrantis horulæ ſpatio ante uſum vomitorii porrigendum eſſe decoctum paſſularum vel prunorum, ſemel etiam vel bis ad facilitandam emetici operationem, quo materia libentius obtemperet ac facilius expurgari poſſit, propinandum convenientem ac morbo appropriatum liquorem.

Cautela.

1. Qui capitis infirmitatibus, morbis præcipue per idiopathiam ſunt ſubjecti. 2. Quibus ſtrictum ac anguſtum nimis eſt pectus,aut gibboſi ſunt,vel alio aliquo coſtarum vitio laborant. 3. Phthiſici vel alio quovis partium adjacentium ac continentium vitio dediti,unde perpetua moleſtantur tuſſi, purulentamque tuſſiendo ejiciunt materiam. 4. Quibus in interioribus ſunt apoſtemata, quique hæmorrhagiam narium ac ſanguinis patiuntur ſputum. 5. Qui natura difficiles ſunt ad vomitum. 6. Quibus etiam altas in meſenterio,hepate ac liene egêre radices, diuturnæ obſtructiones,itemq; ſcirrhoſis referta viſcera tumoribus.7. Muliebris ſexus, in menſtruorum non ab impuritate viſcerum ſed ſola venarum uteri obſtructione exorta retentione. 8. Febribus acutis, peſtilentiali ac maligna quarto nunc vel quinto die afflicti,morbiq; malignitate viribus omnibus ferme exhauſtis,maxime imbecilles, quibus ipſa etiam natura per alvum, ſudorem, narium hæmorrhagiam,vel urinam peccantem materiam motu cœpit exturbare critico. 9. Qui in ardentibus ac periculoſis aliis febribus perpetuo medicamenta, cibum potumque abhorrent, atque non proprio ventriculi, vel contentæ in eo ipſo alicujus materiæ, ſed alterius alicujus vicini viſceris vitio, nauſeabundi facti ſunt. 10. Qui,quacunque etiam interna, non à bile, ſed ſanguinis ebullitione ac fermentione, exorta inflammatione ſunt gravati. 11. Tandem prægnantes aliæque mulieres quæ ob diuturnum menſium fluxum aliasque infirmitates niniam virium fecere jacturam.

His omnibus ac ſingulis emeticum, ſive vomitorium porrigere velle,piaculum eſto!

2. *Oxyſaccharum vomitivum.*

Oxyſaccharum hoc emeticum,colore flavum, ſapore vero aromatico acetoſum omnibus humani corporis affectibus, quod etiam de vomitorio benedicto ſupra dictum, apprime eſt utile,præſertim,quia blandum admodum eſt,delicatulis & mediocrium virium ſubjectis.Inprimis autem accommodatiſſimum eſt in febribus tertianis ac aliis morbis bilioſis, ut etiam in epidemica maligna dyſenteria,peſtis tempore graſſari ſolita,itemque febre Ungarica ſive petechiali aliiſque malignis, aſſumptum etiam toxicum potenter expellit.

Doſis

Dosis.

Exhibetur hoc Emeticum valentioribus ad ℥vj. imbecillioribus autem ac ætate juniorib. delicatulisve, habita semper ætatis virium temperamentiq; ratione, minus.

Usus.

Porrigendum est hora matutina vel quovis necessitatis tempore, assumptoq; illo singulariter regendus est æger, ut pluribus supra.

3. Sal Vitrioli.

Hoc ex vitriolo concinnatum vomitorium, mediante sua acrimonia tantarum est virium, ut viscosa crassaq; phlegmata attenuet, incidat, eademq; partim vomitu per superiora, partim inferius per alvum ejiciat.

Singulariter autem conducibile, primùm epilepticis ac pituitosis sive phlegmaticis, iis etiam, quorum pectus præ nimia phlegmatis crassi copia ita graviter est oppressum, ut difficillime spiritum ducant. Secundo inservit iis, qui ex inordinato vitæ regimine, validis potationibus ingluvieq; ventriculum debilitarunt, ac ita quidem, ut fungi suo amplius nequeat officio, hincque collectis in eo copiosissime cruditatibus, variis morbis, nominatim autem lienteriæ, diarrhœæ, periculosis dysenteriis, variis febrib⁹, vermium generationi, scorbuto, & aliis inde scaturientibus innumerabilibus malis summo cum detrimento ac maximo vitæ periculo largissime pandantur fores: hinc etiam & non aliunde tot ac tantæ in diversis locis, præcipue autem in urbibus vulgi, in campestri vero marinoque bello militum miserandæ sine gladio, sine sclopetis ac tormentis commissæ videntur miserandæ strages. Ad aphthas, pro removenda ac educenda materiali earundem causa, hoc sale nihil unquam pretiosius sum expertus.

Dosis.

Quantitas ejus est ℨß. qui vero faciles sunt ad vomitum ℈j. robustis vero pro una dosi exhiberi potest ℨj.

Usus.

Communiter offertur matutino vel alio etiam, pro morbi exigentia, tempore in jure vel cerevisia dissolutum. Dissolvitur in aliqua destillata, &, quo acrimonia ingratusve ejus sapor demulceatur corrigaturq;, syr. viol. ℥j. commiscetur, ejusq; usus, quoties eundem necessitas requisiverit, absque ullo periculo repeti potest.

MYROTHECII

SECTIO III.

De catharticis sive per alvum materiam peccantem educentibus.

1. Catharticum polychrestum.

Generale ac universale hoc sub forma extracti per alvum purgans Medicamen, omnem nocivam humorum materiam satis fortiter per inferiora expellit.

Præcipue vero nobile est in epilepsia, apoplexia, affectibus capitis soporosis, debilitata memoria, sine manifesta causa, mem-

membrorum lassitudine, qui affectus omnes ac singuli ex abundantia humorum pituitosorum traxere originem. In arthritide ac podagra, doloribus ischiadicis, juncturarum, morbo gallico, scorbuto, cancro, fistulis, ulceribus inveteratis & manantibus impetigine, pustulis, tinea, omnis generis scabie, præcipue vero ferina non multum lepræ dissimili, item in cachexia, ex impuritate sanguinis progenita, hydrope, febribus diuturnis & aliis affectibus, qui purgantibus universalibus sunt exterminandi. Tandem denique semel aut bis per annum usurpatum pituitosis salsoque phlegmate abundantibus laudabilis est Medicina.

Dosis.

Communissima hujus cathartici dosis in robustioribus est ℈j. mediæ vero constitutionis ac debilioribus pro ratione virium, ætatis ac sexus, facilisque vel difficilis alvi, dosin determinare prudens Medicus ipse pro arbitrio sciet.

Usus.

Cavendum autem ante omnia sedulo, ne venter sit constipatus, humoresve peccantes exsiccati, viæ ac meatus per quos sunt expellendi, obstructi, sed ut medicamentum absque ulla remora penetrare felicius possit, viresque suas, ut par est, exerere queat, necessaria præmittatur præparatio. Dein ex extracto, digitis prius probe mollificato, formentur tres vel quatuor pilulæ pulvere glycyrrhizæ conspergendæ, vel auro, ne cohæreant, obducendæ, quæ cum syrupo violarum, vel alio conveniente vehiculo tribus post cœnam horis deglutiantur, quas dulcis sequatur requies placidusque excipiat somnus. Hæ siquidem pilulæ sub aurora blande sine ullis torminibus operantur, si præter bonum regimen, ne corpus frigido exponatur aëri, decubuerit in dormitorio calido. Pro cujusvis etiam placere summo mane assumi possunt, unaque aut altera hora indormiscere licitum.

Si motus Lunæ observare libet, pilulis his tempore plenilunii, quo humores maxime sunt turgidi, vel paulo etiam post, utendum: ast interim nihil interest, necessitatis casus si materiæ peccantis expulsionem serio postulet, quo illæ tempore sumantur, illa enim cum cunctis sit exempta legibus, ideoque cœleste hoc lumen non ita curiose observandum.

Cautelæ.

Cavendum ab hoc cathartico in principalium membrorum inflammatione ac læsione, utpote pulmonum, epatis, lienis, pectoris, membranarum costas succingentium, ventriculi, matricis, intestinorum ac renum, similiter etiam in diuturnis dictarum partium obstructionibus aut scirrhosis earundem tumoribus: ii insuper sibi ab hoc caveant, quibus ventriculi intestinorumque retentrix maxime est debilis, unde ad alvi fluxum valde sunt proclives. Corpora præterea ex sarca vividiq; coloris, quæ lenitivis facile solvuntur. Simili etiam ratione, quibus corpus putredinis notis tam interne quam externe ita est defœdatum, ut viribus exhaustis spiritum vix ducere possint, hoc catharticũ angue & cane pejus fugiant, quod etiam illis dictum, quibus vel infe-

inferiorum vel superiorum venarum est infesta hæmorrhagia, itemque prægnantibus ac senio confectis.

His omnibus de hoc cathartico nihil præscribendum, sed consideratis probè eorundem viribus, ætate, corporis constitutione, aliisque necessariis, tractandi sunt lenitivis, temperatisque purgantibus noxii humores eliminandi.

2. *Pilulæ familiares.*

Hæc singularis in pilulas formata massa, lentum viscosumq; phlegma, bilem aliosque humores crassos incidit, attenuat, eosdemque per alvum blandè educit.

Præcipuè est dicata affectibus capitis internis, asthmati, inflationi, debilitati ac ardori ventriculi, obstructionibus hepatis, lienis, mesenterii, retentis mensibus, cachexiæ virginum, aliisque ex prædictis superfluitatibus originem ducentibus morbis, qui violentioribus exacerbuntur, benignis verò possunt edomari ac educi. Præter facultatem purgandi pollet etiam virtutibus corroborativis vereque balsamicis, quibus frigidi humores exsiccantur, debilitata viscera corroborantur, putredini resistitur, vermesque radicitus exterminantur. Præservationis E. iis etiam esse salutaris hæc massa potest, qui natura sunt catarrhosi, ventriculum habent impurum ac debilem & exinde vitam vivunt perpetuis calamitatibus refertissimam.

Dosis.

Massa hæc exhibetur humidissimis facilimeque mobilibus à ℈ j. ad ℈ ij. aliis verò ad ʒ j.

Usus.

Ex hac massa formantur pilulæ in modum, ut supra de cathartico polychresto fuit dictum, degluiunturque vel horis matutinis, vel vespertinis ante lecti introitum, vel etiam immediatè ante prandium aut cœnam, exindeque earundem operatio promovetur, celeriusque in actum deducitur. Acuitur autem earundem virtus additione alicujus syr. lenitivi, ut rof. viol. de prunis & aliorum similium, vel si cum ovi vitello exempto ejusdem albumine exhibeantur. Quocunque anni tempore non considerato etiam motu Lunari, tutissimè iis uti frui que licet.

Cautio.

Phthisicis, Hecticis, emaciatis, pulmonum item hepatis, lienis, renum aliarumque partium inflammatione laborantibus, harum ut & aliorum medicamentorum, quæ Aloë ingreditur, usus noxius, nocivus est etiam iis, qui ad hæmorrhagiam quamcunque sunt proni, ut & prægnantibus ac senibus.

Modus conservandi.

Massa hæc vesicæ, oleo amygdalino dulci prius illitæ involvenda, capsulæque inclusa, ne colliquescat, ac ad usum inhabilis levi ignis calore ad pristinam consistentiam sit reducenda, in loco sicco non tamen calido est collocanda.

3. *Pilulæ cephalicæ.*

Pilulæ hæ ex appropriatissimis capitis simplicibus insita vi ac balsamo naturali cerebrum inprimis confortantibus constante massa formantur, omnes à superflua

humorum frigidorum copia debilitatas ac relaxatas principaliores humani corporis partes, inprimis autem pectus, ventriculum, intestina, hepar, uterum, partes etiam genitales, primariò verò cerebrum potentissimè calefaciunt, corroborant, omnesq; sensus confortant & acuunt, internasque putredines inhibent ac removent.

Dosis & Usus.

Pilulæ hæ, ea, qua superiores exhibentur dosi. Singulari vi cathartica nulla prorsus, nisi ex accidente, quando scilicet copiosam jam dum præparatam in corpore humano humorum colluviem natura fuerit aggressa, sunt prædita. Præcipuæ autem earundem virtutes sunt calefacere, exsiccare, ac ut dictum, corroborare ac confortare.

Cautio.

Abstineant ab harum usu omnes plethorici, itemque biliosi ac ii, quorum pulmones, ventriculus, hepar, lien, renesque, &c. intemperie laborant calida, quo pertinent etiam emaciati, quibus vix ossa pellibus hærent.

4. Pulvis diatartari solutivus.

Pulvis hic singularis est efficaciæ in ducendis è primis viis omnis generis, tam qualitate quam quantitate naturæ molestis, qui alias lenitivis facilè cedunt, humoribus.

Maxima utilitate omnibus hic inservit affectibus, quibus, ut dictũ, familiares, iisq; sive cum, sive sine febre morbis ac symptomatibus, cunctis insuper, quæ tempetaris purgandæ veniunt catharticis, indiscriminatim complexionibus. Singularis præterea est medicina hypochondriacis, flatulentis, circa præcordia ex viscerum obstructione ac humorum cruditate progenitis, spiritibus copiosissimè refertis. Maximè denique conducibile iis audit medicamen, quibus passio est infesta colica, infestusque renum calculus.

Dosis.

Communis hujus pulveris pro utroque sexu dosis est ʒj. quibus facilis est alvus, naturæque sunt debilioris, in minori porrigantur quantitate. Pueris etiam in proportionata dosi securè absque ullo periculo exhiberi possunt.

Usus.

Pulvere hoc quatuor vel quinque horis ante prandium, cum brodio carniũ vel decocto prunorum aut passularum, in febribus verè acutis, cum aqua destillata syrup. violat. s. in forma Julepi dulcificata utendum. Pro rei exigentia secundò vel tertio, in morbis etiam chronicis pluries sine omni periculo repetitur. Viscera autem, quod probè hîc notandum, salva sint necesse est ac illæsa, viresque ægroti integræ. Nulliusque cathartici, seposita prædicta cautela, sub cœlo tutior magis est, quam hujus pulveris usus.

5. Confectio Arthritica.

Electuarium hoc peculiari sua qualitate quosvis in juncturas prolapsos tenues catarrhos, varia exinde solitos excitare

tare symptomata, per secessum educit. Iis inprimis maximè est utile, qui Catarrhis, Chiragrâ, Ischiade, Gonagra, Podagra aliisque funestis juncturarum vitiis miserrimè excruciantur.

Dosis.

Communis hujus electuarii dosis in viris ac mulieribus satis robustis est ℥ß. in paulò fortioribus eadem aliquantulum augetur.

Vsus.

In brodio carnium, decocto hordei, passularum aut alio (pro cujusque beneplacito,) liquore dissolutum, quatuor vel quinque ante prandium horis jejuno ventriculo propinandum. Quod una, duabus aut tribus horis post accommodum subsequatur abstergens, quo humorum expurgandorum reliquiæ ad expulsionem promoveantur, intestina eluantur ac mundificentur. Quocunque etiam tempore, necessitate ita urgente, sumptum, suam absque ullis torminibus tutissimè absolvit operationem. Si modò hoc ipso ad præcavendam humorum colluviem usurus, tempus observet aut vernum, aut autumnale, itemque qui immediatè subsequuntur plenilunium, dies, domumque ne excedat aëre existente turbido vel nebuloso, ventosque evitet australes. Sciendum verò, si pro humorum educendorum copiâ muneri suo non satisfecerit, secundo aut tertio subsequente die eâdem dosi repeti tutò posse.

6. *Electuarium Hydragogum.*

Electuarium hoc omnes serosas vel copia turgidas, vel adventitia humorum noxia permixtione collectas in corpore expurgat humiditates. Ideoque usus ejus est salutaris in omnibus ab his, & similibus causis, productis affectibus, inprimis verò hydrope aliisque aquosis humani corporis & externarum partium tumoribus. Egregium etiam ad educendas in cavernis laterum ac alibi latentes, variaque ibidem, ut in plurimis ægrotis videre licet, producentes symptomata serositates, à quibus affectas humani corporis partes mirè liberat.

Dosis & Vsus.

Hujus ℥ß. in brodio carnium calido, vel alio simili ac conveniente liquore dissoluta, manè quatuor aut qninque horis ante prandium jejuno stomacho, necessitatis tempore frequentissimè ebibitur. Maximè autem (si modo morbus inducias ferat) usus est conducibilis in ultima Lunæ quadra.

7. *Passulæ purgantes.*

Passularum harum purgantium vis ac facultas in educendis blandè absque ullo periculo per alvum tartareis varii generis humoribus, mira est; Impuritati ventriculi corrigendæ, affectuique splenetico inveterato, melancholiæ hypochondriacæ, diuturnæ fecum retentioni, aliisque morbis à principalium viscerum obstructionibus ac conclusis flatibus ortis, ubi lenientia sunt necessaria, singulares sunt.

Dosis & Vsus.

Harum passularum pro assumentis natura, viribus ac ætate, assumitur cochleare unum plus minusve paulò ante prandium, quæ absque ulla molestia ac fastidio munere suo ritè funguntur.

8. *Cholagogum lenitivum.*

Cholagogum hoc lenitivum singulare est electuarium pro expurganda bile flava aliisque calidis, fervidis ac ebullientibus humoribus, quos non solum educit, verum insimul etiam alterat, corrigit acrimoniamque eorundem demulcet, viasque, per quas sunt exterminandi, reddit lubricas. Ideoque conducibile in febribus à bile flava exortis, erysipelate, podagra calida, hepatis inflammatione, vehementissimisque cum alvi constipatione ex renum calculo pronatis doloribus, gonorrhæa virulenta, fluore albo mulierum, retentis ab intemperie sicca fecibus, aliisque, qui emollientibus potius, humectantibus ac leniter purgantibus, quàm fortioribus veniunt eliminandi, affectibus.

Dosis.

Fortioribus datur ad ℥j. debilioribus verò ac delicatulis faciliméque mobilibus sufficit ℥ß.

Usus.

Electuarium hoc in brodio carnium, vel si febris, aut alius p. n. calor adfuerit, in decocto hordei dissolutum manè jejuno ventriculo quatuor ante prandium horis, propinandum. Quòd si verò cupiam electuarii hujus usus ob continuas alvi constipationes vaporumq; calidorum ascensum veniat multoties reiterandus, huic dimidiam supra præscriptæ doseos partem semihorulæ quadrâ ante prandium propinasse vel deglutisse sufficiat. Dicto tempore assumptum, tantum, quantum necessarium, circa vesperam educit. Prægnantibus etiam purgantibus sollicitandis, ut & infantulis securissima ac tutissima est Medicina.

MYROTHECII
SECTIO IV.
De Diureticis.

1. *Mixtura Saxifragia.*

Singularis hæc sub forma electuarii concinnata mixtura nobilissimis ac experientia approbatissimis est prædita qualitatibus, internas namque angustissimarum venarum, mesaraicarum sc. lienis, hepatis aliarumque partium, inprimis verò ureterum obstructiones potentissimè reserat ac aperit, tartareamque in iisdem collectam mucilaginem abstergit, dissolvit, gnaviterque educit. Contritum renum ac vesicæ calculum expellit, dysuriæ medetur, profectos etiam ab urinæ retentione dorsi partiumque vicinarum dolores sedat. Inprimis autem utilis est Medicina contra hydropem, tumorem lienis aquosum, flatus sive ventositates, œdema aquosum, aliosque similes morbos, quorum cura diureticis simul peragenda medicaminibus.

Tandem etiam obstructas uteri venas mixtura hæc deobstruit, crassum frigidumque in iisdem contentum sanguinem excalefacit & attenuat, ac ex hisce causis productam mensium retentionem tam in mulieribus quàm virginibus promovet.

Dosis.

Exhibetur plerumque ad ℈j. ac ratione assumentis augeri potest dosis à ℥ß. ad ℥j.

Usus.

In usu hujus, ut & aliorum diureticorum, corpus ante omnia (necessitate sic

sic exigente) à præsentibus impuritatibus, non per ureteres, sed per alvum educendis, liberandum. Præmissis hisce, mixtura hæc in vino Rhenano, Malvatico vel Hydromelite, si ægrotus à febre vel alio calore p. n. fuerit immunis, vel recentissimo lactis sero, decocto hordei vel alio conveniente liquore dissoluta, matutino vel alio etiam, quando remoras non patitur necessitas, tempore exhibetur, repetique pro lubitu potest.

Non negligenda interim, præsertim verò in ipso calculi paroxysmo, vehementissimis etiam doloribus, inflationibus ac extensionibus corporis utiles clysteres, inunctiones, fomentationes & alia usitata remedia, quibus incarcerati discutiantur flatus, ureteres emolliantur, humectentur ac lubrici fiant, quo præparatam hanc ad eductionem tartaream materiam facilius ac felicius nobile hoc medicamen expellere ac exterminare queat. Quòd si verò præservationis E. hâc mixturâ coagulatam nondum materiam cuipiam educere placeat, is præter necessaria purgantia prædicto lenitivo vel alio infuso Rhabarbari, syrupo violarum vel cassia permixtis, duobus aut tribus dieb⁹ continuis, sub ultima Lunæ quadra horis matutinis, præcipuè autem verno vel autumnali tempore utatur, sumptoque medicamine paululum requiescat, dulcemque post requiem demandato sibi munere rursus ut ante fungatur.

Cautio.

Hujus mixturæ usus vitandus iis, qui internas patiuntur inflammationes, excoriationes vel alias quascunque læsiones, quorumve urina sanguinis instar rubet, itemque illis, qui diabete divexantur, ut & prægnantibus.

2. Oleum Nephriticum.

Hoc instar Sapphyri splendens destillatum oleum calefacit, digerit, aperit, discutit: urinamque potenter promovet.

Singularis autem est Medicina in asthmate, inflationibus ventriculi, passione colica, Pleuritide notha à flatibus sive inter membranas externas, sive internas collectis exorta; contra immanissimos etiam dorsi ac coxendicum dolores, à crasso frigidoque in renes prolapso catarrho profectos est egregium. Conducibile etiam pro educendis è renibus ac vesica arenulis, omnique mucilaginosa ac tenace expurganda materia, illis præsertim, qui pituitosæ sive phlegmaticæ sunt constitutionis, in quibus sc. facultas dictarum partium expultrix maximè reperitur debilis. Excellens etiam est contra stranguriam, dysuriam, gonorrhæam, itemque ad renes collumque vesicæ à purulenta ab aliqua exulceratione profecta materia mundificandum, ac quantum in hisce, ratione eorundem substantię ac temperamenti possibile, per consolidantia rectificandum, vel ad minimum, ne malum latius vel profundius serpat, impediendum est optimum. Non minus etiam lochia in debito suo fluxu subsistentia promovet, acerbissimisque doloribus post partum laudabile est mitigativum.

Dosis & Usus.

Junioribus hujus olei guttæ tres, adultioribus verò pro re nata x. vel xij. cum vino generoso, vel brodio carnium aut decocto hordei, additis passulis & glycyrrhizâ, vel conveniente liquore, propinantur.

Pro expurganda in fundo hærente purulenta vel viscosa materia, ac urina exinde liberanda ac educenda, duæ vel tres guttæ cum decocto fl. malvæ vel glycyrrhizæ cum siphunculo jucundè immittantur, idque toties, quoties præceperit necessitas.

Cautio.

Ii, qui hepatis inflammationi ac nephritidi sunt obnoxii, ab usu hujus olei interno abstineant.

3. *Nitrum præparatum.*

Nitrum hoc peculiari præ aliis usualibus salibus est donatum penetrativa, aperitiva, incisoriaque acredine. Quamobrem etiam majori energia cutis poros aperit, potentiusque aliis urinam expellit. Et quod fortè alicui mirum vel etiam absurdum videbitur, quod hoc sal non solum ratione caliditatis suæ (ut & alia salia) frigidis, verum secundum easdem qualitates, calidis etiam, quibus refrigerando succurrit, utilissimum sit affectibus, non minori siquidem cum fructu exhibetur in febre ardente sive periculosa linguæ inflammatione, quàm aliis acutissimis morbis, in quibus pro mitigando intolerabili æstu ac compescenda ac restinguenda siti præsentaneum est auxilium. Peculiaris etiam ejusdem usus est in liberandis à prædictis vitiosis materiebus vesica ac renibus, inprimis iis ægrotis, qui calore interno ferè exuruntur, quia præmemoratarum partium calorem p.n. temperat potius, mitigat ac refrigerat, quàm, ut alia solent diuretica, excalefacit & urinæ acrimoniam adauget.

Præterea, quando ab equitatione tempore æstivo facta, aut aliis vehementioribus exercitiis, sanguis alicui vehementissimè ebullire inceperit, hepar ac renes valdè incaluerint, ac flammeam rubeamque excreverit quispiam urinam, is melius hoc ipso medicamentum non inveniet. Eodem etiam in febribus quotidianis ut & chronicis tertianis, item hemitritæo putrido, (qui ex illa chronicarum febrium familia censetur,) quæ certis ac statutis anni temporibus grassantur, ægrotosque doloribus capitis, vertigine, corporis viriumq; languore, septimanis aliquot miserrimè excruciant, hisq; febribus nonnullo etiam tempore peculiaris conjuncta est malignitas, (quam vulgus ab adjunctis symptomatibus hisce in oris febrem appellat Ungaricam,) maximo cum successu utimur. Ægrotis enim convenientibus & accommodis prius purgatis pharmacis, si bis aut ter duabus aut tribus ante accessionem paroxysmi febrilis horis hoc nitrum, servatis eisdem in loco moderatè calido, offeratur, morbi ideam ita immutat, ut brevi exoptata subsequatur reconvalescentia. Peculiare denique est alexipharmacum, inservitque summo cum fructu iis, qui fortè fortuna venenatas deglutivêre herbas.

Dosis & Usus.

Nitri hujus ℈j. vel ad summum ʒj. cum vino, brodio carnium calido, vel aliis liquoribus oblata unicâ vice sufficit. Sciendum etiam, nitrum hoc in aqua dissolutum ac in ore retentum, exsuscitatum ab acri ac calida defluxione, mirè mitigare ac sedare dentium dolorem.

4. *Spiritus Salis.*

Clarus, albus ac acidus hic ex sale communi præparatus salis spiritus, dum natu-

ram

ram Salis æmulatur, essentialem etiam sive balsamicam ejusdem virtutem retinet; incidit enim, discutit, aperit, mundificat, penetrat, utinamque potentius ullo alio diuretico promovet.

Utimur hoc spiritu in obstructionibus venarum, aliorumque subtilium corporis humani vasorum, admiscetur etiam abstersionis ac expulsionis gratia salutariter potionibus vulnerariis, contra renum ac vesicæ calculum, ac ad tartarum, viscosam, crassamque, unde calculus progeneratur, incidendam materiam eandemq; educendam, excellens est. Item etiam contra triplicem hydropis speciem. Vires præterea in acutissimis & aliis chronicis errantibusque febribus diminutas revocat. Tandem denique in atrophia, quæ obstructionem venæ cavæ est subsecuta, mirabilis est efficaciæ spiritus hujus usus.

Dosis & Usus.

Spiritus hujus offeruntur, 5. 6. 7. 8. 10. 12 & 15. guttulæ cum vino, aquis destillatis, julapiis vel aliis similibus, pro cujuslibet lubitu, Medici judicio ac morbi natura.

MYROTHECII
SECTIO V.
De hydroticis sive sudoriferis medicaminibus.

1. Diaphoreticum pretiosum.

Diaphoreticum hoc singulare est confortativum, & ratione suæ qualitatis optimè temperatum bezoarticum in omnibus liquoribus aquosis salis instar dissolubile magisterium.

Principales ejusdem virtutes consistunt in expellendis per sudorem ac insensibilem transpirationem venenatis & putridis vaporibus pestilentialibusque in corpore dominantibus, facultati vitali maximè nocivis infectionibus, dein id idem etiam cor ac cæteras partes principales egregiè roborat ac confortat.

Singulariter autem ejusdem usus conducibilis experimento est confirmatus in omnibus periculosissimis etiam ac acutissimis febribus, iisque pestilentialibus, petechiis, variolis & morbillis, pleuritide legitima ac periculosa, aliisq; à prædictis causis oriundis morbis. Similiter etiam in terciana, duplici tertiana, quotidiana, hemitritæo, aliisque intermittentibus, non solum ex humorum crassorum in corporis humani centro, facta putredine ac fermentatione progenitis, verum etiam conjuncta aliqua causa nutricula, sanguineæ scilicet massæ impuritate suffultis febribus maximè est utile: In gutta item rosacea, erysipelate, aliisque affectibus per bezoartica diaphoretica humorum putredini ac venenosæ malignitati resistentia, ac sanguineam massam mundificantia, præsentissimum est remedium.

Dosis.

Exhibetur hoc diaphoreticum viris ac mulieribus indiscriminatim à granis x. ad xij. robustissimis verò à xv. ad xx. pueris verò pro ætatis ac virium diversitate à granis ij, iij. iv. vel vj.

Usus.

Magisterium hoc horis matutinis vel aliis etiam quandocunq; necessitatis casus ejusdem usum exegerit, præcipuè verò in affectibus periculosissimis, qui nullam patiuntur remoram, exhibetur frigidum in uno aut duobus cochlearib. vini Rhenani vel convenientis liquoris dissolutum, quo sumpto,

sumpto, sudorem bene tectus ægrotus absque tamen virium jactura expectet. Delicatulis verò ac naturâ debilibus maximè conducibilis est potiuncula aliqua brodii gallinæ, aliquot guttulis Elixiris nostri cordialis vel alterius aquæ cardiacæ alterati, quadrantis aut dimidiæ horulæ spatio post assumptum diaphoreticum tepidè superbibita, quæ non solum sudoré promovebit, verum insimul etiam vires egregiè conservabit. Hujusque diaphoretici pro rei exigentia in omnibus complexionibus ac constitutionibus corporis tam in prægnantibus quam infantulis tutissimus est usus, inprimis verò in iis affectibus, qui calidiora alexipharmaca ac antidota non ferunt, sed ab iisdem potius exacerbantur.

Cautio.

Diaphoreticum hoc in affectibus per diaphoresin expellendis justo & legitimo tempore, quo natura iisdem indiget viresque satis adhuc sunt robustæ, offerendum. Si verò status morbi venæ sectionem vel vomitoria aut cathartica medicamenta primum requirat, diaphoreticum hoc in aliud tempus differendum. Nam quod natura maximè urgere solet, satisq; est cōmodum, id exhibendum medicamentum, contrarium verò intermittendum.

2. Bezoarticum chrysocorallinum.

Bezoarticum hoc chrysocorallinum ex auro & corallis rubris artificiosissimè pulveris instar præparatum, est puniceum magisterium, quod præter virtutem suam cardiacam egregiè etiam sudorem movet, omnibusque iis affectibus, quibus diaphoreticum pretiosum est, conducibile, utilis ejus usus esse potest, inprimis verò iis, qui delicatioris sunt naturæ, medicamentaque fastidiunt, itemque, quia omnis est expers saporis ac odoris, prægnantibus ac infantulis maximè est proficuum. In specie verò maximoperè subvenit ventriculo, ubi scilicet iisdem in febribus malignis ac ardentibus, non quidem essentialiter ab aliqua in eo collecta nociva materia, sed per consensum vicinarum partium tantopere ad vomitum excitatur, (ut ægrotus ne momento quidem assumpta corroborativa, vel refectoria nedum alia medicamenta retinere queat,) eundem corroborando. In periculosis alvi fluxibus, præcipuè verò dysenteria, aliis medicamentis bezoarticis omnibus palmam hoc ipsum præripit.

Dosis & Usus.

Recenter natis gr. j. exhibetur, in puerulis & aliis ratione ætatis ascenditur ad duo, tria, quatuor vel quinque grana, adultioribus verò habitâ semper, ut supra monui ætatis ac necessitatis ratione, decem, duodecim usque ad quindecim in aqua destillata vel alio convenienre liquore, pro cujusvis arbitriio ac judicio.

3. Cornu Cervi per calcinationem præparatum.

Candidissimè hoc usto, ac cum aqua aliqua cordiali in formam tabularum præparato cornu cervi exoptatissimo successu in plurimis venenosis pestilentialibusque cordi maximè offensis affectibus, quibus inprimis maligna aliqua qualitas ac putredo est conjuncta, utimur: viresque ac qualitates cornu cervi non solum Medicis, verum etiam cuilibet patrifamilias sunt notissimæ.

Aſt quia hoc ipſum è centro ad circumferentiam corporis nocivam materiam per ſudorem expellit, ideoque illud ipſum diaphoreticis aſſociare placuit.

Vſus & Doſis.

Hujus per calcinationem præparati cornu cervi doſis eſt, ℈. j. vel etiam ʒ. ß. aut ʒ. j. habito tamen perſonarum & neceſſitatis exigentis reſpectu plus minus, vel cum aqua aliqua deſtillata affectui appropriata.

4. *Cornu cervi per macerationem præparatum.*

Eſt ejuſmodi cervi cornu, quod ſingularis alicujus decocti Bezoartici vapore ita quidem levigatur, ut digitis facilimè poſſit conteri, qui præparandi modus ab aliquibus Chymicis calcinatio Philoſophica vocatur.

Hoc cornu cervi à priori diſtinguitur ratione ſubſtantiæ, quam in ſe retinet, ſulphureæ. Quod manifeſtiſſimum, ſi incendatur; carbonis enim inſtar ignem concipit, tingiturque primum atro, deinde candidiſſimo colore, ejuſque uſum aliqui è Chymicis maximopere extollunt, unicornu longè præferunt. Donatum alias eſt manifeſta, ac in ſenſus incurrente, omnive, ut terra ſigillata & bolus orientalis, carente acrimonia qualitate, eorumq; locum ſubire poteſt in miſcendis antidotis, idque maximo ægrotorum commodo, quoniam non minus propter vim ſuam bezoarticam, quam prædicta ſudorem etiam movet. Summè etiam eſt proficuum in dyſenteria aliiſque acribus alvi fluxibus.

Doſis & Vſus.

Utendi exhibendique modus idem eſt cum ſuperioris cornu cervi calcinati.

5. *Diaphoreticum Antimonii.*

Diaphoreticum hoc antimoniale eſt ex Antimonio pulveris inſtar præparatum candidum minerale magiſterium, à pluriniſque Chymicorum vocatur magiſterium bezoarticum minerale, cui maximas aſcribunt virtutes.

Singulare eſt experimentum in peſte & aliis venenoſis ac malignis affectibus. Quoniam etiam materiam peccantem inſenſibiliter per ſudorem expellit, ideoque ſalutaris ejuſdem eſt etiam uſus in illa lue venerea, ubi materia peccans in habitu corporis latitans, ſcabiei ſiccæ, herpetis miliaris, aliarumque puſtularum exiſtit cauſa.

Doſis.

Exhibetur unica vice à granis iiij. vj. ad ℈. j. uſque.

Vſus.

Porrigendum ægroto cum liquoribus appropriatis, vel ſub forma boli conſervæ alicui vel electuario commixtum; abſque omni etiam periculo toties, quoties neceſſitas exegerit, ejuſdem uſus repeti poteſt.

6. *Spiritus Nitri correctus.*

Spiritus hic peculiaris eſt ſalis nitri ad

ad usum hominum singulariter præparatus ac correctus spiritus, qui ratione manifestarum suarum qualitatum non multum est dissimilis cæteris spiritibus salinis, excepta sola, quæ fortior in eo est quam in aliis, qualitate ignea: Movet urinam, pellit sudorem, absumitque omnes hinc inde in corpore oberrantes nocivos vapores. Ad colicam flatulentam, cardialgiam aliosque à flatibus ortos morbos comprobatissimus ejusdem est usus: Similiter etiam contra anginam ac pleuritidem pestilentialem, aliasque febres malignas à sulphureis pestilentialibusve miasmatibus exsuscitatas, ac in corpore humano accensas maximopere celebratur.

Dosis & Usus.

Propinatur hic spiritus cum vino, brodio carnis vel aqua destillata, ut superius de spiritu salis dictum, à guttis vj. viij. x. xij. ad xv. usque.

7. *Aqua Diana.*

Aqua hæc crystalli instar pellucida, sapore ac odore gratissima egregium est hydroticum, laudatissimus idcirco ejus usus in externorum membrorum lassitudine, podagra, acerbissimisque articulorum à frigidis ac tenuibus per cutis poros non evanescentibus defluxionibus exortis doloribus. Principaliter autem in pruritu, scabie, maculis aliisque ab impuritate sanguinis pronatis deformitatibus ac defœdationibus ejus usus est proficuus.

Dosis & Usus.

Propinatur plerumque horis matutinis brodio carnis, vino vel alicui aquæ destillatæ, utpote veronicæ, cardui benedicti vel fumariæ permixta à ℥. ij. ad ℥. ß. plus minus pro diversitate subjecti, qua epota sudorem in lecto benè tectus ægrotus expectet. Ii verò, qui in lecto sudare nequeunt, epota hac ipsa moveant sudorem in balneo. Quia etiam nullius nocivæ est particeps qualitatis, ideoque multoties ejusdem usus tutò reiterari potest. Quod si fortè ægrotus multis scateat impuritatibus, is prius, quo aqua vires suas felicius exerere queat, tentandus purgantibus, noxiique humores sunt eliminandi.

8. *Aqua Veronica.*

Nobilis & colore subauteo tincta pretiosa veronicæ aqua, eo, quo docui in mea hydrelæologia, modo destillata, maximarum est virium non solum in omnibus viscerum obstructionibus & potionibus vulnerariis, verum etiam admirandæ est qualitatis pro mundificando sanguine, abolenda fœda cutis scabie & vitiligine. In his, qui ad sudorem sunt proni, absque alterius additamento, eundem movet. Exoptatissimus etiam ejusdem est usus in curanda lue venerea, præcipuè in delicatulis qualvis alias potiones abhorrentibus, similiter etiam in morbis acutis, utpote febribus malignis, pestilentialibus, perechiis, variolis & morbillis, &c.

Dosis

Dosis & Usus.

Communis ejus dosis est ab ℥.j.ß.℥.ij. ℥.iij. ad ℥. vj. usque, habito semper personarum respectu, consideratoq; necessitatis casu, propinatur vero tempore matutino vel alio accommodo. Cum vero acrimoniæ cujusdam sit particeps, ea corrigi convenienter potest additione sacchari, quod ejus operationes nullo modo remorabitur. Imo aquæ hujus virtutes multo sunt in Medicina excellentiores, quam ut hic omnes enarrare possim.

9. *Spiritus Tartari.*

Aqueus est è Tartaro destillatus liquor, qui aperit, penetrat, sudoremque movet, quare ejusdem usus singularis est in his ipsis affectibus, quorum jam in præcedente facta mentio, per sudorem scilicet qui veniunt eliminandi, præter enim empyreuma quod redolet, non multum ab ejus qualitatibus recedit.

Dosis & usus.

Exhibetur è ℈.j. ad ʒ.j. cum vino vel aqua aliqua destillata.

10. *Antidotus Cardui Angelici.*

Antidotus hæc nobile sudorem movens ac sanguinem purificans, & verè bezoarticum sub forma electuarii concinnatum est medicamentum, quod ratione suarum qualitatum mediocriter calefacit, aperit, detergit, purificat, internæque humorum putredini resistit.

In morbis acutis, ut febribus malignis, pestilentialibus, petechiis, variolis & morbillis, dysenteriis, pestilentialibus ut & aliis febribus, ut superius de diaphoretico pretioso diximus, maximarum est virium, singulariter autem est utile hominibus, constitutionis qui sunt frigidæ, catarrhosis item, doloribusque podagricis, chiragricis, ischiaticis, aliisque vitiis à salsis tenuibusque exortis defluxionibus obnoxiis: similiter etiam in curanda apoplexia, membrorum contractura, eo præsertim tempore, ubi pro curatione horum vitiorum, ad præcavenda majora incommoda ac symptomata, præter alia medicamina, necessario etiam requiruntur sudorifera. Tandem denique grumos etiam sanguinis dissolvit, contusisque aut ab alto delapsis salutaris est Medicina, in fractura item ossium ac luxatione membrorum loco potionis vulnerariæ usurpata, admirandus ejusdem est effectus, non minus etiam pro expugnando hausto veneno, ut & sanandis vulneribus sive cæsim sive punctim factis, præstantissima est Medicina.

Dosis & Usus.

Exhibetur infantibus ac pueris cum aqua aliqua destillata, decocto vel Julepo, in absentia vero febris, cum vino vel hydromelite à ij. iij. iv. v. usque ad x. vel xij. grana, adultioribus vero à ℈. j. ad ʒ. j. pro diversitate ætatis viriumque personarum ratione.

11. *Sal diaphoreticus.*

Hujus è vegetabilibus arte eliciti candidi salis virtutes sunt, promovere sudorem, pellere urinam ac absumere exsiccareque superfluum ac serosum phlegma.

lis itaque pro movendo sudore datur, qui nimium sunt catarrhosi abundantque prædicto phlegmate: quoniam etiam vias, in quibus viscosa hujusmodi materia hæret, deobstruit, eandemque discutit & absumit, vaporesque flatulentos supprimit, ideoque conducibilis in hydrope, tympanitide & flatulentia corporis, salutaris etiam est lactantibus, quorum lac nimis est aquosum ac tenue, aliisque, quæ medicamenta exsiccantia requirunt, affectibus ac symptomatibus. Tempore etiam pestis, quando præsertim illa existente anni tempore humido dominatur, maximo cum successu usurpatur.

Dosis & Usus.

Dosis ejus est ℈. ß. vel ℈. j. plus minus, pro diversitate subjectorum, daturque tempore matutino cum vino vel conveniente aqua stillatitia bibendus.

MYROTHECII

SECTIO VI.

De Mitigantibus sive Anodynis.

1. *Laudanum Angelicum.*

Laudatissimæ hujus in forma crassiusculi alicujus extracti præparatæ medicinæ experimentis confirmatæ virtutes sunt præcipuæ hæ sequentes:

1. Defluxiones quascunque, sive frigidæ eæ sint, sive calidæ ac acres, à capite ad pectus vel alias corporis partes delabentes alterat, incrassat vel exsiccat, earundemque acrimoniam demulcet, indeque exorta symptomata mitigat ac corrigit.

2. Intolerabiles ac immanes quoscunque febriles à quacunque causa pronatos calores temperat ac mitigat.

3. Omnis generis acerbissimos etiam, non solum à prædictis defluxionibus causatos, verum etiam à calculo, flatibus, vulneribus externis, contusionibus, ossium fracturis aut alia quavis causa externa, à capite ad calcem usque excitatos nec aliud frænum ferentes dolores mitigat ac sopit.

4. Periculosissimas dysenterias vel cum vel sine sanguine fluentes, hæmorrhoidum item mensiumque nimium fluxum sistit egregiè.

5. Denique ablatam à superioribus causis ægrotorum dulcem requiem maximeque necessarium somnum restituit, dissipatasque exinde vires revocando ac recolligendo, Medico ad obtinendum præfixum scopum maximopere subvenit.

Dosis.

Nobilis hujus anodyni dantur gr. ij. iij. iv. v. & robustissimis ad summum vj.

Usus.

Quando Laudano hoc pro incrassandis catarrhis, (ut supra §.1. dictum, cuipiam uti placeat, dissolvatur illud prius in uno vel altero cochleari syrupi violacei, & liqui-

quiritia, jujubis vel lenientium aliorum appropriatis aquis dilutorum Syruporum, exhibeatur in forma potiunculæ duabus post Solis occasum horis sumpta cœna: Quod si verò propter ingratum saporem in forma præmemorata quispiam usus ejusdem sit fastidiosus, ei ex præscripta dosi formare pilulas esto integrum, quas cum aliquo ex modo recensitis syrupis asperso prius pulvere liquiritiæ deglutiat. In vehementissimo febrium æstu, phrenitide item, mania & insania ab accensa bile flava vel alia simili materia productis, in emulsione aliqua è sem. cucum. & cucurb. cum aqua aliqua refrigerante, recentissimè extracta, ac syrupo violatiss. dulcorata dissolutum prædicto tempore administretur. Et ubi calori p. n. qualitas aliqua maligna quod in peste aliisque febribus malignis evenit, fuerit conjuncta, maximo ægroti commodo ℈j. plus minusve salis nitri præparati additur.

In omnibus chronicis recidivantibusque sive externis sive internis, itemque ulceribus cancrosis, fistulis, noli me tangere, aliisque similibus ægrotos acerbissimè excruciantibus viresque eorundem imminuentibus ulceribus, pro diversitate affectus vel in calido vel frigido aliquo liquore dissolutum, in forma potiunculæ vel pilularum duabus ante dolorum recursum horis, idque toties, quoties exegerit necessitas, exhibetur.

In alvi aliisque cruentis fluxibus exhibetur cum Syrupo cydoniorum, de rosis siccis, myrtillorum aliis astringentibus. Modumque si excedat fluxus, viresque non omnimodè sint prostratæ, bis de die, mane scilicet & vesperi exhibere licet, ast debilitatis ac exhaustis viribus, dimidia tunc dosis est sufficiens.

Si quem præterea neque à doloribus, neque à manifesta ac sensibili calore productæ nullisq; externè usualibus remediis cedentes vigiliæ miserrimè torquerent, huic absque ullo periculo Laudanum tempore vespertino exhiberi, & ratione exigentiæ repeti potest.

Cautio.

Quoniam verò variæ Laudanorum extant compositiones, idemq; hujusmodi medicamento usuro circumspectè agendum, singularisque aliqua, quæ summa sit præparata diligentia, cordialibusque temperatis castigata compositio est primùm eligenda.

Dehinc eidem etiam est probè observanda dosis exhibendique tempus, ne forte plus justo nec statim in Principio morbi ubi catarrhi, æstus febriles, dolores ac periculosi alvi fluxus dominantur, eo, absoluta tanquam Medicina, qua præmemorati affectus omnes curari possint, temerè utatur. Ideoque sedulò habenda consideratio præparantium emeticorum, catharticorum, diureticorum, hydroticorum, alexipharmacorum, corroborantium, aliorumque necessariorum medicamentorum internorum; itemque venæsectionis, cucurbitularum, balneorum, fomentationum, inunctionum, aliorumque externorum pro diversitate causarum in usum ducendorum medicaminum, quorum singulum suo quodq; tempore, quando scilicet necessitatis casus jusserit, usurpandum. Ægroti præterea

Laudano hoc usuri, alvus semper sit lubrica ac libera necesse est, quæ, si non respondeat, Clysteribus humectantibus similive diæta convenienter est solicitanda. Sciendum tamē interim, quod si fortè quispiam vehementissimis ac insolitis vitæ periculum minitantibus doloribus derepentè corripiatur, ac non demptis prius doloribus ac recollectis viribus, impossibile prorsus sit curæ principium, usum hujus Laudani absq; ulla remora non solùm esse licitè usurpandum, verum etiam maximè necessarium, & à sapientioribus Medicis plurimis idcirco encomiis donatum. Ii denique, quorum caput est imbecille ac frigidum, somnolenti sunt, ac ad lethargum & apoplexiam valdè proclives, itemque epileptici à causa frigida facti, natura vel asthmatici aut phthisici, ii etiam, qui duras patiuntur viscerum obstructiones ac cirrhos, virgines præterea & maritatæ mensium suppressionibus laborantes, Laudano hoc, nisi summa urgeat necessitas, non temere utantur.

2. *Mixtura dianepenthes.*

Hæc instar duriusculi alicujus Syrupi præparata mixtura singulare est anodynum, ac simul etiam confortativum medicamentum, quod in febribus acutis, aliisque affectibus fortuitis ac repentinis, qui intolerabili calore, malignitate, item, sævissimis doloribus, delirio, perpetuisque sunt stipati vigiliis, excellenter in momento quasi juvat.

Dosis.

Datur adultioribus ad ℥ j. delicatulis verò ac junioribus minus, robustissimis verò, si constitutio corporis ejus usum ferre possit, ad ʒ j ß. & ʒ ij.

Usus.

Ægroto exhibetur in forma potiunculæ in aqua aliqua destillata vel julepo dissolutum. Hic verò notandum, quod si hæc mixtura in prædictis febribus in usum vocetur, hanc ipsam interdum sudorem aliquem solere movere eundemque utilissimum, nullo modo impediendum.

Cautio.

Hoc medicamentum simili cum Laudano Angelico cautione indiget.

3. *Mixtura odontalgica.*

Hæc mixtura utilissima est in odontalgia à causa frigida ac catarrhis inopinatò excitata.

Usus.

Hæc mixtura si instar grani piperis loco dolenti per modicum temporis applicetur rursusque ejiciatur, catarrhorum partem extrahit, dolorem sopit, gingivamque à catarrho relaxatam firmat ac roborat: Si verò dolores ab excavato per putredinem dente essent producti, is erit vel extrahendus, vel spiritu vitrioli liquor ei inducendus, quod in plurimis observavi personis, quorum dentes hoc remedio sunt ita mortificati, ut licet tum non fuerint evulsi, nihilominus tamen inposterum

rum ab omni sint facti dolore liberi.

Denique verò si dolor non ex enarratis causis, sed ex superflua tenui ac serosa per universum corpus diffusa humiditate originem duceret, illis per purgantia ac sudorifera caputque corroborantia occurrendum. Irritus enim & vanus foret omnis labor, si hocce & similibus anodynis aliis dolores hujusmodi avertere conarentur.

MYROTHECII

SECTIO VII.

De confortantibus & specificis Medicinis.

1. *Aurum potabile Mysticum.*

sive

Magisterium Auri liquidum optimum.

MEam de auri metallina essentia chymica anatomia, ejusdemque in Medicina usu conceptam opinionem, meumque judicium in variis meis opusculis dogmaticis, præsertim verò in recensione septem Planetarum terrestrium spagyrica, itemque in aphorismis meis spagyricis sive chymiatricis, ac in chrysologia sive examine auri chymico candidè aperui, sincerè tuli.

Cùm verò reperiantur plurimi, qui hæc mea scripta nondum legerunt, cùm tamen de his omnibus ac singulis judicium desiderantes expectent, ideoque in compendio quasi idipsum hîc repetere placuit.

Primùm sincerè confiteor, aurum nobilissimum, pulcherrimum, purissimum, solidissimum, ac in suis qualitatibus maximè temperatum, præ reliquis omnibus mineralibus ac subterraneis, esse corpus, ejusdemque temperamentum ac constantiam necessariò provenire, primùm ex siccarum elementarium substantiarum puritate, perfectione ac constantia, ex quibus à natura fuit compositum, deinde etiam ex perfectissima earundem unitione, permixtioneque absolutissima, ut etiam in omni tentatione ac probatione tam interna quàm externa unum semper & idem permaneat.

Secundò, plurimis probationibus chymicis verissimè comperi, aurum, licet naturale aliquod sit compositum ex diversis contrariisque elementaribus qualitatibus ac substantiis, ut alia omnia sub Sole creata, constans, exindeque plurimi doctorum argumentantur, hoc ipsum à sua forma qua à natura donatum est, perfectè ut alia creata esse dissolubile, quod tamen valentissimo igne, fortissimisque corrodentibus factu prorsus est impossibile: nihilominus tamen in perfectione sua, qua per omnipotentiam Creatoris (cujus magnalia ac mirabilia terram cœlumque adimplent,) gaudet, constantissimè perseverare. Ex hisce itaque probationibus, substantiarum auri disso-

dissolutionem ac separationem non esse in humanis positam viribus, certò & indubitanter concludere licet. Reperiuntur quidem adhuc aliqui Chymici, qui hanc radicalem, ut vocant, auri solutionem vi ignis, vel corrosivorum possibilem nobiscum negant, interim tamen eandem mediante aqua aliqua peculiari, dulciuscula & prorsus insipida, omnisque acrimoniæ experte, (aquam vocant philosophicam & menstruum universale:) non esse impossibilem asseverant. Quàm verò ridicula sit hæc speculatio vanumque phantasma, iis facilè, qui in rebus chymicis maximè sunt exercitati, super hisce & similibus vanitatibus sententiam ferre licet.

Ideoque & tertiò expresse affirmo, omni medicamento, quæ sub forma aquæ, olei, spiritus ardentis, mellis, salis, pulveris vel simili alia, hinc inde pro vera ac syncera auri substantia circumferuntur venalia, non esse talia, quæ hujusmodi (propriè loquendo) mereantur nomina, circumferentes verò vel peccare ex ignorantia, quippe qui de suis propriis laboribus minus dextrè judicent, accidens rei ab ipsa vera ac reali essentia nullo modo discriminantes; vel (si intelligant) ostentationis potius gratia apud rerum chymicarum ignaros sapientiam suam prodant, privatoque suo commodo consulere satagant. Sed quàm bene & qua conscientia Deo & hominibus illudant, muscerdam pro vero pipere venditantes, tandem aliquando maximo ejulatu experientur, ubi imposturæ præmio remunerabuntur.

Quartò, cùm per Vulcanum chymicum, ne minima quidem particula ab auri substantia detrahi possit, sed, ut supra dictum, idem semper ratione essentiæ permanet, nullumque sub Sole reperiatur medicamentum, quod tantos præstet effectus in Medicina generales, ut veteres Philosophi Hermetici de auro potabili docuêre: ideoque firmissimè credo, id puram putamque esse vexationem philosophicam, aliudque sub hoc nomine intellexisse. Interim tamen, is, qui in dubium hanc nostram sententiam fuerit vocare ausus, contrariæ assertionis in chymica faceret exoptatem experimentum, tùnc demum id, quod Thomasinis oculis videt manibusque palpat, credet: Parùm enim juvat nuda solùm speculatione ac contemplatione rerum naturalium velle assequi mysteria, sed præter hanc requiritur etiam ocularis variis exemplis facta demonstratio, quæ factum tandem laudabile coronant, quæ si deficiant, vana potius æstimatur delectatio, dulceque habetur, iis præcipuè salutare, somnium, qui tempus conterere melioribus nesciunt.

Tandem denique sincerè confiteor, aurum, licet nullo modo quidpiam de ejus substantia, ut dictum, detrahi, multò minus à calore hominis naturali concoqui & transmutari possit, id nihilominus tamen mediantibus convenienter singularibus additamentis ita disponi commodè posse, ut notabiles & laude maximè dignas operationes ac virtutes in Medicina præstare possit, quod à plurimis sapientibus Chymicis hactenus scio observatum, quotidiana id etiam attestantur exempla.

Digre-

Digrediendo nunc ad aurum meum potabile mysticum, hoc nihil est aliud, quam peculiaris quidam liquor medicinalis, in quo sufficiens auri Orientalis quantitas fuit dissoluta ac ita quidem attenuata, ut in illo invisibilibus atomis, quemadmodum sal aliquod in aqua solutum delitescat. Similique modo, ut sal ab aqua separatum in pristinam suam formam reduci, ab hoc etiam liquore aurum convenientissimè separari potest, quod non solum in hoc, verum etiam in aliis omnibus medicamentis quæ aurum ingreditur, est possibile, in quibus verò medicaminibus nullum reperitur aurum, hæc certè nullum etiam realiter recessisse extra omnem est controversiam. Inveveniuntur alias plurima absque auro præparata medicamenta, quæ propter excellentes, quibus pollent, virtutes, ab auro nonnunquam accipiunt denominationem, & si modo non fiat animo imponendi proximo sed debita ratione ac judicio, cuilibet Medico licitum est imponere medicamentis hujusmodi ab auro desumpta nomina.

Licet itaque in hujusmodi medicamentis, quæ, ut dictum aurum recipiunt, id idem semper tale maneat, non tamen eorundem vires ab hoc imminuuntur aut debilitantur, nec inutiliter etiam iisdem fuit admixtum, omnibus siquidem expertis ac sapientibus Chymiatris tam notum est quam notissimum, menstrua sive additamenta illa, quibus ad aurum, eo, quo dictum, modo disponendum utimur, per se ipsa nullo modo tales effectus edere posse, qualia admixto auro fiunt, tunc etiam medicamentum non simpliciter operatur ut aurum, sed recipit quippiam de qualitatibus accidentis, pronascitur exinde aliquod tertium, quod non immeritò secundum doctrinam Paracelsi in suis Archidoxis libr. de magisteriis, magisterium auri, vel etiam, quoniam aurum sub forma potabili in eo latitat, aurum potabile vocari potest, cui magisterio excellentissimas attribuit virtutes, uti in allegato loco videre licet.

Manifestas quod attinet nostri auri potabilis qualitates, earum ratione induit, attenuat, aperit, penetrat & exsiccat, ideoque omne sine caliditate, eo fermè modo, quo rectificata ac in aquis dissoluta vegetabilium soluta salia. Ratione verò propriæ suæ essentiæ ac præmemoratæ compositionis resistit putredini, excitatas ab interno humorum venenosorum fomite malignitates bezoardica virtute supprimit, potentissimeque, præcipuè autem cor & præcordia confortat ac corroborat.

Maximatum inprimis est virium in dissolvendis mesenterii aliorumque internorum angustissimorum meatuum ac venarum obstructionibus, in melancholia etiam hypochondriaca, inflatione ventriculi, tribus hydropis speciebus, cachexia, sanguinis impuritate, tertiana simplici & duplici, quartana, aliisque chronicis ex putredine humorum proseminatis febribus. Lauda-

Hhhhh bile

bile etiam in paralysi, amissione loquelæ, epilepsia, uteri strangulatu, cordis palpitatione, cardialgia, syncope, incubo, itemque in omnibus febribus acutis & pestilentialibus, malignis, variolis & morbillis, peste, & à maligna materia causata pleuritide, insuper omnia periculosa symptomata ac alia accidentia, quæ hominem maxima cum prostratione virium, spirituumque vitalium dissipatione ita quidem invadunt, ut Medicus typum eorundem ac morem difficulter dignoscere, nedum ordinaria curandi methodo, nisi prius dempta fuerint symptomata, recuperatæque vires, natura etiam per indubitata ac certa signa, quo tendere velit, quæve subsidia requirat ac auxilia indicaverit, eadem possit persanare, quo in casu Medicus unicum suum refugium in hoc excellentissimo, multijugaque experientia confirmatissimo, aliisque similibus subtilibus cardiacis medicamentis ponat necesse est, omnes enim vagabundos cordique maximè infensos, vapores ac fuligines discutit, facultatem vitalem roborat, balsamum naturæ conservat ac tuetur, eundemque à putredine, quantum quidem medicamentis hujusmodi possibile, vindicat ac defendit, ideoque præter hoc in aliis etiam affectibus maximè ejus usus esse potest commodus.

Posse autem hoc ipsum, (ut quidam Pseudo Chymici de hoc & similibus præparatis ex auro magisteriis impudentissima lingua blaterant, quibus suis mendaciis hujusmodi medicamina si dextrè fuerint usurpata, maximè quidem utilia, dehonestant potius ac diffamant, quam recommendant,) cœcis restituere visum, surdis auditum, infundere sapientiam stolidis, efficere erectis ut incedant claudicantes pedibus, curare podagram & confirmatum hydropem, leprosis reddere cutis nitorem corporisque restituere puritatem, sanare cancros ac fistulas, naturâ quæ sunt steriles, jucunda beare prole, hominem denique ad ultimum usque vitæ terminum in perpetuo nulli senectutis etiam calamitatibus obnoxio conservare sanitatis vigore, aut alia similia præstare miracula; hæc itaque & ejusmodi alia, quia pura puta sunt mendacia ac grandiloquia, à me veritatis amantissimo procul absint. Nitatur enim quispiam autoritate qualicunque etiam libet, ratiocinetur formetque pro placito discursus, experientia tamen optima harum rerum magistra aliud monstrat, nullum scilicet inventum esse medicamentum, quod aliorum maximè necessariorum vices supplere, multo minus, quod quosvis natura etiam ac proprietate quadam incurabiles morbos persanare potuerit. Eorundem etiam opinio è directo adversatur voluntati, ordinationi & decreto divino naturæ divinitus implantatis. Vergit id etiam in contemptum tot millium nobilissimorum à Deo multivariis virtutibus peculiariter coronatorum simpliciū, hac tandem opinione annihilantur omnes labores, omniaque, quæ impendit homo in acquirenda vera Medicina, studia,

dia, quã ut & alias artes ac scientias omnes tantis laboribus propter nostra peccata Deus noster subjicere voluit, cùm denique ipsa etiam ratio physica non patiatur. Si enim tale aliquod medicamentum inveniretur, quod tot morbos curare posset, idipsum certè necesse est ante omnia corrigat ac alteret malam à parentibus humido radicali implantatam ad hunc vel illum morbum dispositionem, vel possit in propria sua substantia exulcerata, fauciata, putrefacta corporis principalia membra, pulmones scilicet, hepar, lienem, aliasque interiores corporis humani partes curare, redintegrare, inque pristinum suum reducere statum, vel alia, à nullo adhuc unquam ab ipso mundi principio ad hunc usque diem Medico visa vel observata præstare miracula.

Dosis & Usus.

Exhibetur hoc auri magisterium infantulis à gutt. 1. ascenditur pro ratione ætatis, virium ac necessitatis ad guttas quindecim vel viginti in adultioribus in vehiculo conveniente, absente nimirum febrili calore, vino albo generoso, vel aliqua aqua appropriata, stillatitia, ejusque usus certis horis alligatus non est, sed quoties necessitatis casus jusserit, quavis diei hora tutò assumi potest.

Cautio.

Cavendum autem hic maximoperè, ne exhibituri hoc magisterium in patellis, vel cochlearibus argenteis, stanneis aut leviter inauratis permisceamus, eligenda è contra vasa vitrea vel subtilissimè vitro obducta; Siquidem si hoc magisterium in iisdem paululum relinquatur, sociam materiam relinquendo, instrumentis hujusmodi è metallo fabrefactis, ut multoties cum ejuscemodi magisteriis aureis vel argenteis accidere solet, adhærescit. Hanc enim habent metalla proprietatem, ut alterum in aqua vel alio liquore dissolutum separet, ac ad se tractum socium expectet, quod non solum Chymicis est notum, verum etiam cuilibet aurifabro obvium. Ac ex mea parte exoptarem ego vendere aliquod ex auro vel argento concinnatum magisterium, à quo beneficio alterius alicujus non posset separari, separatumque ad oculum demonstrari metallum, de quo in superioribus.

2. Elixir Aureum,

sive

Magisterium Lapidis Bezoar compositum.

Pretiosissimum ac subtile, gratum, Bezoardicum ac verè cardiacum est colore citrino tinctum, ex lapide Bezoartico orientali aliisque pretiosis corporibus præparatum magisterium, sortitumque

 hoc

hoc nomen non ab auro, quod ejus compositionem non ingreditur, sed à colore citrino sive aureo, præstantissimisque auri non imparibus virtutibus: In omnibus siquidem iis affectibus, quibus superius aurum potabile summè conducibile esse diximus, itemque quibus lapis bezoarticus laudatur salutaris, summa cum utilitate exhibetur, effectus ejus experientia sunt confirmati.

Dosis & Usus.

Propinatur, habito tamen semper personarum respectu, absente febre vel cum vino vel cum aquis appropriatis, borraginis, rubi idæi, buglossi vel similibus à guttis tredecim gutt. quindecim ad viginti usque, ejusque dosis pro necessitatis exigentia reiterari potest.

3. *Magisterium Perlarum solubile.*

Candidum hoc est sapore acidiusculum ex orientalibus perlis in forma pulveris salis instar in aqua dissolubile magisterium, unde à plurimis Chymicis, ast valdè impropriè, perlarum sal vocatur: Cum hujusmodi virtutes à perlis propriè non proveniant, sed à spiritu solventis, sive eo, quo solvuntur menstruo, quo ignis beneficio destillatione separato, insipidus perlarum pulvis, non amplius in aqua dissolubilis, ut aliæ solent perlæ in pulverem redactæ, fundum petit.

Hoc magisterium nobilissimum etiam est cordiale, ac in omnibus ex putredine interna ac venenosis vaporibus causatis cordis affectibus, quibus egregiè resistit corque roborat, apprimè salutare. Quòd verò hoc ipsum (ut aliqui Chymici existimant) peculiari quadam præditum sit irrorante ac humectante qualitate, qua præsertim calidam pulmonum possit corrigere intemperiem, & inde excalfactos ac agitatos spiritus vitales refrigerare, phthisicis item & hecticis subvenire, humidumque radicale restaurare, experientia nondum edoceri potui. Satis interim sufficienterque mihi est cognitum, exsiccans esse medicamentum sudoremque movisse ægrotis, quod reticere hoc loco minus duxi decorum ac prorsus incivile.

Dosis & Usus.

Omni tempore exhibetur cum appropriatis aquis vel commixtum julapiis, habito tamen necessitatis ac virium ægroti respectu à granis tribus ad ℈ß. usque.

4. *Magisterium Corallorum solubile.*

Est ex corallis rubris, colore, sapore ac consistentia priori ex perlis concinnato non dissimile præparatum magisterium, nullum ratione formæ externæ inter hæc duo discrimen est, iisque præditum est virtutibus, quibus à Chymicis & vulgo extollitur, paribusque pollet facultatibus cum sequente syrupo de quo paulò post videre licet.

Dosis

Dosis & Usus.

Dosis est ut prioris, propinaturque in aquis rubi idæi, fragorum, acetosæ vel aliis stillatitiis modico sacchari edulcoratis.

5. Syrupus Corallorum.

Pulcherrimus saporeque gratissimus hic è coralliis rubris arte factus syrupus præter proprietatem peculiarem, qua præditus est, cardiacam, moderatè etiam refrigerat, exsiccat ac astringit, exindeque ex intemperie aliqua calida ventriculum, hepar aliasque internas corporis nostri partes debilitatas roborat, excitatum à bile fastidium, nauseam & vomitum compescit, egregia est medela contra quamvis hæmorrhagiam, salutaris præcipuè in hæmorrhagia, narium & sanguinis ex ore ejectione, dysenteria, diuturno hepatis fluxu, hæmorrhoidibus, nimiisque mensibus, egregius etiam est contra fluorem album, gonorrhæam, ab intemperie calida & facultatis retentricis imbecillitate profectam. Prægnantibus etiam maximo est auxilio, quæ ob affectam malè matricem abortum timent, ac ad destinatum partus tempus fœtum retinere nequeunt. Celeberrimus inprimis ejus usus est in auctissimis ex accensa bile pronatis febribus, & in ipsa etiam peste pro corroborandis ægrotis, absumendisque vagabundis internè cordi maximè infestis vaporibus.

Dosis & Usus.

Communis ac usitata dosis est, habito tamen subjectorum respectu, cochleare unum plus minusve, quovis necessitatis tempore illum exhibendo, in diuturnis verò ac chronicis hæmorrhagiis, itemque in fluore albo & gonorrhæa usurpandus est ordinariè horis matutinis & quatuor post prandium, ejusdemque ad meliorationem usque continuandus usus, in hisce enim morbis melius ac certius medicamentum hoc ipso syrupo haud facilè invenietur. Interim verò, quo vires suas felicius exerere queat, acres ac calidi humores convenientibus lenitivis sunt educendi ac evacuandi.

6. Elixir cordiale vegetabile specificum.

Maximarum hoc subtile Elixir virium salutare est pro corroboratione cordis ac cerebri, ut & ventriculi, matricis omniumque internarum corporis partium, utique eo corroborantium (quocunque etiam nomine veniant:) aquarum loco felicissimè possumus, vires ideoque ac virtutes ejus prolixe nimis hic enarrare ac extendere non necessarium duximus.

Dosis & Usus.

Exhibetur absente febre cum vino, aut alias tepido carnium brodio, vel aqua aliqua stillatitia à guttis vj. jx. xv. ad xx. usque, plus minus pro necessitatis exigentia.

Aqua cordialis aurea.

Aqua hæc cordialis aurea dicitur; non exinde, ac si aurum ejus ingrediatur compositionem, sed quia præ aliis cardiacis aquis, nobilissimis est prædita virtuti-

bus, probatissimis, quas exercet, longoq; usu confirmatis donata operationibus.

Nobilissima hæc aqua cardiaca utilis ac summè salutaris est in omnibus corporis humani morbis ac symptomatibus, ubi inprimis cordi roborantibus prospiciendum, viresque necessario sunt reficiendæ ac resarciendæ; Animum exhilarat, debilem in utero fœtum corroborat, abortum præcavet.

Dosis.

Pueris exhibentur pro diversitate ætatis aliquot guttæ, adultioribus verò integrum cochleare.

Usus.

Bibitur vel sola pauco saccharo dulcorata, inprimis autem ad reficiendas vires commiscetur gallinæ brodio. In acutissimis verò, malignis ac pestilentialibus febribus, cum aquis temperatis aliis, utpote carduibenedicti, borraginis, buglossæ vel simili convenienter permixta exhiberi potest, possunt & julapia vel aliæ potiunculæ à Medicis ægroto præscriptæ eadem ipsa aromatizari, quibus gratissimum conciliabit saporem odoremque.

8. *Elixir Cinnamomi.*

Hoc Elixir convenit syncopi aliisque cordis affectibus ac symptomatibus, à materiis frigidis ac flatulentis excitatis, frigidam ventriculi intemperiem corrigit, eundemque corroborat, ciborum fastidium, ructus, inflationes ac vomitum à pituitosis cruditatibus provenientia tollit, naturalem ciborum concoctionem promovet, obstructosque mulierum ac virginum, phlegmaticæ maxime quæ sunt constitutionis, menses reserat.

Dosis & Usus.

Dosis eadem est ut prioris, utendiq; modus ejusdem etiam non dissimilis, vicesque aquæ cinamomi fragrantissimæ supplere convenientissimè potest.

9. *Essentia Croci.*

Nobilis croci essentia mediocriter est calida & sicca, concoquit, digerit ac moderatè astringit: singulari etiam proprietate cor roborat ac exhilarat, somnumque conciliat. Accommodatissimus ideoque ejus usus est in ferina tussi, asthmathe, infarctuque pulmonum aliisq; respirationis à tenui catarrho progenitis vitiis, itemque pleuritide, cardialgia ac melancholia: ventriculum confortat, concoctionemque ciborum promovet, matricem calefacit, mensesque ex intemperie frigida ac flatibus restitantes promovet.

Dosis.

Essentia hæc datur infantulis grani milii magnitudine, in paulo majoribus paululum ea ipsa augetur, adultioribus grana (in pondere medicinali usitata,) ij. iij. & ad summum iv. habito tamen semper personarum respectu.

Usus.

Pro infantulis dissolutum in lacte muliebri saccharo cando dulcoratum, necessitateque exigente iisdem exhibetur; adultioribus verò pro diversitate affectuum aliis in liquoribus dissolutum porrigitur.

10. *Anti-*

10. *Antidotus Caryophyllata.*

Præstantissimum hoc est cordiale, in forma subtilissimi purpurei electuarii ex rubescentium caryophyllorum essentia, & aliis pretiosis cardiacis compositum medicamentum, quod mediocriter calefaciente ac moderatè astringente qualitate est præditum, gratissimoque suo odore ac fragrantia mirabiliter ægrotos recreat.

Inprimis autem singularis hæc est antidotus in corroborando corde ac cerebro, lætificandisque spiritibus vitalibus & animalibus, ad defendendos etiam eosdem ab infectione venenosi aeris, internorumque noxiorum ac venenosorum à maligna putredine humorum pronatorum vaporum injuria, laudabilis.

In syncope, lipothymia, cordis palpitatione, terrore, melancholia, incubo aliisque accidentibus, ubi pretiosissima cordialia celebrantur, utilissimum etiam hoc est electuarium, non minus item valet præservationis gratia in peste, iis præcipue conducibile, qui sunt delicatuli, melancholici ac timidiusculi.

Dosis & Usus.

Assumitur vel per se solum, vel in vino, brodio carnium calido, restaurativo, julapiis, aquis stillatitiis dissolutum vel aliis medicamentis permixtum à ℈. ß. ad ℈. j. plus minusve.

11. *Pulvis Diachermes.*

Subtilis hic pallido-purpureus excellens est pulvis cardiacus, cujus usus in omnibus his affectibus est celebris, in quibus antidotus caryophyllata, de qua supra.

Appropriatissima autem est Medicina in convulsionibus epilepticis, apoplexia, terrore & incubo puerorum, salutaris item prægnantibus, melancholicis symptomatibus obnoxiis, indeque facile abortientibus, vel ante constitutum tempus parturientibus, vel si legitimo tempore fœtum vivum enitantur, nihilominus tamen paulo post partum acerrimis hisce cordis & cerebri affectibus miserrime excrucientur, & proh dolor! experientia quotidiana teste, plurimæ emoriantur.

Dosis.

Exhibetur recens natis à granis iij. ad vj. aliis verò plura. Juvenibus verò ac adultioribus dantur grana xij. xv. xx. & xxiv.

Usus.

Recentissimè natis contra prædictos affectus, præservationis ergo exhibetur cum aqua fl. tiliæ, lil. conval. primul. veris, cerasor. nigr. fl. pæon. lil. alb. vel betonic. edulcorata prius saccharo cando, vel lacte tepido offertur ebibendus, ejusque usus tribus diebus continuis tempore matutino est reiterandus. In hisce etiam aquis quovis necessitatis tempore exhibetur infantibus ac pueris ejusmodi affectibus actu laborantibus. Supra memoratæ vero prægnantes singulis Lunæ quadris præscripta hujus pulveris dosi uti possunt. Possunt etiam fieri L. A. morsuli, addita scilicet hujus pulve-

pulveris drachma una facchari in aliqua prædictarum aquarum dissoluti ℥. j. quos secum tenere & afflictionis tempore uno aut altero uti commodè possunt. Potest is idem etiam addi conservis rof. fl. aurantiorum, viol. borrag. vel fl. tunicæ, admixtoque aliquo conveniente syrupo ad præscriptos scopos electuarium aliquod confortativum præparari.

12. *Pulvis bezoarticus Smaragdinus.*

Hujus viridiusculi in forma subtilissimi pulveris ex pretiosissimis confortantibus præparati magisterii non solum in præmemoratis affectibus, (ut de pulvere diachermes dictum fuit:) verum simul etiam in febribus malgnis non minor ac ipsius lapidis bezoartici orientalis usus & fructus esse potest.

Dosis & Usus.

Quantitas utendique modus eadem sunt, ut paulo præcedentis pulveris diachermes.

13. *Mixtura Diambra.*

Excellens hoc subtilissimi extracti instar medicamentum confortativum maximarum est virium, in calefaciendis ac roborandis à frigidis humoribus debilitatis nobilioribus totius corporis partibus, inprimis vero corde & cerebro, quibus natura sua appropriatissima est Medicina. Subtilissimo suo odore maximè penetrativo corroborat sensus, exsuscitat sensus, calidum innatum fovet, ejusdemque operationes excitat ac recreat. In vertigine, syncope, subita lipothymia & virium penuria est egregia. Roborat insuper partes nutritioni dicatas, promovet ciborum concoctionem, refrigeratam matricem, ut & genitales tam virorum quam mulierum partes calefacit, venerem excitat ac conceptionem adjuvat. Et ut plura paucis comprehendam, mixtura hæc universale est confortativum calidum in omnibus frigidis affectibus, utile etiam senibus aliisque qui frigidæ sunt corporis complexionis.

Dosis & Usus.

Offertur hæc mixtura vel sola sine alterius alicujus additamento, vel in ovo sorbili aut brodio carnis, vel conservis confortantibus: addita horis matutinis quantitate pisi majori etiam vel minori, habito personarum respectu.

Cautio.

Usum hujus vitent cholerici & sanguinei, acutosve qui habent ac calidos sensus, vaporesque calidi quorum colorant faciem, itemque maxime qui sunt ad hæmorrhagiam narium proclives. Insuper etiam noxia est illis, quorum cerebrum valdè est debile facilimeque inebriantur, cæterique omnes sive mares sive sint fœminæ, quæ odorifera, præsertim v. ambram vel moschum sua natura ferre non possunt, sibi ab hac mixtura tanquam summe detrimentosa caveant.

14. *Dia-*

14. *Diacinamomum ambratum.*

Fragrantissimi hujus pulveris primariæ virtutes cum præcedentis mixturæ conveniunt. Inprimis autem convenientissime additur confortantibus compositis, ut & brodiis corroborativis, pulticulis amygdalinis, conjecturis aliisque & similibus cibis analepticis, quibus non solum gratissimum conciliat saporem, verum eorundem etiam vires acuit. Ejus item tria vel quatuor grana mensuræ vini optimè prius saccharo finissimo edulcorati addita, sapore id & odore reddunt efficacissimum, & ita quidem, ut nullum vinum Hippocraticum vel aliud claretum cum eo conferri possit, omnia insuper, sive vitrea sint, sive metallina hoc semel imbuta, servabunt odorem vasa diu.

15. *Elaosaccharum Citri.*

Sicca instar alicujus pulveris est mixtura odore ac sapore corticum citri fragrantissima, utilis præcipuè in affectibus cordis à flatibus frigidisque humoribus iisdemque putrefactis ac malignis, exortis. Calefacit etiam ventriculum, eundem corroborat discutitque & absumit corporis ventositates sive flatulentias.

Dosis & Usus.

Tantum, quantum cultelli cuspis capere potest, cum vino, brodio carnis calido vel aqua aliqua stillatitia porrigitur. Cibis & confecturis verum ac naturalem corticum citri odorem saporemque imprimit, & pro aromatizandis potiunculis catharticis, earundemque ingrato odore corrigendo apprimè est utilis. Singulari autem cum fructu admiscetur Julapiis, quos in febribus malignis ac pestilentialibus ægrotis ebibendos præscribimus, quive acidiuscula aliqua, Spiritu scilicet Vitrioli, Sulphuris vel Salis sunt temperata substantia. Parum enim si iisdem hujus pulveris fuerit additum recentissimè expressi citriorum succi sapore linguam feriunt: non solum ægrotis idcirco maximè grati, verum etiam pro coërcenda febrium malignitate sunt convenientissimi.

16. *Elixir Antepilepticum.*

Peculiariter excellens hoc puniceum Elixir maximè est conducibile in epilepsia ac suffocatione sive strangulatu uteri.

Dosis & Usus.

Hoc Elixir plerumque à v. ad xv. & xx. guttas usque, habito tamen semper personarum ac necessitatis respectu, febre absente vino, præsente verò aquæ alicui stillatitiæ permixtum propinatur, idq; quovis indifferenter tempore, ut de aliis Elixiriis superius dictum fuit.

17. *Aqua Antepileptica temperata.*

Hæc aqua in qualitatibus suis temperatissima singularis est efficaciæ in epilepsia, delicatissimis exinde puerulis, ac ipsis etiam prægnantibus quovis tempore utilis ac proficua.

Dosis.

Parvulis datur cochleare unum, natu verò majoribus, paulò plus, adultioribus vero sive maribus sive fœminis, duo vel tria cochlearia.

Usus.

Utimur hac aqua vel vehiculi loco cum prædicto Elixire vel aliis similibus contra epilepsiam pugnantibus medicaminibus, aut etiam sine ullo alio additamento, ac pro lubitu facchari modico sine virium jactura edulcorari potest.

18. *Elixir Cephalicum.*

Excellens est cephalicum Elixir contra omnes cerebri, nervorum, ligamentorumque affectus singularis efficaciæ ac energiæ, ita quidem, ut nobilissimarum aquarum cephalicarum ac apoplecticarum supplere locum maximo cum commodo possit.

Dosis & Usus.

Hoc Elixir ratione doseos ac usus interni correspondet non solum cum priori, verum etiam maximè est laudabile usurpatum, externè naso sc. & venis temporum illitum.

19. *Aqua Antapoplectica specifica.*

Hæc aqua in omnibus capitis & nervorum affectibus (ut de balsamo antapoplectico dicitur) singulariter est utilis ac salutaris.

Dosis & Usus.

Infantibus dantur pro ratione ætatis aliquot guttulæ aliis humoribus propter nimiam ejus caliditatem permixtæ, adultioribus verò ac fortioribus cochleare integrum, edulcorarique, saccharo (ut de aqua antepileptica dictum) commode potest.

Cautio

Prægnantes ab hujus aquæ usu arcendæ.

20. *Essentia Florum Hyperici.*

Admiranda hujus essentiæ virtus est ad curandam melancholiam ac depravatam imaginationem, ubi scilicet homo ex improviso optime valens, nullis prægressis causis nec internis nec externis, variis torquetur falsisque impressionibus, apparetque à Diabolo veluti obsessus ac quo se vertere debeat anxius hærens mortem sibi ipsi minitatur, homini ejusmodi majus præstat auxilium, quam aliud quodvis, nobilissimum ac pretiosissimum licet sit sub Sole medicamentum, cujus rei ego ipse in aliquot ægrotis sum expertus, quibus, divina assistente gratiâ, hac essentiâ unice pristinam reddidi sanitatem sanæque mentis rursus feci compotes. Eadem autem, pro consequendo meo proposito ac scopo, hoc subseq. modo utar. ℞. aq. ex fol. Hyperici destillatæ ℔. j. vel in hujus defectu substituatur aqua Betonicæ, in hac tepefacta dissolvantur ℥ij. hujus essentiæ sacchari ℥iß. edulcorandæ, trajiciatur aqua hæc usque dum clarescat & rubicundo tincta colore pulcherrime niteat, per colatorium, hujus aquæ exhibentur ægroto ante Solis exortum & vesperi ante introitum lecti ij. iij. vel iiij. cochlearia, ususque ejus ad perfectam mentis redintegrationem sedulò est continuandus: succurrendum hujusmodi malo satis tempestive, quando scilicet id idem altas nondum egit radices, ratioque omnimode sit aboli-

abolita ac prorsus corrupta. Aliis etiam affectibus essentia hæc, in quibus sapientiores Medici ipsam herbam celebrant, accommodari potest.

21. *Balsamus vitæ liquidus.*

Splendidissimus hic aureo tinctus colore liquor gratissimum spirat odorem, & consistentiæ ratione non multum est dissimilis balsamo orientali vel liquidæ ambræ.

Qualitates ejus generales sunt: calefacere, exsiccare, digerere, purificare, sanare, roborare, appropriata idem est capitis medicina, usus verò ejusdem specialis est excellens in affectibus capitis & nervorum (ut de balsamo antapoplectico dicetur) frigidis, prodest item summè contra catarrhos frigidos, medicina etiam est præservatoria illis, quibus natura caput intemperie laborat frigida, exindeque catarrhi frigidi in subjecta membra decidui intolerabiles progignunt dolores. Salutaris insuper est in affectibus thoracis, asthmate sc. dispnœa à vapore vel spiritu excitata, mundificat ulcera pulmonum ac pectoris, succurritque, nisi sit inveteratum cum febre hectica conjunctum malum, phthisi. Simili etiam modo curat ulcera intestinorum, matricis, renum & colli vesicæ. Incarceratos flatus discutit, ventriculum calefacit, appetitum excitat, anhelitus fœtorem ex cruditate ortum corrigit. Urinam pellit, tumores hepatis & lienis frigidos absumit, & veluti Panacæa plurimis ægritudinibus ab humoribus frigidis ac humidis causatis egregie succurrit. Præservationis denique E. pestis tempore uti eo commode possumus.

Dosis & Usus.

Hujus balsami ordinariè horis matutinis ægrotis exhibentur iiij. v. vel etiam vj. guttæ, & si necessitas exegerit x. in vino, hydromelite vel brodio carnis calido, & pro ratione morborum ac symptomatum, pro quibus expellendis in usum accersitur, commiscetur syrupis, conservis, electuariis vel linctibus. Ii verò, qui propter capitis catarrhos exindeque dependentes morbos aut symptomata vel in peste præservationis gratia ejus usum per aliquod tempus continuare volunt, recipiant sacchari finissimi pulverisati ℥j. aut ℥iß. cui commisceant balsami hujus ʒj. fiatque l.a. pulvis in pyxide argentea inaurata ad usum asservandus, cujus singulis mane, quantum cuspis cultri recipit, assume, eoque utere vel solo, vel addito conveniente alio, de quo superius prolixius diximus.

22. *Balsamus Sulphuris.*

Balsamus sulphuris potentius calefacit & exsiccat priori, detergit etiam, mundificat, qualitateque singulari præditus est astringente, quam in præparatione ab excitata sulphuris aciditate acquilivit.

Singulare autem est pectoris specificum, quod non solum à lento ac viscoso, organa respirationis obstruente & asthma producente liberat phlegmate: verum etiam egregie ulcera pulmonum, vicinarumque partium, saniosa mundificat & ad sanationem promovet.

Usus.

Utimur hac aqua vel vehiculi loco cum prædicto Elixire vel aliis similibus contra epilepsiam pugnantibus medicaminibus, aut etiam sine ullo alio additamento, ac pro lubitu sacchari modico sine virium jactura edulcorari potest.

18. *Elixir Cephalicum.*

Excellens est cephalicum Elixir contra omnes cerebri, nervorum, ligamentorumque affectus singularis efficaciæ ac energiæ, ita quidem, ut nobilissimarum aquarum cephalicarum ac apoplecticarum supplere locum maximo cum commodo possit.

Dosis & Usus.

Hoc Elixir ratione doseos ac usus interni correspondet non solum cum priori, verum etiam maximè est laudabile usurpatum, externè naso sc. & venis temporum illitum.

19. *Aqua Antapoplectica specifica.*

Hæc aqua in omnibus capitis & nervorum affectibus (ut de balsamo antapoplectico dicitur) singulariter est utilis ac salutaris.

Dosis & Usus.

Infantibus dantur pro ratione ætatis aliquot guttulæ aliis humoribus propter nimiam ejus caliditatem permixtæ, adultioribus verò ac fortioribus cochleare integrum, edulcorarique, saccharo (ut de aqua antepileptica dictum) commode potest.

Cautio

Prægnantes ab hujus aquæ usu arcendæ.

20. *Essentia Florum Hyperici.*

Admiranda hujus essentiæ virtus est ad curandam melancholiam ac depravatam imaginationem, ubi scilicet homo ex improviso optime valens, nullis prægressis causis nec internis nec externis, variis torquetur falsisque impressionibus, apparetque à Diabolo veluti obsessus ac quo se vertere debeat anxius hærens mortem sibi ipsi minitatur, homini ejusmodi majus præstat auxilium, quam aliud quodvis, nobilissimum ac pretiosissimum licet sit sub Sole medicamentum, cujus rei ego ipse in aliquot ægrotis sum expertus, quibus, divina assistente gratiâ, hac essentiâ unice pristinam reddidi sanitatem sanæque mentis rursus feci compotes. Eadem autem, pro consequendo meo proposito ac scopo, hoc subseq. modo utar. ℞. aq. ex fol. Hyperici destillatæ ℔.j. vel in hujus defectu substituatur aqua Betonicæ, in hac tepefacta dissolvantur ʒij. hujus essentiæ sacchari ℥iß. edulcorandæ, trajiciatur aqua hæc usque dum clarescat & rubicundo tincta colore pulcherrime niteat, per colatorium, hujus aquæ exhibentur ægroto ante Solis exortum & vesperi ante introitum lecti ij. iij. vel iiij. cochlearia, ususque ejus ad perfectam mentis redintegrationem sedulò est continuandus: succurrendum hujusmodi malo satis tempestive, quando scilicet id idem altas nondum egit radices, ratioque omnimode sit aboli-

abolita ac prorsus corrupta. Aliis etiam affectibus essentia hæc, in quibus sapientiores Medici ipsam herbam celebrant, accommodari potest.

21. *Balsamus vitæ liquidus.*

Splendidissimus hic aureo tinctus colore liquor gratissimum spirat odorem, & consistentiæ ratione non multum est dissimilis balsamo orientali vel liquidæ ambræ.

Qualitates ejus generales sunt: calefacere, exsiccare, digerere, purificare, sanare, roborare, appropriata idem est capitis medicina, usus verò ejusdem specialis est excellens in affectibus capitis & nervorum (ut de balsamo antapoplectico dicetur) frigidis, prodest item summè contra catarrhos frigidos, medicina etiam est præservatoria illis, quibus natura caput intemperie laborat frigida, exindeque catarrhi frigidi in subjecta membra decidui intolerabiles progignunt dolores. Salutaris insuper est in affectibus thoracis, asthmate sc. dispnœa à vapore vel spiritu excitata, mundificat ulcera pulmonum ac pectoris, succurritque, nisi sit inveteratum cum febre hectica conjunctum malum, phthisi. Simili etiam modo curat ulcera intestinorum, matricis, renum & colli vesicæ. Incarceratos flatus discutit, ventriculum calefacit, appetitum excitat, anhelitus fœtorem ex cruditate ortum corrigit. Urinam pellit, tumores hepatis & lienis frigidos absumit, & veluti Panacæa plurimis ægritudinibus ab humoribus frigidis ac humidis causatis egregie succurrit. Præservationis denique E. pestis tempore uti eo commode possumus.

Dosis & Usus.

Hujus balsami ordinariè horis matutinis ægrotis exhibentur iiij. v. vel etiam vj. guttæ, & si necessitas exegerit x. in vino, hydromelite vel brodio carnis calido, & pro ratione morborum ac symptomatum, pro quibus expellendis in usum accersitur, commiscetur syrupis, conservis, electuariis vel linctibus. Ii verò, qui propter capitis catarrhos exindeque dependentes morbos aut symptomata vel in peste præservationis gratia ejus usum per aliquod tempus continuare volunt, recipiant sacchari finissimi pulverisati ℥j. aut ℥iß. cui commisceant balsami hujus ʒj. fiatque l.a. pulvis in pyxide argentea inaurata ad usum asservandus, cujus singulis mane, quantum cuspis cultri recipit, assume, eoque utere vel solo, vel addito conveniente alio, de quo superius prolixius diximus.

22. *Balsamus Sulphuris.*

Balsamus sulphuris potentius calefacit & exsiccat priori, detergit etiam, mundificat, qualitateque singulari præditus est astringente, quam in præparatione ab excitata sulphuris aciditate acquisivit.

Singulare autem est pectoris specificum, quod non solum à lento ac viscoso, organa respirationis obstruente & asthma producente liberat phlegmate: verum etiam egregie ulcera pulmonum, vicinarumque partium, saniosa mundificat & ad sanationem promovet.

Deinde etiam maximè exoptatus eſt ejus uſus in diarrhœa ac dyſenteria tempore præſertim autumnali epidemica. Maximè etiam ab Authoribus commendatur ac laudatur contra peſtem. Commixtus in forma linimenti cum oxymelite egregium eſt auxilium in gangræna & ſphacelo: ſuperimpoſitum enim hoc linimentum loco affecto, carnem vivam à demortua efficaciſſimè ſeparat, ulteriorem corruptionem inhibet, & pro faciliori cura optimum ponit fundamentum. Hoc etiam modo balſamus hic, in forma ſc. linimenti uſurpatus mundificat ac exſiccat inveterata, frigida ac manantia artuum ulcera, eorundemque ſanationẽ potentiſſimè promovet. Hoc etiam linimentum approbatiſſimum eſt experimentum ad procidentiam ani & matricis, illitum enim, repoſitas has partes in ſitu ac loco conſervat. Tandem denique ex cera flava & hoc balſamo fieri emplaſtrum poteſt, quo non ſolum ad pnevmatocelen, verum etiam ad corroborandas extremè refrigeratas externas corporis partes, firmandosque relaxatos à frigida podagra articulos, maximo cum ſucceſſu utimur.

Doſis & Uſus.

Internus hujus balſami uſus & doſis convenit cum balſami vitæ utendi modo, daturque cum vehiculis affectui accommodis.

Cautio.

Ubi calor aliquis febrilis vel alia calida p. n. intemperies ſive externa ſive interna ea ſit, adeſt, vel confirmata eſt phthiſis, lentaque febricula in carnoſis partibus hærens, ſenſim ac ſenſim humidum radicale depaſcit, ab hujus balſami uſu abſtinendũ, hujusque loco diæta potius & cura eſt inſtituenda humectans, quam calida & ſicca in uſum ducenda medicamina, quapropter miſerrimè ii falluntur, qui indiſcriminatim ad omnes pulmonum affectus balſamo hoc tanquam panacæa utuntur. In calida enim hujus & aliorum viſcerum intemperie oblatus, oleo ignis extinguitur.

23. *Flores Sulphuris Benzoinati.*

Eſt ſubtiliſſimi pulveris inſtar cum odorifero gummi benzoin ſublimatum ſulphur ad eosdem pectoris vitia ad quæ prædictus balſamus ſulphuris apprimè utile. Deinde etiam convenientiſſimum eſt iis, quorum caput frigida laborat intemperie & exinde catarrhis hujusmodi ſunt obnoxii, calefacit enim illud, exſiccat ac roborat. Contra dolores colicos eſt ſingulare, & ad curandam peſtem humidam, præſertim verò in ignobilioribus ac ruſticis, qui vilioribus ſaginati cibis, multam in ſanguine colligunt humiditatem & idcirco hujusmodi infectioni magis ſunt aliis obnoxii, celeberrimum eſt auxilium.

Doſis.

Datur à ℈ j. ad ʒ j.

Uſus.

Pro ſanandis capitis catarrhis ʒ j. hujus pulveris miſcetur cum ℥ j. ſacchari candi, additis iij vel iiij. guttis olei fœniculi ſtillatitii ſingulis mane vel per ſe, vel cum conveniente vehiculo quantitate cuſpidis cultri aſſumitur. Vel fiat ex hoc pulvere cum gummi tragacantho in aqua Betonica

cæ dissoluto massa, ex quo formentur rotulæ quovis necessitatis tempore in usum revocandæ, hoc modo usurpatum pectori etiam conducit. Potest etiam pro lubitu commisceri conservæ rosarum additoque aliquo syrupo in forma electuarii usurpari. Contra tormina ventris datur cum vino albo calefacto vel brodio carnis calido, contra pestem verò cum modico aceti calefacto saccharoque edulcorato, quo sumpto sudorem ægrotus bene tectus expectet.

24. *Spiritus Vitrioli cærulei rectificatus.*

Acidus hic est è vitriolo cæruleo elicitus liquor, cujus præcipuæ virtutes sunt, incidere, discutere, putredini resistere, mundificare, exsiccare, astringere & mediante sua aciditate sitim restinguere.

Singulariter ideoque ejus usus approbatus est ad conservandam eorum sanitatem, qui complexionis sunt phlegmaticæ, & contra epilepsiam, cephalalgiam, vertiginem, oculorum caliginem, auditus gravitatem, debilitatam memoriam, à superflua humiditate, si fuerint omnia producta egregium est medicamen. Oesophagum pectusque ab omni viscoso phlegmate ac muco liberat, ventriculum purificat, eundemque corroborat, concoctionem promovet, ciborum appatitum excitat, putredinem, undeanhelitus graveolentia, inhibet, pronatos ex indigestis cibis vermes necat: Hepar confirmat, hepaticisque gutta rosacea deformatis, vel diarrhœæ obnoxiis singulariter subvenit, flatulentum lienis tumorem, unde plurima scaturiunt mala, absumit: Salutaris etiam est scorbuticis, valet item contra gonorrhœam purulentam & album mulierum fluorem, certissimaque in febribus ardentibus, pestilentialibus ac aliis malignis omnibus est medela. Expertissimum etiam est præservativum pro militibus naumachiariis & remigibus, aliquot enim guttæ omni mane assumptæ ventriculum mirè corroborant, &, ne damnosi cibi aquæque, ut solent, putridæ potæ noceant, præcavet.

Dosis.

Pro ratione, constitutionis personæ dantur iij. iv. v. vj; ad viij. ad x. usq; guttæ.

Usus.

In affectibus frigidis cum vino generoso, in calidis verò cum aqua aliqua destillata refrigerante, Julapiis etiam vel decocto hordei, in febribus verò acutissimis cum aqua fontana limpidissima. Contra alvi profluvium ad corroborandum hepar, itemque gonorrhœam & profluvium uterinum, misceatur cum conserva rosarum ad gratam aciditatem, omnique mane, & vesperi bolus deglutiatur, vel recipitur ℥ ß. rosarum rubrorum concisæ ebulliant in ℥ v. aquæ cichorei destillatæ, quæ si fuerit satis tincta ac percolata adduntur ℥ vj. sacchari finissimi ad consistentiam dilutioris syrupi, cui admiscetur tantum spiritus vitrioli, quantum pro grata aciditate syr. de Berber. æmula aciditate sufficit. Hujus syrupi unum aut duo cochlearia ad præmemoratum scopum conveniunt.

Cautio.

Omnes illi, qui nervorum contracturæ vel spasmo sunt obnoxii, laborantque intemperie capitis sicca, itemque à quacunque etiam causa, ut cutis ossibus hæreat, facti extremum macilenti, aliique, qui debilem ac exquisitissimi sensus habent stomachum, ut & mulieribus ac virginibus mensium obstructione laborantibus, hi omnes & singuli dico sibi ab hujus spiritus vitrioli usu sedulò caveant.

Cautela in repositione ac conservatione spirituum Nitri, Salis & Vitrioli probe observanda.

Primum spiritus hi in mundissimo vitro cum oblongiusculo ac angustissimo collo & orificio, infundibulo non dissimili, ne quid inter effundendum prætcrlabatur, asserventur.

2. Occludantur subere, & si in alia sunt loca transportandi cera flava therebinthinæ cypriæ permixta, quò arctius hæreat, super ligata vesica, vitra contegantur.

3. Inter effundendum, ne quid in vestimenta decidat, vel digitis spiritibus hujusmodi fortè fortuna irroratis vestes vel pretiosa linteamina attingantur sedulò cavendum, corrodunt enim eadem ac exedunt.

4. Aliquot horum guttas Julapio vel decocto hordei additurus, quia propter gravitatem fundum petunt, circumagiter easdem prius, ac, an linguæ grata arrideat aciditas, faciat experimentum, quæ si minus, guttularum numerum ad gratiam adaugeat. Simili modo conservi etiam sunt permiscendi, observato scilicet optimè sapore.

5. Mixtura verò in nullo alio fiat vasculo, quàm vitreo patellave vitrea.

25. Sal Absynthii vitriolatus.

Pulcherrimum ac summè rectificatum est absynthii sal, cui tantum spiritus vitrioli fuit superfusum, ut cum eo arte chymica ita coadunitus ac coagulatus, multum ejusdem sapor præcellat, ideoque etiam sub hac forma tractabilior & in itinere magis commodus, quàm ipse vitrioli spiritus. Qualitates ejus ac virtutes pleræque conveniunt cum viribus ipsius spiritus vitrioli, præsertim autem in frigidis ac humidis ventriculi affectibus, febribus item putridis præ aliis plurimis eligendum.

Dosis & Usus.

Dantur hujus salis gr. iij. ad vj. habitoque personæ respectu ascenditur descenditurve administraturque cum iis ipsis liquoribus ac additamentis, ut de spiritu vitrioli dictum.

26. Elixir balsamicum stomachale.

Hujus balsamici Elixiris principales qualitates sunt, calefacere, exsiccare, aperire, incidere, purificare ac corpus à putredine defendere.

In specie verò singulariter juvat pectus à frigidis affectibus ac symptomatibus morbidum, excellentissimum ac exoptatissimum est auxilium, ubi ventriculus ex diuturna ac chronica febre vel aliis causis refrigeratus de mandato sibi muneri non amplius est sufficiens, eundem enim corroborat, abolitum appetitum revocat concoctionemque debito modo promovet

vet: frigidos hepatis & lienis oppilationes reserat, cachexiæ, ictero & chlorosi subvenit, menses suppressos ciet, vermes necat, putredinem arcet, & tempore pestis à senibus præsertim & natura sive complexione frigidioribus accommodatissimus ejusdem esse usus potest.

Dosis & Usus.

Pro ratione subjecti ac necessitatis quovis etiam tempore offerri potest absente febre in vino vel secus in brodio carnium vel alio simili & affectui appropriato liquore, stillatitiis aquis vel Julapio dissolutum à gutt. v. xv. ad xx. usque.

27. *Balsamus Diambra.*

Nobilissimi ac pretiosissimi hujus in forma linimenti concinnati balsami virtutes sunt, fragrantissimo suo odore spiritus vitales ac animales roborare, nitidare, animum exhilarare, refrigerata à frigidis humoribus interna principaliora membra, cor sc. pulmones, hepar, ventriculum, &c. calefacere ac confortare, conceptionem promovere alias peculiares perficere operationes, quales superius mixturæ Diambræ ascripsimus.

Usus.

De modo utendi dicemus infra sub finem balsamorum.

28. *Balsamus Cephalicus.*

Colore est niger fragrantia sua celeberrimus balsamus cephalicus, præparaturque eâ prorsus ratione, ut in omnibus bene constitutis pharmacopœis balsamus solet apoplecticus, virtutes verò cum priori habet correspondentes.

29. *Balsamus Apoplecticus specificus.*

Præstantissimus est etiam balsamus cephalicus calefaciens, penetrans, incidens, aperiens, discutiens, exsiccans & roborans, principaliter verò appropriatissima est medicina in hisce sequentibus affectibus, in vertigine sc. tenebricosa, tinnitu aurium, auditusque gravitate, apoplexia, epilepsia, memoria & ratione debilitatis, catalepsi, sopore, spasmo tam universali quam particulari, capitis tremore, aliisque nervorum affectibus: Itemque in lipothymia & syncope, uteri suffocatione aliisque affectibus, qui à frigidis humoribus, cerebri obstructione, flatibus, putridis ac fœtidis sursum elevatis vaporibus ortum duxêre. Prægnantes verò hujus usum fugiant.

30. *Balsamus Cordialis.*

Balsamus hic insigne est medicamentum cardiacum, utile præcipuè in lypothymia, syncope, cordis palpitatione, anxietatibus aliisque cordis à frigore tetris melancholicisque vaporibus vel putredine contagiove pestilentiali natis cruciatibus. Spiritus vitales roborat, cor exhilarat, grassantisque pestis tempore excellentissimus est, si naribus odorandus offeratur, eo præsertim tempore, si erassis tetrisve nebulis aër fætet, austrinaque prædominatur tempestas, vel visitanda impura sordidaque loca.

31. aB-

31. Balsamus Stomachalis.

Præstantissimus est contra nauseam, vomitum, inflationes, dolorem, aliaque stomachi vitia itemque punctorium latens sinistri dolorem tumefactumve lienem, quæ omnia ac singula, quia à frigidis phlegmatis humorum fuêre causata, ideoque partes affectas siccat, easdemque roborat, concoctionem ciborum promovet, occlusos flatus discutit, refrigeratam matricem ut & intestina calefacit, eademque confortat ac corroborat.

32. Balsamus Rhodinus Moschatus.

Rosarum ac moschi odore fragrantissimus hic balsamus egregiè omnes lætificat ac exuscitat sensus, putredini resistit, utilissimus iis, qui gaudent odoriferis, leviter enim illitus, totum conclave suâ fragrantiâ adimplet.

Usus.

Utendi horum balsamorum ratio in communi est duplex: Prima est externa, nares scilicet, tempora, pulsus & alia loca illis illinendo: Altera verò interna, quæ in subsequentibus tradetur.

℞. De horum balsamorum aliquo gr. j. plus minus pro qualitate balsamorum fortiori vel debiliori, hoc cum s. q. sacchari in formam pulveris contritum, exhibetur ægroto cum vino, cerevisia, brodio gallinæ vel alio simili ac conveniente liquore, eodem prorsus modo quo & aliis confortantibus utimur. Tandem deniq; hîc etiam notandum, quod si necessitas in iis affectibus, quorum sub enarratione qualitatum balsami antapoplectici specifici facta mentio, copiosam colli & capitis, itemque ab apoplexia membri alicujus facti paralytici requirat inunctionem, in hujusmodi casibus prædicti balsami axungiæ taxi vel vulpis sunt in formâ linimenti permiscendi. In magna enim si usurpati fuerint quantitate, fortiter nimis agerent. Hoc ipsum etiam de balsamo stomachico intellectum volumus, si quis pro inflatione ventriculi torminibus ventris vel inflatione lienis uti eo voluerit, simili enim modo cum additamento aliquo, unguento sc. pomato, axungia gallinæ vel alio appropriato vilioris pretii oleo est miscendus.

33. Trochisci sublinguales ambrati.

Hi cum ambra præparati trochisci iis potissimum conveniunt, qui fortè, matutino præcipuè tempore propter oris fœtorem hominum consortium fugiunt: unicus enim horum trochiscorum, si in ore dissolvendus teneatur, gratissimum spirat, ipsum etiam cerebrum penetrantem illudque confortantem odorem. Maximè autem hi trochisci utiles iis, qui constitutionis sunt frigidioris, de quibus superius sub mixtura diambræ dictum fuit.

34. Trochisci de Xyloaloe compositi pro fumo.

Odoriferi hi colore nigri trochisci, licet pro fumo principaliter usurpentur, nihilominus tamen, quia amicabili acidiusculo dulcedine quâdam permixto odore interiora penetrant, cor etiam ac cerebrū spiri-

ſpiritusque vitales & animales mirè roborant, confortantibus etiam annumerantur. Maxime itaque utiles ſunt pro fumigandis conclavibus, veſtibus capitisque tegumentis.

Vſus.

His trochiſcis ſi quis uti voluerit, non ſubitò eosdem carbonibus exponat, ſed batillo excalefacto unum vel plures ſenſim effumandos, ut nigra ac ſicca non omnimodè exuſta materia remaneat, ſuperimponat: vel cum aqua roſarum aut flor. arantiorum thuribulo immiſſi, lentiſſimoque ignis calore cum aquæ evaporatione fragrantiſſimum ſimul ſpirabunt odorem. Pro corroboratione verò cerebri & exſiccandis catarrhis prior modus prævalet.

35. *Mixtura Dyſenterica.*

Hæc in forma electuarii facta humida mixtura appropriatiſſima in dyſenteria eſt mixtura, alvum enim ſiſtit, excoriataque inteſtina curat, majorisque eſt efficaciæ quàm ullum aliud huic morbo reſiſtens remedium.

Doſis.

Exhibetur à ℈j. ad ʒj.

Vſus.

In principio hujus morbi, viribus adhuc ægrotorum ſatis validis, neceſſe eſt, ut corpus vel potiuncula aliqua lenitiva de Rhabarbaro ſc. (ut docebitur in appendice hujus libri) ab acri has excoriationes & dyſentericum fluxum cauſante materia per alvum liberetur. Vel, ſi maximam humorum noxiorum copiam in ventriculo latitare certis ſignis exploraverimus, eadem per vomitum, oxyſaccharo ſ. vomitivo vel ſale vitrioli ejicienda, in quorum adminiſtratione ſuperius traditæ regulæ optimè erunt obſervandæ, quibus præmiſſis, ægroto de hac mixtura in brodio aliquo analeptico vel alio appropriato liquore q.ſ. diſſolutum ſemel vel bis de die bibendum offeratur, continuandusque ejus, quamdiu fuerit neceſſarius, uſus. Si verò per diuturnum fluxum ægroti fuerint proſtratæ nimium vires, purgatio eſt intermittenda, & à mixtura initium faciendum. Inſuper etiam notandum, hanc mixturam maximè eſſe utilem, ſi infra ſcriptus clyſter conſolidans ſimul applicetur.

36. *Crocus chalybis rubificatus.*

Subtiliſſimus ex chalybe arte chymica præparatus eſt pulvis, qui ab omnibus expertiſſimis Chymicis ac Medicis pro ſingulariter ſpecifico contra dyſenteriam ac alios ſanguinis fluxus celebratur.

Doſis.

Datur ab viij. x. & xv. gr. habita tamen ratione ægroti & morbi.

Vſus.

Datur cum rob cydoniorum, berberum, ribium vel ſambucino, vel in defectu horum alio conveniente vehiculo. Deglutiri etiam poteſt conſervæ roſarum rubrarum permixtus, omnive tempore ejus uſus eſt commodus, hac tamen obſervata conditione ac lege, ut ſemper, ſi fieri poteſt, materia peccans, (ut de ſuperiori mixtura etiam dictum fuit) prius exterminetur elimineturque.

MYROTHECII

Sectio VIII.

De Alexipharmacis.

1. *Alexiterium Regium.*

HOc in forma electuarii approbatissimum alexiterium illis præsertim præservationis E. utile, qui toxica timent, curationis vero, qui jam dudum eadem hausere vel inscienter diglutivere.

Dosis.

Communissima hujus alexiterii dosis est ʒß. ℈ij. vel etiam ʒj, aut plus pro diversitate ægroti, virium, imminentis periculi & violentiæ toxici.

Usus.

Præservativi loco offertur in forma boli sacharo cando involutum, vel in forma potiunculæ in vino dissolutum, idque omni Lunæ quadra jejuno stomacho, usumque hujus sequatur exercitium. Ad haustum verò venenum exturbandum, antequã per ventriculum ad extima corporis ejusdem malignitas serpat, convenienti vomitorio aliquid hujus antidoti permiscendum. Si verò assumptum venenum in ventre inferiore ac intestinis hæreat, applicandus est aliquis clyster in quo parum hujus antidoti fuerit dilutum, quo applicito, pro delendis perfectè veneni viribus, subitò hoc medicamentum in appropriatis vehiculis, habita tamen veneni manifestarum, quibus agit, qualitatum ratione, offerendum. Quod si verò epotum ante aliquot horas toxicum vires suos malignos per universum corpus exeruisset variaque symptomata excitasset, ex tempore ad hoc alexiterium securissimum tanquam asylum, fugiendum, quod tantum juvabit, quantum alius quisvis pulvis viperinus vel quævis alia antidotus valebit.

2. *Aqua vitæ Theriacalis.*

Singulare hæc aqua vitæ est alexicacum, iis præsertim, qui temperamenti ac constitutionis corporis sunt frigidæ & humidę tam præservationis, quàm curationis E. contra inhaustum venenum vel grassantem pestem maxime utile. Quoniam ea ipsa aqua vitæ theriacalis ventriculum calefacit & flatus ex humoribus frigidis causatos discutit, ideoque usus ejusdem in torminibus & doloribus infimi ventris exinde progenitis est commodissimus.

Dosis.

Robustioribus plerumque datur cochleare unum vel etiam plura.

Usus.

Vel bibitur per se sola sine aliquo vehiculo, vel aliquo syrupo appropriato temperata, aut necessitatis tempore vino diluta assumitur.

3. *Oleum Theriacale.*

Theriacale hoc prasino tinctum colore oleum singulares contra varia venena habet usus, eosque tam internos, quàm externos. Propterea propter calefaciẽdi, resolvendi, exsiccandi, attenuandi ac roborandi qualitates, quibus præter virtutem

alexi-

alexiteriam prǫditum eſt, ſimul etiam conducit cephalææ, mentis hebetudini, ſurditati, epilepſiæ, membrorum tremori, ſpaſmo, flatibus, cruditatibus & ventriculi imbecillitati, paſſioni colicę, torminibus ventris, matricis doloribus ejusdemque ſuffocationi aliisque corporis humani à phlegmate ac ventoſa materia exortis morbis: Tumores inſuper omnes frigidos attenuat, diſſolvitque contuſa, item contrita ac contorta membra accomodato ſatis tempore uſurpatum, curat. Maximactiam efficacia frigus ac rigorem febrilem in quartana paroxyſmi prodromos diſcutit ac abſumit Egregia denique pro exterminandis puerorum aliorumque medicamenta interna faſtidientium vermibus.

Doſis & Vſus.

Exhibetur internè contra venenum vino generoſo, hydromeliti vel brodio carnium calido, aut cereviſiæ, vel ſi corrodens ſit venenum oleo amygdalorum dulcium, vel calefacto lacte permixtum à ℈ j. ad ʒj. uſque pro diverſitate ſubjecti, reiteraturque duabus vel tribus pro neceſſitatis exigentia & veneni ſufficienter facta expulſione, vicibus. Quod ſi verò per externum hujus olei uſum toxicatum quempiam curare quiſpiam voluerit, perungenda hoc ipſo ſunt ægroti tempora, narium pinnæ, pulſus, cordis regio, os ſtomachi ſive fovea illa ubi cernitur cartilago xiphoides, lumbi, præcipuè verò vertebræ dorſi, à cervice ad os uſque ſacrum, repetendaque hæc inunctio prima hora bis aut ter, deinde remittitur paululum ad quintam vel ſextam uſque vicem, quoad ſcilicet cauſata à veneno ſymptomata omnimode remiſerint, ægrotusque in priſtinum ſanitatis ſtatum reſtitutus fuerit. Hac jam recenſita ratione ac utendi modo maxime etiam eſt conveniens externè inunctum tempore peſtis, ubi ſe maxima adeſt putredo humidaque dominatur intemperies. Contra febris quartanæ rigorem vertebræ dorſi ſolùm hoc oleo illinendæ, idque dimidiâ ante paroxyſmum horâ, factave illitione ægrotus optimè contegendus, hæcque illitio bis vel ter, non niſi de quarto in quartum die repeti poteſt. Hoc enim remedio multoties acerrimus cum frigore rigor non ſolùm fuit enervatus, verum etiam ipſa febris expulſa ac exterminata.

In vermibus eliminandis unica per diem cartilaginis naſi, oris ſtomachi & circa umbilicum facta de mane inunctio ſufficit, repetique toties poteſt, quoad præfixum nobis ſcopum obtinuerimus. In aliis præmemoratis affectibus loca affecta ſemel vel bis de die ad meliorationem uſque hoc oleo illinienda. Singulariter verò hîc notandum contra ſurditatem tinnitumq; aurium ex prædictis progenita cauſis absque omni periculo duas tresvé hujus olei guttulas in aures immitti poſſe. Tandem in acerbiſſimis colicis aliisque corporis ac matricis doloribus uſus hujus olei externus non ſufficit, ſed clyſter ex appropriato concinnatus decocto convenientibusque præparatus oleis, additis hujus olei ij. iij. vel iiij. drachmis, maximo futurus emolumento eſt applicandus.

Subticere denique hîc nullo modo poſſum, hoc oleum unguentis ac emplaſtris mercurialibus permixtum in cura morbi Gallici pro movendo ſudore ac provocanda ſalivatione excellentiſſimum eſſe. In præmemoratis morbis utiliſſimum eſt

 in for-

in forma emplastri usurpatum, cujus consistentiam cera commodissimè subministrabit.

4. *Mixura contra Vermes.*

Hæc mixtura appropriata contra omnis generis vermes, in corpore humano est medicina.

Dosis & Usus.

Datur in convenientibus dissoluta vehiculis pueris à gr. viij. xij. & pro diversitate ætatis ℈ j. Viris verò & mulieribus plerumque ʒ j. usus que ejusdem pro necessitatis exigentia multoties repeti potest.

5. *Balsamus pestilentialis.*

Balsami hujus croceo colore pulcherrimè splendescentis ac consistentia balsamo vitæ non dissimilis præcipuæ virtutes sunt, putredini & omni veneno indiscriminatim, præcipuè autem astrali ac infectioni pestilentiali, ubi homo ab hac ipsa fuerit inquinatus, specificum tanquam alexiterium pestilentiale potentissimè resistere, malignitatemque expellere, modus verò utendi hic subsequitur.

Usus.

Æger in loco calido optimè contectus assumat balsami hujus dosin absente febre cum vino generoso, præsente verò eadem cum aceto sacharo dulcorato, qua assumpta sudorem quietus expectet, cui, si sequatur, omni studio, ne tamen vires collabantur, insistendum, finito verò & deterso probè sudore, indusium cum mundo ac segmentis vel baccis juniperi optimè perfumigato permutandum, ac pro recollectione virium brodium aliquod analepticum cum vino vel liquore alio cardiaco alteratum, offerendum, ad revocandos, etiam ac refocillandos spiritus vitales tam inter sudandum, ubi præsertim ægrotus animo incipiat deficere, quam ad finem eodem perducto, salutaris est cum aceto sambucino, rosaceo vel florum tunicæ aut alio fœti satis vini aceto vel simili corroborativa aquæ stillatitia aut balsamo facta narium irroratio. Quibus omnibus ritè administratis, si ex certis signis liquet: malignitatem pestis esse à natura victrice devictam, nihil aliud ante recuperatam perfectè sanitatem est tentandum, quam vires convenientibus corroborantibus vel aliis specificis reficiendæ. Quando verò apparuerit contrarium post sudorem evenisse, malignitas scilicet maximè infensa cordi nondum fuerit debellata, reiteranda subitò hujus balsami dosis, procedendumque ut supra, quæ in summo periculo, constantibus etiam adhuc ægroti viribus tertia vice repetenda. Observandus interim probè sudor, an largus sit vel minus, nec si fortè copiosius debito fluat, vires omnimodè exhauriantur. Obtento verò & sic etiam divina assistente gratia, scopo, procedendum eâ, quâ dictum superius via.

Sciendum præterea, quod si ægrotus proprio naturæ vitio (cujus rei plurima exempla reperiuntur) ad sudorem nullo modo sit proclivis, vel ob internas causas balsamus noster per sudorem vires suas exerere nequeat, multis tegumentis ægro-

ægrotum sollicitandum non esse, sed alios ex hoc ipso fructus expectandos: Potest enim evenire, ut vomitum excitet vel alvum moveat, aut urinam pellat, per insensibilem item transpirationem operetur, vel ut vulnerarium aliquod pestilentiale peccantem materiam per destinata emunctoria è centro ad circumferentiam eliminet, hacque ratione nihilominus prædictam malignitatem tanto cum commodo ac alibi, ubi sudorem movet, aggrediatur, præfixoque scopo omni modo excellentissimè satisfaciat.

Non solùm autem (quod probè notandum) balsami hujus ad pestem usus conveniens est internus, verum etiam externus: si enim ejusdem ℥j. misceatur cum ol. nuc. mosch. express. ℥ ß. additoque aceti fortissimi cochleari dimidio in formam unguenti redigatur, hocque cartilago nasi, tempora, cordis & ventriculi regio illinantur, tantarum profecto est virium, ut aliud quodvis in peste externè conveniens medicamentum, cujus rei quotidiana experientia infallibilis testis est. Hoc itaque modo in omnibus aliis affectibus ac symptomatibus malignis uti eo fruique licet.

Dosis.

Dantur in junioribus ac naturâ debilibus guttæ iv. vj. vel x. in robustioribus xv. & xx. pro necessitatis disparitate.

Cautio.

Circa usum hujus medicamenti sequentia singulariter sunt notanda.

Primum, si ægrotus sive pestilentia infectus febre laboret extremè acuta, sanguis vehementissimè ebulliat, extrema adsint cum perpetuis insomniis, inquietudine ac siti deliria maxima etiam caliditas ac siccitas per universum corpus appareat, ex tempore eidem venam esse secandam, dein convenientibus Julapiis ac potionibus, quæ sine caliditate putredini ac malignitati resistant, calorem p. n. esse alterandū, cui scopo non inconveniens est dosis mixturæ diapenthes vel aliqua emulsio refrigerans in qua parum laudani fuit dissolutum, interim vero ab hujus balsami usu cessandum: vel si necessitas aliquod sudoriferum necessario requirat, in ejus locum commodè diaphoreticum pretiosum substitui commodè potest.

Similiter etiam, si fortè infectus intolerabili non ab ebullitione sanguinis, sed flava bile & crassorum humorum putredine circa præcordia progenito calore febrili, quod in plurimis peste inquinatis videre sæpiusculè licet, miserrimè excrucietur, is pro evacuandis hujusmodi impuritatibus oxysaccharo vel vomitorio benedicto primum & principaliter ante omnia est tentandus, dehinc alterantibus muniendus, &, si tunc hujus balsami usus fuerit visus necessarius, maximo cum emolumento tutò hoc ipso uti licet.

Præterea, ubi natura per aliquot nunc dies à morbo defatigata, penitus ferme videatur jam devicta ac prostrata balsami usus internè intermittendus, hujusve loco reficientibus ac confortantibus, quantum possibile, ægroto succurrendum: Infantibus etiam ac prægnantibus minimè tuta hic balsamus est medicina.

Tandem denique si ad ignobiliora corporis loca natura bubones protrudat pestilentiales, chirurgica in hisce requiritur curatio.

MYROTHECII

SECTIO IX.

De

Externis ac chirurgicalibus medicaminibus.

1. *Aqua Arthritica.*

PEllucidi, fragrantissimi, penetrativi, balsamici & spirituosi hujus liquoris præcipuus usus est in artubus sive membris externis ex catarrho frigido vel dolentibus vel stupore affectis: Valet is idem etiam contra chiragram, gonagram, ischiaticam, podagram ex prædicta causa exortis. Si enim bis vel ter pro necessitatis exigentia locus affectus pluma aliqua vel spongiola hoc ipso liquore imbuta tangatur sive madefiat, ipsam cutem subito penetrat, calefacit ac concoquit peccantem materiam, eandemque exterminare annititur, doloremque sopit. Simili etiam ratione usurpatum contusis externis corporis partibus subvenit, resistendo scilicet in principio grumescenti sanguini vel si grumosus fuerit factus, eundem dissolvendo, læsumque membrum roborando & in pristinum Statum ut redeat, coadjuvando. Tandem præstantissimum est medicamen contra gangrænam ac externorum membrorum sphacelum, si enim E. G. quæ ℥ß. cum mellis depurati ℥iv. & tot Spiritus Vitrioli in vase vitreato absque igne fuerit commixtum: hac vero mixtura filamentis inebriatis emortua caro applicitis tamen circumcirca defensivis, contegatur, carnem emortuam à sana ac vivida separat, neve latius malum serpat, summopere præcavet, fundamentumque felicis curationis post se relinquit. Hoc vero omne intellectum volumus de hujusmodi mortificatione ac gangræna, quæ nondum ad ossa usq; penetravit nervisq; sensum ademit, vel calorem naturalem in affecta parte extinxit, in contrario enim casu nulla spes amplius in medicamentis est reliqua, sed membrum, ferro rescindendum.

De modo hunc liquorem conservandi scito, quia nimis est subtilis, ideoque in loco frigido optime operculo munitum ne evanescat, quod in calido facile contingere potest, ad usum esse asservandum.

2. *Aqua Odontalgica.*

Hæc peculiaris est aqua pro mundificandis & dealbandis dentibus, absumenda gingivarum putredine, flaccidis dentibus confirmandis ac roborandis, relaxatis gingivis exsiccandis astringendisque.

Usus.

Modus utendi alius nullus est, quam ut omni mane jejuno stomacho linteolis in hac aqua madefactis dentes tangantur, deinde salviæ, rosæ sylvestris vel fontana abluantur.

3. *Em-*

3. *Emplastrum Martiale.*

Hoc emplastrum spadiceum in omnibus contusionibus, dislocationibusque membrorum est præstantissimum, singulare item in maximis ossium fracturis, enterocæle, pneumatocele aliisque affectibus, qui astringens, corroborans ut & perfectè consolidans, requirunt mediocris temperaturæ emplastrum.

4. *Emplastrum Saturninum.*

Excellentissimi hujus emplastri laudatissimæ virtutes hæ sunt. Recentia primum vulnera virtute sua balsamica sanat, conclusiones carnis ac collisiones unde sanguis grumosus, dissolvit, affluentemque ad affectam partem humorem, inhibet. In curando herpete serpiginoso ac exedente non invenitur ei par medicamen: præmissis namque, ut decet, universalibus, idonea scilicet purgatione ac sudore, observataque convenienter diæta, hoc emplastrum tunc demum superimpositum admirandos edit effectus, quos diversi Medici, quibus ejusdem descriptionem amicè communicavi, experientia teste summè extulerunt. Pro curandis præterea ulceribus manantibus ac cancrosis doloribusque exinde progenitis singulare est. Ad ambusta reliqua omnia emplastra longè antecellit, scirrhososque cum intemperie præcipuè calida, hepatis ac lienis conjunctos tumores potentissimè dissolvit, discutit ac absumit.

5. *Mixtura vulneraria.*

Hoc in forma subtilis alicujus electuarii præparata mixtura apprimè iis est utilis, qui à casu vel aliunde etiam aliquam internarum partium læsionem senserint, non minus etiam in variis altè ac profundè penetrantibus vulnerbus sive recentia ea sint, sive secus. Omnes siquidem tumores hæc mixtura discutit, dolores sedat, grumos sanguinis dissolvit, putredinem inhibet, affectum locum mundificat & loca confracta vel concisa ad sanationem promovet.

Dosis & Usus.

Exhibetur hujus mixturæ pro diversitate subjecti ac vulneris ℈j. dissolvitur vero in brodio carnium calido, vino, vel alio conveniente ac appropriato liquore, usúsque ejusdem bis de die ad perfectam usque sanationem, ut aliis etiam potionibus vulnerariis uti solemus, repetitur.

6. *Oleum Anodynum.*

Hujus odoriferi ac temperatissimi olei anodyni utilitates sunt sequẽtes. Prꝯstantissimum est contra erysipelas, incendium hepatis ac renum nimium, à sanguine vel flava bile progenitam pleuritidem, omnes inflammationes quos mire demulcet, omnesque exinde vel aliunde à salsis acribusque catarrhis oriundos dolores mitigat, lenit ac sedat, cunctos etiam tumores calidos, præsertim vero bubones tam in viris quam fœminis, si sint resolubiles, emollit ac resolvit, qui vero resolvi nequeunt, sunt autem suppurationi proximi, hoc ipsos maturat. Clysteribus additum

ditum exortos à materia calida ac acri ventris dolores mirè placat, acerbos etiam capitis dolores in febribus acutis impedit, somnumque maximè necessarium conciliat. Tandem denique utile etiam est ad omnis generis ambusta, præcipuè verò à pulvere pyrio facta, si modo non sint denudata ossa , quæ olea vel quasvis alias pinguedines non patiuntur.

Usus.

Ad inunctiones utimur eo vel solo vel commixto cum mucilagine radicis althææ cum aqua rosarum vel florum sambuci extracta, in formam linimenti redacto, præsertim verò singulare est in affectibus pectoris ac notharum costarum aliorumque locorum , & emollienda ac relaxanda est cutis, materiave digerenda vel ad maturationem ac exonerationem promovenda.

Si eodem , ut non solum qualitatibus suis profundius penetret, verum etiam simul corroboret & defensivi loco humorum affluxum impediat, uti nobis placet, addendum semper est acetum. In maximis cancri exulcerati aliorumque malignorum ulcerum doloribus, extrahatur mucilago è seminibus cydoniorum cum decocto spongiolarum sambuci sive auriculæ Judæ in aqua plantaginis facto , quæ cum hoc oleo in formam linimenti misceatur , quod singularis esse efficaciæ in hisce affectibus cunctisque ambustionibus semper fuit repertum. Aliam assumere potest , pro necessitatis ac affectus indigentia.

7. *Oleum aureum.*

Pulcherrimum hoc è vitellis ovorum adjunctis aliis ingredientibus præparatum oleum aureum efficacissime abstergit, mundificat, emollit ac potentissime sanat. Inprimis autem utilissimum est pro leviganda cutis asperitate, itemque manuum, labrorum oris ac faciei à frigore productis fissuris consolidandis , hujusce etiam salsuginosis pustulis extirpandis. Singulariter autem prodesse scissuris papillarum in mammis consolidandis, experientia docuit. Vulnera etiam recentia ut alius balsamus vulnerarius sanat , in puncturis verò nervorum melius hoc ipso nullum fermè habetur : Tumores artuum flatulentos discutit , tumorem condylomatum abigit, ac exinde excitatum dolorem mitigat, aliisque scopis chirurgicis esse utile potest pluribus, quos brevitatis studiosus, omnes ac singulos hic enarrare nimis judico futurum tædiosum.

Usus.

Tepide eo , ut aliis etiam oleis ac unguentis, locus affectus inungitur , atque toties , quoties necessitatis casus requisiverit.

8. *Oleum balsamicum.*

Oleum hoc balsamicum ac vulnerarium nullam habet acrimoniam aut excessive alterantem calorem , sed ratione suarum qualitatum ac operationum temperatissimum est ac maximè moderatum. Salutare ideoque in omnibus carnis vulneribus, sive punctim, sive cæsim factis, quæ balsamica sua virtute brevissimo temporis

poris spatio absque ulla suppuratione perfectissimè sanat. Horum etiam ac punctorum nervorum periculosos dolores dum egregiè sedat, gravissimis exinde, quæ causari possent, symptomatibus resistit.

Usus.

Infunditur vulneribus calidiusculum, ipsumque vulnus eo ipso circumcirca inungitur, si vero vulnera sint lata ac profunda, tunc emplastro nigro necessario, contegenda vulnerum labra dehiscentia arte chirurgica consulenda, quorum in medio servandum aliquod foraminulum pro infusione olei ad perfectam usque sanationem.

9. Pulvis ophthalmicus.

Expertissimus hic pulvis ophthalmicus refrigerat, siccat, moderatissime detergit ac mundificat ac mediocriter præterea astringendo roborat, utilis præcipue calidis oculorum affectibus, si exinde vel lachrymas fundant vel sanguinei appareant, lentum item illum album crassumq; nonnunquam tunicæ corneæ adhærentem, pupillam contegentem visumque obscurantem humorem efficacissime removet. Hoc enim unico ac solo vili licet ac exiguo medicamine plurimi hominum ab hoc & similibus vitiis redditi sunt liberi ac immunes, pristinus visus illis restitutus.

Usus.

Inditur parum hujus pulveris vel solum in oculos affectos manè & vesperi, vel fit ex eo & aqua rosarum, album collyrium, usurpaturque ut alia etiam medicamenta ophthalmica, quoties necessitas ejusdem usum exegerit. Sciendum autem, quod si patiens fuerit plethoricus, in principio morbi ei venam esse secandam, copiosissimeque sanguinem emittendum, fugienda omnia calida & acria, vinum præcipue ut & aromata: è contra verò iis qui pterygio, cujus supra mentio, laborant, vel qui acerbissimis excruciantur à salso phlegmate pronatis doloribus, convenientibus purgantibus materia peccans educenda.

10. Sapo medicamentosus.

Sapo hic fragrantissimus omnibus in affectibus artuum celebratur, in quibus præmemorata aqua celebratur balsamica, utendi autem modus est sequens.

Usus.

Rec. E. G. Hujus saponis in subtilissimas partes concisi ℥ß. liquefiat lento ignis calore in aquæ lavendulæ ℥ij. semotis ab igne & refrigeratis additur ac commiscetur ℥j. spir. Vitrioli, quibus omnibus in formam linimenti redactis loca affecta inunguntur. Quoniam etiam humiditates cerebri superfluas eximiè exsiccat, caput etiam & nervosum genus mire confortat, ideoque summe etiam utilis in frigida nimium ac humida cerebri constitutione, catarrhorum haud sterili matre.

APPENDIX MYROTHECII,

IN QUA UTILES

VARIORUM MEDICAMENTORUM,

utpote

STRUPORUM, MELLUM, POTIONUM, JULApiorum, Emulsionum amygdalorum dulcium, seminum item frigidorum, ut & perlarum, brodiorum, analepticorum, enematum, oris collutionum ac gargarismorum, potionum catarticarum, epithematum, cataplasmatum, fomentationum, sacculorum medicinalibus herbis repletorum, oleorum, unguentorum aliorumq; euporistorum procurandis variis morbis, præter illa, quæ in Myrothecio fuêre recensita medicamenta, medicaminum in usum necessario vocandorum præparandi ac utendi modi sive rationes virtutesq; ac qualitates eorundem, clarissime edocentur, & demonstrantur,

Et ita quidem,

UT QUILIBET PATER-AC MATER-FAMILIAS AD privatum usum præparare eadem non solum facilimo negotio possint, verum etiam in absentia Medici cuilibet morbo in necessitatis casu convenientia applicare medicamenta exquisitè sciant.

DE

DE

SYRUPIS AC MELLIBUS,

1. Syrupus de succo berberum, itemque syrupus ribium.

E Berberibus optimè maturis ac mundificatis expressus succus per quatriduum in vitro donec deposuerit fæces clarusque evaserit, relinquitur. Hujus expressi ac optimè depurati succi sumuntur lib. iiij. induntur cum sacchari finissimi lib. i ſ. in catinum figulinum optimè vitreatum, vel stanneum, aut quod longè melius, in vitream vel porcellanam Indorum patinam, hæc patina superimposita ollæ ad dimidium aqua repletæ vices operculi obeat, quâ coopertâ, levissimo carbonum igne calefieri aqua absque tamen ebullitione ita debet, usque dum calore aquæ succi humiditate sensim ac sensim absumpta, syrupus crassior factus, frigorique in cochleari expositus, lentus satis apparens, consistentiam mellis clarificati acquisiverit, qui in vitro optimè munito in loco frigido, ut alii omnes etiam syrupi ad usum asservandus.

Hic autem probe observandum durante evaporatione interdum succum lignea spatula, quò facilius illius humiditas exhalare possit, justamq; acquirat consistentiã, lignea spatula sæpiusculè esse circumagitandum ac à lateribus patinæ separandum: Præterea, si forte aqua in olla evaporatione evanuerit, patina elevata aliam in sufficiente quantitate esse affundendam.

Hic syrupus refrigerat, attenuat & peculiari præditus est facultate astringente: bilis æstum ac ebullitionem delet, febribus item variis, affectibusque aliis ex bilis putredine fermentatione acribusve calidis vaporibus exortis singulare est remedium, ægrotorum sitim potentissime compescit, ventriculi etiam nauseam aufert eundemque confortat, salutaris præcipuè biliosis ventris vel aliunde ab æstuantibus humoribus progenitis profluviis.

Syrupi ribium præparatio cum modo recensita in omnibus primariisque virtutibus cum eodem ipso convenit.

2. Syrupus acetositatis Citri.

Rec. Malorum citri q. s. exemptâ palpâ à cortice exteriore, amoveatur illa tunica alba eandem succingens spatulâ vel ligneâ, vel aliquo cultello, deinde etiam semina eorundem ad remanentiam solius pulpæ eximantur, quæ ad sufficientem indigentiam in vitrea patella colligatur. Dehinc manibus mundatis prædictæ pulpæ conquassatæ ac compressæ labris duabus superfundatur ℔ ß. aquæ puræ fontanæ (quæ aquæ superfusio ad remotionem acidæ substantiæ egregiè prodest, viscositatem pulpæ attenuat, succoque claritatem conciliat) quæ insimul mixta per laneum pannum nullo tetro odore inquinatum in vitrum sensim succus exprimatur, ibidemque tam diu quoad fæces resederint, relinquatur, segregatisque ita fæcibus, per subtile linteum percoletur, librisque quinque expressi ac percolati succi adduntur libræ duæ optimi sacchari, & fiat prædicto modo exinde syrupus, candidus satis, clarus & acidiusculus. In defectu verò legitimorum malorum citriorum substitui possunt limonia. Syrupus hic refrigerat, incidit, attenuat, aperit, mundificat, urinamque pellit, sitim sedat, febriumque æstum compescit ac contemperat, cor cæteras in temperie calida debilitatas partes roborat ac ut alia omnia solent acida, putredini potentissimè resistit ac repugnat, singulari sua proprietate veneno adversatur, pestilentialibus item febribus ac contagioso aëri, ac denique nephriticis utilissima est medicina.

3. Syrupus acetosus.

Rec. sacchari finissimi pulverisati lib. j. dissolvatur in ℔ ß. aq. ros. fragrantissimæ, coquatur in lebete ad consistentiam crassioris syrupi, ut spatula elevatus, tenacissimè adhæreat, nec facilè decidat, cui ab igne remoto ac in patellam vitream effuso, superfundantur aceti vini optime clari ℥xij. ligneo cochleari optime donec refrixerint, misceantur. Hoc modo præparatus ulteriori coctione ac evaporatione non indiget, nec situm contrahit, sed sapore est gratissimus.

Hic syrupus humorum crassitiem incidit ac attenuat, membrorum principalium internorum obstructiones aperit, viasque mundificat, qualitatum verò suarum ratione valde ut acetum, penetrat, quod subtili sua ac penetrativa substantia omnes alios acidos vegetabilium syrupos vincit. Ad aphthas etiam ac repleto à tenaci phlegmate pectori vel infarctæ eodem asperæ arteriæ singulariter est utilis, hoc namque incidit, tenuat, abstergit & ad expectorationem promovet, effervescentiæ insuper bilis flavæ resistit, sitim restinguit, urinam ciet & interdum sudorem promovet, malignitatemque malignarum febrium ac pestilentis contagii frangit.

4. Syrupus de Ruboidæo.

Rec. Succi baccarum rubi idæi quantum placet, calefiat ac ad ebullitionem fermè ebulliat, & per unum aut alterum diém in vitro purissimo, quo ad mucilaginosam suam substantiam deposuerit, asservetur, dehinc

dehinc percolati lib. iij. adde sacchari optimi lib. j. procedaturque ulterius, ut supra de berberorum syrupo dictum fuit.

Refrigerat & humectat, sitim restinguit, maximeque auxiliatur febribus acutis ac malignis laborantes, vires enim paroxysmi infringit, corroborat & à syncope ac lipothymia præservat, opitulatur etiam dysenteriæ aliisque alvi calidis acribusque profluviis, imbecillitati etiam prægnantium illarumque terrori insigniter est utilis ac proficuus.

5. Syrupus de baccis Sambuci.

Ex expresso baccarum sambuci succo simili labore, ut præcedentes, hic syrupus præparatur.

Usus hujus singularis est ad aphthas, relaxationem ac casum uvulæ à calidis catarrhis exorta vitia, calido item hepatis aliorumque viscerum tumori est proficuus, comprobatissimus insuper repertus est in diarrhœa, dysenteria aliisque alvi fluxibus, tandemque denique aquæ fl. sambuci permixtus egregiè sudorem movendo erysipelati prodest.

6. Syrupus de Papavere albo excellentissimus Diacodii violati nomine à me insignitus.

Rec. Capitum papav. alb. recto ac convenienteColl ectorum tempore, nec nimis humidorum nec nimis acidorum, sed viribus adhuc integrorum & à caule exemptis seminibus separatorum minutissimeque concisorum ℥iij. rad. liquiritiæ à cortice prius exteriori liberatæ ac in minutissimas talleolas dissectæ ℥iij. Hæc duo macerentur per noctem in aquæ fontanæ lib. iiij. sive mensura j. deinde coquantur ad consumptionem sive evaporationem dimidiæ partis, reliqua verò pars sive remanentia fortissimè facta expressione per pannum trajecta cum lib. j. violarum purpurearum à stipitibus liberatarum mittatur in cantharo stanneo sigillo hermetico optimè, ne quid exhalet, obserato in ahenum: coquantur dein insimul per integram horam, ac ab igne remota ubi refrixerint, expresso violarum succo addantur quinque quadræ sacchari finissimi, fiat lentissimo igne coctio ad consistentiam mellis, hac ita peracta, ut decet, coctione fiat l. a. cum aquæ rosarum fragrantissimæ lib. j. medica ex sem. papaveris albi emulsio, quæ cum modo dicta in consistentiam mellis percocta substantia permixta lentissimo carbonum igni, cavendo tamen ne ebulliat, exponatur, & cochleari ligneo, quoad syrupi acquisiverit consistentiam optime circumagitetur, quem deinde syrupum in vitro optime obturato ad usum reserva.

Syrupus hic peregregius est in absumendis calidis, tenuibus ac acribus à capite ad pectus deciduis, gutturis asperitatem, vocis raucedinem, tussim, inquietudinesque nocturnas causantibus defluxionibus: non verò solum in affectibus thoracis, sed etiam pro mitigandis ac leniendis ab acri ac calida materia intestinorum, colli, vesicæ, aliarumque corporis par-

partium dependentibus læsionibus ac excoriationibus, exindeque progenitis doloribus, æstu ac siti liniendis, inexhaustæ est bonitatis nostrum hoc Diacôdiôn violatum, quod multijugorum medicamentorum huic scopo convenientium locum supplere maximo cum successu potest.

7. Syrupus Cydoniorum.

Rec. Succi cydoniorum optimè depurati ac ut supra de succo citri dictum clarificati ℔ iv. sacchari optimi ℔ ij. coque in syrupum per vaporem balnei, ut de syrupo de berberibus diximus.

Calidum ventriculum ut & hepar aliasque nutritioni dicatas partes refrigerat corroboratque, à bile vel alia quavis calida materia exortam nauseam stomachive fastidium tollit, appetitum excitat, ciborumque concoctionem adjuvat, salutaris item in lienteria, diarrhœa, dysenteria, fluxu hepatico calidis etiam acribus ac biliosis: item in aliis etiam corporis ægritudinibus syrupus hic maximoperè celebratur.

8. Syrupus Rosarum laxativus.

Rec. Fol. ros. pallidar. recent. ℔ ij. in cantharo stanneo superfusis aq. ros. ℔ ij. aquæ calidissimæ immisso ac optimè cooperculato macerentur per horam integram, exemptus cantharus in aqua frigida refrigescat, expressus deinde levissimè succus cum rosarum recentium pondere, ut prius in cantharum immittatur, laborque ut supra ad novenam usque repetitur vicem. Tandem denique succo, hoc qui multum præponderabit aquam rosarum coloreque fulvò ac odore fragrantissimo phiala vitrea strictioris colli ad transversi digiti ab orificio crassitietenus repleatur superimmisso desuper ad eminentiam digiti modico olei amygd. d. vel olivarum, papyro cum tenuissimis foraminulis acu factis contecta calori solis aliquatenus tantùm exponatur, ibique donec succus, vel ut Medici dicunt, infusum clarefiat, relinquitur. Separato deinde bombace vel spongiola aliqua ab infusione oleo, clarum super pateram effundatur, singulisque succi libris dimidia sacchari addita, coquatur in syrupum.

Qualitates hujus syrupi sunt temperatæ, detergit, purificat omnesque calidas adustasque materias, præsertim verò serum citrinum ex ventriculo, hepatis cavitate, aliisque ventris inferioris locis leniter satis educit ac exterminat. Ideoque ab omnibus experientissimis Medicis non solum in acribus ardentibus malignisque pestilentialibus febribus, verum in aliis etiam calidis affectibus, principaliumque membrorum inflammationibus, ubi necessitatis casus lenientia, humectantia ac laxantia requirit, calidiora verò ac electivè purgantia sunt vitanda, maximoperè celebratur. Fragrantissimum etiam propter suum odorem singulari proprietate quasi cor roborat ac confortat, ususque ejus infantulis, prægnantibus ac delicatulis tutò satis concedi potest.

Infantulis datur ℨij. adultioribus verò ab ℥ß. ad ℥iij. usque.

9. Syrupus Acetosellæ.

Rec. Succi acetosellæ ℔ iv. addito albumine ovi in vase fictili vitreato ad separatio-

rationem spumæ coquantur, deinde per manicam Hippocratis, ut auri instar succus splendeat, trajicitur ac percoletur, qui in syrupi formam, ut superius dictum addita sacchari finissimi lib. j. coquatur.

Virtutes ac qualitates cum syrupi citriorum correspondent.

10. Syrupus violarum.

Rec. viol. purpur. lib. j. aq. puræ fontan. lib. ij. cantharo stanneo insimul indita aquæ ferventissimæ imponantur, succo expresso alia violarum recentium libra additur, tertioque hæc additio repetitur, denique, ubi in vase vitreato infusum hoc, absque tamen ebullitione fuerit calefactum, ab igne remotum refrigescat, per columve trajecto addantur sacchari optimi lib. iij. coquantur in syrupum. Hoc modo præparatus colore apparebit summè violaceo, per integrum annum durabili.

Hic syrupus refrigerat, humectat, oblinit ac modicè detergit. Appropriatissima est medicina in acribus salsis defluxionibus, thoracis ac aliarum partium affectibus, quibus utilis celebratur syrupus papaveris albi sive diacodium nostrum violatum, humoris melancholici fermentationi resistit, ac ad expulsionem commodiorem præparat, symptomata ab atris vaporibus dependentia mitigat, mirè insuper in omnibus febribus, præcipuè autem acutis ægrotos reficit, sitim extinguit, deperditum per nimium calidorum vaporum ascensum, somnum revocat, & gratissimo suo sapore corroborat ac reficit. Si infusiones reiterantur, non minorem habet in laxando ac expurgando energiam, quàm præmemoratus syrupus rosarum laxativus.

Quod verò hosce syrupos non per coctionem veterum pharmacopœorum more, sed per evaporationem præparandos esse censeam, factum id ideò, ne empyrevma redoleant, humectantem verò ac refrigerantem suam qualitatem, ut & succorum saporem firmius è contra retineant: Secundo, quod pro illorum præparatione vitrea vasa vel figulina vitreata, non vero cuprea usurpem, eo ipso tetrum vaporem ac nocivas qualitates, quos hujusmodi præcipuè verò acidiusculi syrupi ex talibus instrumentis contrahunt, evito. Ac licet hi syrupi absque coctione, facta sola evaporatione ad justam sint perducti consistentiam, æquè tamen sunt durabiles ac alii per coctionem præparati syrupi. Imò, si pharmacopola quispiam manus suas à laboribus non seduceret, sed aliquot fornacibus aut cum Balneo Mariæ vel balneo vaporoso arenæ suam officinam muniret, facilimo labore ac exiguis sumptibus, ratione scilicet ignis, in ea, qua indiget pro sua officina quantitate syrupos, hosce præparare posset.

11. Mel betæ.

Rec. Succi betæ albæ expressi lib. viij. mellis optimi lib. iij. coquantur ac clarificentur in consistentiam syrupi.

Maximum hoc mel in clysteribus detergentibus ac purgantibus, ut paulò post prolixius edocebimus, usum habet.

12. Mel

12. *Mel rosatum.*

Rec. Fol. rof. pallid. ℔ iij. mittantur in cantharum ſtanneum ſuperfuſis aquæ ferventiſſimæ tribus libris optimè cooperiatur, ſtent ita in maceratione, donec refrixerint, expreſſus deinde ſuccus cum mellis aqua fontana prius clarificati lib. iij. in formam ſyrupi, ut ſuperius edoctum, redigitur. Hoc mel roſarum abſtergit, purificat, & aliquo modo laxat, præcipuus autem ejus uſus eſt in gargariſmis, mundificandis ſordidis ulceribus, pro concinnandis ſuppoſitoriis & clyſteribus laxantibus.

13. *Mel de baccis Juniperi.*

Rec. Granorum ſive baccarum juniperi q.pl. contuſæ in aheno ſtanno artificioſiſſimè obducto cum aqua fontana puriſſima tam diu, quoad virtus earundem fuerit extracta, coquantur, ſuccus deinde expreſſus per aliquot dies, donec purum ab impuro fuerit ſeparatum, quietus aſſervetur, ſegregatum deinceps in prædicto aheno vel vaſe figulino vitreato leniſſimo igne ad conſiſtentiam mellis eidem etiam non multum ratione dulcedinis diſſimile, coquatur.

Mel hoc juniperinum calefacit, concoquit, abſtergit, diſcutit ſingularique contra venena qualitate pollet. Præcipue autem ſalutare eſt in aſthmate, tuſſi, orthopnœa ex phlegmate tenui cauſatis: hujusmodi enim materiam concoquit & ad expectorationem promovet, catarrhos exſiccat, caput confortat, vertigini reſiſtit, flatus diſcutit, à frigida tenacique mucilagine renibus ac veſicæ impacta liberat, ſtranguriæque medetur: tempore peſtis denique pauperibus æquè ac theriaca ſalutaris ejusdem celebratur uſus.

In prædictis pectoris vitiis aſſumitur quantitate cultri cuſpidis vel ſolum, vel melli clarificato aut ſaccharo in forma ſyrupi craſſiuſculi permixtum, cujus cochleare integrum pro una doſi ſufficit. Contra flatus ac ad abſtergendos renes cum vino exhibetur vel brodio carnium. Tempore verò peſtis horis matutinis præſervationis E. quantitas nucis avellanæ reſpondens ſufficit, infectus verò duplo vel triplo doſin pro movendo ſudore adaugeat, repetique hujus euporiſti uſus pro neceſſitatis exigentia pro lubitu poteſt.

14. *Mel paſſularum.*

Rec. Paſſularum corinthiacarum lib. iij. macerentur in aqua ferventiſſima ſuperfuſa per integram noctem, manè per ſetaceum, ut cuticula & arilli in eo relinquantur, trajiciantur, colatura in aquæ fontanæ quartariis tribus diſſolvitur, conquaſſato uno vel altero ovi albumine addito, donec in ſummitate ſpuma appareat, in aheno ſtanno obducto coquatur, deinde per cribrum è ſetis ſubtiliſſimè factum infuſum percoletur, cujus color auri inſtar ſplendebit, facta ita colatura ac pereributione infuſum in patera, ut ſupra de ſyrupis dictum: fac ad conſiſtentiam pulcherrimi mellis evaporet.

Egregium eſt in affectibus thoracis aſperitate ſcil. faucium raucedine & tuſſi à ſeroſis calidisque progenitis catarrhis, œſophagum humectat ac illinit, ſitimque reſtin-

restinguit. Tandem denique lenit, laxat & emollit ventrem, alvumque lubricam reddit.

Quod vero duas has substantias, quas alibi essentias voco, hoc in loco mellibus annumerem, hoc non facio solum propter earundem, quibus prædita sunt, melleam dulcedinem ac consistentiam, verum etiam propter ordinem horum medicaminum, cum & hæc ipsa à pluribus mella vocitentur. Alias in & per se ipsa, unum æquè ut alterum manet essentia sui principalis à quo fuit desumptum.

SECTIO II.

De potionibus corroborantibus, refrigerantibus, sitim extinguentibus, Iulapiis, brodiis analepticis, collutionibus item oris ac gargarismis.

IN omnibus ægritudinibus corporis humani, quæ calorem p. n. ac intolerabilem causare solent sitim, præter purgantia medicamenta materiam peccantem: unde tot symptomata, eliminantia, convenientes etiam potiunculæ, calorem hujusmodi ac æstum infringentes, sitim restinguentes, humidumque radicale ab exsiccatione, quantum possibile, præservantes, partesque principales ab ulteriore inflammatione munientes, necessario in usum ducendæ.

In febribus ardentissimis ac acutissimis, non tamen malignis, sed à bile flava exortis, omnium optime censetur refrigerare ac humectare aquæ purissimæ, dulcis frigidæ fontanæ potio, quæ à Medicis pro affectuum, corporis constitutionum, temporis anni aliarumque circumstantiarum diversitate bibenda permittitur. Ast cum ubique locorum talis aquarum electio non datur, nec omni tempore usus earundem sit commodus, verendi vero ex continua harum potatione ventris flatus, debilitatio ventriculi aliaque sint timenda mala, alia ideoque ingrediendum fuit via, taliaque medicamenta, quæ cruditatem aquarum ac nimiam earundem frigiditatem corrigere, sitimque extinguere possent, excogitanda fuêre ad invenienda.

1. *Aqua fontana cum spiritu Vitrioli.*

℞. Mensuram j. aquæ fontanæ purissimæ, adde spiritus vitrioli gutt. x. vel xx. &, ut spiritus optimè cum aqua permisceatur, sæpiuscule transvasentur, ubi vero non fuerit sufficienter facta acida, plus spiritus vitrioli addendum, similiterque ut suprà procedendum.

Hæc aqua dicto modo correcta utilis est in prædictis febribus, non tamen, ut aqua simplex, noxia ventriculo & hepati, spiritus enim vitrioli membra hæc corroborat ac confortat.

2. *Hydrorosatum.*

℞. Capitum rosarum exsiccatorum ac subtilissimè concisorum ℥ ij. coquantur in lib. j. aquæ fontanæ limpidæ, quæ si satis fuerit tincta ac in vitrum percolata,

 affun-

affundantur spiritus vitrioli gutt. xx. facta modicè circumagitatione, decoctum vel aqua hæc colore apparebit saturato rubescente, cui affundi possunt lib. iij. aquæ purissimæ & ad gratiam augeri spiritus vitrioli quantitas debet.

Hæc aqua colore simillima rosis pallidis, egregie sitim sedat, & ut superior, ventriculum ac hepar non facilè offendet.

3. Oxycratum.

In Italia aliisque regionibus calidis, vilioris conditionis homines, quibus spiritus vitrioli res est ignota ac incognita, aquæ fontanæ tantum permiscent aceti vini, quantum pro grata aciditate sufficit, qua potione non solum tempore æstivo, verum etiam in febribus acutis ac ardentibus pro restinguenda siti summo cum fructu utuntur, quod potionis genus in defectu aliarum aquarum non contemnendum est inventum. Quicunque verò prædictis fuerit munitus syrupis acidiusculis, ille iisdem loco aceti aquam pro lubitu corrigere ac alterare poterit, ratione enim sacchari qui syruporum compositionem ingreditur, nimiumque succorum acorem mitigat ac temperat, ægrotis hujusmodi potiunculæ plurimum, præ aliis, arrident.

4. Hydrosaccharum clarificatum.

Sacchari candi dissolvitur in aqua limpidissima fontana tantum, quantum pro grata dulcedine sufficit.

Hæc aqua non minus quam aliæ sitim sedat, acresque in corpore humano humores attemperat: acrimoniam enim eorundem mitigat, ac interdum eosdem per secessum exturbat, cujus rei plurima sunt obvia exempla. Item etiam vires ægrorum reficit, utilissimaque iis, qui constitutionis sunt melancholicæ, macilenti ac delicatuli.

Hic autem probè venit notandum, quod, ob prædicta incommoda, quæ ex usu aquæ fontanæ ita crudæ provenire solent, decoctum aliquod hordei vel panis subsequente modo præparatum, sit usurpandum, cui syrupi vel spiritus vitrioli, ut superius fuit dictum admisceri commodè possunt.

5. Decoctum panis.

℞. Panis triticei non recentis in minutissima frustula disfracti ℥j. coquatur lentissimo igne in vase fictili vitreato, cum tanta aquæ quantitate, ut post coctionem mensura una remaneat, coctioni verò tamdiu insistendum, quoad aqua appareat colore similis sero lactis, quam filtratam reserva ad usum optime refrigeratam ac clarificatam. Aqua hæc vel sola bibi potest, vel pro iis potiunculis, de quibus in præcedentibus dictum, usurpari.

6. Decoctum hordei simplex.

Decoctum hordei est multiplex, potissimum tamen vel simplex vel compositum.

tum. Facilimus verò præparandi modus est sequens.

Rec. Hordei recentissimè excorticati optime mundati, saporis dulciusculi, in exsiccatione non nimium calefacti ℥j. cum aquæ fontanæ mensura una semis in olla optime vitreata, ac omnis saporis ac odoris tetri experte coquatur lento carbonum igne absque fumo ad consumptionem dimidiæ mensuræ & crepaturam hordei, deinde remanentia subtilissimo colo trajiciatur & ad usum asservetur. In defectu convenientis ac accommodæ ollæ, in lebete stanno obducto coctio fiat. Quod si vero laboris quempiam non tæduerit, decoctum hoc in vitro præparari ita potest. Hordei excorticati ℥j. indatur cucurbitæ vitreæ vel phialæ oblongi colli, superfundatur aquæ fontanæ limpidissimæ mens. j. orificium levissimè obturetur, ponatur super cineribus calidis, circumcirca vero positi carbones igniti vitrum cum aqua sensim ac sensim calefaciant, quoad ipsa incipiat ebullire ac hordeum crepere, remotis deinde carbonibus vitrum ubi refrixerit, absoluta erit decocti hordei gustui gratissimi præparatio. Decoctio hæc multo etiam commodius igne arenæ, si quis eo fuerit instructus, fieri potest.

Hoc autem primum probè notandum, hordeum non excorticatum nullo modo pro præparando hoc decocto, ut multi solent, in usum esse ducendum, cum cortices ejusdem aquæ imprimant qualitatem aliquam astringentem ac exsiccantem, ut exinde ægroto non solum reddatur ingratum valdè, verum etiam sitim adaugeat potius, quam eandem extinguit ac corpus humectat.

2. Quod si forte aquæ hujusmodi sive decocta non ex voto ob hordei penuriam, albæ satis fierent, ebulliat illud primum in modica aquæ quantitate, usque dum flavedine quadam aquam tingat, qua effusa, in alia recente, ut superius dictum, decoquendum, hocque modo decoctum reddetur candidissimum ac gustui gratissimum.

3. Liberum relinquo cuilibet, ut si fortiori decocto delectetur, pro lubitu hordei dosin, qualem ego præscripsi, adaugeat.

Vim habet refrigerandi, humectandi, sitim extinguendi, magisque hæc aqua sanitati est commoda, quam cruda: solaque bibi potest vel potiunculæ cum syrupis vel aliis convenientibus, de quibus superius, ex eadem fieri, quod si forte ex ejus usu, in ventriculo præcipuè debili, flatus sint metuendi, satis ubi ebullierit, corrigi ac alterari commode potest additione seminis anisi contusi vel cinamomi in petia ligati, quæ, quando refrixerit, gustui erit gratissimus potus.

7. *Aliud hordei decoctum omnibus acutè febricitantibus apprimè utile.*

Rec. Decocti hordei simplicis mens. j. dissolvantur in eo sacchari optimi ac

ſubtiliſſimè pulveriſati ℥ j ß. vel ℥ ij. cui addc ſecundum proportionem ac doſin aquæ ſive decocti hordei, ſpiritus vitrioli (ut ſuperius de aqua fontana cum ſpiritu vitrioli monuimus) q. ſ. pro concilianda grata aciditate, his deinde admiſce elæoſacchari citri quantum cultelli cuſpide capere potes, decoctum hoc ita alteratum guſtui, Julapii inſtar è ſyr. citri præparati, erit gratiſſimum, quod ſi per duas aut tres horas quietum ſteterit, claritate ſua non multum cedet aquæ fontanæ limpidiſſimæ. In defectu verò elæoſacchari citri, aromatizandum cinamomi aqua, & ſi ad manus ſit mel paſſularum, de quo ſuperius, eo loco ſacchari uti licet, hac enim ratione præparatum ſiticuloſis magis eſt utile meliusque corpus humectat.

8. Claretum violaceum.

℞. Syr. viol. purpur. optime clarificati ℥ iij. ſpiritus vitrioli guttas xxx. vel xxxx: miſce hæc duo probe in poculo aliquo vitreo optime mundato bacillo agitando, colore apparebit ſaturato purpureo, his ita optime commixtis ſuperfundatur decocti hordei ſ. menſ. j. probè circumagitentur, & ſi neceſſarium videatur, ſpiritus vitrioli doſis augeatur ad gratiam, hoc claretum aromatizari quoque poteſt aqua cinamomi, alias per ſe ipſum gratiſſimum ſatis eſt, & ob ſpiritus vitrioli energiam ulterioris correctionis non indigum, hoc modo claretum habebis amethyſti inſtar ſplendeſcens in omnibus calidis affectibus, ut ſuperius decoctum ſummè utile.

9. Serum lactis aluminoſum in calidis affectibus uſurpandum.

℞. Lactis caprini vel vaccini recentiſſime emulſi menſ. j. coquatur in lebete vel olla figulina vitreata, & cum incipit ebullire, affundatur lib. j. aquæ alicujus refrigerantis vel hujus loco fontanæ limpidiſſimæ, in qua diſſoluta ſit aluminis ℥ ß. circumagita lac cum affuſa aqua cochleari ligneo, ſubitò ſubſtantia caſeoſa à ſeroſa ſeparabitur, quæ per ſubtiliſſimum colatorium transmiſſa ad uſum aſſervetur.

Quod ſi vero ſerum hoc non ut aqua fontana pro voto clarum eſſet ac pellucidum, addendum albumen ovi unius ſecundaque vice, uſque dum ſpuma appareat, coquendum & per manicam Hippocratis transcolandum.

Hoc ſerum egregiè ſubvenit ſiticuloſis in febribus non ſolum ardentibus ſive acutis, verum etiam in principalium viſcerum inflammationibus, præſertim vero in nephritide ac podagra calida: ſitim ſedat, alvum aliquo modo reddit lubricam, atinam promovet, majoribusque præditum eſt virtutibus, quam ut illi, quibus aluminis natura ac proprietates ſunt incognitæ, credere poſſint vel ſibi imaginari.

Probè hic notandum, maximam aluminis partem in caſeoſa ſubſiſtere ſubſtantia, nec ſerum tetro ac ingrato ſapore exinde inquinari.

10. Serum

10. Serum tamarindinatum ad præmemoratum scopum utile.

Tamarindi fructus sunt acidiusculi, colore subnigri, splendescentes, non multum prunis compactis ac exsiccatis dissimiles, differunt tamen ab iisdem ossiculorum, quæ parva & quadrata habent, ratione, itemque peculiaribus quibus intertexti sunt tenerrimis villis sive radiculis: Deferuntur ad nos ex India, & præ aliis fructibus singulari præditi sunt, linguam maximè feriente aciditate, multoque scatent (ut in mea Tartarologia docui) tartaro, propterque suas virtutes ac utilitates antiquitus in medicina in maximo sunt pretio habiti.

Seri autem tamarindinati præparandi modus est sequens:

℞. Tamarindorum selectorum colore sc. subnigro splendescentium, acidiusculorum, in emporiis apud Materialistas vili pretio venalium ℥ij. conterantur in aq. fragorum vel alius alterius refrigerantis lib. j. affundantur insimul mens. j. lactis ferventissimi, circumagitentur optimè ad separationem usque, serum verò, ut suprà, albumine ovi probè depuratum, flavo colore pulcherrimè splendebit, in quo, si ℥iß. sacchari dissoluta fuerit, gustui gratissima saporis acidiusculi, è syrupo quasi limonum præparata erit potio. Serum hoc maximè est utile in omnibus, præsertim verè acutis à bile excitatis febribus, cunctisque ab ebullitione sanguinis progenitis affectibus. Sitim efficacissimè sedat, urinam pellit, potentioresque edit effectus, quàm alia quævis in hujusmodi affectibus potio.

Cùm verò sciam fructus hosce diutissimè integros posse conservari, innoxieque absque virium jactura circumferri, ideoque seri hujus tamarindinati descriptionem hisce meis opusculis inserere mihi placuit.

11. Decoctum Scorzoneræ.

℞. Rad. Scorzoneræ exsiccatæ minutissimasque in particulas concisæ ℥j. coquatur in olla optimè vitreata cum aq. fontanæ lib. iij ad consumptionem tertiæ partis, remanentia per manicam Hippocratis trajiciatur, ut auri instar fulgeat. Hoc decoctum vel per se solum absque alio additamento vel sacchato pro lubitu edulcoratum bibi potest.

Egregiè prodest in variolis, morbillis febribusque pestilentialibus ac malignis, ubi conclusos circa præcordia vapores malignos, subtilemque & noxiam in habitu corporis stabulantem materiam per sudorem ac per insensibilem transpirationem exterminare volumus, cui scopo consequendo apprimè est utile ac salutare. Cor roborat & singulari sua proprietate prædictæ malignitati potentissimè resistit. Valet item in podagra, si cum calore febrili affligere incipiat, similiter in erysipelate, aliisque similibus potiones hujusmodi refrigerantes exigentibus affectibus.

12. Decoctum milii in curandis variolis utile.

℞. Milii recentissimè excorticati, ficuum minutissimè concisarum ana ℥j. coquantur in aquæ fontanæ lib. iij. ad consumptionem tertiæ partis, f. l. a. colatura.

Decoctum hoc peccantem variolarum ac morbillorum materiam concoquit, naturam ad expulsionem ejusdem irritat eandemque adjuvat, hujusmodi itaque ægrotis utilissimum etiam potionis genus, quod absque omni periculo ab infantibus aliisque qui hoc ipso indigeat, usurpari potest, offerendum autem in hisce & similibus affectibus tepidum.

In defectu verò milii ad prædictum scopum utilis quoque est tennis cerevisia, in qua ficus aliquot minutissimè concisæ, pro dulcificanda hac ipsa, maceratæ fuerint. Sunt quidem, qui ficus cum cerevisia coquunt, qui modus, quia exinde cerevisia subtilissima sua substantia privatur, potio etiam valdè redditur turbida ac ingrata, mihi minimè arridet. Quod si insuper, ut sæpissimè evenire solet, æstus febrilis ac intolerabilis urgeat ac excruciet ægrotum sitis, loco cerevisiæ non inconveniens fuerit decoctum hordei, ast hac in electione sua cuique voluntas.

13. *Decoctum hordei pectorale.*

℞. Hordei decorticati ℥ij. ficuum, passularum majorum ab acinis liberatarum, corinthiacarum ana ℥j. dactylos, exemptis nucleis, num. vj. glyzirrhicæ, deraso cortice, in minutas particulas concisæ ʒij. aquæ fontanæ mens. ij. vel ℔ viij. coquantur omnia ad crepaturam hordei, adjiciendo sem. anis. bene contusi ʒj. ubi refrixerit, ab igne semotum, percoletur.

Decoctum hoc utile iis ægrotis, qui præter sitim tussi excruciantur sicca.

14. *Decoctum hepaticum.*

℞. Hordei excorticati ℥ij. fol. sic. scolopendr. vulg. sive linguæ cervinæ, rad. gram. scorzon. cichor. omnium exsiccat, ac concisarum ana ℥ß. coquantur insimul in aquæ font. lib. viij. ad crepaturam hordei, hisce adde ʒij, ros. rubr. siccat. abjecta inferiori albedine, subtilissimè concisarum, semotum decoctum ubi refrixerit, percoletur & albumine ovi clarificatum in vitro reponatur addanturque sacchari ʒij. spiritus vitrioli rectificati gutt. xxxx. hic paululum relinquatur ac tandem per manicam Hippocratis trajiciatur.

Decoctum hoc summè est utile in calidis hepatis affectibus, confortat enim id ipsum, obstructiones sive oppilationes ejusdem reserat, materiamque peccantem in cavitate illius hærentem per urinam expellit.

15. *Julepus rosatus vulgaris.*

Julapia in medicina usitatissimæ sunt potiones Syrupis dilutiores, constantque ex aquis stillatitiis vel liquoribus clarioribus saccharo dulcoratis, dilutiores autem Syrupis sunt, quoniam hi præ illis in longius tempus sunt conservandi, ideoque crassioris consistentiæ indigi, Julapia verò præscripta extempore conficiuntur ac præparantur.

Communissimus Julapia conficiendi modus est hic:

℞. Aquæ, qualis ad scopum est necessaria, lib. iij. Sacchari lib. ij. coque ad debi-

debitam consistentiam. Cùm vero coctione subtilissimæ ac aëreæ liquorum partes non solùm exhalent ac evaporent, sed hac ipsa etiam qualitates refrigerantes ac humectantes summopere debilitentur, alius itaque mihi præparandi Julapia modus est in usu, ut: ℞. ex. gr. Aq. ros. fragr. ℥xx. sacchari pulveris. ℥xvj. inde in phialam vitream optimè subere munitam, pone in aq. cal. circumagita nonnunquam cum vitro materiam, & si saccharum cum aqua sufficienter fuerit unitum, liquorque apparuerit satis clarus, fac refrigescat, quo effuso, habebis paratum Julapium.

Julapium hoc cor roborat, spiritus vitales recreat, viresque dissipatas recolligit.

16 Julepus rosatus alius.

℞. Cons. ros. opt. lib. ß. aq. ros. fragrant. ℥xx. misceantur optimè in cantharo probè munito ac obserato ponatur in ahenum aqua plenum, quando verò aqua ebullire inceperit, subitò extrahatur & refrigescat. Infusum deinde per colum trajiciatur additaque sacchari lib. ß. in vitro asservatur.

Julepus hic refrigerat, humectat ac peculiari sua facultate astringente internas corporis partes mire corroborat, phthisicis inprimis, hecticis ac inflammatione hepatis laborantibus singulariter est utilis.

17. Julepus rosatus colore saturato rubescens.

Si priori Julapio aliquot guttulæ spiritus vitrioli adjiciantur probèque agitetur, tunc colore tingitur saturato rubescente, & si rectè procedatur, non sentietur sapor spiritus vitrioli, hunc enim in finem solius scilicet coloris gratia pauca ejusdem quantitas sufficit.

Utilis hic Julepus inprimis iis, quorum ventriculus ac hepar laborant intemperie calida, itemque reficit dysentericos vel fluxu sanguinis obnoxios.

18. Julepus violatus.

Julepus hic eo modo, quo primus rosatus conficitur, efficacior autem subsequente ratione redditur.

℞. Aq. viol. summâ diligentiâ destillati ℥xx. dissolvatur in hisce suc. viol. purpur. sacchari ana lib. ß. f. l. a. ut supra Julepus.

Julepus hic refrigerat, humectat, exasperat, levigat, lenitque, ideoque gutturis fauciumque vitiis ac summæ raucedini salutare remedium, ebullienti humori melancholico æstuantique mirè subvenit, aliis in affectibus, quibus syrupum violarum convenire diximus, est maximè utilis.

19. Julepus de rubo idæo.

℞. Aq. è bac. rubi idæi destillati ℥xx. syr. ejusdem & sacchari finissimi ana lib. ß. f. l. a. Julepus.

Hujus Julapii excellentes virtutes conveniunt cum syrupis de rubo idæo, cujus supra facta mentio.

20. Jule-

20. Julepus aureus.

Rec. Aq. rubi idæi & ros. destill. ana lib. ß. tingantur croci orientalis ℈j. addita sacchari optimi ac candidissimi lib. j. mitte in phialam addendo aq. cord. aur. n. d. ℥iiij obseretur vitrum optimè, fiatque l. a. Julepus, cui permisceatur spiritus salis melissæ, vel in hujus defectu spiritus salis communis q. s. pro grata aciditate.

Facultatem vitalem cordis corroborat, dissipatas vires colligit, spiritus vitales clarificat, eosdem recreat, putredini resistit, omnibus venenatis vaporibus adversatur, summè etiam est utilis in febribus malignis ac pestilentialibus ægrotos hoc ipso corroborando ac durante curatione eosdem reficiendo.

21. Julepus ex vino refectorius.

Rec. Aq. rub. idæi ℥xx. sacchari finissimi lib. j. civilem (quam puto etiam in superioribus) f. ut supra Julepus, qui si refrixerit, addo spiritus subtilissimi vini malvatici vel alterius alicujus generosi optimeque rectificati ℥iiij.

Egregium est cordis medicamen, calorem fovet innatum, coctionem ventriculi adjuvat, ac mirè febricitantes recreat, præsertim ubi paroxysmus præterierit, viresque eorundem summè fuerint debilitatæ, inprimis verò senio confecti & qui assueti sunt potione vini.

22. Julepus stomachalis.

Rec. Aq. menthæ crispæ ℥viii. Syr. berber. cydon. ana ℥iiij. mixtis invicem adde oleum cinamom. gutt. j. aut ij. omniaque rursus optimè commisceantur.

Stomachum egregie roborat, nauseam vomitumque febricitantium corrigit.

23. Iulepus mastichinus.

Rec. Mastich. el. splendentis, crassè contusi ℥ij. aq. ros. menth. crisp. ana ℥iv. pone in cantharo optimè, ne quid exhalet, obserato in aquam ferventem, inibique per dimidiæ horulæ spacium relinquantur. Dein ubi claruerit, percoletur, ac sine ulteriore infusionis calefactione dissolvantur in percolato ℥iiij. sacchari subtilissimè pulverisati, hac ratione habebis Julepum mastichinum, ut decet, præparatum.

Julepus hic est egregius contra nauseam ac anorexiam, præsertim verò si in febribus pestilentialibus ac malignis occurrant, singulariter salutaris.

Secundum præscriptos modos varii generis Julapia è talibus aquis ac syrupis pro lubitu præparari possunt.

Prædicta Julapia exhibentur à ij. iij. vel etiam pluribus cochlearibus, vel diluta ac commixta aquis destillatis vel decocto hordei in gratiam ægroti maximè siticulosi propinantur.

Non necessarium insuper judico, ut Julapia pro conservandis his ipsis, nimia sacchari ingrediatur quantitas, sed potius melius fore existimo, si destillatis aquis tunc primum, quando præscribuntur ex tempore debita sacchari ac syrupi addatur quantitas, misceanturque absque igne, ut talem, qualis arridet, saporem ac temperamentum acquirant. Quod apud modernos etiam Medicos est usitatissimum.

24. *Emulsio sive lac amygdalorum dulcium.*

Lac amygdalinum in Medicina notissimum ac usitatissimum est medicamen, ac, cum quælibet materfamilias facilimè hoc præparare sciat, ideoque præparatio ejusdem singulari artificio non indiget, præcipuum autem quod hîc venit observandum, consistit in electione amygdalorum, quæ requiruntur optime candida, non rancida, recentia, secus enim si sumantur, contrarios, quam ut aliàs solent, in ægrotis edunt affectus. Lac amygdalinum simplex ita præparari curo.

Rec. Amygdalorum dulcium, recentium, non rancidorum & à corticibus repurgatorum ℥ij. contundantur in mortario lapideo minutissimè (irrorentur interdum aq. rof. stillat.) diluantur cum decocto hordei paulò fortiori quàm ut aliàs ordinariè solet, coloreque non fusco sed lactescente, pistillo etiam quò oleaginosa amygdalorum substantia lactis instar cum aqua hordei melius ac perfectius uniatur, optime misceantur, tunc per pannum linteum fortiter expresso addantur pro lubitu sacchari pulverisati ℥iß.

Hæc emulsio refrigerat, humectat, mitigat ac lenit, usus ideoque ejusdem est commodus in calidis interiorum viscerum intemperiebus & à materia acri ac salsa exortis asperitatibus ac erosionibus, pectoris inprimis, renum, intestinorum aliarumque partium, præsertim verò si adsint acres humores ac maximi urinæ ardores, sitim etiam sedat, viresque egregie reficit.

Lac amygdalinum conficitur etiam cum aq. simplici fontana, edulcoraturque pro lubitu sacchari loco syrupo violaceo vel alio conveniente simili.

25. *Emulsio sem. papav. albi.*

Rec. Sem. papav. alb. rec. ℥ij. contusis in mortario lapideo affundantur aq. viol. vel flor. nymph. ℥xx. per mundatum pannum fortiter exprimantur, & ut supra, f. emulsio, cui adde syr. viol. purp. ℥ij. aq. rof. fragr. q. pl.

Hæc emulsio refrigerat, humectat, mitigat, somnum conciliat, exhibetur ideoque tempore opportuno iis, qui intolerabili excruciantur æstu, maniaci sunt ac phrenetici, insomnesque traducunt noctes. Perutilis item est alterandis ac incrassandis calidis, acribus ac tenuibus in pectus irruentibus continuamque tussim ac inquietudinem causantibus destillationibus, incrassati enim humores facilius expectorari ac ejici, indeque nata tussis ac inquietudo melius possunt domari ac mitigari. Tutissimus insuper hujus emulsionis usus in omnibus cujuscunque sint ætatis sexusve conditionis, ægrotis, ipsis etiam prægnantibus ac puerperis necessitatis sc. tempore.

Refrigerantes hujusmodi emulsiones fiunt interdum è dimidia parte amygdalorum & dimidia sem. papav. alb. vel sem. 4. frig. maj. cucum. sc. cucurb. citrul. & melonum insimul contusis, aut seorsim uno eorundem, vel pro Medici intentione ac scopo, aliter. Hæc bina hoc loco exempla sufficiant.

26. *Lac perlarum, qualitatesque earundem, quænam sint necessaria.*

Perlæ sive margaritæ præparatæ sæpissimè à Medicis præscribuntur & emulsionibus sem. frig. maj. vel amygd. aut aliis Julapiis dilutioribus permiscentur, quæ potiones plerumque à perlis denominationem sortitæ vocantur lac perlarum. Plurimique existimant ad periculosissima cordis symptomata, imò in agone mortis pro reficiendis ægrotis summum esse hanc emulsionem sive lac perlarum arcanum, unicumque in hisce & similibus asylum. Per me id facile, observatis tamen certis circumstantiis, licet. Non tamen interim intermittere possum, quin hujusmodi præscripturus sedulò ac verè christianè exhortor, ut, si perlas ratione suarum qualitatum, plus aliis cordialibus in hujusmodi potionibus præstare posse, sibi firmiter persuadeant studiose sequentia duo puncta observent.

1. Ut eligantur perlæ colore candidissimæ, splendescentes (ratione magnitudinis) duræ ac satis, quales perlæ orientales esse solent, ponderosæ. Deinde ratione præparationis in mortario vitreo contusæ in porphyrite vel ophite orientali aut lapide granito affusâ aquâ cordiali vel simili cordiali subtilissimè conterantur ac l. a. præparentur. Si enim contrariis sint inquinatæ perlæ qualitatibus, de iis certi quippiam auxilii apud ægrotos nullus polliceri sibi tutò potest. Similiter si in mortariis ex orichalco contundantur, malignam potius ex his ægrorum ventriculis maximè infensam qualitatem, quam cordis corroborativam. Insuper, si in marmore, alabastrite vel aliis mollioribus lapidibus conterantur, semper de horum substantia quippiam decedet perlisque permiscebitur, quam pro veris ac legitimè præparatis perlis non solum miseri ægroti charo satis pretio emere, verum etiam notabili cum corporis detrimento usurpare coguntur.

Ast scio plurimis cordatis legitimarum harum ac ritè præparatarum perlarum maximam raritatem optime esse cognitam. Primum namque, quia veræ & qualitatibus suis absolutæ perlæ orientales, charioris sunt pretii, ideoque in earum locum, hodierno præsertim tempore, ubi avaritia omnium verò corda occupavit, vitiumque factum virtus, peculiare quoddam perlarum genus, quod colore est flavum, obscurum, evidense ac molle, digitis friabile, cujusmodi reperitur in conchis in finitimo hoc mari margaritiferis, dolosè substituuntur, quod vero perlarum genus nullus approbabit christianus Medicus. Deinde etiam constat ex nonaginta novem vix unum aut alterum reperiri pharmacopœum, cui hæc perlarum selectio curæ sit, cordique, qui mortariorum differentias observet, convenientibusque, ut decet, instructus sit pro conterendis in iisdem perlis, lapidibus. Exinde itaque cuilibet colligere facile licet, quæ, qualis & quanta in hujusmodi perlis sit collocanda spes ac fiducia. Exoptanda quidem hujusmodi & aliorum abusuum sedula esset præcautio, vel potius omnimoda abolitio: ast plurimis ægrotis proh dolor! hæ imposturæ ac fraudes charissimè sunt intere a solvendæ. Interim præstantissima perla-

perlarum emulsio vel lac subsequente modo præparari potest.

℞. Verarum ac legitimè præparatarum perlarum ℥ij. sacchari candi ℥ij. conterantur ac misceantur in mortario vitreo, affunde aqq. è succo rubi idæi. rosar. meliss. fragrant. destillat. ana ℥ij. omnia optime mixta asserventur in vitro ad usum.

Datur ægrotis à cochleari uno ad duo, agitando semper prius optime vitrum.

Præter has potiones cardiacas ægroti etiam (præcipuè in morbis acutis, ubi naturæ continuò cum morbo est pugnandum, ventriculusque solidioribus cibis non temerè onerandus) accommodatis brodiis analepticis convenientе tempore, (ubi scil. violentia febris remiserit, quod probe notandum) exhibitis, sunt reficiendi, collapsæque vires instaurandæ. Exoptatissimè autem hisce brodiis semper unum aut alterum cochleare vini generosissimi rhenani, vel quippiam de succo cydoniorum, quò magis facta grata, à ventriculo facilius acceptentur, retineantur ac concoquantur: solis autem Julapiis, Syrupis, emulsione perlarum & aliis corroborantibus ægrotorum vires non ita, ut quidam sibi stolidè imaginantur, conservari possunt, nam, si eò deventum est, ut brodia hujusmodi analeptica nullum amplius locum inveniant, actum certè est de ægroto, irritusque perlarum emulsionum ac aliorum cardiacorum usus.

27. Cremor hordei.

℞. Hordei decorticati ℥iiij. coquantur in olla nova vitreata cum aqua fontana ad mucilaginosam jusculi substantiam, quæ per cribrum ad usum trajiciatur.

Jusculum hoc à Medicis vocatur cremor hordei, præcipuusque ejus usus est pro cibandis in febribus acutis aliisque validis affectibus, vel peculiari calida pulmonum, hepatis, renum aliarumque partium intemperie ægrotis, mediocriter enim nutrit, facilimeque concoquitur. Refrigerat præterea, humectat ac mitigat: quæ qualitates in affectibus hujusmod. necessariò requiruntur. Si quispiam hoci ipsouti voluerit, addendũ parum butyri recentis non saliti, vel admiscendum oleum amygdalorum dulcium sine igne recentissimè expressum, vel potest interdum, præsertim in atrocissimis calculi renum paroxysmis, parum de succo citri & sacharo cando addi. Tandem denique si cremore hoc plenius corpus nutrire volumus, loco aquæ fontanæ sc. usurpandum brodium gallinæ vel caponis.

28. Panatella.

Hæc maxime est commoda loco cibi in febribus acutis, veluti de cremore hordei dictum, usurpata, ventriculum enim non gravat, ægrotosq; vi ac atrocitate febris maximopere debilitatos ac enervatos solidioresque exinde ac concoctu difficiles cibos non ferentes, satis sufficienterque nutrit, ejus præparatio est talis: Sumatur medulla sive pulpa panis triticei magnitudine pugni: tyroeneste in minutissimas partes redactæ superfundatur dimidia mensura aquæ fontanæ, coquaturque lentissimo carbonum igne, cavendo ne fumum redoleat ad formam tenuioris ac dilucidioris brodioli sapore tetro ac ingrato non inquinati, si enim farinam

aut aquam sapiat, certissimum est vitiosi panis vel imperfectè cocti brodioli indicium.

Ægroto offertur, modo, quo dictum superius, cum butyro scilicet non salito vel oleo amygdalino sine igne expresso, convenientibus ac accommodis, ut decet horis & tempore. Panatella hujusmodi cum brodio gallinæ vel caponis etiam præparari potest, vel pro necessitatis exigentia ac constitutione ventriculi ægroti vitellum ovi eidem addi.

29. Brodium Gallinæ cardiacum.

Inter omnia brodia, quibus ut plurimum febricitantes ad minimum ad declinationem usque morbi, ventriculique rectificationem, viriumque recollectionem cibandi sunt, præcipuum ac principalem locum obtinet, brodium gallinæ, quod ægrotos maximè præ aliis confortat, reficit ac corroborat. Hic autem non intelligo tale quod est aquosum valdè ac ex pullis & macris gallinis cum additione butyri præparatum brodium, verum tale, cujus præparandi modum hic sum aperturus. ℞. Gallina veterana, præpinguis & bene sana optimeque frumento saginata, quæ optime deplumata, exenterata & in minutissimas concisa partes, per noctem integram in aqua frigida maceretur, deinde in olla vitreata cum aqua fontana limpidissima lento carbonum igne addita salis s. q. coquatur, despumetur, usque dum caro ab ossibus separetur, ac brodii mensura una remaneat: Remota ab igne olla, effundatur brodium in aliam asserveturque probe contecta in loco frigido. Hoc brodium ægroto in patella semota pinguedine calefactum præbeatur bibendum, toties que per diem, quoties necessitas efflagitaverit, repeti potest, idque vel solum vel addita panis mica, vel admixto ovi vitello, aromatizari quoque potest fol. rorismarin. vel salviæ aut macere, addi insuper eidem potest, habita circumstantiarum ac morbi ratione administrationis præsertim tempore duo vel tria vini Rhenani optimi cochlearia, succi item acidiusculi, ut malorum cytriorum, cydoniorum & alii.

30. De succo Caponum vel Gallinarum cordiaco.

Apud plurimos hodierno die usu venit, ut probe mundatum, lotum, exenteratum ac minutissime concisum caponem in cucurbita vitrea vel cantharo optime munito superfusis prius aliquot aqq. borrag. bugloss. acetos. meliss. aliarumque similium cardiacarum unciis, vel additis interdum corallis, perlis & auro in aheno aqua calida repleto ad separationem carnis relinquunt, qua separata, succum per inclinationem separatum filtrant, quo tanquam efficacissimo restaurativo utuntur.

Licet verò nutriens carnis caponis substantia cum ea ipsa in exiguo hoc liquore coarctata hæreat, satis sit in succo fortis ac efficax: nihilominus tamen strenuus ejusdem sapor patientibus, quod plurimis exemplis confirmare possum, maximè est ingratus, usumque ejusdem fastidiunt.

Coral-

Corallia verò, perlæ & aurum cum in sua essentia intacta consistant, nihilque de substantia eorundem brodium participet, prudens quilibet Medicus facilè confitebitur, hęc ipsa in hoc brodio utilitatis nihil habere, sed opinionem potius utentium juvare ac phantasmati eorundem succurrere. Ego vero supramemoratum brodium huic semper præfero, & si quis breviori gaudeat, longiori coctione petito suo non frustrabitur. Nullatenus etiam mihi persuadere possum, virtutem carnis, quæ potissimum in tenace hæret substantia coctione posse evanescere, cum cuilibet sanæ mentis homini optime constet, longiori carnis coctione majores ac efficaciores acquirere brodio vires ac energias, saporeve fieri magis grata. Scitu etiam necessarium est, coctione aperta cruditatem carnis melius posse corrigi, spumamque nocivam absumi, quod in occluso vase nullatenus possibile.

Ideoque etiam, si fortè quispiam tali caponum brodio delectetur, illius in gratiam caponem vel gallinam celerrimo igne facerem ebullire, quam despumarem ac exinde exemptum rursus lavarem, mundis linteolis detergerem ac exsiccarem, cumque aquis eo, quo superius dixi, modo, procederem.

Quod si verò perlæ vel corallia corroborare debeant, existimo ego, conducibilius fore, si subtilissimè præparata brodiis permixta ægrotis offerantur.

31. *Gelatina in dysenteria.*

Rec. Carnis vervecinæ recentissimæ in minutissimas particulas concisæ ac optime lotæ, pedes vitulinos à sordibus bene repurgatos, num. iiij. coquantur cum aqua fontana in olla vitreata, despumentur, idque tamdiu, donec consumpta ferme fuerit caro ac remanserit brodii vel liquoris mens. j. hinc effundatur liquor in aliud vas, carnisque pinguedo separatur, adjiciuntur in petia ligatæ ac in partes concisæ nuces moschatæ num. ij. olla optime cooperta frigido aëri exponatur, tunc coagulabitur brodium & splendentis instar gelatinæ concrescet.

Usus tempore in patella q. placet, calęfactum dissolvatur, quod ægroto ebibendum toties, quoties exegerit necessitas, offertur, eidem etiam commodè permisceatur cochleare unum syr. de berberibus, qui syrupus gratissimum dissolutæ gelatinæ conciliat saporem simulque compescit.

32. *Gargarismus abstergens.*

Cùm in febribus aliisque corporis vitiis in faucibus ac ore putredo quædam ac mucor ægrotis valde molestus ex ascendentibus è ventriculo vaporibus progignantur, quibus vitiis si in tempore non succurratur, facilime alia exinde symptomata exsurgere possunt. Ideoque præter necessaria universalia, quibus causæ principales exterminentur, remedia, excogitandæ sunt speciales oris collutiones ac gargarismi à sordibus idipsum liberantes, quorum è numero simplicissimus ac tutissimus est sequens:

Rec. Aq. scabios. ℥viij. aceti vini fortissimi, sacchari candi vel mellis ros. ana ℥ij. M.

℥ij. M. omnia ad præmemoratum scopum. Impiger sit ægrotus ad colluendum sæpius os necesse est.

33. Alius in periculosissimis linguæ inflammationibus.

Accidit interdum ut febricitantes gingivarum erosione ac putrefactione licet non laborent, nihilominus tamen tantam oris siccitatem ac calorem persentiscant, ut sæpiusculè mortem expetant, huic itaque symptomati ut succurratur mitigeturve, præter præmissam universalem purgationem celebratamque necessariam venæsectionem, quibus primaria inflammationis causa infrænatur, utilissimus erit hic subsequens gargarismus.

Rec. Spongiar. sambuc. sive auric. Judæ minutissimè concis ℥ij. aq. plantag. ℔ ß. coquantur reposita in cantharo obturato in aquam ferventem, sinantur ibidem per dimidiam horam, ubi refrixerint ac colata fuerint, addatur succi vel syrupi viol. ℥iß. salis nitri præparati ʒß. hoc gargarismo ægroti os multoties eluant.

34. Mucilago sem. cydoniorum ad prædictum oris vitium.

℞. Sem. cydon. psyllii ana ʒij. extrahatur mucilago cum aq. fragor. ℔ ß. admisceatur sacchari candi pulverisati ʒj.

Mucilago hęc egregiè refrigerat ac humectat, offerturque ægroto cum spatula, quando & quoties necessitas exegerit.

35. Gargarismus scorbutica gingivarum corrosioni utilis.

Rec. Aq. fontan. salv. ana ℔ ß. alumin. gumm. loc. pulver. ana ʒj. hæc invicem in vitro mixta ac paululum in aqua fervente retenta rubini instar splendebunt, quæ mixtura percolata servetur ad usum.

Gargarismus hic os refrigerat, mundificat, astringit, putredini resistit, gingivasque corroborat.

36. Gargarismus pro curanda laxata uvula & tonsillarum tumore ac inflammatione.

Sæpissimè evenit ut hominis ex tenuibus ac subtilibus è capite deciduis catarrhis relaxetur uvula elongeturque, quod tædiosum sane ac maximè ærumnosum est vitium. Hocce verò in affectu præter usitatiora particularia remedia (utpote, si sale vel zinzibere aut aliis pulveribus exsiccativis ac adstrictivis adhibitis peccans humiditas absorbeatur & impediatur, columella verò dependens sublevetur) exsiccantes astringentesve gargarismi maximè sunt utiles, inprimis verò, si simul tonsillarum in tempore, ne ad maturationem perveniat discutiendus ac resolvendus sit conjunctus tumor. Inter alios verò huic scopo accommodos gargarismos subsequens hic optimus est ac maxime securus.

Rec. Flor. ros. rubr. minutim concis. rad. tormentil. contus. ana ʒj. ollulæ optime vitreatæ inditis superfunde aqu. plantag. ferventissimæ ℔ ß. contegantur

tur usque dum refrixerint, percolato deinde liquori adde Spiritus Vitrioli gutt. vj. vel viij. ut solum colore tingatur rosarum non verò fiat acidus, hic est hujus gargarismi præparandi modus.

Refrigerat, exsiccat, astringit, discutit, majorique affluxui resistit ac catarrhos impedit. Creberrimè eo de die utatur tepido ægrotus. Si verò præter tumorem raucedo vel acrimonia quædam sentiatur, gargarismum temperandum suademus modico syr. ros. vel viol. s. vel inter præparandum macerentur cum cæteris supradictis ingredientibus rad. liquir. ℥ij.

Sectio III.

De potionibus purgantibus, elysteribus & suppositoriis.

1. Potio purgans è foliis senæ in multis affectibus summè utilis.

℞. Fol. sen. s. st. ℥iij. sem. anisi ʒß. aq. fumar. vel agrimon. vel in harum defectu aq. fontan. limpidiss. ℥iiij. coquantur leni ebullitione (longiori siquidem coctione vires fol. sen. debilitantur) ut aq. à fol. sen. flavescat, in percolato adhuc calido dissolvantur mann. el. ʒvj. rursus absque coctione propter mannæ depurationem percoletur, his adde acidi tartarei ℈j. hanc potionem horis quatuor ante prandium calidum ægrotus ebibat.

Potiuncula hæc purgans ratione acidi tartari aliquantulum acidiuscula absque omni periculo suam perficit operationem, non solùm verò materiam in primis tantùm viis hærentem educit, verùm etiam continuationis ratione è longinquis ac longe dissitis corporis locis humorem melancholicum, cui appropriatissima sunt fol. senæ ex omnium Dogmaticorum Medicorum communi sententia, medicina, attrahit eundemque eliminat. Non minori enim virtute aggreditur flavam bilem, viscosum phlegma, aliosque mixtos humores, mundificat etiam sanguinem, & ita quidem, ut majori cum fructu in variis affectibus sive cum sive sine febre illi sint, præ cæteris simplicibus purgantibus eo uti liceat. Foliorum senæ laudes verò, quantum experientia sum edoctus, satis sufficienterque in meo opusculo de essentiis vegetabilium decantavi, illaque meritò extuli.

Tandem denique si potiuncula hæc ordinanda fuerit debilitatis valde vel facile mobilibus, quo propter quantitatem ægrotus eandem non fastidiat, fol. senæ, acidi tartari ac liquoris dosis minorari pro discretione ac judicio prudentis Medici commode potest.

2. Potio solutiva de Rhabarbaro.

℞. Rhabar. el. minut. concis. ℈iv. spic. nard. ℈ß. macerentur per integram noctem

ctem in aq. fumar. ℥iiij. manè factæ colaturæ adde syr. rос. sol. ℥ij. acidi tartari subtilissimè pulverisati ℨj. offeratur quatuor ante prandium horis. Hæc potio robustæ satis personæ, ubi nimia quantitate bilis peccat, convenientissima est. Leniorem si desideres, tunc ℨj. rhabarb. ℥j. syr. rosl. sol. & ℨß. acidi tartari pro unica dosi sufficiunt.

Maxima cum euphoria bilem præsertim flavam expurgat ac evacuat.

3. *Potio solutiva de Rhabarbaro alia contra dysenteriam.*

Si ex fundamento dysenteriam quispiam curare voluerit, statim in principio peccantes pravi humores principales istius causæ ac noxii fomites, sunt eliminandi. Qui si collecti in ventriculo hæreant, accommodatissimè vomitorio aliquo, utpote oxysaccharo vomitivo vel sale vitrioli (de quibus in Myrothecio dictum) in iis præsertim subjectis, qui sustinere vomitoriorum usum possunt, educuntur ac exterminantur, sin verò in inferiori ventre, venis scilicet mesaraicis ac ipsis intestinis latitent, nullum excelsius potest sub Sole inveniri medicamentum hoc ipso Rhabarbaro, idque adeò, quia retentam bilem aliosque acres intestina erodentes ac exulcerantes humores hujusmodi morbos causantes placidissimè expurgat, tormina quoniam secundo non excitat, tertiò longè dissitos in corpore humores ad partem affectam (quod hic maximè notandum) non attrahit, & denique quarto quia absoluta sua operatione purgativa, aliquo modo astringit ac fluxum impedit. Hanc etiam ob causam diversimodè à Medicis pro obtinendo præfixo scopo pro cujusvis tamen placito præscribitur. Aliàs sequens hæc formula, non rejecta interim aliorum, maximè mihi arridet.

Rec. Rhabarb. ℨj. aut ℈iiij. flor. rос. rubr. ℨß. minutissimè concisa macerentur per noctem in aq. plantag. cal. ℥iij. factæ manè colaturæ addatur mann. el. ℥ß. Spiritus Vitrioli gutt. iiij. vel v. potiuncula hæc horis matutinis bibita, blandissimè operabitur. Utendi autem tempus conveniens est morbi principium, cum scilicet ægrotorum vires nondum sunt valdè debilitatæ, si verò necessitas urgeat, potiuncula hæc secundo vel tertio die tuto potest reiterari ac repeti. In debilioribus detrahendum quippiam de Rhabarbari dosi, quando etiam necessitas hujus potiunculæ usum ex tempore postulet, maceratio specierum nocturna tunc non est necessaria, sed levis ebullitio ad tincturam liquori sufficit, cæteraque additamenta eo, quo supra modo possunt adjici, non minus & hac ratione ac præparandi modo vires suas exercet.

4. *Euporistum quidem, ast utile valdè, refrigerans ac humectans enema.*

Enematum usus à plurimis licet medicæ artis ignaris summè contemnatur ac maxime abominabilis judicetur, imò

imò ab aliquibus pro periculosissimis eadem ac lethiferis proclamentur remediis, nihilominus tamen procurandis illis ægritudinibus ac symptomatibus, quæ vel essentialiter in intestinis, vel accidentaliter per communicationem in aliis corporis latitant ac hærent partibus & locis, ut & aliis pluribus morbis tantæ sunt necessitatis energiæ, ut illis ipsis in usu Medico nullo modo carere, excellentesq; eorundem usus brevitatis ducti studio sufficienter ac satis pro merito enarrare possimus.

Præmemorati verò enematis præparandi modus est sequens: ℞. decoct. hordei clarific. ℥xij. syr. viol. purp. ℥iiij. vel ℥iiij. M. pro Enemate applicetur more solito, cavendum tamen, ne diutius debito ob flatuum metum secum ægrotus retineat.

Enema hoc humectat, emollit fæces alvi exsiccatas, mundificat, detergit intestina ac exsiccat facultatem ad expulsionem expultricem, reiterari ejusdem etiam usus pro lubitu potest.

5. *Commune humectans ac abstergens enema.*

℞. Seri lactis rec. ℥xij. sacchari non refinati pulveris. ℥ iij. vel iiij. colatura applicetur dicto modo.

6. *Clyster emolliens.*

℞. Fol. malv. violar. ana Mj. rad. alth. ℥ß. coq. in aq. font. ℥xx. c. colaturæ ℥xij. addantur mellis passul. syr. viol. ana ℥ij. M. pro clystere.

NB. Tribus hisce enematum formulis in febribus acutis, ardentibus, interiorumque viscerum inflammationibus, ubi intestina maximopere à calore p. n. sunt exsiccata, affectus verò hi simplicium calidorum aut oleorum usum in clysteribus applicandis ne inflammationes adaugeantur, vaporesque in capite excitentur, cum nullatenus concedant, tutissimè uti licet. Testatur namque experientia optima rerum magistra, humectantium ac refrigerantium simplicium per infusionem præparatorum oleorum usum noxium magis semper fuisse quam proficuum, cum exinde inflammationes in ægrotis accreverint, clysteresque intolerabili cum fætore rejecti fuerint. Attamen cuilibet liberum esto procedere ut lubet. Præterea etiam hic sciendum, semina frigida majora cucumeris sc. cucurbitæ, citrulli, melonum vel papaveris albi superiorum duorum priorum enematum, maximo cum fructu ingredi præparationem, inprimis verò si præsente maximo æstu ex ℥ß. vel ℥j. dictorum seminum cum decocto hordei vel sero lactis fiat emulsio.

7. *Enema emolliens ac alvum ducens.*

Rec. Decocti hordei aliquò modo à substantia hordei facti mucilaginosi ℥xij. syr. ros. sol. cujus superius facta mentio ℥iij. vel iiij. M. pro enemate ad usum.

Emollit, humectat, abstergit, & tenaciter adhærentes intestinis viscosos humores attenuat, eosdemque educit:

Febribus præsertim à flava bile adusta progenitis, in quibus ægroti de maximis ac intolerabilibus capitis conqueruntur doloribus, apprimè est utilis ac valdè salutaris, inprimis verò si legitimo tempore necessitas enematum laxantium usum exigat.

8. Enema lenitivum.

Cùm sæpissimè clysteribus, necessitate ita jubente, purgantia reliquis ingredientibus sint admiscenda, quibus non solùm materiæ peccantes ipsis intestinis impactæ, verùm etiam in longè dissitis locis conclusæ attenuentur ac evacuentur, vel natura ad expellendas easdem irritetur, præsertim ubi ægroti nauseabundi ac delicatuli nimis, omne medicamentum per os assumendum abhorrent, vel diuturnitate aut ferocitate morbi nimis facti debiles purgantium usus non sit omnimodè tutus, morbo verò vel febre in declinatione existente obstructiones cum causa aliqua peccante adsint, maximè proinde ut supra dictum, cum sint necessaria ac utilia quoque, ideoque Medici pro prædictis scopis varias enematum tradidêre formas; ego hoc sequens maximarum existimo virium.

Rec. Fol. malv. violar. fl. chamomil. fol. sen. ana ℥ß. rhabarb. el. ʒij. concisa minutim cum ℥xvj decocti hordei f. indita cantharo stanneo optimè operculato coque in aheno aqua repleto; Semoto dein ab igne aheno, infusi refrigerati ℥xij. addantur syr. rosf. sol. mellis vel essentiæ passularum ana ℥ij. nitri præparati ʒj. M. pro enemate.

Hoc clystere tam in febribus quàm aliis etiam morbis, ubi mediocriter purgantia sunt necessaria, uti commodè possumus.

9. Enema laxativum domesticum.

Rec. Fol. malv. fl. chamomil. ana Mj. coq. in f. q. aq. colaturæ ℥viij. adde succ. Mercurial. ℥iiij. sacchari thomæi ℥iij. butyr. rec. ℥iß. M. pro enemate.

Egregiè intestina mundificat, abstergitque, applicari autem iis tutò licet, qui alvi constipationibus sunt valdè obnoxii. Tempore hyberno si Mercurialis copia non detur, substituere mel ejusdem commodè licet, & ita quidem, ut intermisso saccharo sumatur prædicti decocti ℥xij. mel. Mercurial. ℥iiij. butyr. rec. ℥iß. ad attenuandam autem ac educendam felicius viscosam materiam addatur sal gemm. ʒß.

10. Enema approbatissimum pro curando renum calculo.

Rec. Flor. chamomil. verbasc. melilot. sambuc. rad. alth. liquiriz. sem. fœnogr. ana ℥ß. contusa contundenda, concisa conscindenda ac conquassata conquassanda stent infusa cum aq. chamomil. ℥xx. in cantharo stanneo optimè obserato per dimidiam horam in aqua ferventissima, hujus deinde infusi, ℞. ℥xij. vitellos ovor. rec. n. iij. ol. rosf. fl. lil. alb. & fl. sambuc. ana ℥j. mellis passular. ℥ij. M. pro Enemate.

Emollit, lenit, flatus discutit, doloresque potentissimè mitigat, ideoque summè utile

utile iis, qui à calculo renum miserrimè excruciantur, isque si loco solutus, hospitium est relicturus vel in ureteribus hærens varia ac gravissima excitat symptomata, suppressionem scilicet urinæ, inflationes ac intolerabiles laterum punctorios dolores, ventris tormina cum alvi pigra dejectione, calorem febrilem, &c. cum idipsum qualitatibus suis sit temperatum, indifferenter itaque tam viris quàm mulieribus necessitatis tempore utile.

Sciendum insuper loco prædictorum trium oleorum sumi utiliter etiam posse ol. lini rec. expressum, vel ol. amygd. d. hæc enim potentissimè dolores quoque lenire ac mitigare possunt.

11. Enema carminativum.

Rec. Fol. malv. alth. ana Mj. fl. chamomil. Roman vel ejusdem herbæ à caule separatæ, origan. ana ℥ß. sem. aneth. fœnic. cumin. bac. laur. ana ʒij. aq. chamomil. ℥xx. f. ut supra infusio, hujus ℞. ℥xij. ol. chamomil. secundum meam descriptionem præparati ℥iiiß. mel. junip. salis comm. ana ℥ß f. Enema necessitatis tempore applicandum.

Flatus egregiè discutit, præcipuè verò à frigido in intestinis hærente phlegmate exortos, & si adsint signa, hoc ipsum nimis esse lentum ac tenax maceratio potest fieri in vino aloo prædictis simplicibus addi agarici albissimi ʒij. vel hujus loco rad. mechoac. concis. ℥ß. Maximus ejus usus est in colica flatulenta & tympanitide.

12. Enema consolidans in dysenteria.

Rec. Cap. vervec. per medium divisum n. j. pedes vitul. n. ij. sine sale in s. q. aq. font. ad separationem carnis ab ossibus, coq. ad remanentiam M. j. cui effusæ adjiciunt rad. symphyt. maj. exsic. ℥ß. fl. ros. rub. hyperic. rad. tormentil. ana ʒij. coq. denuo omnia, colaturæ ℥xij. servantur ad usum.

Ubi cum dysenterico eo est deventum, ut intestina maximoperè sint læsa ac exulcerata, ac exinde intolerabiles alvum exonerantem excrucient inferioris ventris dolores, hujusmodi ægroto primùm (cùm hoc vitium medicamenta per os sumpta non facilè consolidare ac curare possint) enema ex decocto hordei ac saccharo, secundum modum superius allegatum, præparatum pro abstergenda intestinis adhærente peccante materia, applicandum. His ita peractis, prædictum decoctum in forma enematis tepidum est applicandum, ut verò hoc ipsum diutius retinere possit, quietus decumbat, contingit enim interdum, ut hujusmodi enemata, non sine maximo ægroti levamine aliquot horis absque omni tædio in corpore resideant. Quod si alvum rursus exonerans dolorum aliquam alleviationem non autem omnimodam abolitionem sentiat, enema secundo vel tertio necessitate ita jubente in usum revocandum: quicquid enim aliis fieri ac effici, hoc certe enemate potest.

Alios hîc etiam ad varios corporis morbos utilium enematum formulas

proponere quidem possum, ast brevitatis studiosus his supersedebo.

NB. Notandum hîc, supra memoratam enematum quantitatem sc. ℔ j. adultioribus tam viris quàm mulieribus convenire. Quando autem iisdem uti quis volet in delicatulis ac junioribus, ingredientium ut & liquoris quantitatem semper esse minorandam, & pro diversitate subjecti à ℔ j. medica ad ℥ix. vel etiam ℥vj. descendendum. Pro infantibus verò in minima subsistitur dosi, habito semper ætatis, virium ac necessitatis respectu.

13. *De suppositoriis.*

Suppositoriorum eadem ac enematum est ratio, ac licet ratione formæ externæ vilia maximè ac projecta existimentur medicamina, nihilominus tamen is, qui iisdem indiguit, eademque probavit, statuet contrarium.

In communi inserviunt expultrici intestini recti facultati excitandæ ac stimulandæ, fæcibus in eo contentis expellendis, eorundem verò non solum in modò memorato scopo, verùm etiam ubi enemata displicent, usus esse potest. Sunt autem duplicia, simplicia scil. & composita.

Simplicia notissima sunt omnibus. E. G. In casu necessitatis sumitur extremitas candelæ acuminaturque in forma suppositorii, longitudine ac crassitie ægroto accommodi. Alii hujus loco accipiunt saponem vulgarem vel Venetum, similemque priori forma figurant, quod itidem facultatem expultricem stimulat. Nonnulli mel ad consistentiam resinæ coquunt ex eoque suppositoria pro lubitu formant. Qui præparandi modi lippis tonsoribusque notissimi, fœminino etiam generi revelati.

Cùm vero interdum accidat, ut magis acutis indigeamus prioribus, peculiaria quædam suppositoria possunt præparari hunc in modum.

℞. Mellis ros. ℥ij. coquuntur sensim ad justam consistentiam, cavendo tamen empyrevma, hinc admisceantur aloës subtiliss. pulveris. ℨij. salis gemmæ ℨj. f. suppositoria majora vel minora pro diversitate utentium.

Quod si vehementiora sint necessaria, pro ℨij. aloës sumatur una saltem cathartic. verò mei polychresti vel panchymag. Crol. aut extr. catholic. Andernaci similiumve vehementer attrahentium purgantium extractorum ℈j. aut ℈iß.

Hujusmodi suppositoria materiam peccantem ex alto secus quàm priora, ad inferiora trahunt.

Si etiam ægroto alicui nephritide vel colica afflicto, unum plurave enemata applicita propter maximam incarceratorum flatuum copiam in intestinis exaggerata absque ullo effectu resedissent, suppositoria hæc maximè sunt commoda, facultatem enim expultricem stimulando enematum operationem maximo ægrotorum emolumento promovet. Tandem denique scitu maximè est necessarium, in alumine tantam latitare attrahendi virtutem, ut, si ex eodem formetur usitato more sup-

re suppositorium illitumve oleo communi olivarum vel butyro accommodetur, excellentissimè ex alto delitescentia excrementa ac flatus evocando, operationes suas perficiat, inprimis verò maximè est utile in febribus acutis, ubi suppositoria vehementiora ac excalefacientia locum non habent, noxiusque est eorundem usus. Potest etiam alumen subtilissimè pulverisari & cum gummi tragacantho in aq. ros. dissoluto massa concinnatur, ex qua varia ac diversa suppositoria formari ac ad lapidis duritiem ad usum exsiccari possunt. Ubi acrioribus uti suppositoriis volumus, certi simus necesse est, ægrotos nullo modo in ano aut intestino recto vel læsos esse, aut inflammationem tumoremve pati.

Sectio IV.

De epithematibus, fomentis, sacculis medicamentosis ac pultibus sive cataplasmatibus.

Oxyrrhodinum refrigerans in atrocissimis capitis doloribus in febribus acutis.

℞ Sem. cydon. psyllii ana ℥ij. aq. sperm. ranar. ℥vj. aceti rosar. fortissimi ℥iiij. hisce extrahatur è seminibus mucilago, cui addantur ol. ros. ℥ij.

Si necessitas hujus usum requirat, madefiant in eo linteola fronti applicanda, quæ ubi è calore nimio fuerint exsiccata, denuo madefiant, reitereturque pro necessitatis exigentia.

Cautio in usu oxyrrhodinorum refrigerantium probe observanda.

Primum in atrocissimis ac maximè intolerabilibus per accidens ex ebullitione ac fermentatione sanguinis, calidorum putrefactorum humorum aliarumque noxiarum materiarum ortis capitis doloribus, qui sæpissimè in febribus acutis ac periculosis ægrotos excruciant, non illico hujusmodi oxyrrhodinis, multò minus aliis, quæ opium vel extractum hyosciami recipiunt, temerè (quod ab aliquibus imprudenter satis factitatum scimus) utendum. Sed ante omnia eò allaborandum, ut convenientibus, quarum superius mentio facta, vehemens, humorum ebullitio ac fermentatio inhibeatur, infræneturque calor p.n. temperetur, hi ipsi etiam exigente necessitatis casu conveniente vomitorio vel lenitivè purgantibus, vel enematibus educantur ac eliminentur, maximaque inflammatio ac ebullitio sanguinis venæsectione accommodo & legitimo tempore mitigetur, cui scopo non minus etiam inserviunt cucurbitulæ, cum & sine scarificatione, frictiones extremorum, epithemata plantis pedum facta, aliaque alia, quę materiam ascendentesque humorum peccantium vapores à loco affecto nobili revellant ac ad ignobiliores partes quantum possibile trahant. Quæ omnia si fuerint observata ac facta, dolores tamen ac calor non cessent, præmemorato tunc vel aliis oxyrrhodinis uti tutius licet. Ast probè notandum, hæc non esse applicanda in principio paroxysmorum febrilium, ubi summa ope vapores è præcor-

diis,& inferiore ventre ad caput elevantur exitumque quærunt, sed in statu eorundem ac fermè declinationis principio, repercussi enim hujusmodi in principio vapores cordi maximè sunt infesti, variaque ac lethalia etiam excitant symptomata.

Secundo sciendum, ex horum oxyrrhadinorum refrigerantium abusu, ægrotus à febre factum immunem ac ab ea liberatum debile ac frigidum variis exinde calamitatibus obnoxium retinere semper cerebrum. Melius itaque actum existimo, si hujusmodi humorum ac inde progenitorum dolorum ferocia laudano aliquo, vel dianepenthes (quorum supra in Myrothecio feci mentionem) quam particularium ejuscemodi medicamentorum causam dolorum principalem non aggredientium nec alterantium usu (in quo tamen totus rei cardo hæret) infrænetur potius mitigeturve. Non dubito insuper asseverare, legitimè præparatum, ac ratione suarum qualitatum temperatum laudanum cum discretione legitimo tempore usurpatum, omnium hoc in casu utensilium medicamentorum esse utilissimum ac approbatissimum.

2. Excellens ad maniam fomentatio.

Mania gravissimus est sine febre cerebri affectus à fervore bilis aliarumque humorum, qui suas in cerebro operationes perficiunt, inflammatione ortum ducens, ubi hominis læditur imaginatio ac ratiocinatio, ut variis perturbationibus miserrimè cum ferocia divexetur excrucieturque, quas omnes ac singulas hîc velle enarrare, superfluum esse existimo.

Morbus hic curationem adhuc admittit, si modò ægrotus in hunc ipsum non fuerit naturâ proclivis, aut malum sit inveteratum altasque egerit radices, ut sensuum etiam functiones ac organa totaliter sint læsa ac omnimodè corrupta, præter humectantem ac refrigerantem diætam, potiones item fervorem materiæ peccantis alterantes ac præparantes, itemque venæsectionem, purgationes, anodyna somnifera aliaque medicamenta interna, externa etiam usurpantur, è quibus hoc epithema in hunc finem singulariter præparatum miræ efficaciæ hoc in affectu fuisse, sum expertus.

℞. Cap. vervec. mundat. & in 2. part. divis. n. ij. evulsis linguis coquantur in aqua absque sale tam diu, donec caro ossa reliquerit, mensuraque una decocti satis efficacis ac candidi remanserit, in colatura rursum calefacta ac optimè contecta macerentur, non verò ebulliant, sequentes sacculi vel potius pileoli vespertino tempore applicandi.

℞. Fol. malv. exsiccat. violar. fl. nymph. alb. fol. papav. ana M. ij. fl. chamomil. ros. rubr. primul. veris fl. lil. alb. verbasci, ana M. j. concisa minutim herbæ in duobus diversis sacculis sive pileolis capiti accommodatis intersutis discriminentur. Utendi autem modus talis est. Collocandus est in sella ægrotus, aut bonis verbis, aut violentia, cavendo, ne cuipiam astantium damnum ab hoc ipso inferatur, collocati ita in sella crines ad radices usque detondeantur, sumtoque unus maceratorum pileolorum capiti superponatur calidus, ibidemque tam diu, donec inceperit refrigescere, relinquatur, quo semoto, substituatur

tuatur alter etiam calidus hæcque fomentatio continuetur per dimidiæ horæ spatium. Deinde capite sine frictione deterso, frons illinatur. ol. papav. alb. & fl. sambuc. recent. expreſſ. optimeque permixtorum ana q. ſ. capite capitio prius probè munito æger in lecto quietus, quantum poſſibile molliter recumbat, quæ fomentatio aliquot diebus neceſſitatis caſu ita exigente reiterata, non in caſſum abibit, ſed fructus ejus è poſteriori ac ſubſequente operatione colligentur excellentes. Neceſſaria autem ante hoc particulare univerſalia remedia. Itemque, ubi ægrotus divinâ aſſiſtente gratiâ reconvaluerit, vitam vivat quietam ac ſobriam, bonaque utatur ac conveniente diæta, conveniunt inſuper temperata cephalica, expurgeturque annuatim tempore præcipuè verno, & ſi ſit plethoricus, venę quoque ſecetur. Hiſce remediis præcavebitur atrociſſimi hujus morbi inſultus vel totaliter, aut ad minimum vehementia ejusdem debilitabitur.

3. *Sacculus cephalicus corroborans in affectibus capitis frigidis.*

℞. Fol. roriſmar. exſicc ſalv. majoran. roſ. rubr. ana ℥ß. ligni aloës electi, caryophyll. rad. irid. nuc. moſch. ſuccin. alb. benzoin. el. ſtyrac. calamith. ana ʒij. F. omnium pulvis ex quo concinnetur cucupha (quæ hîc ſub ſacculi nomine venit) inter duas ſyndones rubras cum pauca bombace interpaſtata.

Sacculus hic vel cucupha hæc calefacit, ſiccat, corroboratque caput, iisque præſertim utilis, qui intemperie cerebri laborant frigida & humida, ac ad vertiginem, apoplexiam & epilepſiam aliosque ſimiles affectus maximè ſunt proclives, anni præſertim tempore frigido & humido. Huic verò & ſimilibus externis non abſolutè fidendum medicamentis, ſed requiruntur & alia interna ſuperfluos capitis humores exterminantia medicamina.

4. *Sacculus alius contra acres ac tenues capitis deſtillationes.*

℞. Cap. papav. alb. exemptis ſeminibus exſiccat. rad. nymph. tormentil. ana ℥ß. fl. roſ. rubr. myrtil. ſuccin. alb. maſtich. el. myrrh. el. oliban. ana ʒj. M. f. pulvis ad uſum aſſervandus.

Pulvis hic ſiccat, aſtringit, incraſſat tenues ac acres à capite in pectus irruentes deſtillationes, temperatiſſimum etiam infantibus tutò conveniens in forma ſacculi vel pileoli medicamen.

5. *Epithema cordiale refrigerans ac humectans.*

Vapores calidi, qui à fermentatione ac putredine bilis aliisque acribus humoribus oriuntur, uſque adeò exſiccant ac incendunt calidi innati fontem, cor ſcilicet vitalesque ſpiritus, ut, ſicuti humiditas vireſcentis ligni exſiccatur igne, ac denique conſumitur, ita humidum radicale continuo calore ac incendio debilitetur, meliorq; corporis humani humiditas ipſa etiam caro ac ſanguis ſenſim exareſcant ac conſumantur, quod in iis.

iis præsertim subjectis, qui complexionis sunt calidioris ac siccioris, valdeque macilenti clarissimè apparent. Ideoque prudentes etiam Medici præter usum universalium medicamentorum, quibus peccantes materias exturbant, maxime sunt solliciti, ut non solum mediante diæta humectante, verum etiam externis remediis hujusmodi incendiis, quantum quidem possibile, occurratur eademque resi inguantur, cui scopo hujusmodi epithema est utile.

℞. Sem. cucurbit. vel cucum. rec. papav. alb. ana ℥j ß. ex conquassatis extrahatur cum decocti hord. ℔ j. emulsioni huic adde ol. amygd. d. rec. s. igne express. (ut infra docebitur) ℥ij. In hoc liquore linteamina madefacta tempore, ut de epithematibus capitis dictum, conveniente, extenduntur supra pectus, quotiesque necessitas requisiverit, renovantur.

Hoc epithema non solum summè est utile in febre ardente, verum etiam in hectica & maximis pulmonum inflammationibus sive peripnevmonia. Loco prædictæ emulsionis sumere etiam licet decoctum hordei mucilaginosum, addito ol. sem. cucurbit. vel papav. alb. recentissimè expresso, quod calorem ejusmodi hecticum potentissimè attemperat ac mitigat.

6. *Sacculus medicamentosus pectus calefaciens.*

℞. Flor. chamomil. roman. exsiccat. fol. hyssop. origan. marrub. sem. fœnic. dulc. bac. junip. rad. helen. ireos nostr. aristoloch. rot. ana ℥ß. incisa includantur sacculis xylinis, qui intersuantur. Pulvis hic pectus egregiè calefacit, crudos ac frigidos in pectore contentos humores digerit, flatus sive inflationes thoracis exinde progenitos discutit, asthmaticisque peculiariter subvenit.

Possunt hi sacculi gestari vel sicci, vel vino malvatico aut hispanico irrorati, lentissimeque in patellis duabus stanneis super ignitabulo excalefacti applicari.

7. *Epithema cordiale in febribus malignis ac pestilentialibus.*

℞. Corall. rubr. præpar. C. C. ustum ac præpar. succin. alb. præpar. ana ℥ß. in patella vitrea mixta irrorentur q. s. suc. citri vel limoniorum clarificati, ut consistentiam brodioli acquirant, pone in hypocausto calido vel alio loco simili usque dum exsiccatum fuerit, hicque modus secundo cum succis reiteratur, inque priorem pulveris formam redigatur. His ita peractis, ℞. fl. rosſ. rubr. exsiccat. caryophyl. hortens. plenor. separata inferiore albedine, fl. buglosſ. ana ʒvj. cort. citri, sem. carduiben. ligni aloës el. (notas ejusdem superius in libro de vegetabilium essentiis tradidi) santal. citri, ligni rhodii rad. tormentil. bistort. zedoar. ana ʒj. croci oriental. ʒß. pulverisata omnia ac subtilissime percribrata præparatis addantur, tandem camphoræ opt. gr. xij. in mortariolo cum prædicti pulveris cochleari uno optime conteruntur, & si probe fuerint commixta, reliquis admiscentur. Hic pulvis ita ad perfectionem perductus in vitro, optime obturato, servetur ad usum.

Pulvis hic ratione suarum qualitatum

tum maximè est temperatus, exsiccat, roborat ac confortat, malignitati resistit, conclusosque vapores cor ferme opprimentes discutit.

Ubi quis hoc ipso, in prædictis febribus pro epithemate cordis, capitis, temporibus item ac manuum pulsibus applicando uti voluerit, is pulveris hujus cordialis ℞. ʒß. aq. ros. fragrant. ℥iij. vini malvat. vel alterius alicujus generosi ℥ij. in agitatis optimè madefiant linteamina vel peculiares sacculi ad hoc negotium parati, locis prædictis debito modo applicandi. Loco etiam vini sumi potest acetum aliquod florum, vel aqua cardiaca aut alius similis, intemperiei corporis, conditioni affectæ partis, symptomatibusque febrium (quorum singulorum peculiarem velle instituere enarrationem, hujus loci non est) conveniens ac necessarius liquor. Hujusmodi autem epithemata usurpari debent legitimo tempore ac cum judicio, non verò indiscriminatim omni die ac hora, ut aliqui obtusi valde ingenii imprudenter solent, qui, si fortè ægrotus in adventu paroxysmi taciturnus aut aliquantulum consternatus reperiatur, curiosuli hoc, vel simile epithema applicaturi stant in procinctu, subitò horum applicatione liberatum iri ægrotum sibi certissimè persuadentes, cum tamen sæpissimè contrarium evenire soleat, naturæque motus ac vires in pugna contra morbum impediantur ac quasi ligentur, sicque majus exinde exsurgat damnum quam feratur commodum naturæ, adversus hostem auxilium. Potest etiam in præmemoratis febribus internè usurpari à ℈ß. ad ℈j. habita ætatis ac subjectorum ratione commixtusque aquis destillatis vel Julapiis convenientibus pro unica dosi exhiberi. Vel concinnati morsuli, sumendo sc. sacchari in aq. ros. dissoluti ℥j. pulveris ʒj. de iisque sæpiusculè parum deglutiri.

8. Sacculus calefaciens stomachalis.

℞. Menth. crispæ, fl. & fol. absynth. thym. rad. caryophyll. fl. cheyri ana ʒß. cort. arant. ab interiore candicante cuticula liberato rad. galang. calami aromat. mac. ana ʒj. M. f. pulvis.

Calefacit, corroborat, utilisque contra imbecillitatem, nauseam, vitiatam concoctionem, inflationem doloremque ventriculi, orta ex frigiditate vitia. Usus verò ejus est, ut sacculis inclusus accommodetur regioni ventriculi, vel siccus, vel si necessitas exigat cum sacculis vino rubro madefactus.

9. Cataplasma stomachale in acutis.

℞. Panis triticei bis cocti ℥ij. fl. ros. rubr. myrtil. fol absynth. sysymbrii aquat. ana ʒß. rad. tormentil. ligni aloë, myrobalan. citrin. exemptis nucleis, nuc. mosch. ana ʒij. M. f. pulvis subtilissime triturandus ac per cribrum trajiciendus, dein ℞. cydonior. cond. ℥iiij. contusis in mortario, adde partem unam hujus pulveris, aceti rosac. ℥j. f. pulticula, linteaminibus superducenda, quibus necessitatis tempore ventriculus contegatur.

Cataplasma hoc admirandæ est efficaciæ in sistendo continuo vomitu, qui in febribus biliosis, acutis, malignis ac pestilentialibus ægrotos miserrime excruciat, facitque ut tam cibos quàm assumpta medicamenta rursus rejiciant, salutare item in singultu ac lienteria.

10. Cataplasma hepaticum corroborativum.

℞. Fl. rof. rubr. gran. tinct. fem. plantag. fantal. rub. ana ℥ß. f. fubtilis pulvis, cui adde corall. rubr. præpar. ℥ß. camphor. ℈j. omnia l. a. optimè mifceantur.

Pulvis hic mifcetur cum cydoniis aq. plantagin. à faccharo liberatis, addito pauco aceto rofarum, eo, ut de fuperiori dictum, procedatur modo pro formando epatis cataplafmate, eximiarum hoc eft virium in corroborando ac confortando à caufa calida inflammato ac debilitato hepate.

Cùm verò cydonia hisce cataplafmatibus formandis maximè fint utilia, ideò fciendum, hæc optimè in taleolas ut noftri cum pomis ac pyris folent, poffe confcindi, exficcari ac ad ufum affervari, quando verò in ufum venire debent fruftula hæc in aq. aliqua deftillata calefacta macerentur prius, deinde contundantur, hâc ratione affervata ac præparata longè funt meliora conditis.

11. Cataplafma fpleneticum.

℞. Farin. fabar. ℥iij. pulv. cumin. ariftol. rot. rad. afari ircos ana ℥j. coq. in lixivio ciner. ligni fraxini, f. cataplafma addendo ol. rut. ℥j. anethini ℥ß. Cataplafma hoc inflationes lienis potentiffimè difcutit, tumoremque ejusdem frigidum abfumit, imponendum verò eft calidum ac pro neceffitate reiterandum.

12. Cataplafma aftringens.

℞. Farinæ fabar. toftæ quidem, aft non aduftæ ℥iiij. rad. tormentill. fubtiliffimè pulverif. gallar. C. C. philofoph. præpar. boli orient. ana ℥j. M. Deinde coq. in decocto prunor. fylv. fatis aftringente ad confiftentiam pultis.

Egregium eft hoc cataplafma in fiftendis alvi periculofiffimis, five cum, five fine fanguine fluant, profluviis, toti inferiori ventri impofitum. Univerfalia verò præcefferint, maximè eft neceffarium, quæ peccantem materiam convenienter prius eliminarint, vel natura, fua fponte moleftam fibi hydram expulerint, ulterioraque ita non requirantur cathartica.

13. Sacculus flatus difcutiens.

Rec. Fl. chamomill. melilot. tanacet. agerat. fol. abfynth. ana ℥ij. fem. aneth. fœnic. cumin. bacc. lauri, juniper. ana ℥j. contufa contundenda ac concifa confcindenda. M.

Hæc mixtura calefacit, difcutit, maximi eft ufus in torminibus ventris five colica flatulenta, doloribus matricis, laterum, doloribus nephriticis aliisque fimilibus à frigidis crudisque humoribus ac conclufis flatibus ortis affectibus ac accidentibus.

Applicatur inclufa facculo interfuto vel ficca, vel vino aliove liquore pro libitu madefacta. Hic autem candidè monere volui, hujusmodi exficcatas herbas præcipuè illas, quæ odoriferæ funt, valde fubtiliumque partium fomentationes ingredientes non neceffario effe coquendos, fed fufficit earundem in olla vitreata vel cantharo inclufarum cum vino, hydromelito, cerevifia vel lacte in aqua calida facta maceratio, cavendum interea, ne plus liquoris, quam pro nuda maceratione requiritur, affundatur. Hac fiquidem ratione fub-

subtilissimæ illarum qualitates coctione alias perituræ conservantur. Præterea non astrictus est quispiam formulis à me E.G. præscriptis, sed augere vel minuere cuilibet ingredientium vegetabilium aliorumque dosin pro arbitrio ac necessitatis casu, licet.

14. De Epithematibus, quæ interdum ægrotorum pedum plantis applicantur.

Incalidis capitis in febribus præsertim aliisque corporis morbis ægrotos miserrimè excruciantibus affectibus solemus nonnunquam præter alias externè factas medicationes, sc. venæsectionem, cucurbitulas cum & sine scarificatione, extremorum frictiones, quibus materiam à loco affecto revellimus, plantis pedum vel aliis corporis locis, revulsionis etiam gratia medicamenta applicare materiam ab alto attrahentia.

Hæc autem sunt varia ac multiplicia, potissimum tamen triplicia, lenia, mediocria & vehementia, in usum namque interdum veniunt vesicatoria, ac inflammatoria, qualia sunt, cantharides, esula, ranunculus, aliaque similia; cum autem hæc non cuique arrideant maximaque in eorundem usu cautione opus sit, hæc silentio p. t. involvo. Mediocria verò sunt decorticatus raphanus sale conspersus, vel concisa minutim rutæ folia, fermento, sale ac aceto in forma pulticulæ mixta, aut sem. sinapi hortensis cum fermento panis & pauco sale, hæcque remedia manè & vesperi pedum plantis applicantur, & pro necessitate plurimis diebus eorundem usus continuatur.

In hunc etiam finem præter hæc alia, ut dictum, usurpantur, quæ prolixitatis tædio hîc omittimus. Hoc siquidem in passu quilibet pro arbitrio suo experientia magistra comitante progreditur vel subsistit.

SECTIO V.

DE OLEIS ET VNGVENTIS.

PRæter alia instrumenta, quibus pater- & materfamilias, ad medicamentorum præparationem necessariò indigent, maximè utile etiam est torcular aliquod sive prelum, quo olea ac succi exprimantur, de quacunque autem materia illud sit fabricatum nihil interest, temporeque necessitatis sufficit ligneum bibliopegæ prælo non dissimile modo ejus cochleæ sint densiores lignumque crassius. Oleum verò ovorum sequente modo præparare soleo: ℞. Ova recentia inculpata elixatione indurata N. L. exemptos vitellos ac cochleari ligneo comminutos ac contritos igni mediocri in sartagine asso vel frixo modico igni, movendo semper ne vasi adhæreant, vel empyrevma redoleant, donec rubescant & inter digitos pressa liquorem incipiant reddere pinguem, post confestim in sacculum lineum massam ferventem injicio, quam inter duo tabulata quercina prælo exprimo, expressum coloris aurei oleum, quod instar butyri coagulatur, excipio & usui repono. Residuam materiam post expressionem restitantem secundo contero, calefacio, præloque oleum superiori addendum exprimo. Si recensiti hujus laboris quempiam non tæduerit, odorem vitellorum, diuturnitate tamen temporis tandem aliquando periturum, non alium verò pe-

regrinum, retinebit ; hoc etiam oleum non ut alia corrumpitur, quod certiſſima obſervatione ipſe conteſtor , qui per octennium illud aſſervando, ne minimam quidem odoris, aſt coloris aliqualem ad albedinem vergentis mutationem ſum expertus.

Paratur hoc oleum alia quoque ratione , ſecundum uſitatum pharmacopolis modum : vitelli nimirum ovorum ad ignem fortem ſpatulâ in ſartagine ferrea verſantur, uſque ad ſeparationem liquaminis pinguiuſculi ſubfuſci : quod ipſum tamen ob nidorem, empyreuma & colorem nigricantem, plurimis, delicatis præſertim hominibus, admodum adverſatur, & tantum in unguenta quædam exſiccantia recipi poteſt, cujus vicem quævis ferè alia pinguedo facultatis exſiccantis particeps ſupplere poteſt, nec enim vitellorum ipſorum temperiem & qualitates obtinet.

Cæterum oleum ſuperius rite præparatum, cutanea vitia, ſcabritiem, cicatricem ab aduſtione , ſerpiginem ac variolarum veſtigia extergit, capillos producit, rhagades manuum, pedum, oris, mammarum nec non verendarum partium tollit, moleſtias hœmorrhoidum placat , tumores articulorum, ſugillata & contuſa partium carnoſarum , nervorum diſtorſiones & puncturas emendat, horumque dolores tanquam anodynum ſingulare ſopit , & plures in chirurgia affectus præſtat.

Oleum Amygdalorum dulcium abſque igne paratum.

℞. Amygdalorum dulcium electorum ℔ j. harum panno rudi pulverem flaveſcentem fricando removeto, maſſam porro ſine humido quovis admiſſo contuſam & lineo ſacculo firmo exceptam, torculari per aliquot horas torquere oportet , licet enim ab initio oleum longa ſatis copia prodeat , conceſſa tamen mora guttatim plus exſtillat, quarum ℔ j. obſervatis obſervandis facilè ℥v. olei ſuppeditat, quem modum etiam imperiti aliqui Pharmacopolæ vix agnoſcunt : Ex amygdalis pellicula exutis quoque minutim tamen inciſis, ac loco calido reſiccatis , ni quis voto ſuo fruſtrari velit, oleum exprimi poteſt.

Oleum ad hunc modum paratum vulgari ex toſtis amygdalis confecto præſtat, moderatè calefacit, emollit, laxat , nutrit, aſperitatem faucium atque reſpirationis viarum , ab humorum acrimonia productam , cum ipſa tuſſi mitigat, tabidos reſtaurat cum juſculis ſumptum , ſemen auget tenerioris conſtitutionis hominibus, colicam & uteri ac renum dolores ſedat, meatus urinarios lubricando , arenulis & lapidi viam aperit , flatus & diſtenſiones lumborum minuit. Gonorrhœam virulentam, & exulcerationes orificii veſicæ ac conſequentem ardorem dolorificum demulcet , partum facilitat & difficultatem accidentiaque ejuſdem lenit, puerulorum morbis , præcipue epilepſiæ , torminibus, & tuſſi moleſtæ convenit, materiam morbificam blandè ſubducendo , nervorum duritiem , tonſillarum tumorem, ſcabiem ex ſalſis & aduſtis humoribus emendat. Doſis ejuſdem cum cereviſia , vino , vel juſculo, ſyrupo aut linctu, aut etiam ſcopo reſtaurandi præſente , cum panatella ad duo vel tria cochlearia aſcendit , puerulis verò in tuſſis gravamine cochleare unum,

cum

cum pauxillo facchari canditi exhibendum, eoque exterius pectus inungendum. In exulceratione verò canalis urinarii & glandis in pene, non solum per os illud ipsum assumere, sed per syringam injicere juvat, recenter tamen paratum, cum temporis spatio facilè rancescat, ideoq; etiam ad talem saporis ingratitudinem evitandam semper sacculi recentes ad hoc opus adhibendi sunt.

Oleum Carminativum.

℞. Amygdalorum amarorum contusorum ℔ j. seminis Carui ℥ ß. Mixta & cantharo excepta per quadrantem horæ Balneo Mariæ macerentur, ac mox dum calent, exprimantur, qua ratione & via oleum odoratum & coloris viridis obtinetur.

Hoc oleum singulare est in tinnitu aurium, colica omnibusque doloribus & tensionibus à flatuum conclusorum inquietudine, tympanitide, hepatis & lienis obstructione à causa frigida, simul ab aquositatis expurgatione ad reliquias discutiendas & partes corroborandas plurimum valet, & non tantum exterius, sed necessitate quoque requirente interius tum per os, tum per clysterem ad intestinorum torsiones dolorificas abolendas est congruum. Facilis quidam processus oleum nobile ex herbis extrahendi.

Oleorum cum simplicium infusione à vetustissimis anthoribus ad nos usque parandi modus in usu fuit, quorum tam simplicium, quam compositorum mixtura ad unguenta & emplastra maximè Dioscoridis aliorumque Veterum ævo maximè solennis fuit. Fiunt autem sequenti modo.

Folia surculi aut apices herbarum, aut earundem succi in oleo ad Solem macerantur, ac porro ad consumptionem aquositatis in herbis contentæ coquantur, quarum repetita infusione oleum viribus simplicium magis impraegnatur, cui modo suum pretium sit, cum tamen rarò in pharmacopoliis olea sapore & odore simplicium qualitatem referentia reperiantur, iisdemque virtutem quampiam vulgo æstimatam vix inesse credo, atque idcirco modum quendam aliquantum convenientiorem tradam.

℞. Foliorum absynthii, cum gemmis concisorum & aqua irrigatorum, cucurbita vitrea exceptorum ℔ iij. quibus olei electi ℔ vj. affundantur cum media mensura aquæ communis, atque tota mixtura lento calore aquæ mediocriter calentis viginti quatuor horarum spatio maceretur, compressa subinde herba lignea spatula, exinde omnibus sacculo inclusis major pars olei sponte percolari permittitur, reliqua verò prælo exigitur, qui labor infusione herbæ recentis sine aspersione aquæ tamen, & pari maceratione ac expressione quater vel quinquies repetitur, demumque hoc oleum cum succo conjuncto in vas separatorium tritorii forma effictum, infra foramine quod subere, stuppa cannabina involuto clausum sit, transmittitur, & succus, postquam in fundo ab oleo separatus est effunditur, oleumque vicissim peculiari vase reconditur.

Secundum hanc omnia olea per infusionem parabilia seu simplicia seu composita perficere soleo, multiplicata mage

quandoque ut in oleo anodyno, ſeptenâ infuſione repetitâ, florum ſambuci, roſarum, liliorum alborum, chamomillæ, verbaſci, quo ſtudio comparatorum unciæ uni quandoque majorem efficaciam quam vulgarium integræ propemodum libræ ineſſe comperi, qui mos à Pharmacopœis ut reciperetur, certè optandum eſſet, quod facile fieret niſi pertinacia irretiti, aut magis inſania capti, à veſtigiis veterum ne latum unguem recedendum eſſe exiſtimarent. Notandum quoque eſt, herbas ac flores humidiores nullius humoris aſperſione opus habere, cujus ope olea in temperamento debito conſerventur.

Unguentum ſambucinum ſingulare.

Rec. Lithargyrii auri in pollinem redacti ℥ij. Aceti ſambucini ℔ ſ. Mixta ſimul per mediam horam in aqua calida foveantur, quo temporis ſpatio acetum aſtrictoriæ facultatis nihilominus particeps dulceſcit. Nunc ℞. hujus aceti, & olei ſambucini ad prius dictum modum parati ana ℥j. & in patina ſtannea agitando in unguenti conſiſtentiam redigantur. Uſus hujus unguenti ad dolores capitis à cauſa calida obortos, linteo excepti & applicati, ad fervorem hepatis & renum eryſipelatodem, aduſtionem ab igne, repentinam uteri hæmorrhagiam regioni oſſis ſacri applicatum, in hæmorrhagia narium vero genitalibus dextro hypochondrio & fronti impoſitum (cavendo loca pectoris & pulmones) præclare facit.

Unguentum ſomniferum.

Rec. Olei ſambuci ℥iij. ceræ flavæ ℥j. fundantur leniſſimo, quantum fieri poteſt, igne, refrigerato unguento in mortario lapideo miſce olei Anethi recenter deſtillati gutt. xx. Camphoræ gr. vj. Croci gr. iiij. f. l. a. unguentum. Ægrotos pervigiliis vexatos ſublevat & præſente contra indicatione interna ſomnifera exhibendi, inunctione tantummodo temporum & rariorum partium cranii, cujus vim additione 6. vel 7. granorum Laudani augere licet. Plura equidem ſelecta medicamenta huic Tractatui inſerere potuiſſem, niſi illa in aliis meis operibus, hydrelæologia nimirum, anatomia eſſentiarum vegetabilium, tartarologia accuratè conſcripta eſſent: Quocirca anchoram hoc in loco tanquam portu exoptato figo ſubmiſſis cum votis, ad Divini Numinis gloriam & proximi utilitatem cuncta cedant.

FINIS.

PULVIS

PULVIS ROSÆ VITÆ,

Sive

Excellentissimarum

PROLIXA, VIRTUTUM PULVERIS PURgantis, Rosa vitæ dicti, Enarratio, Modique utendique clara Informatio.

Autore

Excellentissimo Philosopho & Experientissimo Medico

D. ANGELO SALA VICENTINO VENETO.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

BEnevole Lector, Æternus animæ & corporis nostri Archiater, unicus humani generis Redemptor, Matth. 19. quæ hominibus videntur impossibilia, dicit, illa ideo Deo non sunt, ipsi enim cuncta sunt possibilia, quæ verba non tam Theologo quam etiam Medico probè sunt perponderanda, cùm homo non tam in spiritualibus quam corporalibus rebus cæcutiat, ac absque Numine nihil sit in homine, quod æterna paterni Patris Sapientia his verbis, Matth. 5. clarissimè innuit: Non est tibi possibile ullum tuorum capillorum reddere album aut nigrum.

Exinde

Exinde etiamque colligere licet, curationem morborum in manibus esse DEI, qui in naturalibus potentiam suam exercet secundum omnibonam suam voluntatem, non vero nostram scientiam, experientiam aut artem, ab ipso enim, quicquid tota hæc universitas in se continet, omne est creatum, viresque ab ipso & non alio, herbis sunt infusæ: Cum itaque medicina sit voluntas DEI, meritò Medicus hanc divinam voluntatem ardentissimis precibus ac indefessis laboribus addiscat, repertas in rebus naturalibus virtutes ac operationes necessario magnifaciat, & licet rationem earundem non semper, an scilicet à caliditate, frigiditate, humiditate vel siccitate proveniant, reddere possit, virtutibus tamen, quod tales sint, contentus, cœlum terramque implentem Omnipotentis sapientiam quatuor ne conetur includere complexionibus, namque aliarum rerum naturalium vera cognitionis fundamentum licet nobis sit per divinam gratiam revelatum, principalissima tamen arcana nobis non sunt detecta, cujus rei clarissimum nobis exhibetur speculum in Magnete, is solum ferrum, relictis aliis metallis attrahat, hujus etiam auxilio nautæ in latissimo mari nil nisi cœlum ac aquas videntes, in quamcunque quatuor mundi partium navigaturi, pansis velis quærunt vias, nocte dieque, serena etiam sive nubila existente tempestate, ubi locorum hæreant, quove sub polo navigent, optimè callent. Certum interim est, nullum ex omnibus qui hactenus vixère, vivuntque nunc, fuisse repertum aut reperiri posse, qui ex fundamento non solum hujus, sed aliarum etiam in medicina quotidie obviarum operationum intellectum humanum transcendentium exquisitam reddere rationem potuisset vel possit, ex quibus apparet magnalia DEI esse infinita, magnaque in aliis etiam in medicina utilibus latitare occultata arcana, quorum quidem operationes oculis nostris indies videamus manibusque palpemus, causas autem harum ignoremus. Quod etiam in meo pulvere sum expertus, qui quidem occultas habet proprietates, manifestas tamen operationes, ac tales quidem, ut omnes corruptos humores vel putrefactos catarrhos homini à vertice capitis ad pedum plantas usque variis accidentibus infensos radicitus ac ex fundamento extirpet, corpus ab omni immunditie ac impuritate, veluti sapo pannum, liberet, viribusque naturæ resumtis, bonum ac laudabilem sanguinem de novo procreat. De possibilitate itaque nemo dubitet, sed sufficiat admiranti ejusdem in aliquot centum hominibus, tam viris quam mulieribus, fortioribus & debilioribus in 18. etiam mensium infantulis maximo cum fructu comprobata virtus, non complexiones ægrotorum, sed morbos potius purgantibus eliminandos considerando, varia namque morborum sunt genera variis ac diversis aggredienda remediis, quibus peccatorum nostrorum pœnis varias constituit medelas, diaphoretica scil. diuretica, cordialia, anodyna, somnifera, sive hypnotica, alexipharmaca, styptica, attractiva, phlebotomiam item, scarificationes, frictiones ac diætam, &c. in Summa, quilibet mor-

morbus certa methodo ac regulis prudenti Medico scitu necessariis, curandus est ac persanandus. Ideoque non exhibeo pulverem meum in omnibus sive curabilibus sive incurabilibus morbis, sed in iis solum scio eundem futurum proficuum, quorum paulò post prolixus sequetur catalogus, nam; Contra vim mortis non est medicamen in hortis.

PULVERIS HUIUS ADMIRANDI VIRTUTES.

PRimum sciendum pulverem hunc omnem biliosorum ac pituitosorum noxiam copiam attenuare ac exterminare, sudorem etiam movet, somnumque naturalem promovet, iis ideoque utilis, qui destillationibus capitis sunt obnoxii, unde oriuntur cephalalgia, diminuta memoria, imaginationis ac ratiocinationis depravatio, anditus gravitas; visus debilitas, genarum tumores, putrefactio ac erosio gingivarum, dentium cavus, pectoris dolores, asthma, tussis, quotidianæ è pectore purulentæ ejectiones, &c. hic enim pulvis omnes à catarrhis progenitos curat morbos, nam bis vel ter quotannis modo inferius tradendo usurpatum, catarrhos è corpore eliminat, caputque ac sanguinem cum admiratione mundificat.

Præterea utilis etiam est & quidem excellenter hydropicis aut œdematosis ubicunque etiam hi hæreant, tumoribus obnoxiis, quoties enim necessitas requisiverit, naturam à copioso phlegmate liberat, observetur autem in his Lunæ decrescentia.

Maximæ etiam est efficaciæ contra dolores colicos ut & febres, icterum, aliasque à bilis copia exortas ægritudines, aperit enim omnes internas hepatis, lienis, renumque obstructiones.

Puerulis etiam in infarctu pulmonum & vermibus ab indigestis cibis pronatis, summo licet in vitæ periculo appareant constituti, ac jam suffocari quasi videantur, summum est auxilium, itemque tussientibus, febreque catarrhosa laborantibus, ut & macie corporis phthisicorum instar fermè confectis, hic pulvis exhibendus, viscosum enim ac lentum in pectore contentum phlegma per expectorationem ejicit, vermes per alvum radicitus exturbat, potest commodè reiterari, sed ad minimum tertio à prioris usu die.

In lue venerea corpus egregiè purgat, sanguinem mundificat, omnes tumores carnis œdematosos consumit, sanationiq; vulnerum promovendæ conducit.

Conducibilis quoque mulieribus, quarum matrices copioso phlegmate ac putrida scatent materia, unde obstructiones mensium, stomachi inversio, nausea, inflationes, atrocissimi capitis dolores, lassitudines totius corporis spontaneæ,

syncope, fervor ac ebullitio sanguinis, flatulentia aliaque innumera exoriuntur, corpus muliebre excruciantia vitia, ut impossibile sit hos propter affectus mulierem aliqua posse gaudere prole, hujus verò pulveris primo vel secundo usu, mundificatur cum ipsa matrice totum corpus.

Item ad attenuandam materiam difficulter ejicibilem, sumatur sæpius de die brodium aliquod carnis, quod expectorationem egregiè adjuvabit. Quibus verò hujusmodi materia in ventriculo impacta hæret & non in pectore, in his nihil ejicitur per asperam, sed materia peccans exterminatur per alvum.

Tandem denique summum est remedium ac in plurimis mulieribus expertissima Medicina ad ejiciendas mortis periculum minitantes secundinas, in debita enim (habita ratione ætatis ac virium) quantitate exhibitus hic noster pulvis, brevissimis horis post illam expellit, & corpus ab omni immunditie absque periculo liberat, interim tamen bene tecta in loco calido quiescat, utaturque cibo & potu optimè, ut decet corroborantibus, tunc æterni Conditoris propter summas terræ hujus nascentis virtutes summè admiraberis omnipotentiam. Summatim, qui hâc Medicina prudente judicio utitur, is pro summis suis bonis æterno rerum omnium Creatori meritas ac debitas habebit occasionem fertilissimam agendi gratias. Ne verò in dosi quippiam peccetur, ac nobilissimum medicamentum, deleterium fiat injustè usurpatum venenum, quod non solum cum præsente nostro pulvere, verum etiam cum aliis purgantibus, ut rhabarbaro, mechoacanna, turpetho, manna, cassia, diagridio, colocynthide, agarico, fol. senæ, helleboro, cataputiis, tythimalis, elaterio, &c. evenire potest, ac in omnibus usus laudetur, crimen abusus habeat, omneque nimium vertatur in vitium. E. G. ubi quis ebiberet eadem quantitate vinum Malvaticum ut cerevisiam, spiritum vini ut vinum, uteretur que eadem dosi oleis aromatum, cinamomi sc. caryophyllorum, nucis moschatæ, &c. ut ipsis aromatibus pulverisatis, hujus certè de vita actum esset, ideoque in subsequentibus verum ac legitimum hujus pulveris, habitâ ratione ætatis ac circumstantiarum, utendi modum edocui.

Quando, quomodo ac quoties pulvis hic usurpandus?

Pulvis hic præcipuè tempore vespertino, Luna decrescente cum cochleari vini, cerevisiæ, brodio carnium vel convenientibus syrupis, ægroto decumbenti in lecto exhibetur, maximo verò in necessitatis casu post cœnam. Si veniat reiterandus, ad minimum de tertio die fiat in tertium.

Ad ejiciendas autem secundinas nullum observandum statutum tempus, sed maturius, eò offertur ille melius, quocunque etiam tempore sive interdiu sive noctu, ante vel post sumptum cibum, dosis à ij. ad iij. gr. pro ratione virium puerperæ.

Ad præcavendos verò hos omnes hoc in tractatulo recensitos affectus, semel sufficiat in anno sumptus, tempore sc. vel verno vel autumnali,

Dosis

Dosis.

Infanti octodecim mensium gr. ß.

Bimulo verò vel trimulo gr. j

Quadrimulo, quinquenni ac sexenni ac summum gr. j. ß.

Novem verò annorum pueris ad decimum usque quintum annum gr. ij.

Ab anno decimo quinto ad decimum octavum vel vigesimum & vigesimum quartum, si robustæ sat fuerint naturæ, gr. iiß.

Itemque à vigesimo quarto ad sexagesimum usque ordinariè dosis sunt gr. iij. tam in viris quam in mulieribus, robustioribus exhibentur gr. iv. robustissimis verò gr. v.

Debilitatis verò senio ve confectis sufficiunt gr. ij. vel ad summum gr. iiß.

Nota. Subsistatur semper in minori dosi potius, quam ascendatur, nihilque interest, si non in omnibus alvum moveat, quod tamen rarissimè evenit, operationes namque suas per sudorem exequitur, &c.

De complexionum differentia.

Faciles ad purgandum sunt ii, qui debiles ac delicatuli, cachectici, macilenti, oculi quorum concavi, tenerrima quibus cutis, subitò frigore subitò etiam læduntur calore, incessu debilitantur, paucos assumunt cibos, multa tamen per alvum ejiciunt; item qui crassi albicantes, similiter quorum corpora tument, manus ac facies pallent, uno verbo phlegmatici ad purgandum sunt faciles.

Cholericis verò ac Melancholicis, cum durioris sint alvi, plus dandum præ aliis.

Sanguinei, qui simul aliquantulum macilenti, difficulter etiam moventur.

Obesi autem sunt similes phlegmaticis.

Tandem denique à morbis chronicis reconvalescentibus unica dosi parum ast reiteratis vicibus, dandum.

De diæta ac aliis in usu hujus pulveris observandis.

Medicina hæc requirit, ut ægrotus diu usus in calido loco permaneat, utaturque cibis ac potu concoctu facilibus. Vinum bibatur pro ratione ægritudinis, præsente enim febre vel alio calore vinum decocto aliquo temperatum, vel levidense aliquod bibendum itemque cerevisia, brodium vel alius conveniens liquor, &c. pro ratione ægritudinis cujusque facultatis morumq; populi. Summatim, natura debilitata, in totum refocillanda & quantum possibile cibo ac potu reficienda corroboranda, sanguisque renovandus ac confortandus. Quam impossibile enim est lampadem oleo destitutam posse ardere, tam impossibile etiam hominem succo nutritivo ac bono sanguine privatum, detractaque naturæ alimonia posse vigere aut vivere; temperantia tamen hominis est vita.

Sciendum præterea, quod si forte quispiam purgatione fuerit factus debilis, illum jusculo aliquo è vino cum vitellis ovorum ac saccharo parato, vel vino malvatico, succo caponum, pane martio, marmeladâ cydoniorum, &c. esse reficiendum. Cui verò curta est domi suppellex, angusti loculi, loco vini Malvatici vel alterius generosi utatur dimidio cochleari

leari ſpiritus vini ſaccharo temperati, quod egregiè confortabit, brodio item calido, vel cereviſia butyro, ovis, macere, cinamomo vel aliis aromatiſata.

Cautio, quibus ſcilicet hujus pulveris uſus vitandus.

Infantulis infra decimum octavum menſem conſtitutis, nunquam hunc pulverem exhibui, nec aliis, quantum ſcio, id conceſſi.

Prægnantibus item, (licet aliquæ curioſæ abſque ſui aut embryonis noxa eo fuerint uſæ,) niſi fortè prudentis alicujus Medici judicio ſummâ urgente neceſſitate uſæ ſint, ſummè, ut & alia ſimilia, diſſuadeo.

Tandem denique iis etiam hujus pulveris uſus non eſt adeò interdum proficuus, quibus venter tumet, brevioris ſunt colli, anguſtique œſophagi, non quidem, quaſi nullum illis ſit laturus fructum aut auxilium, ſed ideò, quia plerique ſummo cum niſu evomunt ſpirandique difficultate laborant.

Horum, quæ circa hujus pulveris legitimum uſum neceſſariò obſervanda duxi, annotatione cuilibet ſatisfeciſſe me exiſtimo. Benedicat pulveris hujus operationibus inpoſterum etiam ut hactenus is, qui omnibus, cui ſit laus & gloria in infinita ſeculorum ſecula;

Amen!

AN-

ANGELI SALAE, Vicentini,

MEDICI SPAGYRICI, De ERRORIBUS PSEUDOCHYMICORUM

LIBER I.

PROLOQUIUM.

SI quæ in mundo ſcientia, & ars homini utiliſſima, & maximè neceſſaria ſit, quærere velimus, comperiemus, poſt S. Theologiam Medicam artem primum ſibi locum vendicare, quando etiam poſt cognitionem Dei veram, & ſalutem animarum pretioſior theſaurus, quam corporis ſanitas in terris non reperitur, ut è qua reliquarum ſcientiarum, & artium ſpeculatio, inventio & experientia dependet. Homo enim corpore infirmus ad nihil pene eſt idoneus, & ſpiritus ejusdem ob mutuam utriusque ſympathiam afficitur, quamquam nunc maligni aſtutia per prava inſtrumenta tantæ ſcientiæ veritatem obfuſcaverit & obſcurarit.

Etenim quod à benigniſſimo Deo conditum fuerat in ſimplicitate, id quæſivere mortales ob innatam ſibi avaritiam, ambitionem, ſuperbiam, & invidiam deterius reddere, & vitiare: ita quidem, ut hodierna die nihil magis corruptum, & difficile reperiatur, atque ipſa ars Medica, quam ex ſimplici obſervatione ab hominibus collectam, perverſitas noſtra ſub veritatis prætextu, in ſpeluncam ſeductionis convertit, nec non labyrinthum mandragorarum, lolii, opii & aconiti: clamantque alii, à partibus ſumus Galeni: alii, partes tenemus Paracelſi: mutuas contentiones, & diſſidia ſubinde moventes, & interim pauciſſimi reperiuntur, qui dicant, ſe à partibus ſtare matris experientiæ, quique in ſinceritate proximo ſuo ſuccurrere contendant, utcunque jam dictam experientiam à Galeno vel Paracelſo acquiſiverint; hoc enim

enim nihil intereſt. Scopus enim Medicinæ ſuper ea debet fundari, quæ nobis omnium bonarum rerum lucem, & vitam commonſtrant.

Cujus ſemitæ, & viæ, ego quoque inſiſtens, tametſi debile inſtrumentum, eo more omiſſo qui eſt citandi varios auautores, in quibus plerunque contradictiones reperiuntur, relinquens unumquemque in proprio honore, & dignitate præſens opus compoſui, citans duntaxat ipſam experientiam, per quam varii errores in præparatione medicinali tam à noſtra, quam ab altera ſecta commiſſi detegentur. Non quod hic prætendam de re quavis minima diſſerere, hoc namque mihi foret impoſſibile: ſed præcipua quædam, & utiliora in veritatis exemplum impræſentarium depromo, ſperans, annuente Dei gratia, me prima occaſione oblata in lucem emiſſurum aliud volumen, quod Theſaurum Medicorum nuncupabo, in quo id breviter abſque ænigmatum obſcuritatibus, & parabolis, quod ad ſcientiam præparationis medicæ, tum intrinſecus, tum extrinſecus applicandæ attinet, comprehendetur. Interim benignum Lectorem ut exiguum hunc meum laborem æqui bonique conſulere velit, rogans.

Pſeudo-Chymici quinam ſint.

Pſeudo-Chymici ſic dicti ſunt, quod in ſuis operibus à vera, & canonica Chymia naturali diſcedant, quorum duæ ſpecies reperiuntur: ſed pejores & nequiores ii ſunt, qui à ſtatu veniunt Chryſopœico, qui poſtquam multis impoſuere hominibus, tum ſublimis, tum infimi ſtatus, eisque perſuaſere, ſe velle mari aquam afferre, divitias augere diviti, atque è Principibus facere Imperatores, tametſi ipſi ſint ipſamet miſeria aut paupertas, detecta ſua aſtutia & falſitate, omni tum auxilio, & conditione deſtituti, artem medicam tentant factitare, miraque in terris ſe facturos pollicentur, & quemadmodum in prima ſua profeſſione fuere ſinceri, tales & in hac eſſe comperiuntur, cum enim careant fundamentis naturalibus, & humano ſint amore expoliati, hinc fit ut duntaxat quærant aſtutè poſſe ludere atque deludere, quorum etſi nonnulli in diſcurſu Platones eſſe videantur, reipſa tamen aliud non ſint, quam inter bonum granum ſatores Zizaniorum. Altera ſpecies eſt Chymicorum Empyricorum; qui ignoranter, & caſu in arte procedunt, cauſſas & rationes præparationum ac proprietatum rerum reddere neſcientes, doſin pariter & applicandi modum præparationes medicinales ignorantes. Talium impoſtorum inſcitia ut aliqua in parte detegerem, primum hunc tractatum compoſui, qui eorum præcipuos errores manifeſtabit, ordine, prout hic ſequitur.

»( ) o ( )«

De

De Auro.

QUoniam auri præparati usus magnæ est potentiæ ac efficaciæ in Medicinâ; idcircò visum est mihi errores nonnullos commonstrare, qui à Pseudo-Chymicis in eo committi solent, utpote qui nomina præparationum fallare non erubescant, earumque sensum, suæ autem operationis reddere rationem ignorent. Ac putant illi se aurum in præparationem adeò subtilem, & spiritualem posse reducere, ut non amplius in primam suam formam queat transmutari, & tunc id veram esse volunt Medicinam universalem, ad corporum humanorum conservationem, & omnium morborum eradicationem, efficacissimam. Quibus primò quid circa ejusmodi præparationem, secundò quid circa illius proprietates sentiam, respondebo.

Dubium non est, quin sicut infimà (quæque) non tantùm externa sua apparentia sunt adornata, verùm etiàm suis proprietatibus ab æterno Conditore in usum Medicinæ sunt insignita; ita & auri corpus non solùm egregium, ac pulcherrimum efformatum sit, verùm etiam multis, magnisque virtutibus in ejusdem Medicinæ commodum, condecoratum. Quâ de re cùm multæ extiterint controversiæ tum affirmativas, tum negativas partes tenentium, ego stylo meo insistens ordinario, eo de subjecto discurram cum praxi duntaxat, & experientia in manu. Discutiam autem inprimis, num aurum per se solum, an verò additionis medio homini possit esse Medicina. Ac ut Pseudo-Chymicorum inscitiæ respondeam, dico aurum esse corpus purum, & perfectum, & ita compactum, ut nulla possit poros illius impuritas subintrare. Et hoc patet, quia nec humidum illud putrefacere, neque calidum consumere valet. Quam etiam ob caussam asseverandum est, corpus auri ab homine non posse digeri, & per consequens humanas vires ab eo non posse beneficium consequi. Quod autem artis medio ita possit præparari, quemadmodum ajunt Pseudo-Chymici, hoc à me pernegatur, & aurum sine additione impotens esse atque inutile in Medicina, firmissimis argumentis ab experimento ductis demonstrabo. Etenim sumatur aurum, calcinetur, reverberetur, dissolvatur, sublimetur, & ponatur in putrefactione cum aqua Regis, spiritu salis, spiritu urinæ, aliaque media innumera adhibeantur, per quæ aurum in liquorem reduci potest, & in formam mellis, solubilem in omnem liquorem, nihilominùs si additionem separes, etsi aurum per decennium in operatione extitisset, redibit in corpus sicut fuit primò. Adducam enim ad hoc exemplum notabile, quod experto cuivis Chymico minimè erit incognitum, nempe quod spatio temporis brevissimo aurum dissolvi possit in liquorem transparentissimum, coagulari in crystallum, dissolvi iterum in aquam rubeam, & tandem reduci in pulverem subtilissimum, qui sublimatus, & emollitus adeò est diaphoreticus, ut ad pondus duorum, vel trium granorum exhibitus, mirabiles per sudorem effectus pariat, atque

atque à variis infirmitatibus corpora liberet. Qui si apponatur igni, avolat instar Mercurii, adeò subtilis est. Et tamen cementatus cum pauxillo sulphuris ad spatium dimidiæ horæ, revertitur in corpus, de quo si vel libram comederes, nullos amplius producit effectus, & si ignem ipsi fusionis feceris, in metallum redit, sicut fuit primò. Sed quid etiam de argento referam, quod auro inferius est? Ei namque si imbibenda præbeatur quædam aqua lunaris quantam illud imbibere valet, ac deinde in putrefactione ponatur, separetur, rectificetur, coaguletur, nunc cum aqua una, modò cum alia, postremò redigitur in crystallum, qui ad pondus granorum quinque assumptus, magnoperè per secessum purgat, & quidem citra læsionem & detrimentum, summumque est in hydrope arcanum, & adeò subtilis est, ut in omnem liquorem aquaticum resolvatur: positus verò in crucibulo super carbones accensos, funditur sicut cera, & ipsum crucibulum olei instar penetrat. Item uritur ut sal nitrum, nihil residui post se relinquens. Interim qui negaret eum posse reduci in metallum, falleretur maximè, nam mixtus cum tartaro calcinato ana, & ad lentum ignem in crucibulo positus pariter in metallum vertitur, sicut fuit ante. Itaque dicere haud possumus, aurum posse destrui, & penitùs extra suam formam immutari, sed potiùs quod illud unà cum additione suas operationes efficiat, postquam nimirum rectè fuerit unitum, dulcificatum, ad veram præparationem medicinalem redactum: ubi verò separationem utriusque feceris, metallum iterum habebis inutile.

Hæc quanquam ita sese habeant, tantâ nihilominus arrogantiâ efferuntur Pseudo-Chymici, ut etiam oleum ex auro se posse educere sibi persuadeant, quod an fieri possit, vel inde liquet, quia licet aurum ingenti admoveas igni, & diuturno, attamen ei nihil de pondere suo decedit, unde magna illius fixitas apparet, quæ omni humore liquido, volatili, aut destillativo est destituta. Porrò velle aurum reducere in materiam suam primævam, perinde est ac velle mundum ipsum in suum chaos antiquum convertere, quodque Deus perfectum fecit, velle reddere imperfectum, cujus destinationi & ordini, non est quod quis tentet contraire. Discendum est itaque rerum nomina distinguere, quando enim aurum est dissolutum, non oleum auri id debet appellari, sed solutio auri, & cum in forma est crystalli, ne vocetur sal auri, sed aurum crystallinatum, siquidem tales mutationes ab ipsis additionibus proveniunt. Quamobrem apprehende ô Sophista veritatem, & in illius germana via consiste, fallaciam autem procul abs te rejice, etiamque cave, ne dictis aliorum perperam intellectis falsus, & obfuscatus te in labyrinthos abducas. Dicito autem quæso, quî poteris mihi demonstrare, quod Philosophi, quotiescunque de auro potabili loquuntur, hoc innuant fieri ex auro vulgari? dicentibus illorum plurimis, & aurum nostrum non est aurum vulgi. Etenim si res velimus penitùs indagare, inveniemus species marcasi-

casitarum, gemmarum, & salium in se occultum habere verum primum ens auri, & veram influentiam Solis, quæ sunt velut amygdala cortici suo inclusa, ubi tantummodò apertio desideratur, & separatio, qua facta visibili, tunc dici potest haberi verum aurum potabile absque additione, & naturali usui ipsius Medicinæ, & hominis beneficio accommodatum. Sed non tantum in creatis prædictis, verùm etiam in nonnullis herbis, & animalibus talis substantia reperitur, ac vera proprietas solaris. Quamquam distinguere sit necesse eorum gradus, & efficaciam, cum sit in illis discrimen: etenim alia est potentia seu gradus in auro compacto, alia in antimonio, alia in marcasita aurea, & sic in granatis, margaritis, vitriolo, ambra, mosco, croco, macis, melissa, antho, chelidonia, & similibus, quæ Medici naturalis est scire, sed hæc à Pseudo-Chymicis non observantur. Atque hæ sunt præcipuæ causæ ob quas miserè falli solent, & ad exitium præcipitari, atque una cum ipsis mundus, qui tanta cum cæcitate rem unam assumit pro alia, possibile ab impossibili nescius discriminare. Ex his ergò quæ dicta sunt, (tametsi alia multa adduci possent,) necessario inferendum, aurum realiter aperiri non posse, neque in primam suam materiam converti, reducendo illud in liquorem, aut sal, ut falsò arbitrantur: quia etiam aurum per se inutile esse, & mortuum, sed additionis adminiculo præparatum multas exerere præclaras vires, prout in auro diaphoretico videre est, cujus quidem præparatio non est ignari scientia; aurum namque posse aperire, & dissolvere res, est minimè difficilis, verùm illud nosse corrigere, temperare & medium lenire in ipso relictum idque in usum corporum humanorum qualificare, hoc paucis concessum autumo.

Quod verò aurum potabile universalis Medicina esse possit, ut Pseudo-Chymici esse affirmant, hoc ego pernego, & falsum esse duobus potissimum rationibus conabor demonstrare. Etenim Deus O. M. universi sapientissimus Creator, qui ordinem & limites certos in rerum natura constituit, is unaquæque creata suis certis attributis, & specificis proprietatibus insignivit, sic ut etiam quæ in hominum conspectu abjectissima videntur ac reputantur, peculiari sua virtute sint exornata, ut hinc appareat Deum omnia sapienter fuisse operatum, eumque nihil in mundo frustrà extare voluisse. Quod ipsum manifestum faciunt creaturæ innumeræ, tùm quæ in cœlis sunt, tùm quæ in terra, quarum singulæ suo modo juxta sibi inditas dotes, & facultates Deo creatori gloriam, & laudes tribuunt. Quod si uni corpori universalis Medicinæ virtus fuisset indita, si inquam tali benedictione, & proprietate aurum Deus condecorasset, nonne sequeretur, reliqua inutiliter, & frustrà exsistere, & in finem inanem ab eo procreata fuisse? Hoc autem absit ut credamus. Nam ab omnibus creaturis utique vult Deus agnosci, & in singulis earum, quantumvis minimis glorificari. Et ut aliquo exemplo idipsum quod dico, illustetur, en

 sim-

ſimpliciſſima illa herba campi hypericon dicta, potius Imperialis nomine digna, cujus tanta eſt virtus, ut in quibusdam ſpeciebus phreneſis, quas phantaſmata appellare ſolemus, nec non aliis maleficis planè admirandas operationes efficiat in ejusmodi morbis expugnandis, & extrudendis, id quod nec aurum potabile, ne tinctura auri, nec magiſteria gemmarum, nec quicquid aliud dici excellens queat, præſtare ſunt idonea, vel opportuna. Sed non tantum in ſimplicioribus herbis campi, & ejusmodi rebus minimis Dei mirabiliter elucet gloria, verùm etiam in rebus deformibus, ſordidis, & penè monſtroſis, ceu ſerpentibus, bufonibus, vermibus, & ſimilibus. Notum eſt enim viperam medicamentum eſſe adverſus venenum, bufonem adverſus peſtem, ſcorpionem adverſus morſus animalium venenatos, vermem unum, alium necare, & complura talia exiſtere particularibus atque occultis virtutibus prædita, quibus aurum neutiquam inſignitum eſt. Et hæc ſunt vera magnalia Dei, quantò enim magis per hæc minima & infima operari dignatur, eo major apparet ipſius gloria & ſapientia. Ad hæc ſi quotidianam quoque experientiam conſulere velimus, comperiemus, quod varii Principes, & magnates mundi, podagra, aliisque ſævis infirmitatibus laborantes, auro, & argento non parcerent, ſi modò tantæ efficaciæ reperiretur medicamentum. In quibus quidem apparet, quantum Pſeudo-Chymici auro ſuo potabili ſophiſtico præſtent, atque proficiant. Verùm his ſufficit aurum noſſe corradere, & ſuffurari, utcunque jam arroganter ſibi Dei dona uſurpent, & ſanitatem hominibus polliceantur. At dolendum eſt etiam viros probos, & ſimplices ſæpe deludi, & falli, quos maximè optarim perpendere, quod ipſa duntaxat Medicinæ præparatio hominis ſit opus, ſanitatis autem reſtitutio, & benedictio opus ſolius Dei. Porrò tales impoſtores etiam ex methodo, qua utuntur, apertiſſima poſſumus cognitione dignoſcere. Nam ecce aliud non norunt, quam quid pro quo, & illud quidem malè præparatum adminiſtrare. Unde non mirum ſi multis tot importent damna, & exitiabiles inferant ruinas, ut quibus non vereantur vendere, & exhibere ſal armoniacum tinctum, aut ſal aliud loco ſacchari auri, aquam vitæ tinctam pro aqua auri, & nonnulli meram ſolutionem auri cum aqua Regis, pro oleo auri, & id genus alia perpetrare, quæ quia longum eſſent referre, taciturnitatis ſilentio prætereo.

De Antimonio.

ANtimonium eſt marcaſita admodum magiſterioſa, è qua ſulphur combuſtibile, argentum vivum, ſpiritum arſenicalem, ſal minerale, & ſulphur incombuſtibile potes ſeparare, item aurum, cuprum &c. Summa, chaos eſt tantoperè harmonioſum, ut in ipſo ſubinde nova aliqua experientia reperiatur: & juxta diverſas præparationes, diverſæ quoque operationes ſunt illius, concitat enim verbi gratia vomitum, purgat per ſedem,

sedem, provocat urinam, sudorem, somnum, &c. Proinde ei qui verus velit esse Spagyricus, summè est necessarium, ut substantiam unam ab alia, naturas, & proprietates rerum, adeoque Medicinam à veneno sciat discriminare. Ad quod examen si venerimus, inveniemus Pseudo-Chymicos in hisce distinctionibus judicio, scientiâ, discretione, & praxi esse destitutos. Et hoc ex iis quæ dicturus sum, facile patefiet. Præparationes Antimonii Pseudo-chymicas eas intelligo, quæ corpora cum vehementia purgant per vomitum & per secessum, & qui singulas partes sæpe stupefaciunt instar alicujus opii, cujus generis sunt vitra Antimonii parata diversis modis, flores Antimonii flavi, & albi, olea Antimonii, sic ab ipsis falsò nuncupata, quandoquidem ea liquorum, & additionum adminiculo sunt confecta. Non quod hîc intelligi velim, quasi operationes purgativas culpem, aut narcoticas, quæ in Medicina admodum sunt necessariæ, sed purgativa, & narcotica inter se distinguens, reipsa comperio, ea quæ in specie ex Antimonio sunt præparata, esse Medicamenta brutis potiùs animantibus, quàm humanis corporibus convenientia. Et hoc hominum infinitus numerus facile posset testificari, qui miserè ab istis impostoribus fuêre antimoniati, quorum plerique in deliquia, syncopas, debilitationes totius corporis, stupores membrorum sunt delapsi, nec non oppressiones spirituum vitalium, aliaque graviora mala passi sunt, quæ ipsa mors utplurimum consequi solet. Quod si fortè accidat, ut corpus aliquod Samsonicum, a robustum inde beneficium sentiat, cer tum est tamen aliis millenis damnum, u dixi, & noxam importari. Et causa præcipua hæc est, quia in iis præparationibus concurrunt Mercurius, (cui soli purgationis effectus est assignandus:) nec non sulphur combustibile, & Arsenicum: non quod rejiciam Mercurium, & sulphur, cum fuerint pura, sed tali cum spiritu, hoc est, arsenicali fermentata, minimè probare possum. Ac quod tres istæ substantiæ tales effectus pariant, in hunc modum ostendo. Accipe Antimonium, & separa tres illas substantias visibiles more nostro, de remanenti si vel integram libram comedas, amplius non purgabit; & nihilominus sub eo residuo, quod à Chymicis empiricis caput mortuum nominatur, vera pro corporibus humanis delitescit Medicina, paucis admodum cognita: illi interim arcano relicto stercus eligunt pro balsamo. Tenendum est igitur, Antimonium donec dictos effectus producit, non esse intra humana corpora sumendum, quandoquidem alia purgantia nobis Deus non denegavit. Atque ex iis quæ adduximus manifesta fit Pseudo-Chymicorum imperitia, qui tamen opinionem suam tueri volunt sententiâ illa philosophicâ abs se non intellecta, nempe, Sicut Antimonium purificat aurum, sic eadem ratione, ac forma purificat corpus. At non distinguunt ignari isti, quænam sit auri purificatio, & quæ purificatio microcosmi, neque discrimen faciunt inter unum corpus & aliud. Neque enim con-

sistit in hoc corporis humani purificatio, ut nimirum ab eo cieatur vomitus, & purgatio per secessum, verum ut sanguis rectificetur, aperiantur & mundificentur internè omnia organa microcosmica, quo spiritus vitæ liberam circulationem habeant, & ut corroborentur partes nobiles, expellendo diaphoreticè humiditates superfluas generantes putrefactionem, & quasi ignis alicujus naturalis instar operando, ipsi naturæ amici, adeoque talibus utendo medicaminibus, quæ etiam quotidiè si opus fuerit tutò, & innoxiè intrò assumi possint. Hac ratione comperi ego species nonnullas lepræ, nec non alios sæviores morbos curari, & profligari, quos nunquam deprehensum est expelli ejusmodi perniciosis purgationibus, quæ tollunt duntaxat stercus præparatum in centro, & si quando attrahant vicinos stomachi humores, neutiquam tamen quas dixi operationes efficiunt. Proinde practici in his & experti esse debemus, non ignari ac temerarii, quoniam omne opus Medici sive bonum fuerit, sive malum, Deus postremò in judicium adducturus est.

De Talco.

Conatur ultrò, ac tentat Pseudochymica schola oleum elicere ex talco, quod cum miraculi speciem inferre possit in conservatione faciei, ac reliqui corporis, sic ut ipso utens, vix unquam senio confectus esse videatur. Circa hoc tenendum est, liquorem nullo modo posse haberi è talco. Quòd verò remedia dentur, quibus carnes conservari queant, huic sententiæ non contradico. Etenim si natura subministravit pro cadaveribus balsama, multò magis fuerit illa pro viventibus provida. Ubi nunc, & quo in corpore quæri debeant ejusmodi balsama, hic non explicabo, propositum enim meum duntaxat est, ut inscitiam, & fraudem Pseudochymicorum patefaciam. Est igitur talcus materia aridissima, quæ medium tenet inter marcasitam & lapidem, naturæ adeò stipticæ, ut ipsi Marti possit quoad suam stipticitatem assimilari. Ejus triplex habetur genus, album, aureum, & rubeum. Sed hic de albo tantum est quæstio, cujus pariter duæ species reperiuntur. Prima est instar salis gemmæ transparens, quæ potest secari in practeas crystallo similes. Et inde solent nonnulli efformare laternas, candelâ enim in aliquod latus decidente non uritur, nec illius impedit splendorem. Altera species alba est, & instar lapidis, quæ dum contunditur, argentum ei videtur inesse. Porrò isti seductores juxta sylvestrem suam Philosophiam somniarunt hoc materiale iis potentiis præditum esse, quæ supra sunt commemoratæ, tametsi cùm ad rei effectum deveniunt, se falsos persentiscant. Nec mirum. Experientia enim nobis palàm indicat, quod talcus ita crudus, & solus etiam in diuturno, & vehementi igne positus, nullum præbeat liquorem. Quod pariter deprehendentes Pseudochymici, rem aliter aggredi tentant, quippe exstructo potentissimo igne illum conantur calcinare, sed adhibitâ aliquâ additione, siquidem difficillimè calcinari potest, (prout

ut ipse aliquando curiositatis gratiâ sum expertus, qui licet talcum per quadraginta dies vivissem in fornace vitrea, suam tamen formam nullatenus immutaverat:) eo jam calcinato volunt in humidum resolvere, sed tunc laterem lavant: quod quamvis obtinerent, nihil tamen haberent aliud, quàm sal aliquod corrosivum, quod nullo modo oleum esset appellandum, neque id eorum proposito inserviret. Verùm ut dixi nunquam resolvitur, nisi addito alterius generis sale, ceu tartari & simili: sed tunc solutio ejus salis debet nominari, non oleum talci. Quare cùm & illi animadvertant, rem nullo modo sortiri effectum, ut tamen peractos labores compensent, sumptis ejusmodi additionibus, Principissas, aut divites aliquas matronas adeunt, quibus manifestas falsitates, ac mendacia obtrudentes, talem liquorem divendere non erubescunt. Hæ verò quoniam libros Pseudo-chymicos eâ de re loquentes fortasse legerunt, qui omnibus fraudum, & mendaciorum generibus solent esse repleti, simpliciter dictis assentientes, liquorem illum ceu pretiosissimam gemmam persolvunt, licet is aliud non sit, quam solutio tartari, vel solutio sublimati veneti, aut quid simile. Ecce quemadmodum impostores fraudum solent facere qui sunt in malo acuti, & subtiles, perinde ut Diabolus, apparentes hominibus in forma Angelorum lucis: quibus nihilominus à nonnullis major adhibetur fides, quam iis, qui veræ sunt artis discipuli, & sinceræ veritatis amantes.

De Tartaro.

Pseudo-Chymia à vero oleo tart[...] discedens, oleum audet appellare i[...] quod non nisi sal resolutum est. Et h[...] ita demonstro. Si accipiens tartaru[...] crudum ipsum distilles, exibit inde aq[...] copia cum pinguedine quadam supern[...] tante nigra & fœtente, hæc pinguedo s[...] parata, & in alembico posita cum pauxi[...] lo salis, si distilletur per arenam, emitt[...] oleum rectificatum, quod est oleum genuinum, & instar auri flavum, quod si iterum rectificetur, adhuc reddetur transparentius. Aqua verò seu spiritus tartar[...] pariter potest rectificari, donec devenia[...] limpidus: & ambæ hæ substantiæ sunt i[...] Medicina virtutis admirandæ, tametsi adusti aliquem retineant odorem. Residuum à destillatione sal est, seu alkali valdè corrosivum, quod in loco humido positum, resolvitur in liquorem, hoc autem non potest appellari oleum, sed solutio salis tartari, etenim si humiditatem, quam attraxit, exhalare facias, sal manebit coagulatum, sicut antea. Ad Pseudo-Chymicos venio. Hi juxta nescio quam speculationem verum oleum comburunt, verumque liquorem consumunt, posteà præternaturaliter oleum nominant, quod oleum non est: nimirum sumunt tartarum, & illum in vehementi igne calcinant, & tunc fit, ut prædictæ substantiæ absumantur, nilque remaneat aliud quàm sal, quod est supra reliquos sales corrosivum. Et quoniam illi fortè audiverunt aut legerunt alicubi oleum tartari, vel

ejusdem Spiritum potenter valere intrinsecus assumptum in hac, vel illa infirmitate, administrant horum loco solutionem ipsius tartari. Ecce quid pro quo, tam in præparatione, quam in administratione: Proindè non est quod mireris, si ubi languentes curandi essent, contorqueri soleant, aut enecari. Nam adveniens talis liquor in stomachum, & organa, per quæ transit, illic coagulatur in suum sal, eumque locum corrodit instar alicujus caustici. Certum est enim inter corrosiva, ea quæ corporalia sunt, magis esse periculosa, distillata namque sine læsione transeunt, si modo aliis liquoribus fuerint admixta.

De Lapidibus pretiosis, Coralliis & Perlis.

OPinantur insuper Pseudo-Chymici educi posse olea, & aquas è lapidibus pretiosis, sed pessimè falluntur. Etenim tales lapides adeò sunt in suis substantiis compacti, & humore volatili destituti, ut non nisi dementia sit, ab iis velle prolectare liquorem. Nihilominus Pseudo-Chymici, ne solitam suam doctrinam omni subinde fallaciarum genere contaminatam obliviscantur, addunt dictis lapidibus liquores, & ita distillant, ac quod ex illis additionibus provenit, oleum, aut aquam, juxta nomen lapidis non verentur appellare. Nonnulli verò sumunt liquorem destillatum, quem tingunt torna Solis, & eum aquam granatorum nominant, vel flore æris eundem tingunt, aut vitriolo Ungarico viridi, & talem nuncupant aquam smaragdi: item azuro, aut lapide lazuli, & tunc ipsum vocant aquam saphyri, pariter rosis, & sandalis, aliisque tincturis, eumque appellant aquam rubini. O malitiam Diabolicam, quam dubio procul tanquam flagellum in terris extare divina justitia permittit. Interim non nego lapides pretiosos, perlas, & corallia solvi posse in liquores, ab eisdemque suas posse substantias extrahi, adhibitis nimirum mediis, & additionibus, verùm ubi hæ separantur, redeunt illa in coagulum siccum, & aridissimum: proinde talis liquor, solutio aut extractio illius lapidis est nominandus, non ejus oleum aut aqua, ut sic unaquæque res proprio nomine designetur, ne rerum sensus confundatur. Ad perlas quod attinet, & corallia, idem in eis reperitur abusus: licet enim arbitrentur nonnulli se velle ab iis extrahere tincturam, ultimò tamen se imbrem in cribrum gerere deprehendunt. Quare sumunt aliqui succum berberorum, quidam tingunt liquorem sandalo, gummi lacca, quem posteà venditant pro tinctura coralliorum. Verum est quidem, quod si acetum destillatum infundas super corallia calcinata, id per aliquod spatium in arena relictum, sal in se attrahet, ac rubeum fiet subobscurum: sed perperam & falso id à multis tinctura nominatur: quia si pariter infundas acetum super aliud calcinatum, idem consequetur effectus. Ergò non sic debet nuncupari, sed acetum corallinatum, acetum perlatum: ut hac ratio-

ratione suus veritati relinquatur locus. Nec inter centenos laborantes, quibuscum conversatus fui, unquam vidi eorum aliquem ita expertum, qui realiter potuerit & sincere extrahere coralliorum tincturam sine mixtione. Proinde sola experientia rerum magistra dicenda est, quando hujus lumine fallacia, quasi nebulæ Solis radio evanescunt.

De Extractis in genere.

PErmultis, iisque non parvi momenti erroribus, etiam in extractorum præparatione impliciti sunt Pseudo Chymici, ex quâ planum fit, veræ intelligentiæ lumine esse destitutos. Sibi enim se posse persuadent omnis generis aromatum, herbarum, florum, radicum substantiam elicere æquæ vitæ medio: cujus quidem potentiæ ego non convenio, sed res in eo est sita, quod illi rerum non norunt naturas distinguere: videre namque est, ab eis parata extracta aromatum, aliarumque herbarum odoriferarum & fragrantium nullius valoris esse. Et hoc inde evenit, quia in exhalatione, & separatione, quæ fit aquâ vitæ à substantia extracta, elevatur cum ea, & abit subtilior pars essentialis aromatis, aut herbæ, ita ut residuum non sit nisi spissitudo terrestris, omni potentia, & virtute expoliata. Itaque hic alia requiritur scientia, nempè operæ pretium est, ut scias discernere quæ sint illa, quæ supradicto modo corriguntur, & præparantur, & quænam sint ea, quorum potentia debilitatur. Sunt enim exempli gratia scamnonea, colocynthis, agaricus, tithymalus, gratiola, elleborum, opium, & hujusmodi complura, quæ cum aliquid in se habebant spiritus venenati, talis operationis medio veram correctionem, & exhalationem illius noxiæ partis acquirunt. Verùm si eadem ratione in aromatibus procedas, perinde est, atque cum evolavit avis, caveam claudere. Siquidem consistit aromatum efficacia in ipsorum odore, & gustu, quibus remotis corpus insipidum manet, atque inutile.

De Quinta Essentia Vini.

SI errantium Auctorum numerum qui de hac materia scripsere, referre vellem, si varios item modos, quibus volunt procedi, nec non temporis spatium, & instrumenta diversa, quibus utuntur, adeoque destillationes, & earundem sine fine repetitiones, haud facile finem imponerem. Sunt verò in ea opinione, ut existiment, quintam vini essentiam, seu aquam vitæ circulatam pollere vi omnia metalla dissolvendi, & lapides pretiosos. Verùm quinam fieri istud poterit, quando neque saccharum in ea dissolvitur, taceo ut dicam posse in ipsa dissolvi metalla. Dicendum est ergò, Pseudo-Chymicos verum Philosophorum sensum, (quibus utplurimum dicta sua ænigmatum involucris, & verborum obscuritate placuit obtegere,) minimè fuisse assecutos.

Varia

Varia namque sunt vina, & variæ sunt essentiæ. Quinetiam ab uno vino plura eliciuntur, ut verbi gratia, aqua vitæ rectificata, quæ & sulphur vini potest nuncupari: item essentia phlegmatis vini, essentia tartari, essentia aceti, & tamen illa omnia sunt essentiæ à vino provenientes, differentibus inter se facultatibus prædita. Quare non semper autument Pseudo-Chymici, quintâ vini essentiâ, aquam vitæ destillatam esse intelligendam. Sed non absimili errore, & cæcitate sunt involuti, qui Sophisticè, ignis scilicet adminiculo coagulare prætendunt aquam roris Maji in crystallum, quem pariter habere vim cuncta metalla dissolvendi arbitrantur. Opinio bestialis quidem, sed ridicula magis, cujus integram tragœdiam, si vellem commemorare, res in volumen excresceret. Constat quidem naturam ob frigus extremum, in summitate montium, nivibus sub horridis crystallum producere, an autem illic subsit ignis, ignoro. Verùm etiam si darem talem aquam posse fixam reddi, (quod neutiquam tamen concedo,) nihil id perinde prodesset: quoniam unum fixum non valet aliud fixum persolvere. Et hoc patet in salibus, ceu armoniaco, vitriolo, nitro, & aliis, quorum medio dissolvuntur omnia metalla, qui licet mera sint naturæ coagula, nisi tamen distillentur, & Spirit. eorundem extrahantur, dictam efficere operationem nequeunt, utcumque jam eam præstare iis propriè conveniat: tantùm jam aberit ut aqua roris Maji tale quid valeat peragere, quæ est materia dulcis, & omni corrosivitate, ac penetrantia destituta, & sine quibus operationibus nempè corrosivi, & penetrativi, Sophistæ sunt quicumque metalla resolvi posse, sentiunt.

De Aquis Destillatis.

ET in hoc admodum præternaturaliter procedit Pseudo-Chymicorum ratio, quoties aquæ communis sumit quantitatem, herbarum & florum manipulos, & destillat in vesica cupri, quodque inde provenit, tanquam aquam herbarum realem vendere non erubescit.

De Oleis Destillatis.

DIabolus hostis ille humani generis fallacissimus, lolium suum ubique serere non desistit, siquidem non desunt qui hac quoque in parte illius malitiis insistentes, aromatum & herbarum olea impudentissimè audeant adulterare. Quænam verò fraudis eorum ratio? ℞. Cinnamomi, aut caryophyllorum lib. I. radicum pini minutim incisarum lib. III. vel circiter, macerentur, & destilla secundum artem. Olei autem quod indè educitur maxima pars, è radicibus illis constat. Hujusmodi Sophismata culinam Galenicam majorem in modum solent locupletare.

❧) o (☙

De Balsamis Aromaticis.

SEctatores imposturæ, quos nunquam ulla modestia deterret, aut verecundia, insigne quoque commenti sunt artificium, quo unguenta fucosa parando, ea pro balsamis norunt distribuere. Et vendunt illa magnatibus pretio auri, quorum pauci sunt in Germania, qui eorum pixidem collo appensam tanquam gemmam aliquam pretiosam non gerant. Quid verò illud est? nimirum adipis suillæ, ceræ albæ, sacchar. albi, olei amygdalini, aliarumque ejusmodi mixtionum compositum est, cui tot guttulæ olei caryophyllorum, aut cinnamomi. dmixtæ sunt, quot sufficere valent, ut ei odorem aromatis impertiantur: quod postea colore aliquo exornant, aromate etiam ipso minutissimo contuso sæpe ad eundem effectum utentes. O mundi extremam nequitiam, & quid pro quo Diabolicum, quid enim id est aliud quàm fallacia pro veritate? discedere nimirum à rerum sincero balsamo, quod est ipsarum oleum, & adipem porcinum, atque unguenta fucata ejus loco obtrudere. Non quod inficias eam aliquam ipsis inesse efficaciam, sed cum vero balsamo comparata nullius penè valoris illa esse deprehendo. Hæc & cujusmodi alia, si persequi esset animus, comprimis quas circa olea sulphuris, camphoræ, zibetæ, ambræ, mosci, committunt falsitates Pseudo-Chymici, finis non esset. Arbitror autem ea quæ hactenus commemoravi ad impostorum scelera, atque fallacias aliqua saltem ex parte dignoscendas, non parum profutura. Probis autem & honestis nihil hic de suo honore detractum volo, quorum haud dubiè in mundo etiam aliquis existit numerus. Interim exhortor eos qui spagyricæ artis doctrinam, & operationes tanquam rem diabolicam sibilis conscindunt, & maledico dente carpunt, ne incomperta sibi, & nescia temerariæ vocis loquacitate ex more hallucinantium criminentur. Sed potius ut discussa caligine, & oculis mentis apertis veritatem propius studeant intueri, adeoque eam à falsitate, verumque rerum usum ab abusu ipsarum discernere discant. Siquidem iniquum æstimandum est facinus, audere id quod nescit quis improbare, à rerum momentis non perpensis velle fallaciam insonti veritati præjudicare, quam quisque omni conatu deberet niti, ut intelligeret, intellectamque ut amplecteretur, tanquam Dei donum pretiosissimum mortalibus in terra concessum.

ANGELI SALAE, Vicentini, MEDICI SPAGYRICI, De ERRORIBUS GALENISTARUM.

LIBER II.

Pharmacia Galenica cur sic dicta, & quæ sit via ipsius.

PHarmaciæ Galenicæ nomine ea intelligitur, quæ omnis generis præparat medicamenta tùm interna, tum externa, juxta method. à Gal. ejusdemque sectatoribus originem trahentem. Et est illa quæ in præcipuis orbis partibus officinas apertas habet, non minus quàm si terrestres essent Paradysi, cum tamen vix aliud sint quam vasa immunditiarum. Eadem à veritate & experientia naturali procul abscedens, non quærit horum medio facere Medicinam, verum potius vanitatis titulis, & dignitatibus contenta, fallaci sua nixa theoria ægris mortalibus tentat opitulari. Juxta quam viam tametsi paucissimos ad salutem reduci comperiat, nihilominus ulterius non est sollicita penetrare, volens potius in sua antiquitate persistere, quàm verum Medicinæ scopum, & centrum pervestigare. Ac ei sufficit citare Galenum, Avicennam, Rasem, Mesuem, & innumeros ejusmodi Autores Arabes, Græcos atque Latinos, quorum dictis tanquam veritatis columnis innititur, cùm tamen reipsa appareat eorum error, & imperitia. Porrò principales illius operationes aliud non sonant, quàm contundere, cribrare, infundere, decoquere, lavare, & incorporare, bonum, æquè ac pernitiosum, qua in praxi vel ab ipsis rusticis coarguitur, qui lumini naturæ insistentes, granum à paleis, à furfuribus farinam, & vinum à vina-

vinaceis sejungunt, puritatem cum impuritate neutiquam confundentes, quemadmodum faciunt hi qui citra meritum rationales volunt nuncupari, quorum methodus, & via alia non est, quam purum confundere cum impuro.

Pharmacia Spagyrica quænam sit, & quæ sit via ipsius.

PHarmacia spagyrica est illa, quæ vulgò Chymica appellatur, & à prædicta differt sicut lux à tenebris, siquidem illius rationes fundatæ sunt in experientia earum rerum quæ revera demonstratur, neque dictis aliorum acquiescit, sed soli experientiæ. Et ignis medio unum elementum ab alio segregat, unam substantiam ab alia, balsamum ab immunditie rerum: ex quibus operationibus vera postea addiscitur theoria, ut quis tunc certo asseverare queat, hanc herbam frigidam esse, illam calidam, &c. Hanc herbam præcipuas suas virtutes habere in sale suo, aliam in sua aqua, aliam in suo oleo vel resina. Etenim dum corpus aliquod aperitur, ejus substantiæ segregantur, quarum singulis cùm perseutimur, in cognitionem venimus, qua in parte sit proprietas uniuscujusque earum. Id quod Galenici nullo modo efficere possunt, qui tamen etsi coquant, reipsa tamen ignorant quid sit in ipso decocto, quid sit in eo, quod effectum producat, num album sit vel nigrum, dulce an salsum. Et si quando loquantur de acrimonia & salsedine, aut aliis gustibus, verba sunt illa nullius solidæ cognitionis testimonio comprobata, imitantes nimirum aniculas, quæ fabulas suas ex eo confirmant, quod illas ita narrari ab aliis audiverint. Et sic vult mundus decipi, creditque sese iis hominibus qui se pro rationalibus venditant, cum tamen ignari sint, & valdè imperiti. Via ergo Pharmaciæ Spagyricæ est separatio puri ab impuro.

Quæ sint Galenicorum præcipuæ calumniæ adversus Pharmaciam Spagyricam.

INnumera sunt convitia, & calumniæ Galenistarum in Pharmaciam Spagyricam, quas hic recensere omnes valde prolixum foret. Proinde septem principales hic duntaxat connotabo, subjungens unicuique earum responsionem convenientem.

Prima calumnia hæc est: Chymici homines sunt idiotæ, indocti, & rationalis discursus scientia destituti.

Responsum. Chymici veri neutiquam sunt idiotæ circa opera lucis naturæ, attinentia, tam ipsam Medicinam, quam speculationem operum divinorum, tametsi apud Galenicos velut insipientes æstimentur. Sed hoc veritatem, quæ fucum nunquam sectata est, minimè impedit: quin id semper fuit sapientissimi Dei placitum, ut mysteria, & opera sua mirabilia non tantum spiritualia, verùm etiam temporalia hominibus co-

ram mundo abjectis, & vilibus voluerit revelari, ut ita juxta verbum suum æternum humana sapientia confundatur. Quod verè expressit Syrach inquiens: multi sunt excelsi, gloriosi supra modum, sed mansuetis revelantur arcana.

Calumnia secunda. Chymia res nova est, & inventum Sophistarum contrà, & præter methodum antiquorum Medicinæ Principum.

Responsum. Chymia operatio est antiquissima & naturalis, adeo ut illico à creatione initium suum habuerit: siquidem nulla existit creatura vivens, & cibum comedens, quæ tribus non fungatur muneribus principalibus, nempe cibi præparatione, separatione, & expulsione. Hæ autem operationes scopus sunt, & basis Chymiæ naturalis. Ex quo judicari potest num hæc sit inventio nova. Verum hoc dicemus, quod nova sit eam non possidentibus, quorum alii invidia, aut ambitione moti, alii densis ignorantiæ tenebris ducti, & erroribus infuscati, præclaram hanc scientiam non verentur improbare, eam appellantes novam, ac si omnipotens, & immensus Deus Medicinam in Galeno, & reliquis ejusdem farinæ hominibus terminare constituisset: error quidem admodum intollerabilis. Deus namque infinitus est, nec ejus sapientia, quæ circumseptam non habet regionem, à nobis potest comprehendi. Sed fingamus ita esse, fingamus inquam Chymiam inventum esse novum, ac non ita pridem exortum; haud continuo tamen sequetur propterea esse rejiciendum. Quoniam si ita sentiendum foret, pari sequeretur ratione, & reliquas præclaras artes, postremis seculis hominibus patefactas, nec non & cætera inventa recenter introducta, & excogitata in hominis usum, & beneficium, eò quod nova sint, pro nihilo putanda, & despicatui esse ducenda. Quod quam absonum sit, & absurdum, nemo est qui non provideat. Adde, quod non præsens seculum sit sicut elapsum, nec hodierna dies sicut hesterna. Quemadmodum enim declinat mundus versus finem suum, sic etiam vires hominis declinare non est dubitandum, sic quod præteritis retrò seculis illi fuerat Medicina, hodiè nil aliud sit quam naturæ impedimentum: ut e. gr. caules antiquis fuere panacea, at nunc non item. Pariter elleborum Romanis medicamen fuit universale, nobis verò quasi venenum est, & quomodocunque id præparetur, administrari tamen à Medico non sine periculo potest. Quod si majoribus nostris ea vis inerat, ut ejus medicamenta impuriora digerere possent, talem & nunc inesse nobis te ipsa non comperimus. Quapropter mundi misertus clementissimus Pater, homines ultimis hisce temporibus dignatus est suscitare, quos veræ curandi cognitionis muneribus impertivit, ut hac ratione discussa caligine, de tenebrarum profundo in lucem veritatis Medicina emergeret, atque hujus ope mortales ægri à morbis variis recreentur.

Calumnia tertia. Chymici utuntur Medicinis corrosivis, nec non Mercurio, Antimonio, & ejusmodi rebus venenosis,

nosis, ac proinde non sunt ab hominibus ullatenus assumendæ.

Responsum. Miror D. rationales tantum in suis Scholis non profecisse, ut corrosivum unum ab alio corrosivo, id quod sub gradu est ab eo quod est extra gradum, rem præparatam à non præparata, nec non dosin, & modum res administrandi, distinguere non didicerint. Adde quod non chymica medicamina sola, sed & Galenica ipsa in se corrosivum includunt. Cujus rei veritas apparet non tantum in mineralibus, verum etiam in sacchato, & melle, è quibus ejusmodi aqua educitur, quæ margaritas dissolvere potest: imò mel solum, si ipso inungas cuprum, hoc ita corrodit, ut inde eliciat viride æris. Sed & oleum olivarum, terebinthinæ, multique alii unctuosi liquores, qui sunt veluti naturæ balsama, eundem producunt effectum. Et sal commune, quo in cibis quotidiè utimur, (sine quo humana corpora corrumperentur, rectamque coctionem non efficerent, cum sit eorum balsamum, atque etiam reliquarum creaturarum terrestrium, ut experientia testatur iis omnibus inesse sal, quod cum resolvitur & corrumpitur, creaturæ infirmantur ad mortem, prout in morbis resolutis laborantibus videre est:) sal inquam, quod tanti momenti est, ut penè sine eo natura foret imperfecta, corrodit ipsum ferrum, æs, plumbum, stannum, aliaque corpora, hominis corpore solidiora, præcipitat argentum vivum, & nihilominus temperatè administratum, dici potest quodammodo hominem vivificare. Pariter in vino tartarum est adeò corrosivum, quod non solum cuprum, verum etiam argentum corrodit, homo verò vino moderatè utens, fulcimen vitæ acquirit. Quod si jam Doctores rationales chalcantho, hoc est, vitriolo corporali uti non verentur in theriaca, ut corporibus internis illud administrentur, imò etiam in nonnullis collyriis, in quo vitriolo est sal fixum, & valdè corrosivum, cur iidem sese Chymicis opponunt, eosque probris lacerant, qui corpore vitrioli relicto, Spiritu, & balsamo illius duntaxat utuntur? At nihilominus Galenici non desinunt simplicioribus persuadere, ajentes, en spiritus vitrioli, oleum vitrioli, oleum sulphuris, spiritus salis, &c. sicut ligna exedunt corium, chartam, &c. sic etiam interna corporum humanorum corrodunt. O boni viri, si vos vitriolum absque discretione, ac malè præparatum exhibetis, quo jure meum ritè paratum, & correctum, & quod tanquam balsamum æstimandum est audetis contemnere, & improbare? Adde quod ingens discrimen est inter corpus vivum & non vivens, & insensibile, pariter discrimen est inter administrationem spiritus vitrioli puri, & inter administrationem ejusdem temperati: volo enim in omnibus certam dosin observari, discretionemque, & prudentiam adhiberi. Quod si vos pariter exhiberetis vitriolum, & alumen crudum in majori quantitate quam soletis, obessent illa sane corporibus magis, quam spiritus eorum. Qua in parte tinctores panni lanei, & serici nigri nos sufficienter condocefaciunt,

ciunt, qui quoties discretionem, & mensuram in tingendo non adhibent, pannum adurunt, & in frusta corrodunt, tametsi vitriolo crudo & non spirituali utantur. Sed quid opus est pluribus. Nonne videmus potentias corrosivi naturæ arcana esse ad alia expugnanda corrosiva? Manifestum hoc est, in corrosivis quæ sunt in sale tartari, & oleo sulphuris, quæ simul mixta, ambo suam corrosivitatem deponunt, & mirè corriguntur, ac citra ullum periculum humanis corporibus possunt administrari. Nec solùm emollit sal tartari sulphuris liquorem, verùm quascunque corrodentes aquas fortes, aquas Regis, & similes. Pariter acetum distillatum adeò potens est, ut vim habeat leniendi omne sal corrosivum. Veruntamen urgetis ulterius, ac dicitis Chymiam uti rebus venenosis, ceu antimonio, argento vivo &c.

Ad hæc respondeo: Propterea non parvam laudem nostram mereri scientiam, quæ venena norit in balsama traducere. Et sanè cum ejusmodi materiæ ut decet, præparantur, Medicinæ fiunt longè præstantiores, quam vestra ellebora, colocynthides, mezerea, scammoneæ, tithymali, & opia. Sicut experientia me docuit reverberationis medio, & circulatione cum aceto radicato sic posse corrigi antimonium, ut id non amplius per sedem purget, nec per vomitum, etiamsi quis ea in magna vesceretur dosi, & tunc potentissimum est arcanum adversus multas infirmitates. Insuper non tantùm corpora à natura creata in Medicinæ usum posse corrigere datum est mihi, verùm etiam extinguere, & omninò tollere è variis venenis partem eorum officientem: sicut e. g. sal nitrum more nostro depuratum ita mitigat arsenicum, ut intrò assumptum amplius non lædat. Et hæc sunt magni DEI opera admiranda, quæ apparent in naturæ operibus, sapientibus mundi incognita, iis verò revelata qui rudes à vobis reputantur, & idiotæ. Quod si jam dictis acquiescere adhuc nolitis, quid potero de vobis referre, qui in principali vestro composito opiato, theriaca nimirum utimini veneno, sine quo compositio illa vera foret imperfecta? Hoc si fateri os vestrum nolit, vestra tamen conscientia id cogetur asseverare. Ergo si data fuit sapientia vobis ut è vipera possitis medicamen conficere, eandem Deus Opt. Max. omnis boni Autor, & mihi dedisse potest, qua ex antimonio medicamenta præstantia, & salutifera valeam præparare, eademque cum judicio & prudentia ægrotis administrare. Exempla hæc pauca ideò recensere volui, ut præstantia Spagyricæ artis, & unà vestra inscitia ex parte dignosceretur. Siquidem gloriamini posse vos corrosiva & venena intra humana corpora existentia depellere, cùm tamen ne extrinsecus quidem tale quid præstare possitis. Quæ ergò in vobis eminentia tanta est, ut vosmetipsos ea in parte laudibus audeatis efferre, cum nec rerum noscatis inimicos, earumque præparationem & methodum ad rectam dosin requisitam? An autem ignoratis macrocosmi anatomiam docere nos anatomiam ipsius microcosmi? & Physicæ, ac Medicinæ cognitione

tione externa hos informari ad cognitionem internæ? Quæ si vobis sunt incognita, fateamini igitur candidè vestram ignorantiam, ne dum rationalium nomen vobis arrogatis temerè, universo terrarum orbi sapientiam vestram insipientissimam prodatis.

Calumnia quarta. Chymici Medicinæ præparationem, & correctionem ignorant.

Resp. Imò ipsi Galenici quid præparatio, & quid correctio sit, minimè percipiunt. Quod in præparatione diagridii, colocynthidis, aliarumque rerum videre est, ubi purum ab impuro non sejungunt: Ac proinde dementi illi possunt non immeritò comparari, qui cum ventris onus in cubili deposuisset, postmodum odore thuris, styracis, & myrrhæ fœdorem voluit corrigere, stercus interim (auribus honor sit) eodem loco relinquens. Atqui necesse est ut purum ab impuro (hoc enim sæpè dicendum est,) separetur, quemadmodum id etiam natura requirit, & tunc medicamina nullâ correctione indigebunt, utpote à quibus venenum quod in se continent, ea ratione removebitur. Et hæc veritas vel à quovis plebejo poterit comprehendi.

Calumnia quinta. Medicamenta Chymicorum præstare quidem aliquid possunt in variis infirmitatibus, quæ incurabiles æstimantur, attamen qui ab illis sanantur vitam non agunt diuturnam.

Responsum. Ægritudo incurabilis apud me æstimatur illa quæ est mortalis, quæq; hominem non deserit usque ad mortem: ità ut dici possit, eum, qui incurabili morbo laborat, non habere vitam, verùm potius versari in continuâ morte. Jam ergò quî fieri potest ut ei, qui à tali infirmitate liberatur, abbrevietur vita, cùm potius contra Medicinæ potentiâ & virtute, humanitùs loquendo, è mortis faucibus evaserit. Sanè longè major spes vitæ est in eo, cujus natura ab hoste suo destructore fuit redempta, quàm quando ab eodem adhuc vexatur, & detinetur. Etenim ubi tunc cibi, & potiones non poterant debilitatam naturam restaurare, neque in bonum chylum converti, hunc quia impedimenta remota sunt, id nullo negotio præstare possunt. Unde apparet liquidò absurdam esse calumniam. Etenim si ita esset, ut inquiunt, sequeretur, hominem à morbis per medicamina liberatum & restitutum ruere in deterius debere, & magis ac magis consumi. Quod quàm absurdum sit, nemo non exiguæ humanitatis sensum ferens judicabit.

Calumnia sexta. Medicamenta chymica etsi non usque adeò sunt improbanda, tamen quia magni sunt pretii, non facile à quovis possunt comparari: cum enim eorum præparatio maximi sit laboris & molestiæ, sæpè & jacturæ, quin etiam sumptus ingentes ad eam cùm requirantur, velut lignorum, carbonum; vitrorum, variorumque instrumentorum; hinc fit ut illa chariori pretio divendantur.

Resp. Tantùm abesse medicamenta chy-

chymica esse magni pretii, ut etiam viliori emantur quam Galenicorum. Quod ex iis quæ subnectam, perspicuum fiet. Quotiescunque infirmus aliquis Galenicâ Medicinâ uti constituit, inprimis necesse est, ut Medici curæ, & discretioni se subjiciat, Pharmacopolæ autem misericordiæ sese commendet, & hîc primus notatur sumptus. Postea id quod Medicina chymica, brevius, compendiosius, & efficacius in morbi curatione præstare consuevit, contra Galenica, dum corpus spissis syrupis, & variis decoctis præparat, & potiones purgantes ægris propinat, longas admodum connectit moras, & tormentis mille patientes affligit. Et quia ejusmodi medicamina immunda sunt, & impura, hinc fit ut plerumque imber geratur in cribrum, & quod pejus est, ubi in una parte fæces tollunt, in altera gignunt putrefactionem, & pravas reliquias post se relinquunt in corporibus humanis, sicut experientia quotidiana miserorum languentium damno id nimium testificatur, quibus syrupi non tantum pecuniam, verùm etiam proh dolor! ipsum sanguinem sæpissimè perdiderunt. Et ubi mea medicamenta bona sequi solet corporis constitutio, & redintegratio, Galenistarum contra stomachi debilitates, flatus, tormina, nausea, aliaque mala quàm plurima subsequuntur. Interim hoc notum esto, si officinæ omnis generis remediorum chymicorum publicæ aperirentur, quæ exitum haberent continuum, hoc certè polliceor, quod tunc præberi posset dosis auri diaphoretici, pretio dosis putridi alicujus syrupi de ligno guajaco, & emi dosis magisterii corallorum & margaritarum, pretio quo emitur dosis specierum, aut confectionis aromaticæ. Id quod à veritatis amantibus facile supputari potest.

Calumnia septima. At quomodocunque sit, inquiunt Galenici, Chymici tamen non omnes infirmitates curare possunt.

Responsum. Væ mundo, si homini Medico data esset virtus & potestas ut cunctas posset mortalium ejicere infirmitates. Notum est enim, sapientissimum Deum per ipsas solere multos peccatores vocare, & deducere ad pœnitentiam: qui cùm experiuntur sibi non prodesse Medicinam corporalem postquam ejus medio fuêre usi, coguntur tandem recurrere ad cœlestem Medicum, quod ab eis non fieret, si pecuniâ possent sanitatem redimere. Quin imò hoc dicam, cum statutum sit omnibus hominibus ut semel moriantur, inciderent plerique in desperationem, si ipsis adhuc sanis vita cum morte esset commutanda, ubi aliàs per infirmitatum occasionem velut à Deo ipso præparantur ad dispositionem benè moriendi. Insuper si id foret, ea esset Medici superbia, & avaritia, ut væ miseris & pauperibus, si argento & auro sanitas iis comparanda esset: avaritia enim extremâ hâc mundi senectâ, ad summum redacta est, & iniquitas Caini nondum est extincta. Ego verò agnosco Medicinæ duntaxat præparatio-

parationem ſcientiam eſſe & opus Medici, ſanationem autem, ac benedictionem proprium eſſe miſericordiæ, & ſapientiæ divinæ, quæ in omnibus pro ſuo arbitrio, & beneplacito operatur. Nec eam laudem tribuo Chymicis, quod mortuos valeant reſuſcitare, abſit, hoc enim cum opus ſit merè ſupernaturale, ſcientiam tantæ rei noſtram ducimus infirmitatem tranſire, verùm Spagyricæ artis, quæ nunquam ſatis laudari poterit, excellentiam commendo, atque deprædico, quam ſi cum Galenica comparare volemus, illum veluti ſpiritum quendam eſſe, hunc ceu putridum cadaver invenimus.

Duellum inter Pharmaciam Galenicam & Spagyricam de præparatione & compoſitione medicinali.

PHarm. Gal. Quandoquidem perſpexi audaciam eorum orbis ſeductorum qui Chymici appellantur, dignitatem meam labefactare; operæ pretium me facturam aibitrabor, ſi varias præparationes, & compoſitiones medicinales aggrediar declarare, eaſque breviter comprehenſas ſub aſpectu ponere, ut hac occaſione impulſa, & incitata Pharmacia Spagyrica cogatur præbere propoſitis meis reſponſa, ex reſponſis autem, illius imperitia deprehendatur. Etenim cum ſit illa in ſtudio Philoſophico minus exercitata, & diſcurſus rationalis ſpoliata ornamentis, eamque rerum fugiant cauſæ, fugiant rationes, inducam ipſam haud dubiè in tales labyrinthos, quibus non facilè poterit emergere, quin etiam vulnerabo illam variis lanceis, ad eò ut confuſa & ſuperata ſuccumbat. Primo autem adducere ea media incipiam, quibus majorem partem medicamentorum præparare, componere, & conſervare conſuevi. Sed ecce opportunè Pharmaciam Spagyricam conſpicio advenientem. Phar. Spag. Loquentem te audiebam è longinquo, & quidem triumphum ante victoriam decantantem. Verùm ut ſuperfluitatem ſermonum qui mutuo inter nos poſſent exoriri, evitemus, rogo te ut propoſitum aggrediaris, promptam enim me, & paratam ad reſpondendum cuicumque tuo quæſito es habitura.

De Aqua Communi.

PHarm. Gal. Initium igitur faciam ab aqua communi, quæ à te tantoperè ſolet contemni: ac dico tibi, eam inter præcipuas claves Medicinæ eſſe connumerandam, idque propter duos effectus principales. Primus eſt, quia tanquam corpus liquidum, & apertum, medio decoctionis vel infuſionis rerum, vim habet in ſe rapiendi & attrahendi virtutes illarum. Secundus, quia loco vehiculi inſervit Medicinæ, ut earum inferat efficaciam in ſingulas partes internas corporum.

Pharm. Spar. Omninò aſſentior tibi,

aquam esse elementum id mundo perquam necessarium, verum quod sit clavis Medicinæ, quodque duabus à te nominatis potentiis imbuta sit, à me non conceditur. Et ratio est, quia basis infirmitatum elementarium in microcosmo est ipsa corruptio: porrò inter omnia elementa aqua est illa quæ maximè est corruptioni obnoxia, quæ etiam absque igne, & aëre penitus periret. Et cum sit talis, non potest perfectè attrahere puritatem rerum. Et hoc vel inde liquet, quia si decoctionem aut infusionem consistere aliquandiu sinas, statim vides illas putrefieri, atque corrumpi, & ita quidem ut mucor sæpè, & vermes in eis prædominentur. Unde est consectarium, quod res quæ in seipsa est tanquam mortua, minimè possit esse vehiculum quo aliis rebus vita & assistentia præbeatur: imò ob rationes prædictas est eis majori impedimento. Aliter autem me docuit experientia attrahere virtutes rerum nempe liquoribus naturæ balsamicæ, & puris in suo esse, qui non tantùm perfectam attractionem efficiunt omnium substantiarum, & corporum, verùm etiam illis sunt adjumento. Et quoniam ejusmodi liquores admodum sunt essentiales ac penetrantes, ad regeneranda, ac fortificanda corpora appropriati; hinc fit ut inferant pariter spiritum Medicinæ in omnes partes internas, & indagent centrum morbi, quem cum invenere, naturæ humanæ tanquam ejus amici assistunt, & opitulantur, ut unà illius destructorem expellant. Quam operationem aqua præstare neutiquam potest, imò cùm ea sit viribus hominis inimica, generat undique flatus & tormina, debilitat stomachum, & extinguit calorem naturalem, sicuti in infelici operatione tuorum syruporum, julapiorum & aquarum videre est, quas administras in morbis calidis absque discretione, non animadvertens calorem ipsam vitam esse, & frigus, mortem, calorem verò plerunque ob caussam frigidam alterari. Quamobrem ô ignare, disce accidens inprimis tollere quod calorem alterat, & ventum stude removere, qui ignem immoderatè exagitat, ipsum verò ignem noli extinguere, ut soles. Quod si hæc te lateant arcana, meum accede Lyceum, & ego docebo te.

De Aquis Destillatis.

Pharmac. Galen. Quoniam rejicere ausa es mihi aquam communem, miror an etiam aquas meas destillatas sis aspernatura, quarum mea officina plena est; & hæ à variis herbarum generibus sunt destillatæ, essentiales, & magnæ efficaciæ, ac omnimodam virtutem in se continent earum rerum unde eductæ sunt.

Pharm. Spag. Destillatio in manu tua perinde est atque Arsenicum in manibus alicujus infantis, judicio & discretione carentis, qui illud à saccharo non distinguens ori admovet,

& seipsum occidit. Hoc in eum finem dico, quia eam hic patefacis stultitiam, ut velis aquas tuas essentiæ, & integræ virtutis rerum vices obtinere, cùm tamen nil sint aliud quam separatum à corporibus, quod minimam in se potentiam includit: & excipe quod aliquem retinet odorem, & gustum illius herbæ ex qua eductum est, provenientem à minima parte sulphuris, seu olei ipsorum quod in destillatione ascendit, (hoc enim nî esset, aqua foret insipida, nec discreparet à communi:) nec non correctionem exiguam ab igne acquisitam, in reliquis nihil est aliud quàm aqua, sicut cæteræ quæ corruptioni, & putrefactioni sunt obnoxiæ, imò ob suam cruditatem etiam congelationi. Quod testatur diligentia illa quâ vitra tua recondis, & præservas à violentia frigoris tempore hyemali.

Ita ut aqua semper sit aqua, frigida & humida, tametsi discrimen sit inter aquam mentæ, & aquam lactucæ, & dici possit aquam mentæ frigidam esse & humidam, cum pars ejus calefactiva & confortativa in oleo suo remaneat, & pars balsamica in suo sale, quod in tua destillatione non ascendit. Unde dignosci potest quid sit destillatio, nempe non aliud quam separatio unius elementi ab alio, uniusque substantiæ ab alia. Sed qui ex aquis aliquod beneficium consequi volet, juxta virtutem herbarum, hoc modo procedere debet. Primò destilla herbam viridem quantum potes, postea reitera aquam illam super herbam remanentem, ac redistilla, & sic major pars ejus oleositatis cum ipsa ascendet: deinde residuum in cineres adure, & super eos infunde aquam quam destillaveris in vase vitreo, eamque insolabis autem, in loco alio calido pone ut rectificetur, & tunc attrahet in se proprium sal: post hæc separa illam per inclinationem aut per chartam in alio vase, claram quantum fieri potest, & aquam habebis cum suo spiritu, & balsamo, quæ quidem ad aquas tuas comparata essentia dici potest, siquidem hæc non facile corrumpitur, neque est cruditati subjecta ob rationes in processu contentas, & longè majoris est efficaciæ, quàm aquæ illæ tuæ secundùm artem præparatæ, utpote ℞. herbarum manip. 10. aquæ communis quantitatem, destilla per vesicam cupream: nec aliud tibi curæ est, quam ut ejus magnam copiam elicias, teque postea non pudet ejusmodi aquas appellare essentiales, quæ tametsi forent sincerè destillatæ, non essent tamen nisi debilior rerum pars, quin etiam ut te stolidam prodas, & præternaturalem dilatas, & diffundis exiguam illam vim, & essentialitatem quæ ipsis inesse potest aquæ communis additione.

De Sacchraro & Melle.

PHar. Gal. Velim nunc ex te scire, num etiam virtutes, & proprietates universales rejicere velis, quæ in melle & sacchato inveniuntur, materialib. à natura tam utiliter præparatis, & qualitatibus adeò temperatis præditis, ut pro condimento & conservatione inservire possint omnium specierum, herbarum, fru-

ctuum, florum & radicum ad Medicinam pertinentium, quin etiam vera sunt illius basis ut videre potes, cum nulla penè fiat præparatio, aut compositum absque mellis & sacchari intermedio, cujusmodi mea sunt electuaria, condita, conservæ, syrupi, julepi, looch, & similia medicamenta, quæ eorum medio à corruptione vindicantur, nec non suavissima redduntur in gustu.

Phar. Spag. Amica mea, jamdiu est quod tuam methodum damno meo perspectam habeo, cum & ipsa aliquot annos in praxi tua exercenda consumserim. Ac verùm quidem est, quod absque melle & saccharo tua culina debilis & infirma foret, verùm quod inde sequatur, methodum hanc tuam meliorem esse, hoc à me ob sequentes rationes pernegatur. Etenim dubium non est, quod, cum Deus & natura frustrà nihil faciant, per consequens in melle & saccharo suæ non sint reconditæ virtutes, ac proprietates in Medicinæ usum, siquidem ab illis extrahi potest essentia subtilis, & odorifera, quæ ex se valet variis morbis resistere, sed non consequitur inde, ipsa esse posse Medicinam universalem, eaque nominatas operationes efficere, cum talis essentia sit suo cadaveri, & immunditiei colligata, proinde ibi requiritur hyssopus, id est, mundificatio, non sicut tu arbitraris, melle nimirum sumpto, & aqua communi, & ovorum albumine, spumentur, & clarificentur secundum artem &c. sed separatione opus est subtilis à spisso, balsami à stercore, & substantiæ à cadavere: non tamen quod te perpetuò subjicere velim ejusmodi purificationi, & mellis ac sacchari more tuo clarificati improbare ad aliquas operationes usum, sed ut tibi auri & plumbi differentiam commonstrem. Itaque dilecta soror, admodum falleris cum hoc tuo misce, nam non animadvertis Creatorem sacchari, & mellis, rutam pariter, salem & berberos creavisse, variavit ille rerum formas & gustus, & sic earundem proprietates, ut unumquodque suo tempore suam exereret potentiam, neque enim sua dona Deus in rerum natura imperfecta dedit, quanquam mundus ob peccatum sit corruptus, & homo in cæcitate permanserit, ita ut dementia sit summæ, velle id dulcificare, quod in sua debet amaritudine operari. Atque hinc fit quod rustici & mulierculæ empyricæ, quia rebus in earum simplicitate utuntur, curas faciunt magis laudabiles quàm tu quæ canonica nuncupatis: adde quod rerum virtutes etiam debilitas, aquâ, melle & saccharo, ita ut in sua Medicina pars & puritas: quæ morbo resistere deberet, boni grani instar suffocetur sub paleæ rum quantitate, quemadmodum passim ex tuis dispensionariis potest judicari, ubi syrupi tui sunt mel aut saccharum cum aqua ana. O ignorantiam! num hoc est naturam coadjuvare, an eam potius destruere? Aut quid plura dicam ego? Si hæc tua medicamenta necesse est balsamari, cur ea igitur non nominas medicamenta? aut quî poterit res corrupta aliam ejicere? Hæc utique est vetularum quarundam cantilena, quæ inquiunt,

quiunt, man muß böß mit böß vertreiben / sed falluntur maximè. Quod si conservare velis aut balsamare succos tuos, infusiones & decocta &c. id facere debes veris balsamis spiritualibus, & mundis, quæ non tantum ut balsama inserviunt, sed etiam ut vehicula, ut spiritum medicinalem in centrum morbi apportent, coadjuvantia virtutem præparativam, separativam & expulsivam stomachi microcosmici. Quod autem per mel & saccharum pharmaca reddantur magis grata & suaviora, ad hoc respondeo, quod non omnia, est enim e. g. discrimen inter syrupum de succo citoniorum, & inter syrupum de absinthio, aliasque potiones amaras, adversus quas saccharum non potest prævalere. Præterea necesse est scire num talis dulcedo sit necessaria nec ne, nonnullis enim convenire potest, plerisque verò displicet, ut quibus nauseam, tormina, & deliquia causetur, id quod dulces tui, & spissi syrupi efficiunt, qui ipsi Marti tremorem incuterent, si foret infirmus. Proinde qui saccharo uti velit & melle, operæ pretium est ut distinguere sciat, quibus maximè conveniant, & quibus non, adeoque quibus cum gustibus magis possit concordare, conjungendo illa cum substantiis puris, & non cum cadaveribus, siquidem cum balsamis, mel & saccharum balsama sunt, cum corruptibilibus autem corruptibilia. Porrò vera ratio, qua Medicinæ reddi possint suaviores, ea est, quam Spagyrica docet, cujus adminiculo ad verum efficaciæ gradum reducuntur, quorum unica drachma plus valet, quam integrum poculum tuarum potionum, nec dubium est, quin quilibet patiens libentius esset assumpturus ad cochlearis mensuram, liquorem amarum transparentem, quam dulcem aliquem syrupum. Si nunc subjungas, mel & saccharum lenire corpus, præparare humores, &c. ad hoc respondeo, idem quoque præstare pruna, cerasa dulcia, aliosque fructus in jure vitulino decoctos, ac in cibum paratos, qui majorem habent cum corporibus humanis sympathiam. Deinde non semper est necesse lenire, aut præparare, ac putrefactionē addere, ubi nulla est, sed est duntaxat removenda materia putrida jam præparata, & si ob ariditatem aut aliud accidens corpus obstructum sit, illic sola aperitione opus est, non putrefactione, & evacuatione per secessum, quemadmodum tu in variis casibus procedere soles, ubi potius necesse esset humorem addere, quam expellere. Multa alia quæ dicenda essent prætermitto, ea in aliam occasionem servans. Interim exhortor te, ut veritatem tandem amplecti velis, nec amplius conscientiam tuam à verme ambitionis aduri patiaris.

De conservatione succorum.

QUoniam arbitraris haud posse quicquam conservari, quod ad Medicinam spectet, cum melle, & saccharo; monstrabo jam tibi modum, quo uti consuevi ad conservandos omnis generis succos herbarum, ne corrumpantur; modus verò hic est. Processus.

℞. Herbam, quam voles, aut flores
ontunde, & inde succum exprime, hunc
mpone cacabo, & aliquot ebullitionibus
ferveat, ac probè despumato, deinde co-
etur, & sinatur frigefieri: eodem imple-
is vasa vitrea ad collum usque cui super-
ddas oleum olivarum, idque ad crassitu-
inem duorum digitorum supernatet: &
oc conservat succum ne corrumpatur.
Quid dices ad hæc?

Phar. Spag. Conservatio ista tua val-
è mirabilis est, attamen hoc miror, quòd
quantamcunque in ea diligentiam adhi-
eas, vix tamen illud consequaris, ut succi
ui per annum conserventur. Cui veri-
ati ipsamet poteris testimonium perhibe-
e, si modò fateri velis, quod cum oleum
vasis cautè vis removere, existimasque te
nfusionem tuam, aut succum adhuc inte-
grum & purum reperturam, contra eum
æpè fœtidum, & urinæ putridæ instar
(ut salvo honore dicam) redolentem in-
enis. Quem nihilominus, quoniam ti-
i pecunia constitit, non vis abjicere, ve-
ùm illi potius adjungis mel & saccharum
c syrupos secundum artem componis.
Nimirum præclara hæc est conservatio
ua. Sed naturalis & vera methodus qua
go utor, longe est à tua differens, quâ ni-
nirum succos ita condio, ut non solum
er integrum conserventur annum, ve-
ùm etiam annorum decades in sua virtu-
e & efficacia: & hi verius naturæ magi-
eria, quam quidvis aliud dici merentur,
& hunc modum non in tui gratiam sed
veritatem amantium declarabo.

Processus.

Modus succos herbarum rectificandi, & conservandi more Spagyrico.

Accipe succum melissæ, aut ejus herbæ, quam voles, is aliquandiu bulliat, & probè despumetur, ac quartam partem humiditatis superfluæ leniter finito exhalare, illum deinde percolabis, & vasi vitreo affundes, addens unicuique libræ uncias duas cum dimidia spiritus vini sine phlegmate, vas interim ritè obturetur, & ponatur ad Solem, aut alio in loco calido per aliquot dies, & succus reddetur purissimus: porrò in fundo vitri relinquet excrementum, quod circa illud adhærebit: tunc colabis ipsum per inclinationem in alio vase, quantum fieri poterit clarum. Hic autem ut dixi asservatur in annos citra periculum corruptionis. Atque hic verus est succos conservandi modus, quo quidem haud scio an melior posset reperiri, quandoquidem spiritus vini spiritus est vegetabilis, naturæ omnium vegetabilium appropriatus, qui minimè alterat qualitates ipsorum, sed potius eorum vim & potentiam adauget, & ob incorruptibilem suam naturam illos à putrefactione tuetur.

De Decoctis in genere.

Phar. Gal. Quoniam Medicina manca foret, & quodammodo imperfecta absque usu decoctionum, tam purgantium quàm aliter operantium, utpote qua-

quarum medio syrupi componuntur & apozemata; idcirca rationem qua solent præparari silentio non prætereibo. Est autem hæc. Processus.

Recipe herbas, radices, flores, & fructus, prout erunt illa quæ præparare constituisti, hæc suo ordine secundum artem decoque in cacabo aquâ repleto, usque ad consumptionem partis dimidiæ, deinde filtro transmitte decoctum.

Phar. Spagy. Decoctiones tuæ qualescunque illæ sint à me nihili penduntur, & nullius esse valoris reputantur, tum ob causas in capite de aqua communi commemoratas, tum etiam quia in tuis coctionibus duo insignia menda, & errores committuntur: quorum primus est, quod subtiliorem partem Mercurialem rerum quas coquis patiaris avolare, unde in decocto non remanet, nisi terrestris quædam substantia. Alter est, quod cum inter varia decocti ingredientia plerumque aliqua reperiantur quæ sunt salsedine aut acore aliquo imbuta, hinc fit ut ab his corrodi possit, & attrahi cacabi prava qualitas, quemadmodum multis contigisse sæpius compertum est, quos eâ ratione Medicinam facere existimantes, rem virulentam præparasse fuit deprehensum. Porrò etsi decocta apud me non veniant in consuetudinem, modum nihilominus hic præscribam, quem tenerem ipsa, si iis luberet uti.

Sume herbas, radices, flores & fructus, ut voles, hæc in vitreum alembicum immitte, & illis affunde tantum aquæ communis destillatæ, quantum potionis habere desideras, deinde alembicum probè contectum in balneo maris per spatium duarum aut trium horarum collocabis, quod inde destillabit excipies; postea colabis decoctum, & illi id quod anteà distillarat, adjunges. Et hæc vera est ratio quâ possumus herbarum virtutes consequi, etiam ne illarum diffundatur efficacia. Quod autem ad illud attinet, ut quævis herbæ suo ordine in decocto collocentur, sive fructus, flores aut radices; id juxta differentiam qualitatis mollis, aut habito respectu gustus quo præditæ sunt, erit observandum.

Decoctum de Ligno Guajaco.

PHarm. Gal. In iis quæ hactenus deprompsi, conatu prorsus irrito atque inani videor laborasse: attamen utcunque de illis senseris, non ambigam tamen impræsentiarum, quin saltem sis laudatura decoctum meum de ligno guajaco, quod est Medicina Universalis apta ad exsiccandas superfluas humiditates corporum humanorum. In specie verò ita potens est adversus gallicam luem remedium, ut pene simile non reperiatur ei. Cujus parandi rationem siquidem nosse cupias, sciendum est tibi illam esse variam: alii namque in ejus coctione addunt vinum, alii non addunt, quidam sumunt guajacum cum sarsaparilla, alii addunt illius cortices, nonnulli aromata varia. Proinde simplicem illius percoquendi modum hic duntaxat recensebo. Processus.

℞. Lignum guajacum minutim incisum,

cisum, nec non cætera ad id requisita ingredientia, affunde iis omnibus quantitatem aquæ, & in vase lapideo, aut terreo vitrato ritè operculato ad lentum ignem fac ut bulliant usque ad certam consistentiam & spissitudinem, ac postea percolabis. Decoctum hoc appellatur syrupus, qui exhibetur in sua dose, tempore matutino, stomacho jejuno. Remanenti injicies novam aquam, quam etiam coques, & hæc est decoctio ordinaria, vini loco, patientibus assumenda: qui non hoc solùm debent abstinere, sed etiam cibis humidis & sale, utentes unâ diæta angustiori, dies circiter triginta, aut quadraginta.

Pharm. Spag. Non sine ratione decoctum tuum de ligno guajaco universale quid nuncupandum esse concedo, quando ei vis & proprietas insita est universalis putrefaciendi corpora humana, producendi repletionem superfluæ humiditatis in venis, corrumpendi ipsum sanguinem, nec non alterandi & debilitandi universum corpus. Quod non tantum ex se facit, verum etiam ob additionem caninæ methodi, atque irrationalis observationis, supradictæ præternaturalis diætæ.

Quare ejusmodi potionem porcis potius, quam hominibus propinandam esse judico. Dicam autem quæ mea sit methodus circa ligni guajaci præparationem, (quamvis alia sint mihi sudorifera excellentiora,) ut saltem inde mundus errores tuos & inscitiam valeat coarguere, Processus.

Accipe ligni sancti minutim incisi libras tres, Sarsaparillæ contusæ libram unam; zinziberis albi uncias duas, galangæ unciam dimidiam. His omnibus aquam vitæ optimam affunde, eamque in loco calido appositè conclusò repone, aut tres aut quatuor dies, hinc exprime totam substantiam, & aquam vitæ destilla, donec extractum redactum sit ad consistentiam mellis, postea residuum in cineres adure, cujus sal extrahes aqua communi more chymico destillata, tandem hoc adjunges dicto extracto, & sic absolutum habebis magisterium.

Volens jam illud administrare, natura sum edoctus, ut longè aliam à tua methodum observem. Soleo enim vinum concedere patienti, & cibum quantum flagitat necessitas, ut hac ratione natura in suo vigore persistat. Salis quoque usum permitto quanto opus est, cum illud sit balsamum corporum nostrorum, & sine quo effici recta digestio non posset.

Quod si tuæ diætæ præceptis insisterem, nonne sic robur ipsi naturæ detraherem? qua deficiente vires pariter deficiunt medicamenti. Experientia autem compertum habeo, per rerum necessariarum interdictionem, quibus nimirum homo est assuetus, fieri alterationem naturæ, ex qua mala plurima postea consequntur. Itaque ea sola prohibenda sunt, quæ morbum nutrire aut augere possunt, minimè vero quæ naturæ esse adjumento, eidemque robur afferre debent. Methodus porrò administrandi extractum hoc meum guajaci, hæc solet esse: initio exhibeo

purga-

purgativum appropriatum adversus ipsum morbum, quo stomachi putredines arceantur: dein præbeo dictum guajacum ad dosem unius drachmæ pro vice cum vino albo generoso ac nonnihil tepido. Ad hoc æger decumbens lecto, sudat horam unam aut alteram, prout fert ejus constitutio, postmodum tradit se quieti, ac demum surgit.

Tum jubeo eum refici cibis maximè nutrientibus, velut ovis recentibus, aut aliis escis quæ vim habeant substantivam, cyathum quoque vini vel ultra prout placuerit non denego. Si tempus sit æstivum, consulo ut prodeat, & in majori exercitio, major est operatio Medicinæ.

Ubi sitiverit, jusculi è carne vitulina, aut vini albi tenuis usum præscribo, sæpe etiam exhibeo duas aut tres guttulas spiritus vitrioli cum vino ad mensuram cochlearis, aut cum aqua ægro conveniente. Hic spiritus eâ est vi præditus ut sitim sedet, mundificet stomachum & urinam moveat.

Talis curatio continuari solet per quindecim aut viginti dierum spatium, plus vel minus juxta necessitatem, purgatione singulis septem diebus si res postulaverit non intermissa, & symptomatibus observatis, quæ ad Medici cognitionem spectant. Et hoc dictum sufficiat quoad usum ligni guajaci.

De Infusionibus.

PHarm. Galen. Ecquid tibi videtur de inventione & usu infusionum, prout in specie, rosarum simplicium & solutivarum, quæ sunt syruporum rosatorum & mellis rosati bases? Illæ sanè à priscis seculis ad hæc usque tempora tanquam liquores utilissimi, imò Medicinæ per quam necessarii semper in magno pretio fuerunt habitæ. Et ut earum valorem melius cognoscas, hanc tibi pro forma præparationem describam.

Infusio Rosarum simplex.

RECipe foliorum florum rosarum libras sex: horis octo macerentur libris quindecim aquæ calefactæ in vase terreo vitrato, strictioris orificii, operculato, postea colentur. Eidem aquæ calefactæ rosarum recentium tantundem immittitur, & tamdiu maceratur & colatur, id si velis servare oleo affuso, & eodem vase benè operculato dies quadraginta insola, vocatur id saccharum rosarum. Eodem modo proceditur in infusionibus violarum & florum persici, aliorumque florum: & si velis eas habere solutivas, repetatur infusio super novos flores usque ad sextam vicem septimam, octavam, & nonam, deinde servetur in usum.

Pharm. Spag. Effectus ad quem fuere infusiones introductæ, non est omninò inanis, quantum nimirum at-

tinet ad operationem earum: & majori in pretio apud me sunt, quàm ipsa decocta, siquidem illarum virtus unita retinetur. Verumtamen est discrimen inter unam infusionem & aliam. Sunt enim aliquæ infusiones quæ utiles esse possunt, aliæ verò inutiles, ac prout sunt materiæ quas vis infundere, ita & iis appropriatus requiritur liquor, quo illarum attrahatur virtus, & conservetur, & vehiculi atque auxilii loco sit, ac non destructivi munere fungatur. Propterea usus ille tuus qui est infundendi singulas res in aquam communem (cujus pravas qualitates superius sufficienter exposui,) à naturâ & à me neutiquam potest probari, & in specie rosas, & violas extrahendi, quæ corpora sunt cruda & putrefactioni maximè obnoxia, unde corruptibile additum corruptibili putrefactionis gignit multiplicationem. Quare non sine causa miseri languentes conqueruntur, eo quod tuarum infusionum operationes proprii sæpe sanguinis pœnâ persolvere cogantur. Quod attinet ad tuas infusiones florum, eas tibi libenter donatas volo; erudivit namque me experientia earum loco vinis purgantibus uti, vel extractis delicatis, quæ corpus naturaliter evacuant sine læsione & detrimento, quod syrupi tui rosati, aut violati præstare non possunt, qui sanguinem corrumpunt, ventosque & alia mala causantur. Et si fortè dicas remedia à me jam commemorata neutiquam ejus esse efficaciæ, cujus sunt rosæ aut violæ, respondeo, quod longè majoris, quoniam ob suam vim aperiendi & consolidandi causantur exhalationem vaporum calidorum, calorem naturalem reconciliant, & stomachum in statu suo conservant. Quod jam tales syrupi valeant ad extinguendam sitim, tuam ignorantiam manifestas, tum quia humorem multùm tollunt à corpore, tum quia illud magis relinqunt constipatum, quàm antea fuerit, neque enim ubi de sedanda siti quæstio est, illîc est purgationi vacandum. Ideò utor ipse in ejusmodi casibus spiritu vitrioli transparenti, crystallo solubili, alabastro fluente, quorum minima dosis quemvis superfluum calorem extinguit, & in febribus ardentibus, cephalalgia, angina, aliisque accidentibus vera sunt naturæ arcana, nec non id efficiunt, quod cunctæ Europæ rosæ aut violæ perficere non possent, suntque medicamenta incorruptibilia; quæ si pariter nosse cupias, veni & unà cum Vulcano operare.

De Iulepis.

PHarm. Gal. Julepi nostri adeò suaves sunt & transparentes, in variis ægritudinibus utiles, ut vix credam, te tale quid facile nosse præparare. Et modus eos conficiendi hic est.

℞. Aquæ rosarum libras quatuor, sacchari clarificati libras duas: fiat cum diligentia secundum artem. Virtus ejus. Febrium thoracis, ventriculi incendium caloremque flammeum extinguit, sitim inexemplatam sedat,

P. S. Julepos tuos magni facio in usum nimirum infantium dum ejulant, sed postmodum væ ventris ob vermes. Item ad usum ebriorum, qui ob nimiam crapulam siti & calore vexantur, quibus tuum exhibes julepum cum aquis cichorei, borraginis, buglossi, &c. Sed postea væ illis, quoniam posterior ruina ob julepum attracta pejor est prima per vinum accersita, etenim ille repercutit calorem naturalem, eumque opprimit, obstruit hepar, efficit debilitatem stomachi, & alia mala producit. Quare illius usum non admitto, nisi eidem addatur aliquod incisivum, mundificativum, atq; aperitivum, prout ego facere consuevi, si quando julepis uti lubet, & hic est modus.

℞. Julepi de aqua cichorei, vel hepaticæ, aut alterius herbæ appropriatæ, constitutioni corporis ejus, cui est exhibenda, uncias 6. spiritus vitrioli rectificati scrupulum: de hoc bis aut ter in die singulis vicibus pleno cochleari præbeo in febribus ardentibus & aliis alterationibus calidis, nam aperit, exhalationem caloris promovet, stomachum reconciliat & provocat urinam. Sed magis adhuc laudo, ut aqua pura cum spiritu præbeatur, absque saccharo, dummodo corpus non sit flatibus repletum: extunc enim spiritum cum vino albo exhibendum censeo, prout Medicus viderit esse necessarium.

De syrupis.

P. G. Accedo nunc ad syruporum efficacem compositionem, qui sunt corona officinæ meæ, eamque suâ præstantia & utilitate mirifice adornant. Atque hi sunt varii generis, etenim nonnulli è succis componuntur, nonnulli è decoctis ab herbis, floribus, fructibus & radicibus, alii vero proprietatem habent purgandi, alii constringendi, refrigerandi, calefaciendi, juxta nimirum eorum compositiones diversas. Servantur autem in magna copia à me in vasis terreis vitratis, stanneis & vitreis. Adde quod si quis ingrediatur officinam meam, conspiciatque insignem illum quem teneo ordinem syruparium, magno stupore, & admiratione affici cogetur. Sed & à magnatibus & Principibus fuere syrupi magni perpetuo æstimati, adeoque hac nostra ætate magno adhuc in pretio habentur. Quin imò ipsi Reges conati sunt insignis alicujus syrupicæ compositionis esse inventores, prout exemplo nobis esse potest Sapor Medorum & Persarum Rex, cujus syrupum hîc tanquam exemplar, & formam quandam universalem describere decrevi. Syrupus autem iste nomen suum acquisivit ac retinuit à dicto Rege, qui anno à Christo nato ducentesimo sexagesimo subegisse dicitur Valerianum Romanorum Imperatorem. Ex quo colligi potest, syrupum hunc jam diu obtinuisse.

P. S. At quando tandem finem impositura es? Equidem videris mihi idem

præstare velle quod prægnans ille mons, qui mundum invitarat ut se parturientem spectatum veniret, cum autem accessisset, res in ridiculi muris partum fuit conversa.

Ita planè & tibi nunc arbitror contingere velle, etenim sic auspicaris sermonem ac si de lapide aliquo physico tractatura esses, cum tamen conclusio fortasse de pomorum pulpa futura sit.

P. G. Adeonè impatiens es, ut ne quidem processum me patiaris absolvere? sed nunc propositum aggrediar. Proc.

Syrupus saporis de pomis.

℞. Succorum pomorum fragantium libras 3.
Buglossi & borraginis depuratorum utriusque libras 2.
Foliculorum sennæ mundif. unc. quatuor.
Seminis anisi unciam dimidiam.
Croci drachmas duas.
Sacchari albi libras tres.

Foliculi sennæ parum contriti cum aniso horis 24. macerentur in succis, deinde semel aut bis ferveant, & colentur, expressum, clarificatum, & colatum cum saccharo coquatur in syrupum. Crocus autem panno lineo ligatus inter coquendum infricetur. Virtus, Purgat melancholiam, expellit flatus, materias crassas incidit, & omnes corporis debilitates universaliter restaurat.

P. Sp. Quoniam video syrupos tanti à te fieri, & eos instar columnæ medicinalis in officinis haberi: mearum quoque partium erit paulo prolixius respondere tibi, ordine prout sequitur.

Dico autem omnes tuos syrupos in genere, quomodocunque à te præparentur, variisque etiam modis adornentur, nil esse aliud quam ignatissimorum inventa, atque inutilissima composita, usui potius coquinarum, quam corporũ humanorum destinanda. Nam si velimus sequi cursum quem nos docet speculatio Philosophiæ naturalis & operationis Chymicæ, distinguere debebimus naturam & potentiam rerum medicinalium in tres præcipuos gradus ut omnis earum substantia, ut par est, separetur. Sed tu hic aliter procedis, & quidem præternaturaliter. Siquidem non discernis quâ in parte consistat rerum virtus, juxta earum species, nam nisi hoc esset, studeres procul dubio Medicinam vegetabilium in aliam formam, & eam quidem efficaciorem, corporibusque humanis magis appropriatam & convenientem reducere, quam quæ est syruporum, ordinem sequendo supradictum, & perpendendo, quod inter tres gradus & naturas in genere omnium creatorum medicinalium terrestrium, quæ distinguuntur in vegetabilia, animalia & mineralia, infimum & maximè imbecillum gradum in sua efficacitate teneant vegetabilia, secundum verò & his potentiorem ipsa animalia, tertium, eumque supremum, mineralia, sub quibus metalla, marcasitæ, lapides, sales &c. comprehenduntur.

His

His consideratis judicium nunc, & discretio adhibenda sunt, ut ab unoquoque creato sua pars pura ad Medicinam spectans sciatur separari; quâ in re studendum est non debilitationi ipsius, verum potius cum diligentia illius exaltationi, & reductioni ad competentem & ordinatum gradum. Ad hoc autem opus peragendum scias, alium requiri modum in vegetabilibus quorum est virtus debilis & volatilis, alium in animalibus, idemque de mineralibus intelligatur, ut sic cum sapientia & methodo naturali procedenter utamur gradibus caloris, & mediis humidis ad efficiendas attractiones debiles, aut potentes, effectus unius & alterius, prout res est quâ uti constituimus. Etenim alio liquore & gradu caloris separatur substantia herbarum, alio autem medio separatur substantia gummi, alia lignorum, & sic de cæteris gradibus medicinalibus intellige: sicut e. gr. est liquor qui dissolvit perlas, & earum attrahit substantiam, is tamen idem non agit in corallia, imò potius contrarium præstat. Pariter id quod dissolvit aurum non dissolvit argentum, & quod argentum solvit, aurum fixat, & innumera ejusmodi quæ brevitatis gratia reticentur. Jam cum ad syrupos tuos me converto, oppositum te facere deprehendo, utpote in vegetabilibus, loco ejus, quod ipsorum puritatem deberes extrahere, prout à natura creata sunt, tu cum iis magnam adjicis aquæ quantitatem, & facis decoctum aut infusionem seu potius confusionem, adeò ut minima illius rei efficacia dilatetur & amittatur, non aliter, quam si vini cantharus in lacum quempiam projiceretur. Neque hoc solo contenta es, verum mel, & saccharum addis & diu coquis, usque ad syrupi consistentiam. In hac verò ebullitione avolat pars essentialis & inutilis crassitudo reliqua manet. Non est hoc naturam coadjuvare, verum eam maximè debilitare. Quod jam hi tui syrupi sint corporibus humanis inutiles & noxii, ex dictis rationibus colligo: Cum enim illi adeò pseudo-naturaliter in te præparentur, hinc quoque necessario sequitur quod nullam habere efficaciam possint, imò sunt naturæ impedimento & ejus viribus maximè resistunt, tantum abest, quod illam à morbo valeant liberare. Adde quod deformissimum quem gerunt colorem, unà & gustum intemperatum, spissamque ipsorum consistentiam infirmus cum animadvertit, ab iis illicò abhorrere incipit, & tepidus fit animus ipsius, adeoque nauseam concipit incredibilem: proinde eam ob caussam Medicus sæpe & Pharmacopæus adeunt patientes, ut iis verbis consolatoriis assistant, ac ut potionem hilari animo assumant, persuadeant, promittentes eisdem quod post tam inutile medicamentum, vitam & sanitatem sint adepturi. Quin imò sæpè ut infantibus, post haustum aliquid dulcis & grati saporis pollicentur. Inter has angustias constitutus æger quid faceret? Miser aliud non videns remedium, cernens unà Doctoris præsentiam & auctoritatem, patitur sibi id omne persuadere & patientia armari coactus,

actus, pannum prius supponens naso, quo ingratum odorem non sentiat, festinanter haustum facit. Ad hæc quid sequitur? Cum natura jam sit tanquam repercussa & oppressa, & stomachus debilitatus adveniente in ipsum Medicina, passiones oriuntur & tormina, & hoc, quia Pharmacum nullius valoris est, deinde quia natura facta imbecillis, præparare, separare, & expellere non potest. Unde evenit ut humano corpori venenum fiat, quod debuerat esse Medicina.

Postremò tametsi ridicula sit syrupica tua corporum præparatio à Rege Sapore ut ais excogitata, inde fortè ostentate simplicioribus volens, aut persuadere rem dignam esse & maximè efficacem; Respondeo tibi, non Imperatorum nomina aut Regum Medicinam facere efficacem, sed veram, & naturalem præparationem, quæ fit Chymiæ adminiculo, dum hæc medicamenta naturalia exaltat, utcunque illa simplicia videantur. Quod verò syrupus ille valeat adversus melancholiam, aliasque à te nominatas infirmitates, dico, tibi rem ipsam loqui & effectum te coarguere ob infinitam languentium copiam, qui in his civitatibus reperiuntur, quos minimè sanare vales, quotquot exhibeas iis parata poma. Imò si omnes officinæ tuæ syrupos assumerent, semper tamen in eodem versarentur statu. Porrò etsi syrupicas compositiones non profitear, haud desinam tamen liquorem propriæ inventionis præscribere, ejus valoris & efficaciæ, cujus tuum esse prædicasti, & is à me vocabitur liquor cardiacus more nostro compositus, Proc.

Liquor Cardiacus.

℞. Cinnamoni electi,
Zedoariæ ana drach. ʒ.
Macis scrup. I.
Mosci optimi gr. iv.
Aquæ vitæ rosmarinatæ.
Aquæ rosæ damascenæ ana unc. 4.

Prædicta ingredientia crasso modo contunduntur, dictisque aquis infunduntur in vase vitreo probè occluso dies tres, donec illa rerum tincturam extraxerint, postea colantur per cartam, colaturæ adduntur

Sacchari candidi unc. 2.
Salis perlarum drach. I.

Hæc omnia in vas vitreum immittantur ritè operculatum, in aqua tepida donec sal dissolvatur, posteà serventur. Hic liquor est instar balsami. Dosis est à scrup. I. usque ad drach. pro vice cum vino optimo, jusculo, aut aliis aquis destillatis. Mirabiliter confortat stomachum, corroborat cerebrum, resolvit sanguinem coagulatum & adustum, & porosa excrementa sudoris subtilis, viâ evacuat, nec non cruditatem internam per urinam expellit: nam in ejusmodi casibus non intestina purgare, seu per secessum emittere, sed resolvere oporter & confortare, ut harum operationum medio natura restauretur, & partes nobiles infectæ, veluti splen,

splen, hepar &c. à morbo liberentur, quia sita non est in stercore melancholia. Usus ejus in frigidis & humidis esto drachmarum duarum pro vice, mane, jejuno stomacho, & ubi prævalet calor, sumatur vespere à cœna. Juvat digestionem & urinam provocat, aliisque præclaris virtutibus pollet, quæ à quovis naturali facilè cognosci poterunt. Ut plura depromam.

Pharm. Galen. Insignem adducam descriptionem syrupi purgantis, adversus graves ægritudines valentis. Processus.

Syrupus de Epithymo descriptione Mesua.

℞. Epithymi unc. 20.
Mirobalanorum citrinorum.
Mirobal. indorum ana drach. 15.
Cuscutæ.
Fumi terræ ana drach. 10.
Thymi.
Buglossæ.
Calaminthæ.
Embilicorum.
Bellericorum.
Glycyrhizæ.
Polypodii.
Agarici.
Stæchados ana drach. 6.
Rosarum.
Fœniculi.
Anisi ana drach. 2. & semis.
Aquæ quantum sufficit.
Sacchari lib. 4.
Sapæ lib. 2.
Coquantur secundum artem.

Virtus. Atram bilem & alios humores ustos vacuat, ob id morbos ex his nascentes, elephantiam, cancrum, ulcera maligna, fistulosa, psoram, lepram, præcavet curatque.

Phar. S. Haud existimarem tempus me inutiliter trivisse, tecum discurrendo, si modò vera essent quæ de hoc tuo syrupo prædicasti. Sed ea mera insomnia esse reputo. Quæ si vera sunt, quî fit igitur, quod tot nosocomia leprosorum plena non studes emundare, cum opus hoc foret misericordiæ insignis? Verùm opera Magistrum laudant, & ipsa effecta duntaxat fabulosa te narrare demonstrant.

Relinquens ergo tibi artem syrupicam, dabo tibi in remunerationem vini purgantis descriptionem, cùm me experientia doceat hoc majorem habere vim penetrandi, discutiendi, mundificandi & consolidandi, quàm aqua communis. Proc.

Vinum mundificativum nostrum.

℞. Epithymi recentis.
Radicum mechoacæ ana unc. 2.
Agarici albissimi.
Diagridii nostri ana drach. 2.
Florum betonicæ manip. 1.
Zingiberis albi.
Galangæ an. drach. 1.
Vini albi odorati. unc. 40.

Contunduntur ingredientia grosso modo, deinde asperguntur unciis tribus

bus aquæ vitæ melissinæ, ac dicta materia vino imponitur in vase vitreo & per dies tres ita sinitur, à calore tamen remota. Colatur & rectificatur per chartam, & singulis octo unciis additur spiritus vitrioli transparentis scrup. 1. & colatum servatur optimè occlusum. Ejus dosis est ab unc. 2. usque ad 3. juxta occurrentiam.

Mundificat stomachum, rectificat sanguinem, aperit obstructiones hepatis, aliasque mirificas proprietates habet, quinetiam cerebrum à superfluis humiditatibus purgat, & eo quivis citra ullum periculum uti potest, habito ætatis respectu, constitutionis corporis, & caussæ morbificæ. Hic autem liquor in multos asservatur annos, absque sacchario aut melle. Hæc pauca volui afferre circa syruporum materiam, nam singulis si respondere vellem, tempus & charta me utique deficerent, ac video tuum Valerium Cordum genera circiter numero 40. recensere. Mea autem professio est constringere Medicinam, non tantùm in dose, verùm etiam in numero compositorum. Proinde ulterius perge.

Ph. Gal. Quoniam scammonea est purgans valde universale, quod ingredi solet varia genera pilularum & electuariorum purgantium, ideò & modum præparationis illius abs re non erit adducere. Processus.

Scammoneæ Præparatio.

℞. Scammoneæ optimæ unc. 4.

Contere in subtilissimum pulverem, deinde insperge illi olei violati optimi modicum ut fiat massa, deinde excava aliquot citonia mala magna, & in cavitatem eorum impone massam scammoneæ & cooperi foramina citoniorum, postea assa in fornace cum pane donec citonia perfectè sint assata, deinde exime scammoneam & impone sequenti diluto.

℞. Carnium mirobolanorum citrinorum unc. 1.
Succi citoniorum unc. 4.

Conterantur mirobolani & misceantur cum calefacto citoniorum succo, & stent in infusione horis 24. Deinde leviter cola, colaturam verò infunde scammoneæ & optimè simul misce, ultimò in loco calido exsicca & exsiccatam repone scammoneam.

Ph. Sp. Mirabar tum scammoneæ fuisses oblitꝰ, cùm ea in cunctis penè pilulis tuis & plerisque præparationibus purgativis cantare soleas, prout in tuo dispensionario videre est. Sed nolim te unà damnum ac noxam dissimulare quam illa corporibus humanis apportat, quanquàm existimes te illam corrigere nosse: sed ea correctio non nisi inscitia & abusus est. Proinde ostendam ego tibi alium ejus præparandi modum. Processus.

Scammoneæ Præparatio more nostro.

Sumito scammoneæ optimæ unc. 4.
Aquæ vitæ sine phlegmate unc. 18.

Hæc

Hæc omnia pone in alembico vitreo ad calidos cineres, aut in balneo donec scammonea dissolvatur: Deinde partem dissolutam cola per chartam. Residuum quod nil aliud est quam materia fœculenta, fœtida sicut stercus, arenis, aliisque excrementis plena abjicitur. Partem colatam impone sartagini terreæ vitratæ, si rem cito velis expedire & lento igne, sine exhalari aquam vitæ, donec sumens scammoneam in acie cultri illico indurescat sicut pix, lucida & flava, tunc eam ab igne remove, & cito manibus tractato, hinc conficies pilulas, quas inunges oleo caryophyllorum, & hoc est diagridium nostrum.

Quod si velis parcere aquæ vitæ, talis operatio fieri potest in alembico vitreo, & fit destillatio, donec materia in dicta consistentia remaneat in ipso vitro, verum difficulter posteà erui potest. Porrò de hac mea scammonea à 15. ad 20. usque grana, tuto & absque periculo administro, & corpora absque ulla noxa & detrimento purgat. Sed non ob scammoneæ tantummodo tuam correctionem digna es reprehensione, verum & ob alias præparationes, ceu colocynthidis, squillæ, mecerei, esulæ, & similium, quas brevitatis gratia prætermitto. Sufficiat hoc solùm à me demonstrari te in Medicinæ scopo ignaram esse.

De Confectionibus Aromaticis, ac primo de Electuariis purgantibus.

Ph. G. Cum sint electuaria magni momenti & valoris, & à variis autoribus ad varios effectus producendos reperta, eaque tùm lenientia, tùm purgantia, vix credam te adversus illa aliquid responsuram. Depromam autem hic unum inter cætera quod in Indiis Orientalibus inventum fuit & usitatum, apud nos verò maximè celebratum est. Processus.

Electuarium Indum Majus D. M.

℞. Turpith opt. drach. 50.
Sacchari Crystallini.
Penidiarum utriusque drach. 20. & non unc. 20.
Diagridii drach. 20.
Cinnamomi seu canellæ selectæ.
Cariophyllorum.
Nardi Indicæ.
Rosarum rubrarum.
Cassiæ ligneæ arom. & non purgatricis.
Macis.
Cyperi, singul. drach. 4.
Santali citrini drac. & semis.
Ligni Aloës.
Nucis moschatæ utriusque drach. 2.
Galangæ tenuioris ex China ad nos allatæ.
Heyl, id est, cardamomi ma. ex serap.

Cardamomi min.
Asari.
Masticbes singul. drac. 1. & semis.

Ex arte fiat pulvis ol. amygdalarum dulcium confricandus, & sequenti syrupo excipiendus.

℞. Succorum cidoniorum granatorum Apii & fœniculi depuratorum sing. lib. semis.
Mellis optimi despumati & cocti triplum, h. e. unc. 36. seu. l. 3.

Virtus. Excrementa humorum maximè pituitosorum ac putridorum ventriculo & aliis instrumentis educit, crassos in iis etiam flatus dissolvit, malaque hinc nata sanat, v. gr. inflammationem ventriculi, colicos, & renum dolores.

Phar. Sp. Certè electuarii nomen malè admodum à te intellectum fuit. Etenim cùm electuaria compositiones selectæ & puræ esse debeant, ut sic rei nomen consonet; ea nil aliud esse comperio quàm mixturas impuras & imperfectas. Quanquam autem ipsa floccifaciam, cum sint mihi alia validissima & selectissima medicamenta purgantia, veluti rosa mineralis, sanguis Mercurii, Crystallus Dianæ, cremor tartari & vegetabilium diversa extracta, quæ materias putridas & præparatas duntaxat arcent, nòvas minimè cumulantia, sicut tua faciunt pharmaca, quæ audes electa nominare, nihilominus adducam & ego aliquod electuarium, quod licet calendarii more non sit compositum sicut tuum, est tamen majoris virtutis & efficaciæ.

Diacitonium purgans nostrum.

℞. Pulpæ citoniorum cond. unc. 2.
Sacchari rosati nostri unc. 1.
Extr. lapidis vini drac. 2.
Magisterii galangæ gutt. 10.
Diagridii lucidi unc. semis.
Fiat electuarium sine igne more nostro.

Dosis ejus est à drach. duabus usque ad drach. tres. Expellit sine læsione & detrimento, materias stomachi putridas, incidit, mundificat, discutit flatus, & urinam promovet.

De Electuariis Cordialibus.

Ph. G. Licet meas compositiones pro arbitrio vilipendas, non desinam tamen in illis depromendis procedere. Præscribam autem tibi receptum electuarii cordialis, insignis valoris, quod corona dici potest omnium compositorum cordialium, prout ex ejus compositione poteris judicare. Processus.

Confectio Alchermes D. M.

℞. Succi pomorum odoriferorum & aquæ rosarum, utriusque libr. 1. & semiss.
Serici crudi succo gran. tinctorum recens tincti lib. 1.

Infundantur simul horis 24. deinde paulisper coquantur, donec liquores

quores isti rubeant. Quos (expresso & abjecto serico) coque cum sacch. optimi drach. 150. vel libra una dimidia, & drach. sex ad mellis crassitudinem.

Ab igne depositis, & adhuc calentibus misce Ambræ crudæ minutim concisæ, unc. dimidiam, quâ liquatâ, injice pulverem sequentem.

℞. ligni aloës crudi optimi, vel santali citrini.
Darcheni, i. e. cinnamomi selecti utriusque dr. 6.
Lapidis Cyanæi, lazuli, usti & loti.
Margaritarum albarum utriusque drach. 2.
Foliorum auri optimi drach. 1.
Mosci orientalis optimi scrup. unum.

Fiat electuarium vasi vitrato diligenter obturato reponendum.

Ph. Sp. Placet mihi compendium ingredientium, quæ hoc tuum compositum intrant, & procul dubio magna erit virtute imbutum, comprimis ob succum pomorum in sua proprietate mirabilem, & ob sericum crudum, quod quanti sit momenti neminem latet, sed deest filum cannabis ad vestitum perficiendum, quod oblivioni tradidisse te puto, fortasse quia nimis vile est, & exigui valoris. Quod attinet ad granum, majoris illud facio, sicut & ambram, lignum aloës, cinamomum, moscum, sine quibus tua ista compositio nullius esset efficaciæ. Sed cùm ad aurum venio, video te valdè hallucinari, cum enim ad ejus digestionem faciendam non habet homo struthiocamelinum stomachum, vel humidum aquæ regis in suo corpore, arbitror illud ad deauranda intestina, eaque ab ærugine præservanda, potius quàm ad aliud quippiam posse inservire. Margaritas & lapidem lazuli, si naturaliter procedere velles, longè aliter præparares quàm facis, tametsi lapidem lazuli quasi præparare inceperis, sed eum postea imperfectum relinquis, non perveniens ad justum terminum, & hoc inde provenit, quia Spagyricæ non nosti gradus. Nunc liberalitatem tuam compenso. Processus.

Confectio Alchermes nostra.

℞. Extracti grani tinctorum dr. 2.
Duritatis margaritarum dr. 1.
Auri cordialis spagyrici, id est, ad gradum medicinalem præparati drach. semis.
Ambræ grifeæ.
Mosci optimi ana scrup. semis.
Olei cinnamomi puri gutt. 6.
Spiritus vini sine phlegmate dr. 1.
Extracti berberorum dulcium unc. 1.
Fiat compositum. Ejus dosis est à gr. 6. usque ad scrup. sem.
Estque sudoriferum cordiale, magnæ efficaciæ.

Ph. G. Contemne Medicinam meam ut voles, non desinam propterea officinam meam aperire, ejusque ostentare gloriam. Et in signum, ecce tibi aliud electuarium efficacissimum.

Processus.

Electuarium lætificans Rasis.

℞. Seminis melissæ.
Corticum citrei mali.
Caryophyllorum.
Galliæ moscatæ Mesuæ.
Mastiches.
Croci.
Cinnamomi.
Nucis Muschatæ.
Cardamomi majoris.
Neremisch, pro quo potest semen pœoniæ accipi, id est secundùm Rasem,
Rosa asinina.
Been albi.
Been rubei.
Zedoariæ.
Doronici.
Seminis ocimi.
Seminis ocimi caryophyllati ana unc. semis. scrup. 1. gran. 4.
Sacchari albissimi q. s.
Fiat confectio s. a.

Virtus. Confortat omnia membra principalia, ex quibus virtutes manant naturales & animales, juvat calorem naturalem & spiritum vivificat, compescit malas cogitationes & bonos mores, lætitiam & gaudium gignit.

Ph. Sp. Placet mihi bona voluntas tua, eamque ego minimè aspernor, ac dico, necesse esse hoc tuum electuarium magnæ esse potentiæ, cum illud tot materiæ cordiales ingrediantur, comprimis autem ob rosam asininam. Verùm hâc in parte (pace tua dixerim) tui erravêre Principes, quod ei titulum electuarii asinini non indiderint, nam asinis procul dubio magis convenisset. Quod verò iis virtutibus sit præditum, quas enarrasti, arbitror in hoc te somniare. Itaque videbo ipsa an possim meæ inventionis electuario tibi respondere. Processus.

Electuarium lætificans nostrum.

℞. Magisterii melissæ dr. ʒ.
Magisterii de florib. caryophyllorum od. dr. 2.
Extracti corallorum rutilantium scrupulum 1.
Oleum nucis muschatæ gutt. 8.
Mellis odoriferi albiss. unc. ʒ.
Corticum malorum citreorum cond. unc. 1.

Fiat electuarium more nostro absque igne, idque si placet experire, ut utriusque videas discrimen: hoc enim attuli comparationis causâ, alias namque in officina mea præstantiora istis habeo cordialia, ut sunt aurum essensificatum, Elixir lætificans, oleum croci, liquor cardiacus & similia, quorum minima dosis efficacior est, quàm magna quantitas è tuis. *Habetemissit.* Jam velim ut promeres aliquam è tuis confectionibus cordialibus in forma solida.

Ph. G. Lubens obsequar, & quidem talem depromam quæ judicio meo tibi displicebit. Processus.

❧ (10) ❧

Con-

Confectio Liberantis.

℞. Radicum tormentillæ.
Seminis acetosæ.
Endiviæ.
Coriandri præparati.
Citrei mali ana drach. 1. & semis.
Sandalorum omnium.
Dictamni albi ana drach. 1.
Boli armeni præparati.
Terræ sigillatæ (loco ejus bolus levanticus. i. e. orientalis sumatur,) ana drach. 3.
Margaritarum.
Coralli albi.
Coralli rubei.
Carabæ.
Rasuræ Eboris.
Spodii.
Eboris usti, de quo in fine.
Ossium de corde cervi.
Been albi.
Been rubei.
Doronici.
Cardamomi.
Cinnamomi.
Macis.
Ligni aloës.
Cassiæ ligneæ, aut succedaneum ejus.
Croci zedoariæ ana drach. semis.
Smaragdi (loco ejus hyacinthi aut granati.)
Hyacinthi, granati.
Serici crudi torrefacti & incisi an. scr. 1.
Penidii.
Sacchari Candi ana, scrup. 2.
Florum nenupharis i. e. nymphææ.
Buglossæ.
Rosarum ana scrup. 1.
Camphoræ gr. 7.
Mosci.
Ambræ ana gr. 3. Sacchari albissimi.

Virtus. Contra pestem plurimum valet, tutatur corpus ne lædatur à pestifero aëre, & præservat humores à corruptione.

P. S. Arbitror equidem te aliquando petiisse bellum, quandoquidem corpus hominis mihi videris assimilare magnæ alicubi urbi, in qua sit præsidium militare. Illic enim haberi solent milites omnis generis experti, ac ii quidem in varias stationes & classes dispositi, quorum una pars ad portas excubat, ne eas invadat hostis, alia in propugnaculo vigilat, alia circumeundo speculatur, alia verò in meditullio urbis, aliisque partibus adstat, alia denique aliis fungitur officiis, ut civitas ab omni hoste tuta esse possit. Quod etiam in hac tua confectione facis, in qua tam multa ingredientia adhibes, ut hâc ratione existimes eam ab omni mala suspicione tutò posse corpus defendere, aut liberare. Munisti enim arcem tuam hyacinthis, granatis, smaragdis & similibus, quam si vel struthiocamelus quispiam aggrederetur, minimè posset expugnare. Sericum autem adustum quod addis tantæ est efficaciæ, ut qui illud videat non sit cœcus. Præterea corallia rubra & alba exhibes, sed nigrorum oblita fuisti. Summa; est collectio mirabilium ingredientium quæ corpus præ-

servant à putrefactione, dum tamen hæc procul absit: sed volo compensare munus quo me affecisti, juxta simplicem statum meum. Processus.

Antidotum liberantis nostrum.

℞. Magisterii scordii.
Extracti cardui benedicti ana drach. 4.
Spodii dr. 1.
Extracti smaragdi.
Spiritus sanguinis cervi ana drach. semiss.
Succi florum solarium scrup. semis.
Olei de radicibus Angelicæ gutt. 15.
Spiritus succini albi gutt. 6.

Fiat compositum. Dosis est à granis 12. usque ad 15. & 20. pro vice.

Hoc est donum, quo te compensare volui, sciasque illud magni valoris esse: sed arcana alia possideo adversus pestem majoris momenti, quàm hoc sit, prout sunt aurum philosophicum, spiritus Veneris diaphanus, balsamum benedictum, theriaca nostra, terra gratia Dei, aqua draconis dulcif. arcanum vitrioli contra pestem, Laudanum aureatum, Diaphoreticum magnum, & similia, quorum unicum granum majoris est efficaciæ, quàm integra libra tuæ confectionis, siquidem ista sunt medicamenta quæ ignis examini fuêre subjecta, nec amplius sunt corruptioni obnoxia, sicut tua sunt. Quia verò hæc sunt cibus tibi nimium durus, qui nec docetur coqui in tua officina, ideò hunc tibi apponere volui, quia est tener & infantibus accommodatus. Ejus dosis est à scrupulorum ad drach. semis. pro vice.

Ph. G. Ulterius pergo, & nunc tibi communico nobilis confectionis receptum, quod utique magnæ virtutis est. Processus.

Manus Christi perlata.

℞. Sacchari clarefacti lib. 1.
Aquæ Rosarum lib. semis.

Concoquantur dum aqua rosacea igni evanescat, & saccharum justam crassitiem consequatur: in fine margaritarum minutissimè tritarum unc. semis. addatur, ac ei super marmor aqua rosacea inspersum infundatur, fiant rotulæ.

Virtus. Medetur dejectis viribus, ardentibus febribus, & imaginationes falsas abolet.

Ph. S. Si vera essent quæ narrasti de tuæ manus Christi virtutibus, consulere vellem tibi, ut ipsamet eâ utereris, ad abolendas falsas imaginationes quas adversus me temerè concepisti. Sed salvo honore tuo dixerim, nonnisi mera mendacia refers. Ratio est, quia perlæ corporales talem potentiam & vim minimè possunt exerere. Etenim quî vis stomachum hominis perlas posse digerere, quas vix potentissimus ignis potens est calcinare? Hic equidem non parvus est solœcismus: quem non in perlis tantummodò, verùm etiam in præparatione coralliorum, gemmarum, aliorumque corporum compactorum committis. Nihilominus vis

vis nominari rationalis, injuriisque me perpetuò prosequens, ais me rerum ignorare præparationem. Interim tum propriæ tuæ conscientiæ, & mundo imponis, tum etiam folia auri & argenti in variis tuis compositis adhibes, corpora quæ ab igne nequeunt devorari, & tamen vis ea à debili languentis alicujus stomacho posse digeri. Equidem nosse deberes quod omnia corpora quæ caloris medio naturalis & humoris hominis non aperiuntur & separantur, ea pariter nullum ipsi alimentum aut substantiam præbere possint, sicuti granum donec relinquitur in suis paleis, nutrire quempiam non potest. Cum verò patiens aliquis in extremis laborat, misces aquam rosarum, borraginis aut similem, cùm lacte amygdalino q.s. & perlis contritis, ac ejusmodi aquam perlarum nominas, cùm tamen perlæ in aqua illa penitus nihil efficiant. Det tibi Dominus spiritum meliorem, quo proximo tuo meliora impertiri scias. Ut autem magis proficias, hic tibi datura sum vice versa receptum, quod si tibi non placuerit, placebit aliis. Processus.

Manus Christi Perlata nostra.

℞. Sacchari albissimi unc. 4.
Liquoris margaritarum drach. 1.
Mosci & ambræ grisea ana gr. 2.
Fiant rotulæ.

Valet adversus varias passiones cordis, & cerebri & dosis, esto unius drachmæ pro vice.

Ph. G. Habeo insuper varii generis species cordiales num. circiter 30. aut 40. è quibus paro confectiones tam liquidas quam in forma solida, nec non multos purgantes pulveres suavissimos: si plura audiendi desiderio tenearis, in iis declarandis labori non parcam.

Ph. S. Si vellem subinde aures tuæ garrulitati præbere, sanè ad finem nunquam deveniremus, quandoquidem tua praxis nihil præter horrendum chaos est. Tuas species cordiales nō curo, quotquot ejus habeas genera, etenim duabus duntaxat guttulis essentiæ alicujus cardiacæ plura præstare possum, quàm tu ingenti sacco tuarum specierum. Quod ad pulveres purgantes attinet, pariter eos floccifacio, utens extractis rerum eorum loco. Itaq; ut discursus abbrevies, velim aggrediaris confectiones tuas opiatas, ac primo celebratissimam theriacam.

De Confectionibus Opiatis.

PH. G. Cum talem mihi exhibeas honorem, ut me adhuc audire non graveris, admirandam theriacæ meæ compositionem in medium afferre non recusabo, cujus autor extitit Andromachus Cretensis præcipuus in doctrina, & experientia Medicus temporibus Neronis sexti Romanorum Imperatoris. Hoc compositum tanquam thesaurus in terris æstimatur, & quoties ad ejus præparationem accingor, conventus fit collegii Medicorum, qui circiter sexaginta quatuor ingredientia absque vino & melle, tam orientalia, quàm alterius generis solent

ſolent inſpicere, ac demum magna cum harmonia & tinnitu, hoc medicamentum præparatur, cui nullum aliud poteſt æquiparari. Proceſſus.

Theriaca Andromachi.

℞. TRochiſcorum ſcilliticorũ drach. 48.
Trochiſcorum de vipera.
Trochiſcorum Hedichroi.
Piperis nigri.
Opii Thebaici, ana drach. 24.
Roſarum Scordii Cretici.
Seminis Buniadis agreſtis.
Iridis Illiricæ.
Agarici albi Pontici, id eſt, in Ponto nati.
Cinnamomi.
Succi glycyrrhyzæ.
Opobalſami, loco ejus olei caryphyllorum ana dr. 12.
Mirrhæ Trogloditicæ.
Croci cilicii.
Zingiberis.
Rheupontici id eſt, Rhabarbari.
Radicum quinque folii.
Calamynthæ montanæ.
Marrubii comarum.
Stœchadis comarum.
Coſti recentis, videlicet veri, non adulterini.
Piperis albi.
Piperis longi.
Dictamni Cretici.
Thuris maſculi.
Petroſelini Macedonici.
Schænanthi.
Therebinthinæ Chiæ, id eſt, in Chio inſula natæ.
Caſſiæ fiſtulæ, videlicet Caſſiæ ligneæ veræ.
Spicænardi Indicæ ana dr. 6.
Gentianæ.
Polii minoris comarum.
Styriacis optimæ.
Seſelios Maſſilienſis.
Abrotani.
Seminis Thlaſpios.
Ammii.
Chamædrios comarum.
Chamæphithyos comarum.
Hipociſtidis.
Malobathri.
Nardi Celticæ, id eſt, ſpicæ Romanæ.
Aniſi Helladici, id eſt, cognomen aniſi à regione ubi optimum eſt.
Meu Athamantici fœniculi.
Sigilli lemnii.
Boli armeni.
Chalcitidis ſemi-aſſatæ.
Amomi racemoſi.
Acori.
Cardamomi. Phu Pontici, accipe verum quod in hortis colitur.
Carpobalſami.
Hyperici comarum.
Acaciæ liquidioris.
Gummi vermiculati.
Dauci cretici.
Galbani puri.
Opopanacis.
Sagapeni Perſici.
Bituminis Judaici, id eſt, Aſphalti.
Centauri minoris comarum.
Caſtorii.

Ariſto-

Aristolochiæ tenuis ana dr. 2.

Vini veteris odorati quantum liquoribus & gummis dissolvendis satisfecerit, mellis despumati optimi triplum. Hoc est lib. 14. un. 6.

Confice sic. Cinnamomum, crocumque (ut Aetius vult) unumquodque per se terito, & si voles, etiam rhabarbarum & Hedichroos, trochiscos, misce deinde invicem optimè, postea reliquas herbas, ac radices, & omnia arida similiter tundito, semper similia cum suis similibus, aromata per se, ac reliqua etiam per se seorsim. Postea (si Aetium imitari est animus) crocum, cassiam, cinnamomum & lemniam terram in pila cum vino optimo tere, atque unito, ac reliqua omnia secundum artem addito, & melle despumato universa excipito.

Virtus. Theriaca in omnibus antidotis ob multiplicem usum potiores partes obtinet, est enim famosa & salubris contra genera ægritudinum plurima. Valet enim ad gravissimas passiones totius corporis humani, epilepticis, catalepticis, apoplecticis, cephalargicis, stomachicis, hæmicranicis prodest. Ad raucedinem vocis & constrictionem pectoris optima est. Arteriacis, asthmaticis, hemoptoicis, ictericis, hydropicis, peripneumonicis, iliosis, & vulnera in intestinis habentibus conducit. Nephreticis, calculosis subvenit, menstrua educit, fœtum mortuum expellit, lepras & variolas, & frigus & cæteras passiones inveteratas emendat, præcipuè contra omnia venena & serpentium morsus & reptilium valet. Sed diversa est ejus dosis pro quantitate & qualitate uniuscujusq; passionis. Omnem defectionem sensuum, cor, cerebrum, hepar, stomachum confortat, totum corpus incorruptum ducit & custodit.

Ph. S. Heu quàm doleo quod jam vexillum meum experientiæ cogar explicare, & sagittas veritatis adversus te infligere: etiam quia nulla sunt in mundo arma quæ majus veritati infligant vulnus. Arbitror autem te diu Arithmeticæ frequentasse Lyceum, ubi rectè multiplicandi addidiceris rationem, quia in prædicto composito tuo ingredientia numero circiter sexaginta quatuor tam orientalia, quàm occidentalia (absque vino & melle) adhibuisti. Verùm scire te velim, quòd ob nimiam curiositatem istam scopum Medicinæ negligas, quæ neutiquam subjecta est hominum compositioni, nec eorum sophisticæ Theoriæ. Deus enim sapientissimus absque opera tua, veram ipse rerum naturalium fecit compositionem, & illam quidem in simplicitate consistentem, ac uni herbæ indidit virtutem purgatricem, alii virtutem diaphoreticam, tertiæ narcoticam, quartæ cardialem, quintæ resistentem venenis. Itaque non est quod tu ingenio tuo præclaro existimes posse subjugare naturam, constituasque te veluti Deum illius, inquiens frigus esse expellendum calore, calorem frigore, humidum sicco arcendum, & contra, addens in uno composito magnam ingredientium copiam, perinde ut adhiberi solent milites multi ad expugnandam aliquam arcem, ceu Martinus, Johannes, Huldricus, Wolffgangus, Ulysses, Hercules &c. ubi discurri solet, inter hos

quod unus perficere non poterit, procul dubio supplebit alter. Non ita se res habet: quin potius quære, quibusnam rebus Deus opt. max. specificas proprietates indiderit, quæ valeant ejicere morbos, & corpora à venenis tueri: & cum hoc inveneris, enitere, ut rei separes substantiam, eamque ad sublimen suum gradum exaltes. Tunc reperies composita esse longè præstantiora, quam quæ mortalium ullus posset præparare. Volens autem compositionem aliquam efformare, ne adhibeas centena ingredientia, sed pauca, eaque concordantia & ritè parata. Alias enim teipsam subinde calvaberis, ac decipies, & alios unà in foveam errorum pertrahes, clarum ab obscuro, & prudentiam ab ignorantia non discernens. Et certè si aliud studium non apprehenderis, quam vanæ theoriæ sicut hactenus fecisti; futurum est, ut ab ipsa rudi experientia percutiaris ac condemneris, à qua non est, quod postea misericordiam expectes. Animadvertit enim & pervidet quilibet idiota tuam temeritatem & stultitiam, sicut & in hoc tuo pharmaco ea maximè apparet: tam multa enim ingredientia in aliqua compositione, scientiæ & experientiæ incertitudinem denotant. Propterea ajebat quidam, etiam fœnum prati hac ratione mirabilia posse efficere, cum in eo plurimæ herbæ admixtæ reperiantur. Jam verò qualis est curiositas, velle tot sumptibus id investigare & habere, quod Deus Turcis, Ægyptiis & Barbaris suppeditavit, atque id negligere, & prætermittere quo te domi benignè & largiter donavit? Ac si Creator ipse sapientissimus non satis fuisset unicuique genti & nationi providus. An autem ignoras Medicinam sub pane quotidiano comprendi? Sicut ergò divina bonitas homini de cibo providit, ita & de necessaria Medicina. Odorata Juniperus quæ tuis pedibus conculcatur, & in clibanum mitti solet, ipsa tuam in arte excellentiam manifestat, similiter & Angelica, Imperatoria, Valeriana, Gentiana, Ruta, Rosmarinus, & ejusmodi pretiosæ plantæ, quarum singulæ seorsim præparatæ, & ad suam puritatem redactæ, majorem exerunt potentiam quam hoc tuum arcanum. Sed quid dicemus de allio, quod tuo proprio damno nominas Theriacam rusticorum, eo quod per illud à variis venenis soleant liberari. Dicito quæso mihi, quid est illud quod infirmus quærit, num rusticitatem medicamenti, aut nobilitatem ejus, an verò ipsam sanitatem? Certè hanc quærit ille: quam proculdubio majoris facit Arabia, Ægyptus, Palæstinæ, Hispania Indiis novis & aliis mundi partibus: & illud medicamentum quo curatur; id ejus vera Theriaca est? O malè persuasi homines, qui ad umbram dormitis somniferæ mandragoræ, expergiscimini tandem ab alto vestro sopore. Sed hoc audire non vultis. Putatis namque si hac ratione vitam fecerimus longam, & artem brevem, quo deventura esset gloria nostra? Nonne Academici nostri honores, & nostra stipendia evanescerent? Ubi enim experientiam theoriæ loco tractare vellemus, futurum esset, ut à muribus nostræ Bibliothecæ corroderentur: Quin etiam calamus quo stylum exer-

exercere & ingenium ostentare solemus, quiescerer, à chartis ad carbones descenderemus, Recipe nostrum nullum habiturum esset locum, Principes viri & Magnates nos mechanicos æstimarent, adeoque rude vulgus viles reputaret. Absit, absit, ut hæc nobis in mentem venire patiamur, quin tela hæc potius procul arceamus à nobis, acuamus calamos, exstruamus propugnacula, strenuè nos defendamus, & navem quantum fieri potest propellamus. O miseri & infelices, ergone Dei gloriam & utilitatem proximi delicatis vestris desideriis, & mundanæ vanitati audetis postponere? Exhortor vos ut resipiscatis, ne fortè, quod hac die præstare ambitiosa obstinatione renuitis, redarguat serum tempus, & irrevocabilis pœnitentia castiget.

Porrò quod ad compositionem Theriacæ tuæ attinet, tametsi minima sit in hac virtus; est tamen inscitissimè præparata. Primum, quia materialibus uteris impuris, indigestis & corporalibus, confundisque columnas illius copia & superfluitate ingredientium, deinde quia magna additione mellis vires ejusdem debilitas. Ut autem amorem in te meum perspectum habeas, donabo tibi descriptionem Theriacæ meæ, quæ appellatur Juniperina, cui tametsi sophisticè esses contradictura, admirandi tamen illius effectus, illicò tibi os essent occlusuri.

Processus.

Theriaca juniperina nostra.

℞. Magisterii de ligno juniperino unc. 1.
Tincturæ Hypericonis drach. 7.
Extracti allii drach. 6.
Succi veronicæ condensati.
Extracti gentianæ an. drach. 5.
Extracti opii dr. 4. & sem.
Cornu cervini diaphoretici.
Florum sulphuris diaphor. an. unc. ß.
Croci orientalis.
Spiritus mumiæ veræ.
Spiritus tartari rectificati an. dr. 2.
Camphoræ liquefactæ drach. sem.
Olei rorismarini.
Florum succini albi.
Olei ex radicibus Angelicæ ana scrup. 1.

Hæc omnia simul incorporantur absque igne in mortario vitreo, sicut Pharmacia docet, postea servatur compositum in vasis aureis, argenteis, vitreis, terreis vitratis, & cum duriusculum devenerit, etiam in vasis ligni durioris potest reponi. In vasis autem orichalci, plumbi, stanni minimè servari debet.

Hæc Theriaca resistit omnibus morbis quibus & Andromachi Theriaca destinata est, sed efficaciâ longè majori; atque in minori dose exhibetur, provocatque sudorem & urinam, præbita in forma pilulæ cum vino aut alio liquore. Ejus dosis est à scrupulo dimidio ad grana 15. aut 20. juxta occurrentiam. Hoc verò Medici est scire.

Ecce theriacale meum compositum, quod ut melius intelligas, variorum ejus ingredientium præparationem brevibus declarabo, deinde aliam theriacam describam adhuc majoris potentiæ quàm hæc sit, ut videas qualia dona infimis ac simplicibus Deus benignissimus sit elargitus.

Magisterium Iuniperinum.

ID est spiritus vini sublimatus & affusus ligno juniperino, collecto in vera influentia, qui postea declinatur, & reiteratur infusio toties, donec liquor fiat subniger & talis potentiæ, ut una aut altera gutta tingere possit ciathum aquæ odore & sapore juniperino.

Tinctura Hypericonis.

ID est succus florum Hypericonis redactus ad consistentiam mellis, sic tamen ut retineat suum colorem rubeum obscurum.

Extractum Allii.

NEmpe allium minutim incisum & suæ aquæ per cineres destillatæ affusum, & postquam per tres dies dicta infusio in calore lento fuerit relicta, tunc colatur & non exprimitur, dicta autem colatura redigitur ad consistentiam picis.

Succus Veronicæ Condensatus.

INtellige sicut de Hypericone, sed hic redigitur ad consistentiam picis & est niger.

Extractum Gentianæ.

INtellige ejus succum condensatum, si possis habere recentem, aut extractum ejus per aquam vitæ.

Extractum Opii.

℞. OPium exsiccatum super lamina ferri, id in pulveres contere, & extrahe succo citreorum destillato, deinde coagula ad consistentiam picis.

Cornu Cervi Diaphor.

℞. COrnu cervi usque ad albedinem calcinati dr. 1.
Spiritus vitrioli rectificati dr. 2.
Olei de radicibus Imperatoriæ scr. 1.
Fiat incorporatio in mortario vitreo, & spatio sex horarum per se exsiccatur, ita ut confici possit pulvis qui servatur occlusus.

Flores Sulphuris Diaphor.

℞. VItrioli Ungarici rubificati.
Tartari usque ad albedinem calcinati an. lib. 1.
Sulphuris flavi lib. 2.

Fit sublimatio more Chymicorum, eaque quinquies reiteratur, sumendo semper recens vitriolum & tartarum. Postea unicuique unciæ florum adduntur ambræ grisеæ, mosci, ana gr. 10.
olei de macis guttulæ 5.

Spiritus

Spiritus Mumiæ.

HOc est mumia vera destillata & liquor circulatus & rectificatus donec fiat rufus.

Solutio Camphoræ.

ID est Camph. dr. semis. quæ solvitur in drach. 2. spiritus vini ad aquam tepidam.

Ph. Gal. Quis quæso harum tuarum locutionum poterit esse capax, utpote extrahendi, coagulandi, sublimandi &c. Adde quod sumptus magni in ejusmodi præparationibus requiruntur. In præscriptione quidem hujus tuæ theriacæ dulcis videbaris mihi opponere, sed cum ad effectum compositionis ventum est, reperi eam colocynthide amariorem.

Ph. S. Non est ignotus rudis stylus meus, quando etiam theoria mea sita est in operatione, proinde quod scribo, minimè intelligi ab iis potest, qui duntaxat chartam & libros tractare sunt assueti, in quorum numero & tu comprehenderis, amans nitidas & mundas conservare manus, ut eas nimirum gratiosè porrigere possis iis quos soles invisere juxta aulicam potiùs, quàm medicam professionem. Sed minus à Pharmacopæis qui nil aliud norunt, quam coquatur & incorporetur secundum artem, hæc mea praxis intelligetur, iis namque panis convenit furfuraceus. Sed jam excipe alteram à me promissam theriacam, adversus quam si quid habueris, respondebis, sin minus ad alia enarrando progredieris. Processus.

Theriaca aureata nostra.

℞. THiri nostri ab aquila rapti & à Tartaris liberati.
Auri diaphoretici per lachrymam draconis chymici præparati.
Tincturæ lapidis granati.
Quintæ essentiæ corallorum rutilantium.
Extracti florum lætitiæ.
Lachrymæ cervi repurgatæ.
Tincturæ microcosmi ana drac. 1.
Extracti libanotidis viridis unc. 1.
Fiat compositum more chymico & servetur in vasis aureis aut vitreis.

Exhibetur in parva dose. Sed potentia ejus magna est: etenim singula ingredientia per se majore sunt virtute & efficacia prædita, quàm tota tua theriaca cum universa officina.

Ph. Gal. Perspicio me de uno in alium labyrinthum duci, nam neque hæc tua dicta percipio, minus iis respondere valeo, nam hujusmodi composita in mea officina maximè sunt in usu.

Ph. Sp. In labyrintho quidem versaris, sicut semper versata fuisti. Quoad meorum arcanorum declarationem, cum sint cibi tibi nimium duri & stomacho tuo delicato minus convenientes, ea in mei similium gratiam conservare malo.

Ph. Gal. Ut verum fatear, penè ambigere incipio de Principum meorum doctrina: Nihilominus quia majores mei hanc calcarunt semitam, eam nec ipsa transgrediar. Proinde propositum

meum continuabo, valeat quantum valere potest: & licet Theriacam meam improbaveris, non desinam tamen idcircò afferre compositum opiatum potens ad placandos varios dolores internos. Processus.

Aurea Alexandrina secundum descriptionem Nicolai.

℞. Asari.
Carpobalsami, aut aliquod succedaneum.
Seminis hyoscyami albi ana drach. 2. & semis.
Caryophyllorum.
Opii Thebiaci.
Myrrhæ.
Cyperi rotundi an. drach. 2.
Opobalsami (loco ejus oleum caryophyl.)
Cinnamomi.
Euphorbii.
Folii (aut succedanei ejus) Zedoariæ.
Zingiberis.
Costi veri.
Coralli.
Cassiæ ligneæ veræ.
Tragacanthæ.
Thuris mascul Meu.
Storacis calamitæ.
Saliunçæ i. e. spicæ celticæ, quæ nunc Romana dicitur.
Cardamomi minoris.
Seselios.
Seminis napi.
Seminis saxifragiæ.
Anethi.
Anisi ana dr. 1.
Ligni aloës.
Rhabarbari.
Aliptæ moschatæ.
Castorei.
Spicænardi Indicæ.
Galangæ.
Opopanacis.
Anacardii.
Mastiches.
Sulphuris vivi.
Radicis pæoniæ.
Eringi videlicet radicis ejus.
Rosarum Thymi.
Acori veri (sive calami aromatici.)
Pulegii.
Aristolochiæ longæ.
Gentianæ.
Corticum radicum mandragoræ.
Chamedrios.
Phu Baccarum lauri.
Ammii i. e. ammeos.
Dauci cretici, ejus loco licet accipere seseli creticum i. e. Bertwurtz.
Macropiperis.
Leucopiperis.
Xylobalsami aut aliquod succedaneum.
Carvi.
Amomi.
Petroselini.
Seminis ligustici.
Rutæ.
Sinoni ana drach. semis.
Auri cocti, i. e. omninò igne depurati & sinceri.
Argenti meri.
Ambarum margaritarum.

Blattæ

Blattæ Bizantiæ.
Ossium de corde cervi ana scrup. gr. 13.
Limaturæ eburis.
Calami aromatici.
Pyretri an. gr. 8.
Mellis despumati triplum.

Virtus. Contra defluxiones capitis frigore conceptas efficax est, oculorum lachrymas exsiccat, dentium dolores lenit, adversus capitis cruciatum summopere prodest, illitum fronti comitiales, insanos, vertiginosos & in universum omnem capitis noxam mulcet, tabidis, tussiculosis, humorem à thorace rejicientibus, cardiacis sanguinem exscreantibus præsenti est auxilio, Ischiaticis, coli, & renum cruciatibus. Adversus illorum noxam, difficultatem urinæ & ejusdem stillicidium valet, calculos comminuit, omni ventris malo liberat, quotidianis & tertianis febribus circa accessionis initium, sufferve-facta stœchadis jusculo medetur.

Ph. Sp. Quoniam ignorantiam tuam satis per ea detexi, quæ à me fuerunt superius dicta, ita quidem ut veritas à quovis facilè dignosci possit, ideò nunc à multa sermocinatione subsistam, ut quæ sciam te non tantum hoc opiatum, verùm & plura alia habere, quibus sæpe soleas omnes penitus levare dolores & patientes ab hac lachrymatum valle liberatos ad requiem æternam transmittere. Sed & auream meam quam subnectam, perpende, ut videas quantum sit inter utramque discrimen.

Aurea nostra.

℞. Extracti opii sicut in Theriaca juniperina dictum est.
Extracti rosarum albarum, i. e. succi earum condensati an. dr. 3.
Ignis mineralis in summo gradu redacti.
Extracti myrrhæ.
Croci an. drach. 1.
Materiæ perlarum drach. semis.
Olei majoranæ.
Caryophyllorum an. gutt. 6.
Misce & fiat massa. Dosis est à gran. 3. ad 5. pro vice.

Compositum hoc miros effectus facit, & licet aurum illud non intret, tamen verè aureum debet nuncupari, quia ejus virtutes cujusvis auri pretio sunt æquiparandæ. Et valet ad sedandos omnes dolores internos corporum humanorum, ac tutò præberi potest senibus ac juvenibus, tum mulieribus gravidis habito respectu dosis, & temporis quo debet administrari. Alia quoque arcana hoc multò potentiora & penè admiranda, eundem patientia effectum mihi liberalissimus Deus non denegavit, ut ipsum perpetuò laudandi mihi nulla occasio desit.

De Trochiscis.

Ph. Gal. Sunt etiam mihi varia genera Trochiscorum non parvi momenti: sed ne nimis diu in hac umbra videar otiari, subjiciam hîc duntaxat compositum Trochiscorum viperinorum

rum quòd inter præcipua ingredientia theriacalia connumeratur. Proc.

℞. Carnis viperinæ cum anetho, sale & aquæ coctæ dr. 8.
Panis triticei purissimi triti & cribrati unc. 2.

Formentur Trochisci cum jusculo in quo decoctæ fuerunt carnes viperinæ, & inungantur cum opobalsamo aut oleo macis, aut caryophyllorum, aut nucis muschatæ, siccentur in loco umbroso, libero, ventoque exposito.

P. S. Quoad Trochiscorum tuorum præparationem in genere attinet eam minimi facio, quia res est corporalis & minimi valoris. Propterea ego uti soleo extractis, magisteriis & ejus generis præparationibus purioribus: tametsi fatear non tantùm viperæ, sed & aliis serpentibus magnas inesse virtutes. Verùm res tota sita est in præparatione. Quod si ejus generis animalibus uti luberet, ea ad longè puriorem, & magis correctam præparationem reducerem quàm tua sit. At quia mirabilis Deus alia multa non absimilis potentiæ creavit: idcircò theriacam meam viperis subjicere nolo, quæ nec ubique reperiuntur. Itaque sumo alias materias quæ & inventu faciliores & virtute atque efficacia sunt præstantiores.

Ph. G. Sed quid jam dictura es adversus artificiosum pilularum inventum? Quod quàm sit necessarium apparet, quia ubi compositum ejus propter ingredientia futurum erat patientis palato injucundum & & minimè gratum, ars docuit illud redigere in pilulas, ut jam facilimè & absque ulla molestia ab eo possit deglutiri. Et ut aliquam ejus compositi formulam videas, præsentem descriptionem subjiciam. Proc.

Pilulæ lucis majoris, descriptione Mesuæ.

℞. Rosarum.
Violarum.
Absynthii.
Colocynthidis.
Turbith.
Cubebarum.
Calami aromatici.
Nucis moscatæ.
Spicænardi Indicæ.
Epithymi.
Carpobalsami.
Xylobalsami.
Siseleos, aut eorum succedaneorum.
Seminis rutæ.
Schœnanthi.
Mastiches.
Azari.
Caryophyllorum.
Cinnamomi.
Anisi.
Fœniculi.
Apii.
Cassiæ ligneæ, videlicet veræ.
Croci.
Macis ana drach. 2.
Mirobalan. Citrinorum.
Chebulorum.
Indorum.
Belliricorum.
Emblicorum.
Rhabarbari drach. 4.

Agarid.

Agarici.
Senæ ana drach. 5.
Euphragiæ drach. 6.
Aloës succotrinæ ad pondus omnium i. e. unc. 12. & drach. 2.
Succi fœniculi q. s.
Contunde & fiat massa.

Virtus. Excrementa capitis pituitosa educunt, visumque roborant.

Ph. Sp. Pilularum usus & forma à me non improbantur, sed tuam compositionem tanquam inutilem & stomacho humano noxiam rejicio, uteris namque in illa ingredientibus corporalibus, ac pulverem duntaxat ex iis conficis, deinde massam, sub quibus ingredientibus sæpè ligna, & radices duræ, aliaque impura comprehenduntur, quorum concoctio valdè longa est & difficillima, ita ut ægrè corpus inde attrahere puritatem possit & beneficium consequi, imò cùm patientis vires jam sint debilitatæ, sicut plerumque accidit in morbis, fit ut prava medicamenti compositio illius, impediat operationem, adeoque non leve apportet nocumentum. Præterea cum multas pilulas una vice soleas exhibere, hinc etiam evenit ut patiens nauseam concipiat, ob quam pariter bonus non potest effectus sequi. Sed ne in longum exeam, mutuum tibi reddere constitui. Processus.

Pilulæ Cephalicæ nostræ.

℞. Senæ mund. unc. 4.
Epithimi unc. 3.
Agarici albi unc. 1.
Aloës epat.
Scammoneæ ana unc. semis.
Zingiberis albi drach. 2.
Fiat extractio cum aqua lilii convallii acuta, & reducatur ad consistentiam picis, deinde adde singulis unc.
Arcani vitrioli acidi scrup. 1.
Mosci electi gr. 4.
Olei amaraci gutt. 3.
Fiat massa.

Dosis harum pilularum est à drach. ß. ad drach. 1. Purgant sine læsione corpus, robur addunt cerebro, confortant stomachum, superfluas humiditates exsiccant, conducunt mirabiliter asthmaticis, flatus discutiunt & urinam provocant.

De Eclegmatis seu Looch in genere.

P. G. Hæc etiam medicamenta non sunt prætermittenda, quarum forma est medium quid inter syrupum & electuarium. Prout e. gr. è præstantioribus unum hic tibi depromam. Proc.

Looch de papavere descriptione Mesuæ.

℞. Papaveris albi drach. 25.
Amygdalarum dulcium.
Pinearum.
Gummi Arabici.
Tragacanthæ.
Succi glycyrrhizæ an. dr. 10.
Amili.
Seminis portulacæ.

Seminis lactucæ.
Seminis citoniorum an. dr. 4.
Croci dr. 1.
Penidiarum albarum unc. 4.
Syrupi de papavere lib. 3.

Omnia contundantur & incidantur, atq; cum syrupo excipiantur secundum artem. Porrò iste syrupus de papavere sic confici debet.

℞. Capitum papaveris albi recentium.
Capitum papaveris nigri recentium an. unc. 6.
Seminis lactucæ.
Florum violarum ana drach. 1.
Aquæ q. s. aut lib. 8. & colaturæ adde sacch. lib. 4.

Coquantur ad spissitudinem.

Virtus. Juvat tussim & gutturis asperitatem à catharro calido, tenui, (quem sputum liquidum indicat:) eum enim coquit & crassat, confert etiam febribus ardentibus, dolenti thoraci, pleuritidi.

Ph. Sp. Non ignorabam ego morem tuum fallacem & phantasticum, qui est imponendi nomina tuis arcanis Arabica, Græca aut alia peregrina, nempe ut tali pompa atque apparentia majorem tuæ merces efficaciam habere videantur. Virtus enim non est tantummodo in vegetabilibus animalibus & mineralibus, sed etiam in verbis, quæ admodum efficacia sunt, imò ipsa plus faciunt ad culinam tuam pinguefaciendam, quam ipsamet Medicina, interim ego quoque Looch meum afferam, quod tamen Diamargariton liquidum libentius appellarim.

Proc.

Looch perlatum nostrum.

℞. Penidiarum albarum unc. 4.
Solutionis margaritarum dr. 3.
Crystalli Catholici & solubilis scr. 1.
Olei anisii gutt. 3.

Penidiæ liquefiunt in mortario vitreo cum infusione glycyrrhizæ recentis quantum satis, sic ut consequantur formam syrupi spissi, postea adjicitur solutio Margaritarum cum oleo anisi & in usum reponitur compositum. Valet efficaciter in iis casibus, quibus tuum ais esse destinatum. Resistit insuper passionibus cordis, & restaurat humidum radicale.

Ph. G. En tibi adhuc aliud Looch insigne ad sævissimas infirmitates mirificè potens. Processus.

Looch de pulmone vulpis descriptione Mesuæ.

℞. Pulmonis vulpini siccati.
Succi glycyrrhizæ.
Seminis anisi.
Seminis fœniculi.
Capilli Veneris ana unc. 1.
Sacchari clarificati unc. 15.

Conterantur omnia tenuissimè & cum saccharo excipiantur.

Virtus. Abstergit & consolidat ulcera pectoris & pulmonis, & præferendum est aliis remediis in phthisi.

Phar. Sp. Audaciam & temeritatem tuam certe non possum satis admirari,

mirari, verum tuamet opera te abunde contemnant atque coarguunt. Quæso enim te quot asthmatici, phthisici tuas incolunt civitates, quorum ne unum quidem es valida restaurare, & licet iis cunctos pulmones Polonarum Vulpium præberes comedendos, semper tamen eos idem status maneret, usque dum Looch, seu verius Loch germanicum ad se penitus liberatos recipiat. Quia verò medicamentum hoc tuum tanquam summum quoddam arcanum extulisti, ideò non abs re fuerit, si & ego aliquid depromam, cui tuum resistet, sicut resistere solet nix Soli. Processus.

Looch Sulphuratum nostrum.

℞. Sacchari albissimi pulveris.
Mellis optimi clarificati ana uncias 2.
Florum sulphuris drach. 1.
Elixirii proprietatis, id est, liquoris ab aloë, myrrha & croco extracti scr. ß.
Spiritus mumiæ gutt. 12.
Ambræ grisex gr. 10.
Fiat Looch in mortaria vitreo s. ar.

Hoc medicamen seipsum approbat, & experimentum ejus laudes canit. Alia autem medicamina ejusdem valoris habeo, imò multò præstantiora, veluti balsamum Antimonii diaphoreticum, extractum cranii, Oleum vitriolati aureatum, & dulce Oleum tartari verum & non sal tartari resolutum, (prout hoc sophistæ oleum solent nominare,) illud est instar olei amygdalini unctuosum, & flavum, sicut aurum, quibus omnibus uti soleo ad necessitatem.

De nonnullis Medicamentis applicativis, ceu clisteribus, suppositoriis pulvinaribus, nasaliis & similibus.

PH. Galen. Superest nunc ut discurram de medicaminibus applicativis, quæ in variis casibus multiplicem usum habent.

Ph. Sp. Puderet me bacchantica ista, infamia & præternaturalia in medium afferre, & in specie clisteres, ac suppositoria, quibus patientum posteriora, (salva reverentia,) soles contemplari, ac si natura aliter non fuisset provida, & unctionum atque suffumigationum adminiculo infirmis subveniri non posset. Quot verò tuis clisteribus perdidisti? debilitando vim expulsivam & naturam illis temerè assuefaciendo. Igitur disce internum vas imprimis mundificare, & causam morbi efficientem tollere, ac demum tibi nomen rationalis usurpa. Non quod omninò in casibus necessitatis bona remedia quæ ad manus veniunt culpare velim, ut proximo succurratur, sed dico utendum esse fundamentis naturalibus, & minimè super commentis & fabulis ut tu facis, debet Medicina fundari. Sed perge ulterius, & aliquid dicito de fundamento præparationum chirurgicalium, deinde finem insulsis

tuis narrationibus imponito, quæ igneum veritatis examen ferre ullo modo non possunt.

De Medicamentis chirurgicis.

PH. Galen. Proculdubio optimè nosti quam sim chirurgicis medicamentis instructa, veluti emplastris, ceroris, unguentis, oleis, & similibus. Quia verò præcipua horum basis sita est in oleis, ideo ab istis auspicans insignem hic descriptionem subnectam. Processus.

Oleum Castorei Descriptione Iacobi de Manliis.

℞. Castorii.
Styracis calamites.
Galbani.
Euphorbii.
Cassiæ ligneæ veræ.
Croci.
Opopanacis.
Carpobalsami, aut succedanei ejus Spicæ nardi Indicæ.
Costi ana dr. 2.
Cyperi.
Schænanthi.
Macropiperis.
Melanopiperis.
Sabinæ.
Pyrethri an. dr. 2. & semis.
Olei lib. 3.
Vini odoriferi lib. 2.

Contusa omnia coque in duplici vase ad vini consumptionem. Cola & serva.

Virtus. Est optimum contrà omnes ægritudines frigidas, præsertim nervorum & juncturarum, medetur paralysi, spasmo, tetano, & sedat acerrimos rigores & frigora febrium, si spina dorsi liniatur.

P.S. Formam tuorum emplastrorum, cerotorum & unguentorum non contemno, hoc tamen improbo, quod in iis non uteris rebus naturæ balsamicæ, extractis, magisteriis, quæ ulcera præservant à putrefactione, & vim habent efficaciorem penetrandi, cicatrizandi, quam cætera ingredientia corporalia, quæ tu soles adhibere, quorum præstantiam commendant tuæ civitates ulceratis plenæ, quibus cuncta tuæ officinæ remedia nequeunt opitulari. Quare non video ad quid tua arcana prosint. Quod autem concernit oleorum præparationem, dico methodum tuam nullius valoris esse. Ratio est, quia cum exempli gratia uteris oleo olivæ corporali, hoc vim penetrandi & attrahendi ad se virtutes ingredientium habere non potest. Quinetiam sæpè sumis florū liliorum aut violarum manip. 1. olei olivarum poc. dimidium, & tam exiguâ florum copia arbitraris te posse tingere in eorum odore & efficacia olei quantitatem. Atqui hæc est inscitia atque dementia summa, proinde ostendam tibi modum quem ego teneo, circa olei purificationem, antequam ipso utar.

Recti-

Rectificatio Olei Olivarum.

℞. Olei olivarum lib. 1.
Cinerum unc. 4.

Destilletur id omne quod educi potest per retortam. Destillatum in usum reponito. Hoc relinquit post se omnem crassitiem, & infusum herbis aut aromatibus perfectam attractionem facit substantiæ eorum unctuosæ. Dices fortasse, oleum per destillationem acquirere naturam magis igneam. Ad hoc tibi respondeo, ideo præstantius esse, siquidem pleraque olea tum simplicia, tum composita in hunc finem ordinata sunt ut calefaciant. Nam quod attinet ad morbos calidos, nosse quidem debes oleum illis esse venenum. Et hoc quotidiana experientia manifestum facit per damnum ab indoctis chirurgis inferri solitum, qui dum ardorem aliquem mitigare autumant, utpote erysipelarum aut similium, utentes oleis rosaceis vel liliaceis, causantur sæpè patientibus spasmum, contracturas & alias ejusmodi apportant noxas, quandoque caussantur febres quæ ægros ad vitæ melioris originem perducunt, & hoc evenit, primò propter olei caliditatem, secundò ob ejus crassitiem unctuosam quæ poros cutis obstruit & intercludit, unde humor exhalare non potest. Quam etiam ob caussam dicendum, oleum destillatum adhuc melius esse, quia saltem subtile est & apertivum tametsi in ejusmodi occurrentiis aliis remediis uti satius sit. Sed ut finis tandem nostris discursibus imponatur, conclusionis ergo præsens subjiciam receptum. Processus.

Oleum ad morbos frigidos inventione nostra.

℞. Zingiberis albi unc. 2.
Castorei.
Styracis Calamitæ.
Myrrhæ ana unc. 1.
Rutæ siccæ manip. 1.
Croci dr. 2.
Olei olivarum rectif. unc. 15.
Olei succini albi unc. 2.

Zingiber, & reliqua contundenda contundantur crasso modo, singula imponantur vasi vitreo ritè operculato, insola dies viginti si tempus sit æstivum, sin hyemale, in loco calido pones, deinde cola, & habebis oleum rubeum, obscurum, instar balsami, quod intrinsecus & extrinsecus potest administrari adversus varias infirmitates frigidas. Porrò Pharm. Galen. iter tuum abeas, & tuam ne deseras culinam moneo, ego enim revertar ad meum laboratorium Chymicum, sperans tempus veritatis amicum veræ artis Medicæ sinceritatem extremo hoc ævo mortalibus patefacturum. Æterno & vero Medico, à quo omnis

 sapi-

ſapientia, ſalus & reliqua bona manant, omnis benedictio, honor, & gloria reddatur in ſecula. Cæterum ſi in hoc volumine aliquid minus rectè aut minus appoſitè dictum reperiatur, id ſolius hominis imperfectioni attributum eſto.

)o(

FINIS TRACTATUUM HORUM.

COM-

COMPOSITIO ET FORMULA

ANTIDOTI PRETIOSI, ALIORUMQUE NONNULLORUM MEDICAMENTORUM.

ANGELI SALAE, Vicentini.

PRÆFATIO AD BENEVOLUM LECTOREM.

Vides, amice Lector, ex descriptione brevi Antidoti pretiosi, superiùs impressa, Clarissimum Dominum Salam hoc medicamentum noluisse publicare, sed quasi κειμήλιον aliquod & thesaurum sibi proprium reservasse. Et sanè ingeniosa est ejus compositio, nec dubito quin multi sint, qui famosi hujus medicamenti compositionem summoperè hactenus desideravint. Horum voto ut satisfiat, transmisi formulas ejus inter chartas meas plusculis nunc annis latitantes ad præstantissimum Virum D. Iohan. Beyerum, appendicis alicujus loco reliquis hujus Authoris lucubrationibus addendo, ne hac in parte mancum opus maneret. Cæterum excellentissimus Dominus Sala anno 1622. Hamburgo ab Illustrissimo & Celsissimo Principe ac Domino, Dn. Mauritio H. L. evocatus, Casellas venit, idque medicamentum diligentissimè elaboravit, quod etiam Celsitudini ejus, ut & totius præparationis seriem Italicè scriptam tradidit, quam ut Latinam facerem jussit idem Princeps meus Clementissimus;

ſapientia, ſalus & reliqua bona manant, omnis benedictio, honor, & gloria reddatur in ſecula. Cæterum ſi in hoc volumine aliquid minus rectè aut minus appoſitè dictum reperiatur, id ſolius hominis imperfectioni attributum eſto.

)o(

FINIS TRACTATUUM HORUM.

COM-

COMPOSITIO ET FORMVLA

ANTIDOTI PRETIOSI, ALIORUMQUE NONNULLORUM MEDICAMENTORUM

ANGELI SALAE, Vicentini.

PRÆFATIO AD BENEVOLUM LECTOREM.

Vides, amice Lector, ex descriptione brevi Antidoti pretiosi, superiùs impressa, Clarissimum Dominum Salam hoc medicamentum noluisse publicare, sed quasi κειμήλιον *aliquod & thesaurum sibi proprium reservasse. Et sanè ingeniosa est ejus compositio, nec dubito quin multi sint, qui famosi hujus medicamenti compositionem summoperè hactenus desiderarint. Horum voto ut satisfiat, transmisi formulas ejus inter chartas meas plusculis nunc annis latitantes ad præstantissimum Virum D. Iohan. Beyerum, appendicis alicujus loco reliquis hujus Authoris lucubrationibus addendo, ne hac in parte mancum opus maneret. Cæterum excellentissimus Dominus Sala anno 1622. Hamburgo ab Illustrissimo & Celsissimo Principe ac Domino, Dn. Mauritio H. L. evocatus, Casellas venit, idque medicamentum diligentissimè elaboravit, quod etiam Celsitudini ejus, ut & totius præparationis seriem Italicè scriptam tradidit, quam ut Latinam facerem jussit idem Princeps meus Clementissimus;*

simus; atque hac ratione hujus Medicinæ notitiam acquisivi, qualem ea fide tibi communico, qua ab ipso Authore exhibita & concredita mihi fuit. Dubium porrò nullum est, quin celeberrimum hoc præsidium magno ægrotantium commodo in gravioribus quibusdam morbis possit usurpari, quod tamen ut cautè & cum judicio fiat admonendos tyrones practicos puto; qui prudenter considerent, an ex auro vulgaribus spiritibus corrosivis dissoluto, & per præcipitationem in pulverem redacto, quale bis hanc compositionem ingreditur, magna vis medicamentosa sperari possit. Animadvertant insuper, quòd spiritus illi corrosivi cum metallo, præcipitentur atq; ita uniantur, ut ignis quoque fortitudini difficulter cedant: quod probe notum est viris in re monetaria exercitatis, qui tale aurum reductum ponderosius plerunq; inveniunt, quam ante dissolutionem fuerat, & cogitent cum ingeniosissimo G. Riplæo in Medulla Philos. Chemicæ, quod aurum ex corrosivis factum non debeat intrare Medicinas, quia melius sit homini condere oculos Basilisci, quàm aurum factum cum igne contra naturam. Quia autem Dominus Sala præter antidotum hoc cum nobiscum esset, singularem quandam massam pilularem conficiebat, usui medico admodum proficuam, aquam insuper sudoriferam insignem, & celeberrimum pigmenti genus, quod Oltramarino vocant, volui horum quoque descriptiones addere. Tu benevole Lector, pro candore tuo judica, feliciter his utere, & me ama. Casellis 16. Ian. 1649.

T. totus

Ludovicus Combachius D.

I.

Antidotum pretiosum.

℞. Magisterii pretiosi nostri,
Extracti bezoartici an. drachm. ij.
Bezoart. pretiosi aurei,
Electri aurei cordialis,
Extracti opii Thebaici cum succo citri præparati an. drachm. j.
Ambræ gris. opt. scrup. ij. & gr. XV.
Mosci oriental. puri gran. V.
Sacchari albiss. unciam j.

QUicquid siccum est ex his materiis teratur per horas 2. vel 3. in porphyrio lapide in pulverem subtilem & impalpabilem, deinde adjungantur extracta duo, addendo parum aquæ rosaceæ, si massa fuerit durior, & incorporentur omnia in formam electuarii solidi, serventur in vitro ad usum, quem petes ex libello ea de re conscripto & typis publicato.

Sequitur præparatio compositionum quæ hoc antidotum ingrediuntur.

I. Magisterium pretiosum.

℞. Fragmentorum lapidum orientalium
Rubinorum.
Smaragdorum.
Hyacinthorum.
Granatorum an. unciam j.

PUlverisentur hæc 4. fragmenta pretiosa in mortario ferreo, deinde conterantur in porphyrio lapide cum aqua communi, donec limi aut unguenti subtilis formam induant: massa ea siccetur in Sole aut alio calore, donec iterum in pulverem abeat; quo facto adjungantur eidem unciæ vj. salis nitri purificati, & in crucibulo imponantur igni carbonum: quando materia fusa apparet, injiciatur pruna, unde nitrum flammam concipiens comburitur: desinente flamma injiciatur alia pruna, idque repetatur toties (movendo nonnunquam materiam ferro,) donec nitrum planè sit combustum. Materia calcinata lavetur aqua communi calida toties, donec in fundo remaneat pulvis subtilissimus insipidus. Pulvis ille deinde in s. q. aceti destillati bezoartici infundatur, cujus compositio sequitur, & imponatur B. M. donec liquor fiat obscurè flavus, inclinans in rubeum calorem, qui coletur per inclinationem in vitrum aliud. Residuo affundatur novum acetum & extrahatur tinctura, quod repetendum, donec acetum non amplius coloretur. Liquores tincti & conjuncti destillentur per alembicum abstrahendo liquoris mediam partem: auferatur postea ex balneo, eique imponantur drachmæ duæ perlarum orientalium subtilissimè pulverisatarum, relinquendo donec perlę sint resolutæ: filtretur deinde per chartã, & liquor evaporetur calore lento ad consistentiam magisterii sicci, ut fit aliàs in magisterio corallorum aut perlarum: affundatur huic magisterio iterum parum aquæ rosaceæ & evaporetur, quod repetatur bis aut ter, donec pereat odor aceti, atque ita magisterium erit paratum.

Magisterium hoc aperit, detergit, incidit, provocat sudorem & urinam, &

 omninò

omninò est bezoarticum. Dosis est à granis iij. ad X. cum vehiculo appropriato.

Acetum destillatum Bezoarticum.

℞. Rad. Angelicæ.
Carlinæ.
Doronici.
Zedoariæ.
Zinzib. albi.
Herbar. scordii Cret.
Dictamni Cret.
Summit. card. bened.
Absynthii an. unciam j.
Aceti destillati simpl. ℔. iiij. medicinales.

MAteriæ hæ infundantur in aceto, digerantur per aliquot dies, postea destillentur per retortam in cineribus, cavendo ne materia in fine comburatur. Et hoc est acetum pro magisterio antedicto conficiendo.

II.

Extractum Bezoarticum.

℞. Ligni aloës veri electi resinosi,
Granor. Alkermes,
Croci Anglici,
Cassiæ ligneæ veræ, sive Cinamomi viscosi, vel loco ejus, Cinamomi commun. officinarum electi,
Zedoariæ,
Santali albi odoriferi,
Schœnanthi,
Radic. Carlinæ,
Vincetox.
Doronici,
Angelicæ,
Fol. Dictamni Cret.
Scordii Cret. an. uncias ij.

EX omnibus minutim incisis & commixtis fiat extractum cum s. q. aquæ vitæ s. a. rectificatæ, cui extracto sub finem addantur salia ex cineribus residuæ materiæ facta.

Extractum hoc calefacit, confortat, resolvit, discutit & resistit venenis & pesti. Dosis ejus est à granis 2. ad 7. cum liquoribus appropriatis.

III.

Bezoarticum pretiosum aureum.

℞. PUlveris supradicti ex lapidibus pretiosis, calcinatis & benè lotis, ut dictum est, drachmas ʒ. aurei præcipitati azurini drachm. 1. Misceantur hi duo pulveres, & reducantur in formam pastæ, irrorando eos cum bono spiritu salis. Massa ea extendatur in crucibulo & imponatur carbonibus accensis, donec iterum siccetur, & aequirat colorem penè incarnatum: aromatisetur postea granis 4. aut 6. diaromatici essentialis conterendo in parvo mortario vitreo. Pulvis ille planè cordialis est, atque ita temperatus in suis qualitatibus, ut exhiberi possit omnibus hominibus, junioribus, æquè ac senioribus, omnibus itidem Lunæ & diei temporibus. Potest etiam reiterari dosis ejus toties, quoties necessitas efflagitat ad reparandas vires corporis. Dosis ejus est à gran. ʒ. ad 10.

Præ-

Præparatio præcipitati aurei, sive aurum præcipitatum azurinum ad supradictum Bezoarticum pretiosum.

℞. Spiritus nitri part. 3. spir. salis rectificati partem 1. misce. Dissolvatur in hoc menstruo tantum auri, quantum lubet, deinde præcipitetur cum oleo tartari, sinaturque donec resideat: lavetur sæpiùs, & ultimò siccetur, habebis pulverem subtilem auri, coloris azurini, qui non fulminat igne, ut facit commune præcipitatum aureum, factum cum aqua regia.

Diaromaticum essentiale.

℞. Ambræ gris. scrupulum 1.
Moschi oriental. scrup. semis.
Sacchari albiss. unciam semis.

Terantur in porphyrio lapide in pulverem subtilem, deinde adde olei cinnamomi opt. & ol. de cortic. citri recentis an. scrupulos 2. misceantur probè & serventur in vitro.

Medicamentum hoc calefacit & confortat, est cordiale & cephalicum, iis præsertim qui sunt constitutionis frigidioris. Addi quoque potest cibis, aut etiam vino, cui convenienti modo priùs cum saccharo dulcificato additur parum hujus compositionis, & acquirit statim saporem optimi Hippocratici; cujus usus tempore matutino aut vespertino ad antedicta.

IV.

Electrum aureum cordiale, vel Chrysobezoar.

℞. Spir. nitri uncias 2. salis ammoniaci unciam 1. misce.

Dissolvatur in s. q. hujus liquoris auri puri, & chalybis optimi an. unciam semis, quodvis tamen separatim in suo vitro, misceantur deinde & præcipitentur cum oleo tartari in pulverem subtilissimum s. a. qui lavetur optimè ad auferendam salsuginem menstrui, tandem siccentur. Adjungatur his dimidium ponderis florum sulphuris, incorporentur cum bono spiritu salis, imponanturque in crucibulo prunis, donec sulphur planè sit combustum: auferatur deinde ab igne, & erit pulvis obscurè rubens, qui conteratur in porphyrio lapide irrorando cum aceto destillato, resiccatus deinde servetur ad usum.

Pulvis hic cordialis est & corroborans, confortat enim partes internas relaxatas & debiles, sistit vomitum & fluxum ventris, dysenteriam, fluxum nimium mensium, & fluxum album fœminarum. Dosis est à 3. ad 7. grana cum vehiculis appropriatis.

V.

Extractum opii ad usum antedictum.

℞. Opii Thebaici quantum vis, incidatur minutim & imponatur igni parvo in lamina ferrea, irrorando

 cum

cum pauco aceto & miſcendo cum ſpatula, (ita ſubſtantia magis narcotica evaneſcit :) ſiccandoque poſtea, donec poſſit pulveriſari. Extrahatur deinde eſſentia cum ſ. q. ſucci citri depurati, quæ redigatur in formam extracti coagulando lento igne ſ. a. & ſervetur ad compoſitionem antidoti ſupradicti.

VI.

Maſſa pilularis magnarum virtutum & leniſſimæ operationis Angeli Salæ.

℞. Infuſi violar. ſolut.
rosar. ſolutivi.
Succi cichorii,
borrag.
fumariæ.
bugloſſ. an. ℔. 1.

Miſceantur hi liquores, in iiſque infundantur Rhabarb. optimi unciæ ſex, & digerantur in balneo per biduum, colentur & exprimantur; quo facto, adjungatur aloës Socotorinæ libra 1. reponantur omnia in B. M. tepidum per biduum : coletur liquor clarus à parte ſpiſſa & turbida per inclinationem in patinam porcellinam aut vitream, & evaporetur humiditas igne lento ad conſiſtentiam eam, quæ refrigerata in pilulas formari poſſit. Maſſa illa deinde inungatur oleo amygdalarum dulcium, & ſervetur ad uſum.

Pilulæ hæ benignè omnis generis humores craſſos & tartareos ex ſtomacho & viſceribus expurgant, aperiunt obſtructiones partium internarum, & reſiſtunt putredini. Convenientiſſimæ ſunt in morbis Chronicis, ubi corpus paulatim eſt expurgandum, præſertim in delicatis & nauſeabundis. Modus utendi eſt, ut accipiatur parum de maſſa antedicta, digitisque ſubigatur donec molleſcat, inde fiant pilulæ magnitudine piſorum, quæ aut deaurari, aut pulvere glycyrrhizæ aſpergi poſſunt, ne cohæreant. Harum capi poſſunt 1. 2. 3. ſecundum cujuſque habitudinem, prout videlicet facile vel difficulter purgatur, idque tempore matutino ventriculo jejuno, aut tribus horis poſt cœnam. Poteſt itidem doſis reiterari, quoties neceſſitas requiret. Craſſamentum quod in præparatione relictum fuit, coagulari quoque poteſt, inde fiant pilulæ pro pauperibus. Eæ enim paulò majori doſi exhibitæ, eoſdem penè effectus habent, quos & priores.

VII.

Aqua Sudorifera Salæ.

℞. Vitrioli Ungar. ad albedinem calcinati tartari ad nigredinem calcinati, an. partes æquales : pulveriſentur hæ duæ materiæ, iiſque in vaſe terreo vitreato affundatur aqua communis, guttatim tamen, donec pultis conſiſtentiam acquirat, relinquatur ita per horas 24 Siccetur deinde & deſtilletur per retortam igne aperto, obſervando gradus ignis, ſicut fieri conſuevit in deſtillatione ſpiritus vitrioli per horas 24. continuas. Extractus liquor deinde in B. parum evaporetur,

retur, ut perdat odorem sulphureum, si forte quem contraxerit, ut interdum fit; postea pro unaquaque libra adjungatur uncia 1. spiritus vini optimi & scrupulus 1. pulveris ambræ, rectificetur per retortam in arena igne lento, & servetur in vitro ad usum. Quo antiquior, eò fiet clarior & magis odorata hæc aqua. Purificat sanguinem & consumit omnes humores invisibiles, per habitum corporis dispersos, per sudorem, & insensilem perspirationem.

Dosis est à drachmis 2. ad 6. Bibitur sola aut mixta cum aliquo liquore.

Pulvis ambræ, aut potiùs saccharum ambratum pro dicta compositione ita fit.

℞. Sacchari albissimi unciam semis, ambræ griseæ drachmam 1. moschi orientalis drachmam semis. Pulverisentur subtiliter hæ materiæ, & conterantur in porphyrio lapide; deinde servetur pulvis ille in vitro clauso pro usu dicto, aut aliâs pro rebus quibusvis odore ambræ inficiendis.

VIII.

Vera tinctura lapidis Lazuli, aliâs dicta Oltramarino.

℞. Lapidis lazuli intensè cærulei, & qui venis aureis abundat, quantum vis; conquassetur in frusta magnitudine fabarum plus minus: imponatur igni in crucibulo donec candeat (biß er roth glüet) injiciatur ita candens in vas aceto bono plenum, ut restinguatur, cavendo fumum fœtidum & venenatum: lavetur postea aqua & siccetur. Quo facto pulverisetur in mortario ferreo & trajiciatur per cribrum subtile, deinde conteratur in porphyrio lapide, (pro vice parum accipiendo,) cum oleo lini tamdiu, donec fiat quasi subtile unguentum, in hoc enim consistit operis dexteritas. Quo facto scire oportet pondus lapidis lazuli antequam teratur, debet enim accipi idem pondus ceræ flavæ, & tantum colophoniæ, quæ mixta liquescant super carbones in vase vitreato, liquefactis injiciatur lapis lazuli tritus, ut dictum est, & misceantur omnia probè, postea effundantur adhuc calentia in aquam frigidam, ubi statim coagulabitur instar emplastri, unde postea formetur magdaleo: & hæc est massa illa, unde exire debet tinctura, quod fit hoc modo:

Accipe vas terreum vitreatum satis capax, repleatur aqua calida (eo caloris gradu ne manus lædat,) ad medietatem: huic aquæ immergatur pasta dicta, manibusque malaxetur, ut fit in confectione emplastrorum, idque tamdiu donec exeat pulvis subtilissimus azurinus, qui subsidet in fundo: coletur in aliud vas purum vitratum per linteum album & mundum: postea accipitur alia aqua calida, & proceditur dicto modo cum pasta, colando eam quoque aquam in aliud vas seorsim: repetatur labor ille tertia vel quarta vice, donec nullus amplius color exeat. Ultimò quiescant hæ aquæ, quarum per inclinationem facta separatione, invenie-

tur tinctura lapidis lazuli, quæ purè eximuntur ex unoquoque vase, & singulæ tincturæ asservantur seorsim. Prima enim pulcherrima omnium est, secunda minùs pulchra, & ita consequenter reliquæ.

Tinctura hæc pretiosissima est inter omnes colores, quibus pictores utuntur, non solùm propter pulchritudinem, sed etiam quod nunquam ab aëre corumpatur, quod cæteris coloribus evenire solet, atque illi etiam Oltramarini speciei, quæ fit cum Mercurio, beneficio laminarum argenti & vaporis urinæ cum sale armoniaco. Inde etiam primæ illius tincturæ tantum est pretium, ut uncia una apud pictores Italos 24. aut 30. coronatis aureis vendatur, qui eam ob causam hanc tincturam colorum Adamantem vocant.

In Medicina tinctura hæc cordialis valdè est & specifica contra melancholiam: usus ejus est cum conserva aliqua appropriata. Dosis à granis 2. ad 6.

Spiritus aureus Angeli Salæ ex Italico translatus.

℞. Rosam nobilem auream N. 1. redigatur in subtilissima folia, quæ minutissimè concisa dissolve in aq. regiæ Leonicæ q. s. dissolutum sic aurum dimitte ad destillandum in cucurbitam satis capacem cum alembico, dissolutioni superfunde (ut in auro fulminante solemus) guttatim spiritum sanguinis cervini aut castrati potentissimum, commisceto hæc optimè, donec liquor colorem acquisiverit atro-virescentem ac ebullire quasi desierit. Dehinc cucurbitam cum alembico subitò pone in arenam, subjiciendo insimul receptaculum, materiam igne satis valido urgendo, destillabit liquor colore aureo clarus ac pellucidus, qui, si videbitur aliquo modo obscurus, rectificandus.

Hoc modo labori insiste, cumque color aureus in album permutabitur, receptaculum ex tempore amove, destillationique finem impone. Hujus liquoris recipe ℥j. Sp. Vini ambrati ℥j. mixta invicem digerantur sive circulentur lento ignis calore per tres septimanas, absolutave circulatione habebis liquorem aureum ad internos etiam usus absque omni noxa excellentissimum.

Spiritus hic aureus excellens est deoppilativum ac discussivum, sudorem insuper movet, urinamque efficacissimè pellit, vaporesque malignos per insensibilem transpirationem consumit. Dosis guttæ 4. 6. & 10. cum brodio carnis tepido, vino, aquis stillatitiis vel alio conveniente liquore simili.

Amoto recipiente destilletur liquor restans ad siccitatem. Tandem augeatur ignis ita, ut vas incandescat, calcem projice in aquam frigidam vel in lixivium cinerum clavellatorum, & aurum superstes præcipitabitur in forma pulveris.

N. 1. destillatione priori ad siccitatem peracta, materia indi potest novæ retortæ & urgeri vehementi igne; tunc enim sæpè tinctura melior procedit, quæ seorsim excipienda, priorique conjungenda est.

N. 2. Rectificatio liquoris aurei in arena instituenda, ut tinctura fiat nobilior & sal-

& salsedo aq. fort. in cucurbita relinquatur.

N, 3. Si aq. Leonica paretur ex æq. part. vitr. & nitri, tunc liquor non exit flavus, sed albus; itaque fiat modo seq.

Aqua Regia Leonica.

Recipe aq. fort. (ex lib. 2. vitrioli ad albed. desiccat. & nitri lib. 1. parat.) ℥ 9. Sal amoniac. an. ʒj. sem. destilla per Retort. in arena lento igne, donec humiditas omnis egrediatur, deinde fortiori, dum spiritus omnes transierint.

Spir. vini ambratus.

Recipe corallorum aut perlar. ppt. comm. modo.

Ambr. gris. opt. scrup. j.

Mosch. orient. scrup. sem.

Tere in mortario vitreo, per 2. horas, pone in vitrum benè clausum, loco calido per 20. dies, tunc enim suavem acquiret odorem.

Recipe pulv. hujus ambræ ʒj.

Spir. vini rectificat. & odoriferi ʒij.

Infunde in cucurb. clausam 2. aut 3. dies, deinde destilla per B. M.

Ex communicatione S. Closs.

De hoc spiritu loquitur & intelligendus est Sala libello de auro potabili.

INDEX

INDEX RERUM ET VERBORUM LOCUPLETISSIMUS.

Cùm paginarum numerus in Operibus hisce sæpenumero falsus sit, ideò monendum duximus Benevolum Lectorem in frontispicio hujus Indicis, ut ante omnia verum pro falso restituat, ne inquirendo nihil inveniat.

A.

Acidum

ex

Diamo-

Empla-

Fomen-

Mel

Oleum

T.

Turpethi

FINIS.